BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
G
26
NAPOLI

SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
DECISIONES
Coram Rm̃o P. Domino
CYRIACO LANCETTA
Ejuſdem Sac. Rotæ Decano
Ac Sacræ Pœnitentiariæ Regente, Viro utriuſque Juris Peritiſsimo

Ex propriis autographis diligenter depromptæ, Argumentis, Summariis, atque locupletiſſimo generali Indice adauctæ.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XII.
PONT. OPT. MAX.
D I C A T Æ.
TOMUS QUARTUS.



R O M Æ, M. DCC. XXXIII.
Typis; & Sumptibus Hieronymi Mainardi in platea Montis Citatorii.
SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX ARGUMENTORUM,

Quæ in hoc Quarto Volumine continentur.

Firmana Beneficiorum.
Veneris 11. *Ianuarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Præſentatus à majori parte Patronorum, qui pro ſe ultimum habeant ſtatum, inſtituendus eſt. In renunciatione facta de bonis paternis, & maternis ſub generalitate verborum implicitè renunciatio juripatronatus numquam continetur, cum expreſſam mentionem requirat. Lis quandò eſt inter Patronos ſuper titulo, ſtatus ultimus attendendus eſt. Pag. 1.

Romana Cenſus.
Veneris 11. *Januarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Ceſſio cenſus activi cum pacto reſolutivo in caſu, quo Ceſſionarius conventum pretium non perſolvat, ſolutione non ſequuta, illicò reſolvitur. Fructus à die impoſitionis, & non motæ litis debentur. 4.

Romana Pecuniaria.
Lunæ 14. *Ianuarii* 115.
ARGUMENTUM.
Miniſter, qui in actu ſuſcipiendi adminiſtrationem ſe obligat rationem reddere, obligatus quoque ſubintelligitur ad reliquatus ſolutionem, caſu quo in adminiſtratione deficiat, & folia partitarum ab ipſo ſubſcripta, contra ipſum concludentiſſimè probant. 5.

Romana Immiſſionis.
Lunæ 14. *Ianuarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Tacita hypotheca prò Canonibus infixis ſuper uno fundo non datur adverſus tertium poſſeſſorem illius exercibilis ſuper aliis bonis emphyteuticis ab eodem poſſeſſis, ſi nullam emiſiſſet obligationem prò primodictis Canonibus, nec obligatio Cameralis emiſſa ab eodem favore venditoris ejuſdem fundi continet ſtipulationem prò omnibus intereſſe habentibus, adeòut ad hoc non reddatur extenſibilis 7.

Colonien. Canonicatus Tertiæ Gratiæ.
Mercurii 16. *Ianuarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria præcedentis ſub die 8. Junii 1714., ubi fuſiùs habetur Argumentum.
Ad electionem Beneficii nunquam deveniri poteſt, ſi unus ex Vocalibus proteſtatus fuiſſet de nullitate, ob non ſervatam formam Indulti Pontificii, lapſus temporis non adeſſet, neque neceſſitas ad prẹſentandum. 8.

Turritana Pecuniaria.
Lunæ 21. *Januarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Solidaliter obligatus principalis Debitoris excuſſionem primario faciendam nequit opponere, ſicut neque ſeſe obligaſſet in caſu, quo ille ſtatuto tempore non ſolveret, & dies ſolutionis adveniſſet. Quando Principalis debitor eſt pauper, excuſſio neceſſaria non eſt, quia fruſtranea eſſet. 10.

Leodien. Diſmembrationis.
Veneris 25. *Januarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria alterius etiam in tertia inſtantia ſub die 22. Junii 1714.
Vicarius Generalis authoritate ordinaria Eccleſiam diſmembrare non poteſt, cum ſit actus de jure privativo Epiſcopi, ac in nullitatem de tribus incurrit, niſi citet Parochum, ſive Rectorem, neque ad ipſum diſmembrationis actum devenire poteſt, niſi in caſu graviſſimæ neceſſitatis. 12.

Romana Fundationis Monaſterii.
Lunæ 28. *Januarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Habes in Summario. 14.

Gerunden. Juriſpatronatus.
Lunæ 4. *Februarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Præſentatus, qui ſit de familia fundatoris, utque talis vocatus, ceteris eſt prẹferendus, & juris diſpoſitione hominis diſpoſitionem ſupplente, nominari non indiget à Patrono. 14.

Peruſina Cenſus.
Veneris 15. *Februarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Ceſſionarius crediti anterioris, ſi ex proprio facto ſinat, ut debitor ceſſus, creditoribus ſibi poſterioribus ſolvat, contra cedentem regreſſum non habet, & de culpa tenetur. 16.

Romana Immiſſionis.
Lunæ 18. *Februarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Hẹc eſt confirmatoria alterius ſub die 3. Decembris 1714.
Augumentum legitimæ, quod ſit favore maſculi de triente ad ſemiſſem ob exiſtentiam quatuor fæminarum, licèt à Statuto excludantur, quæque ob ingreſſum in Monaſterium renunciaſſent, non poteſt à Patre fideicommiſſi onere gravari. 17.

Faventina Fideicommiſſi de Paſiis.
Lunẹ 25. *Februarii* 1715.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt duarum præcedentium confirmatoria,

prima ſcilicèt ſub die 29. Januarii, & alterâ ſub die 17. Februarii.

Tranſactio ſuper bonis fideicommiſſariis facta inter fideicommiſſarios hæredes, qui unà cum bonis Fideicommiſſariis alia libera inter ſeſe diviſerunt, ſemper Fideicommiſſi remiſſionem importat, maximè ſi emanaſſet, poſtquam à Sacra Rota ſuper expiratione Fideicommiſſi fuiſſet judicatum. 18.

Romana Affictus.

Lunæ 11. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc Deciſio partitarum diſpunctionem continet inter Affictuarium, & Dominum, cuius Argumentum habes in Summario. 20.

Romana Affictus ſuper Duobus Partitis.

Lunæ 11. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Depoſitarius duarum ſpecierum frumenti, boni, ſcilicet, & inferioris, ejuſdem qualitatis illud reſtituere tenetur, nec poteſt unam ſpeciem cum alia miſcere, neque pro bono inferius reſtituere. 22.

Aſculana Evictionis.

Veneris 15. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Mater una cum Viro ſolidaliter pro evictione obligata in dote filiæ conſtituta ſemper ſubſtinetur, vel habeat relevationem ſuper bonis ejuſdem Viri, vel non, cum iſto caſu in ſubſidium ad eam dotandum teneatur. 23.

Aſculana Liberationis à Moleſtiis.

Veneris 16. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Adimplementum obligationis in caſu evictionis promiſſum ab eo, qui ſua bona univerſaliter donavit, ad ejus donatarium, tamquam univerſalem hæredem tranſmittitur. 25.

Romana Expurgationis Fovei.

Lunæ 18. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 19. Junii 1713.

Foveus non manu factus, ſed communis, ſumptibus communibus adiacentiū expurgandus eſt, licet unus ex illis haberet fundum, qui non per totam fovei longitudinem ſe protenderet, nec expurgandus eſt ratione vicinitatis in communi, ſed ratione aquarum defluentium ſivè à longè, ſivè propriis ex adjacentium tenutis. 26.

Melevitana Fideicommiſſi.

Veneris 22. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Fæminæ æqualiter cum maſculis ad ſucceſſionem in fideicommiſſo invitatæ, ob exiſtentiam maſculorum non repelluntur, nec eis obſtat hęc animadverſio, ſcilicet, quod ſi fideicommiſſum in plures partes divideretur, ſequeretur abſurdum, quod nolitum à teſtatore præſumeretur, quoties tamen vehementiſſimæ non adeſſent conjecturæ denotantes, quod per prius maſculi, & per poſterius fæminæ ad illud fuiſſent vocatæ. 29.

Romana Liberationis à Moleſtiis.

Veneris 22. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 26. Junii 1711.

Tutor optimæ probitatis repertus, qui fidelem rationis redditionem feciſſet à Judice approbatam non tenetur damnum fortuitò pupillo eventum in contractu illius nomine geſto corrigere, quoties in tutelæ exercitio tanquam diligens Paterfamilias ſe geſſiſſet, ac citrà dolum, & fraudem negocia illius pertractaſſet. 32.

Eugubina Bonorum ſuper Fructibus.

Mercurii 27. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Allegatio Cauthelæ Angeli executionem Crediti liquidi non retardat, niſi priùs undique, & validè juſtificetur.

Fructus veniunt à die motæ litis, ſi indebite ſint percepti, nec bona fides, nec juſta litigandi cauſa eos retardat. 33.

Firmana Commendæ.

Mercurii 27. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Commenda erecta ab hærede gravato de bonis Fideicommiſſariis ſubſtinetur, quoties conſtat Commendatario erigenti competiiſſe detractiones, & dotis maternæ reſtitutio, de quo peculio erecta cenſetur. Detractiones ex defectu Inventarii conſumptæ præſumi nequeunt ab hærede gravato, niſi de conſpicuis alienationibus conſtet, quod probare, eſt onus Fideicommiſſario hæredi inhærens. 34.

Bononien. Liberationis à Moleſtiis.

Veneris 29. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Emptor quando patitur moleſtias ſuper re empta, ſatis eſt, quod de eis venditorem admoneat, nec tenetur litis exitum expectare inter venditorem, & moleſtantem, ut habeat jus illico, vel reſciſſionem contractus, vel liberationem à moleſtiis poſtulandi. 36.

Romana Affictus ſuper Partita ſcut.300.

Veneris 29. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Partita ferens ſolutionem anticipatam, ſi ſit ſimul referibilis ad antiquam ſolidationem, in quo caſu inveriſimilitudo non obſtet, quin anticipatam ſolutionem reſpiciat, potius, quàm antiquam ſolidationem. 37.

Romana, ſeu Sutrina Confinium.

Lunæ 1. *Aprilis* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria præcedentis ſub die 10. Decembris 1714.

In quo differant termini Territorii confinia denotantes ab iis, quæ Particularium terras dividunt, & deſignant. In hac materia Agrimenſorum judicio multum defertur. 38.

Eugu-

Eugubina Fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli.

Veneris 5. Aprilis 1715.

ARGUMENTUM.

Fideicommiſſum dicitur ad ulteriores deſcendentes de primo inſtituto progreſſivum, & non ad iſtius mortis caſum tantum reſtrictivum, juxta 21. *Oldradi conſilium*, quando in teſtamento vehementer colligantur conjecturę, agnationis conſervationem præſeferentes, & fideicommiſſi perpetuitatem. Prælegata licet ſint opulentia à Fideicommittente ſcripta, ſub fideicommiſſo cadere non præſumuntur. Creditor hæredis gravati ea omnia exercere jura poteſt adversùs fideicommiſſum, quæ ex detractionum titulo, Dotis Maternæ ſcilicet, & ſimilium gravato hæredi competerent. 42.

Cæſenaten., ſeu Cervien. Bonorum ſuper Prælatione.

Lunę 8. Aprilis 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 4. Junii 1714.

Inveſtitura bonorum, quæ ad inſtar allodialium redacta ſunt, ad hæredem ultimi Inveſtiti pertinet, & ab iſto ad Extraneos tranſmittitur. 45.

Ravenaten. Manutentionis.

Lunæ 8. Aprilis 1715.

ARGUMENTUM.

Poſſeſſio anterior ad excluſionem poſterioris manutenibilis eſt. Hęres proprietarius operatione legis in inſtanti, vix ſequuto obitu uſufructuarii, poſſidere dicitur, & proprietas cum uſufructu conſolidatur. 46.

Faventina Parochialis.

Lunæ 6. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Reſignatarius Beneficii, qui etiam litteras Apoſtolicas reportaſſet, ſi inter litigandum Reſignans obiiſſet, Patronique alterum nominaſſent, jus ad illud amittit, maximè ſi litteræ ab eo expeditæ, & uti turbidæ repertæ ad arbitrium Rotę pro exequutione fuiſſent commiſſæ. 48.

Romana Donationis.

ARGUMENTUM.

Donans quando æquè nominavit duos Donatarios, pro virili ad eos donatio devolvitur, nec ordo Sripturę attenditur, cum duę diſtinctæ donationes cenſeantur. Filius poteſt variare in fideicommiſſo à Patre inſtituto, quando detractiones ex titulo dotis Maternę ſibi competentes fideicommiſſum abſorberent; maximè ſi fideicommiſſum eſſet conditionatum. 49.

Nullius Abbatiæ S. Hylarii.

Ven. 10. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Inveſtitura de bonis Abbatiæ ſubjectis, ſequuta abſque reportatione beneplaciti Apoſtolici in actu alienationis conventi, irrita redditur. Venditor ſi ad reportationem ejuſdem beneplaciti ſe obligaverit, non liberatur ab adimplemento per ſolutionem quanti intereſt. 52.

Nullius Abbatiæ S. Hylarii.

Veneris 10. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Remiſſoria in materia prophana ſemper conceditur, maximè quando Actor ſententiam aliquam favorabilem reportaſſet. 54.

Albanen. Immiſſionis.

Lunæ 13. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 4. Maii 1714. Statutum Albanenſe coarctat teſtamenti factionem intra quartum gradum quoad bona in emphitheuſim conceſſa ab illius Barone ad effectum excludendi eundem à ſucceſſione, ſecùs quoad alios caſus, quia cum ſit Juris communis correctorium, ſtrictè interpetrandum eſt. ibid.

Vercellen. Fideicommiſſi.

Lunæ 13. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Subſtitutio concepta cum conditione -- *Si ſine filiis* -- primi inſtituti expirat per ſuperexiſtentiam fœminarum ex iſto, licet in ſecundo ſubſtitutionis gradu filios maſculos expreſsè Teſtator vocaſſet, cum cenſeatur id potiùs conſulto feciſſe, ut pateret in quo gradu maſculos tantum, & in quo etiam fœminas vocaſſet, per quarum exiſtentiam ejus mens adimpleta remaneret. 56.

Nullius, ſeu Montis Caſſinen. Manutentionis, ſeu Proceſſionum.

Lunę 3. Iunii 1715.

ARGUMENTUM

Habes in Summario. 59.

Firmana Beneficiorum.

Lunę 3. Iunii 1715.

ARGUMENTUM.

Præſentatus à Patrono, qui ultimum pro ſe ſtatum habeat, in aliorum concurſu eſt inſtituendus, nec exceptio turbida de expiratione juris præſentandi ultimum ſtatum deſtruit.

Renunciatio de bonis paternis, & maternis nunquam Juspatronatus compræhendit, cum iſtud non ſit de illis, quæ ſunt contra perſonas exercibilia. ibid.

Romana Dotis.

Lunæ 3. Junii 1715.

ARGUMENTUM.

Dos quando ſoluta præſumitur, Mulier non acquirit hypothecam ſuper bonis, quę utrum ad virum pertineant res dubia ſit, qua de cauſa vir ad lites reſecandas ſuper eis bona fide poteſt tranſigere, quæ tranſactio uxorem ligat. 61.

Peruſina Immiſſionis.

Veneris 7. Junii 1715.

ARGUMENTUM.

Pater conſtituendo dotem filiabus, tàm de bonis ſuis, quàm maternis, ſemper cenſetur de ſua tantum ſubſtantia id feciſſe; dummodò tamen de tempore ejuſdem conſtitutionis eſſet in bonis, & dotes non conſpicuæ, nec ſui patrimonii viribus impares. 63.

Fulgi-

Fulginaten. Laudi.

Veneris 7. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Statutum Fulginei mandat fieri compromiſſum in caſu litium inter conſanguineos.

Filia gravata à Patre onere reſtituendi hæreditatem ſuis fratribus, & patruis reſpectivè in caſu deceſſus ſine filiis, iſto eveniente, legitimam tantùm liberè ad ſuos hæredes tranſmittit. 65.

Romana Fideicommiſſi R. P. D. de Alveriis.

Veneris 14. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Donatio etiam ad Donatarii deſcendentes progreſſiva, tàm maſculos, quam fæminas ſub nomine *deſcendentium* compræhendit. Donans, poſtquam donavit, poteſt bona fide tranſigere, ad repellendas lites arduas ſuper ſua donatione exortas, quoad illius ſubſtantiam, numquam tamen à ſe vocatos excludere, quia quod ſemel placuit, diſplicere amplius non poteſt. 67.

Romana Pecuniaria.

Veneris 14. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Teſtator ſi prohibeat hæredi quodlibet fideiuſſionum genus etiam favore proprii filii ſub certa, & deſignata pæna, iſta omninò eſt ab herede in caſu controventionis luenda, nec ulla admittitur excuſatio.

Dolus, & colluſio in debitore ære alieno præſſo de facili præſumuntur, & ſcripturę ab eo exaratę, ex quibus extrinſecis defectibus in ſubſtantia, colluſivę, & fraudolentis judicandæ veniant. 70.

Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper fructibus.

Lunæ 17. *Junii* 1715.

ARGVMENTVM.

Valor verus, & juſtus Vinearum deſumendus non eſt de antiqua æſtimatione illarum ultrà ſexaginta annos, maximè ſi in æſtimatione antiqua compræhenſus fuiſſet valor quoque mobilium, quæ poſt tanti temporis lapſum attrita, ſicut etiam ipſæ Vineæ, quæ ſemper deteriores fieri præſumuntur. In concurſu peritiarum recentium, & antiquorum, Judicis arbitrium operari debet. 72.

Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper Noviter reſervatis.

Lunę 17. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæres ſi petat immiſſionem ad eum fundum, (qui de cætero vendi debuiſſet de mandato teſtatoris, ejuſque pretium reinveſtiendum, nec non fructus talis inveſtimenti fuiſſent ulterius multiplicandi ad commodum ipſius heredis) ſi in illjus poſſeſſionem ingrediatur, non prohibetur adversùs illum, qui tenebatur ad inveſtimentum, ſimulque ad multiplici confectionem petere fructus ipſius multiplici non facti loco damnorum, & intereſſe, cum ex poſſeſſione fundi, fructus tantum illius pretii non reinveſtiti excomputare teneatur, non verò illos, qui ex multiplico, tamquam ex diverſo, & diſtincto capitali fuiſſent exorituri. 74.

Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper Reſtitutione in Integrum.

Veneris 21. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM:

Reſtitutio in integrum ſine injuſtitia notoria, & clara non conceditur.

Judex poteſt in exequutionem rei judicatæ ad expenſarum taxationem devenire, licèt fuiſſet reſervata aliqua liquidatio fructuum, quos tamen in genere deberi fuiſſet per eandem rem judicatam canonizatum. 76.

Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper Reſervatis.

Veneris 21. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Pater non tenetur alere filium unde vivere habentem, ſecus ſi iſte non habeat, & quando affirmativè, & Pater filii bona adminiſtrando, fructus eorumdem percipiat, ſimulque filium alat, cenſetur alimoniam pręſtare animo excomputandi cum eisdem fructibus, nec ad illorum reſtitutionem tenetur favore filii. 78.

Faventiſa Fideicommiſſi ſuper Prædio.

Mercurii 26. *Iunii* 1715.

ARGUMENTUM.

Immiſſio ſuper bonis fideicommiſſariis hæredi fideicommiſſario denegatur, ſi ex juribus legitimæ, & dotis maternæ iſta bona ab hæredibus prædeceſſoribus alienata reperirentur.

Cæſſionarius ad effectum retinendi tantum, poteſt ſe conferre in poſſeſſione rei ceſſæ etiam pro rata non ſoluta, quæ ei fuiſſet ab eodem cedente condonata. 79.

Faventina Fideicommiſſi ſuper Domo.

Mercurii 26. *Iunii* 1715.

ARGUMENTUM.

Immiſſio hæredi fideicommiſſario de neceſſariis extremis edocenti ſemper conceditur, non obſtante exceptione detractionum quando eſſent turbidæ.

Poſſeſſio bonorum ad aditionem hæreditatis non eſt referibilis, quando adeſt alter titulus poſſidendi. 81.

Trevien. Parochialis.

Mercurii 26. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Collatio Beneficii vacantis in menſe Septembris ſpectat ad Sanctam Sedem, & quando Papa intra trimeſtre à die vacationis favore Proviſi ſupplicationem ſignavit, dicitur affectum S. Sedi evaſiſſe per appoſitionem manus, & ablata facultas Ordinario de illud conferendo. 82.

Fulginaten. Quarti Dotalis.

Veneris 28. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Uxor licet omnia bona à ſe poſſeſſa tùm libera, cum fideicommiſſaria poſt ſui obitum reſtituenda, in dotem viro conſtituiſſe præſumatur, (quoties de præciſa dotis quantitate non conſtet) nihilominus, ſi Vir prædecedat, Quarti ejus favore regulatur ad ratam bonorum liberorum tantum.

Fructus quarti dotalis ex juris diſpoſitione venien-

nientes debentur à die obitus alteriusexConiugibus, ſecus in judiciis poſſeſſoriis, qui à die motę litis currere incipiunt. 84.

Fulginaten. Liberationis à Moleſtiis.

Ven. 28. Iunii 1715.

ARGUMENTUM.

Moleſtię vel ſint juſtæ, vel injuſtæ, à venditore ſunt aſſumendæ, ſi ſe ab illis emptorem liberare obligaſſet, & etiam ſi venditor de illorum ſupervenientia profutura ante contractum aliquam ſcientiam habuiſſet. 86.

Gerunden. Juriſpatronatus.

Lunæ 1. Iulii 1715.

ARGUMENTUM.

Præſentatus ad Beneficium, qui ſit de ſanguine Fundatoris, & ideò vocatus, in concurſu cæteris præferendus eſt. Teſtator nominans ſuos deſcendentes, ſemper præſumitur illos de ſanguine prædilexiſſe.

Gratioſa ſubrogatio non habet locum, ſi alter Competitor eſſet in cauſa; imò tali caſu pręſentatio calumnioſa diceretur. 87.

Romana Immiſſionis.

Lunæ 1. Julii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria duarum præcedentium, ſcilicet ſub diebus 3. Decembris 1714., & 18. Februarii 1715.

Renunciatio facta á filia propter dotem favore Patris, non impedit, quin ipſa numerum faciat pro augendo legitimam favore maſculi, nec iſtud majus augumentum poteſt à Patre gravari fideicommiſſo, tamquam de re non ſua.

Fructus debentur à die interpellationis, & non à die productionis jurium, quando agitur de jure claro, ſecus ſi de jure incognito. 89.

Conſtantien. Canonicatus ſuper Remiſſoria.

Lunæ 1. Julii 1715.

ARGUMENTUM.

Relevantia novarum probationum operatur, ut remiſſoria concedi debeat, licèt de cauſis beneficialibus ageretur, quæ celeriter ſunt de jure terminandæ, qua de re tamen concedi ſolet cum clauſula -- *Non retardata proſequutione Cauſæ.*

Gratia Apoſtolica, ſi à Proviſo non publicetur (cum publicatio ſit pars illius) irritatur. 91.

Romana Cambii.

Lunę prima Julii 1715.

ARGUMENTUM.

Creditum cambii adſcribendum eſt hereditati veri illius creditoris, licet in faciem tertii fuiſſe contractum reperiretur, quando id fuiſſe ſimulatè factum ex urgentiſſimis conjecturis probaretur. Simulatio in his contractibus ex pluribus conjecturis deſumitur, & leviores ſufficiunt. 92.

Peruſina Fideicomiſſi, ſeu Salviani ſuper Expenſis.

Lunæ 1. Julii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt alterius confirmatoria ſub die 31. Januarii 1707. emanatæ.

Expenſas in judicio Salviani factas ex ære proprio in Cauſa ſuccumbens reficere tenetur, & numquam ex fructibus illius met prædii, ad quod immiſſionem paſſus fuiſſet. 95.

Romana Domus ad Curſum.

Lunę 25. Novembris 1715.

ARGUMENTUM.

Actionem executivam, & directam Creditor non amittit, ſi poſt introductam litem Debitor in fraudem illius res penes tertium diſtraxiſſet, idemque tertius poſſeſſor privilegio gaudere prohibetur ob tranſitum rei in ſui dominium cum vitio litigioſi. 96.

Ferrarien. Succeſſionis ſuper Immiſſione.

Veneris 29. Novembris 1715.

ARGUMENTUM.

Judex pronuncians adverſus exceptionem à Reo oppoſitam, licet non exprimat in cedula quid Actor petierit, attamen tacitè intelligitur petitionem illius admiſiſſe per virtualem ſubintelligentiam, maximè ſi idem Actor ſuæ intentionis fundamentum deduxiſſet.

Subſtitutio ſub conditione ordinata de uno ad alium, & ad tempus mortis ſine filiis eorumdem Subſtitutorum, abſque ulla connotatione fideicommiſſi, compendioſa dicitur, quæ vulgarem, & fideicommiſſariam continet, juxta varias caſuum contingentias, neque ordo à Teſtatore deſignatus, eſt de neceſſitate ſervandus, quando ordinaſſet vulgarem anomalam, quæ eveniente interverſione graduum operatur, ut unus Subſtitutus ſubingrediatur in locum gradus caducati; deficiente ſecundo ſubſtitutionis gradu, quando ſuccedant ſubſtituti in Tertio, & quando etiam fideicommiſſum dicatur alicui nominatim relictum, diſtinctè explicat ſequens, 97.

Ferrarien. Succeſſionis ſuper Legitima.

Veneris 29. Novembris 1715.

ARGUMENTUM.

Pater ſi filio in pupillari ætate decedenti ſubſtituiſſet ſuum fratrem, & ille in pupillari ætate deceſſiſſet, à tali ſubſtituto legitima illius non detrahitur. Eadem ſubſtitutio etiam jus legitimæ comprahendit, præſertim ſi eſſet ſubſtituta cauſa pia, cujus favore major militat ratio. 100.

Romana Dotis, & Lucri Dotalis,

Lunæ 2. Decembris 1715.

ARGUMENTUM.

Debitum certum, & liquidum nequit compenſari in credito, cujus cognitio ſub Judice ſtet

Scientia, & patientia ſicut inducunt conſenſum ejus, qui reclamare potuiſſet, ob id filia nupta, ſi cum Matre, & vitrico in una eademque menſa, & domo cum viro ſuo convixerit, & fructus legati ad ſe ſpectantes paſſa ſit à Matre, & vitrico exigi, præſumptio eſt, vel quod eos remiſerit, vel quod in ejus magis conſpicuam manutentionem fuerint erogati. 103.

Lauden. Penſionum.

Lunæ 9. Decembris 1715.

ARGUMENTUM.

Solutio penſionis à Titulari retardari nequit ſub

ſub prætextu inſufficientiæ Beneficii, & ex quo congrua ſalva non remaneat. Expenſę pro cura animarum neceſſariè, congruam Paroco minuere non valent, quando pro illis aliunde adeſſet aſſignamentum, & quomodo id probatur. 106.

Romana Depoſiti.

Veneris 10. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Menſæ nummulariæ S. Montis Pietatis, & S. Spiritus Urbis ſunt de publico uſu, nec in ſolvendo depoſitas ibi pecunias ad ultrò tenentur, quàm ad illarum ſolutionem, juxtà tramites, & leges ſcriptas in depoſitorum partitis. Fides ſuccinctæ Notariorum de vinculis in eis enunciatis plenam faciunt probationem, & ad invicem debent correſpondere cum ipſis partitis, æedemque menſæ non tenentur in caſu malæ erogationis pecuniarum, quoties de earum culpa, dolo æquiparabili, non conſtet. 109.

Romana Reintegrationis Depoſiti.

Veneris 10. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Notarius tenetur ad damna, & de dolo, ſi mediante ejus fide ſuccincta, (quæ de cætero non verificaretur) Mons Pietatis depoſitas pecunias perſolveret.

Damnificatus ab eo tamen habet adverſus ipſum actionem ſubſidiariam tantum, poſt factam diſcuſſionem principalis debitoris. 111.

Fulginaten. Immiſſionis.

Lunæ 13. *Januarii* 1715.

ARGUMENTUM.

Deliberatio facta authore Prætore, & pro ſumma in mandato contenta, juſta præſumitur, nec de læſione redarguitur, ſi Judex mandaſſet conſignari creditori, ultrà prætium, alias expenſas ex poſt factas.

Exceſſus ab æſtimo in Cataſtro adnotato non deſumitur, cum illud valorem verè non probet, ſique ageretur in antiquis, cæteris Cataſtris omiſſis, æſtimatio ultimi Cataſtri prævalere debet antiquæ. 113.

Romana Redditionis Rationis.

Lunę 13. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Libri Capſerii publici probant concludentiſſimè contra ipſum Scribentem de partitis in illis deſcriptis; ac quomodocumque in eis, & ſub quavis formula adnotatę reperiantur, à redditione rationis de illis Capſerius non liberatur. 114.

Peruſina Cenſus.

Veneris 17. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Creditor habens ſui favore validè obligatam Matrem ſui Debitoris; poteſt exercere illius jura, & actiones adverſùs fideicommiſſum aſcendentale, ex quo eadem Mulier dotem poſſet detrahere.

Defectus relevationis oppoſitus à Muliere cauſa ſuę obligationis, probandus eſt non de tempore, quo pulſatur à Creditore, ſed adfuiſse de tempore præciſo, quo ſe obligavit. 116.

Veliterna Donationis ſuper Credito.

Veneris 17. *Januarii* 1716.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 26. Januarii 1714.

Donator crediti cum promiſſione evictionis in caſu inexigibilitatis, committere dicitur ſtipulationem favore donatarii, ſi ante donationem idem creditum remanſiſſet extinctum, & quomodo hoc. 118.

Eugubina Pecuniaria.

Lunæ 20. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Mandatum ſuſpicionis fugæ pro aſſecuratione judicii expeditum ſemper ſubſtinetur, & ſi ageretur inter conſocios, inter quos partitę crediti, & debiti diſpungendæ forent, quando tamen ſummariè ſaltem, & in genere de credito conſtare certè certius, creditor edocuiſſet. Secus verò, ſi ageretur de mandato ad effectum exigendi ſummam certam, quod, niſi creditum ſit liquidum, ſubſtineri nequit. Poſſeſſio tenuis, credito longè impar, mandatum ſuſpicionis fugę non retardat. 120.

Monaſterien. Beneficii.

Mercurii 22. *Ianuarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Proviſio de Beneficio quando fit in Curia per literas in forma gratioſa expeditas, idoneitas proviſi in Dataria Apoſtolica probata præſupponitur. 121.

Romana Aſſignationis Bonorum.

Veneris 31. *Januarii* 1716.

ARGVMENTVM.

De omnigenere bonorum partim de melioribus, & partim de pejoribus deduci debet aſſignamentum, quod Pater Filio primogenito in ſupremis tabulis decreviſſet; & quando fundum ſpecialiter ad id non hypothecaſſet; Quomodo vero iſta fieri debeat deductio boni viri, & Judicis arbitrio defertur. 122.

Narnien. Decimarum.

Veneris 7. *Februarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Parochus habens intentionem fundatam in exactione decimarum à ſua Parochia in certa, & determinata quantitate ſuper conſuetudine locali in ſummariiſſimo manutentionis Judicio, à ſua poſſeſſione exigendi perturbari non poteſt ſub fundamento, quod in cæteris ejuſdem Diœceſis locis decimæ diverſimodè regulentur; imò Teſtes à Populo inducti, qui aliis ex parte Parochi adverſarentur, ob aſſiſtentiam juris ipſi faventem, repelluntur. 124.

Romana Expurgationis Fovei ſuper Expenſis.

Veneris 14. *Februarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Expenſæ factæ pro expurgatione fovei communis, quando certum ſit, ut communiter compoſſeſſoribus illi adiacentibus ſit expurgandus, & unus ex iſtis auctoritate Judicis, & animo repetendi pro rata adverſus cæteros eas feciſſet, etiam à peritis extrajudicialiter electis liquidari poſſunt. 125.

Pi-

Piſauren., ſeu Fanen. Cenſus ſuper Reſervatis.
Lunæ 17. Febr. 1716.
ARGUMENTUM.
Accollatarius cenſus cenſetur uti principalis reus debendi, perindè ac ſi cenſum ab initio ipſemet impoſuiſſet.
Fratres in dividendo bona paterna præſumuntur etiam cum illis diviſiſſe portionem fratris, qui Patri prædeceſſiſſet. Hujus tamen hæreditas pro rata legitimæ ad paternam hæreditatem non devoluitur, cum liberum cenſeatur filii patrimonium. 126.
Romana Dotis.
Lunæ 2. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Avia Materna in præjudicium filiorum jure proprio venientium non poteſt dotem, quam filiæ promiſiſſet, Nepti, & Sorori iſtorum reſpectivè perſolvere. Avia quando dicatur ex mera liberalitate potius, quam animo ſuum debitum extinguendi erga filiam, Neptem dotaſſe.
Obligatus ad ſolutionem debiti, quod reinveſtiri deberet, licet de illo curam non habeat, attamen, ut liberetur, debet eſſe de illius adimplemento ſollicitus. 128.
Romana Domus ad Curſum.
Veneris 6. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 25. Novembris 1715.
Reſtitutio in integrum, quam quis adverſus rem judicatam obtinuiſſet, non operatur, quod ſi fundus, de quo lis verſa fuit, in tertium diſtrahatur, illam cum vitio litigioſi pertranſiiſſe dici non poſſit; quod idem procedit, ſi lis in poſſeſſorio favore diſtrahentis fuiſſet terminata, quando petitorium indeciſum remanſiſſet. 130.
Lauretana Cenſuum.
Veneris 13. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Argumentum habes in Summario. 132.
Eugubina Fideicommiſſi.
Lunæ 16. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Status fideicommiſſi firmatus in Contradictorio judicio facit ſtatum quoad omnes, & ad iſtius tramites immiſſo regulanda eſt.
Domus, ſi commodam non patiatur diviſionem, tota potius illi adjudicatur, qui eam melioraſſet, quàm alteri, cum conditione, quod alterius medietatis prætium refundat. 132.
Eugubina Fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli.
Lunæ 16. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 5. Aprilis 1715.
Status fideicommiſſi inter legitimos contradictores authoritate Judicis firmatus, ac re judicata roboratus afficit omnes non citatos, & eorumdem litigantium ſucceſſores jure proprio venientes.
Mulier tradens dotem in manibus viri, & illius Fratris, qui ſimul quietantiam de illa ſui favore exaraſſent, eorundem bona efficit pro virili obligata.
Legata ſolvi debent de bonis fideicommiſſariis, ſi fideicommittens numeratas non deſerviſſet pecunias, nec non expenſæ litis bona fide à gravato factæ ex eo deducuntur. 135.
Romana Pecuniaria.
Veneris 20. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt revocatoria alterius ſub die 14. Junii 1715.
Contractus factus à Bancherio publico, qui ære alieno premeretur, ſimulatus eo caſu non præſumitur, quo vel verus, vel falſus eſſet creditorum conditio, nec melior, nec deterior fieret, maximè ſi ille in morte conſtitutus eundem ratificaſſet. Agit hæc ulterius deciſio de ſtylo inter mercatores iniendi apocas, in albo creditoris nomine relicto, & quid præſumendum, ſi pro perſona nominanda fiat. 137.
Leodien. Paſtoratus.
Veneris 20. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
In judicio manutentionis inſtituendus eſt Præſentatus à Patrono ultimum pro ſe ſtatū habente, licet aliqualiter de tituli legitimitate conſtaret, quando inter præſentatos lis ſit. Juſpatronatus Feudo annexum, ſi iſtud in pignus detur penes tertium, numquam ſub pignore cadit.
Verbum -- *Sayſinia* -- apud Leodien. de ſtylo Loci quid denotet, & quomodo diſtinguatur. 139.
Eugubina Bonorum ſuper Fructibus.
Lunæ 23. Martii 1715.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 27. Martii 1715.
Spoliator tenetur ad reſtitutionem fructuum, una cum bonis à die motæ litis. Hæres mala fide fructus percipere dicitur, ſi ſuper illis injuſtam litem ſuſtinere ſtudeat; ac ſi lite pendente rem diſtrahat, in litigioſi vitium incidit. 142.
Firmana Beneficiorum.
Lunæ 23. Martii 1716.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt revocatoria duarum præcedentium ſub diebus 11. Januarii, ac 6. Junii 1715., & reſpectivè confirmatoria trium aliarum antiquarum ſub diebus 3. Junii 1709., 4. Junii 1710., & 19. Januarii 1711.
Quaſi poſſeſſio in præſentando ad Beneficium, licèt ultimo ſtatu gaudeat, ad titulum clarum alterius patroni excludendum apta non eſt. Claritas tituli, vel ex confeſſione Partis, vel re iudicata, vel Inſtrumento publico deſumitur, quæ ſtatim poſſeſſorium abſorberet. Renunciatio facta à Muliere de bonis paternis, & maternis, quando etiam Juſpatronatus comprehendat, & quando laſiva dicatur, licèt mentio facta non fuiſſet de renunciando etiam beneficio *legis ſiumquam C. de donat.* 143.

Lauden.

Lauden. Penſionum.

Veneris 27. *Martii* 1716.

ARGVMENTVM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 9. Decembris 1715. emanatæ.

Titularis Beneficii non poteſt penſionis ſolutionem retardare ſub prætextu illius inſufficientiæ, ex eo quod congrua lædatur, præſertim ſi Beneficium inhæreat Eccleſiæ, quæ à Papa fuiſſet alteri incorporata, & à quo relicta fuiſſet Rectori congrua, quæ ſemper ſalva præſumitur. Expenſæ vel voluptuariæ, vel quæ non ad Curæ neceſſitatem, ſed ad majorem Vicarii commodum tendunt, Congruam non minuunt. 147.

Firmana Pecuniaria.

Veneris 27. *Martii* 1716.

ARGUMENTUM

Accollatarius, qui conditionatè, ac ejus arbitrio facultatem dimittendi magis benè viſos Creditores ſibi reſervaſſet, ſi Poſterioribus perſolveret, ab Anterioribus ad iteratam ſolutionem non poteſt compelli, maximè ſi Creditores omnes de præfata accollatione judicialiter certiores feciſset, & ab Anterioribus inhibitus non fuiſset, nè Poſteriores dimitteret, ſique authoritate Judicis ad eoſdem dimittendos fuiſset compulſus. 149.

Cavallicen. Vinteni.

Lunæ 9. *Aprilis* 1716.

ARGUMENTUM.

Vintenium in certis fructuum ſpeciebus determinatis, per tranſactionem inter Baronem loci, & ſubditos conventum, non poteſt ad diverſas fructuum ſpecies extendi, maximè ſi centenaria hujuſmodi obſervantiæ robur tribueret, & ſi reperiretur caſus in quo aliquando oleum, & fænum ſolutum fuiſſet, hoc diverſæ agrorum culturæ tribuendum eſſet, non verò ſubditorum ulteriori obligationi in eadem tranſactione reticitę. Tranſactio donec per tres conformes ex capite læſionis non reſcindatur, ſuſtinenda eſt. 152.

Reatina Fideicommiſſi ſuper Fructibus.

Veneris 24. *Aprilis* 1716.

ARGUMENTUM.

Judex poteſt moderari ſuam inhibitionem, ſi Reus acta non traſportaret. In liquidandis penſionibus leviores probationes admittuntur, & ad tramites locationis intermediæ inter antiquas, & recentiores regulantur. 155.

Farfen. Bonorum.

Veneris 24. *Aprilis* 1716.

ARGUMENTUM.

Spurius ſemper dicitur filius illius, à quo non ſolùm ſemper uti talis fuiſſet recognitus, verum quoque ab ejus conſanguineis, juncta etiam ſimilitudine vultus, ac diligentia, qua Pater in ejus ortu uſus fuiſſet tam erga ipſum, quàm ejus Matrem in omnibus neceſſariis parandis. In quibus hæc Patris diligentia, & cura conſiſtat, & cuſtodia ventris, ut filius verè dicatur, ex quibus probationibus, & conjecturis concludenter probetur. 156.

Romana Redditionis Rationis.

Mercurii 29. *Aprilis* 1716.

ARGUMENTUM.

Patruus Adminiſtrator particularis certorum bonorum de dominio nepotum, de iis tantùm rationem reddere tenetur, & non de cæteris: ſicque alimenta eiſdem præſtitiſſet ratione adminiſtrationis, quæ donationem excludit, animus ea donandi in eo fuiſse non præſumitur. 158.

Spoletana Immiſſionis.

Lunæ 4. *Maii* 1716.

ARGUMENTUM.

Teſtamentum Mulieris nullum dici non poteſt, ex quo in eo præſentia Viri, & filiorum non interveniſset, juxta Patrium Statutum, quando favore Viri, & filiorum teſtata fuiſset.

Teſtamentum de jure validum ſemper validum, nec ex falſa hæredum credulitate nullum evadit; ſicuti è converſo nullum de jure ſemper nullum, nec ab erronea hæredum ſuppoſitione, & ratificatione validum efficitur. Mulier ſine ſolemnitatibus nullitatem teſtamenti ſibi præjudicialem acceptare prohibetur. 159

Romana Locorum Montium.

Lunæ 4. *Maii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt revocatoria alterius ſub die 24. Novembris 1714.

Frater emens loca Montium in faciem Sororis Virginis in capillis, abſque ulla ſui favore reſervatione nec ſortis, nec fructuum; imò iſtos exigens uſque ad obitum, ſuę Sororis nomine, eidem dd. loca donare voluiſse præſumitur, maxime ſi ob deceſſum communium Parentum, in illorum locum Sororis curam exercuiſset, ac ultra tàm arcta ſanguinis vincula, ageretur de Fratre pio, qui in Religionem ſe recepiſſet. 162.

Bononien. Fideicommiſſi de Ghiſleriis.

Lunæ 11. *Maii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 11. Decembris 1713.

Laudum: quod ad certa deſignata bona fideicommiſſum reſtrinxiſſet, & ab Auctoribus fuiſſet acceptatum, operatur, ut hæredes contra illud venire nequeant; nec illud allegare poſſunt ſuper bonis, quę per ſubrogationem aliorum corporum liberorum à tali nexu ſoluta remanſiſſent, licèt probaretur, quod illa fideicommittens poſſediſſet.

Centenaria meliorem titulum de Mundo tribuit. 164.

Bononien. Fideicommiſſi de Ghiſleriis ſuper Reſtitutione in integrum.

Lunæ 11. *Maii* 1716.

ARGUMENTUM.

Virtus ſubrogationis eſt, quod ſi bona libera æqualis valoris, cujus ſunt fideicommiſſaria, in iſtorum locum, & cum eiſdem vinculis ſubrogentur, eadem bona fideicommiſſaria libera fiunt. 167.

Romana

Romana Dotis.
Veneris 15. *Maii* 1716.
ARGUMENTUM.
Eſt in Summario. 168.

Firmana Immiſſionis.
Veneris 15. *Maij* 1716.
ARGUMENTUM.
Fratricida licet ob tantum crimen ſe ipſum incapacem reddat ſuccedendi in bonis fideicommiſſariis, quæ à Fratre occiſo poſſidebantur, attamen ejus crimen non impedit proprio filio jàm nato, & à fideicommittente contemplato, ac de crimine innocenti, illius purificationem, etiam excluſivè quòad ulteriores ſubſtitutos, nec in his terminis idem filius à radice infecta provenire dicitur, ſecus tamen ſi ageretur de tranſmittenda hęreditate ipſius Fratricidæ in proprios filios. Ib.

Cæſenaten., ſeù Cervien. Bonorum ſuper Prælatione.
Veneris 5. *Junii* 1716.
ARGUMENTUM.
Eccleſia terminata linea primi inveſtiti tenetur emphytheuſim renovare favore illius Conſanguineorum, qui jure ſanguinis ſuccedunt, de ęquitate Bartoli; quo vero ad bona ſimpliciter Eccleſiæ appodiata, hęc uti allodialia, libere ad hæredem ejus, qui illa appodiavit, devolvuntur, & iſtum inveſtire etiam tenetur. 171.

Peruſina Canonicatus.
Veneris 5. *Junii* 1716.
ARGUMENTUM.
In paritate vocum, ille eſt ad Beneficium inſtituendus, qui habens medietatem vocum, pro altera medietate gratiam Apoſtolicam reportaverit, nec gratia dicitur ſubreptitia, dummodò Ordinarius ante illam manus non appoſuiſſet. Fundator deferens duabus familiis pro æquali jus nominandi, intelligitur inter eas voluiſſe voces dividere. 173.

Romana, ſeù Civitatis Plæbis Cauthelæ Angeli.
Veneris 12. *Junii* 1716.
ARGUMENTUM.
Si per hæc verba fuiſſet Teſtator locutus -- *Inſtituo hæredem Franciſcum filium Victoris mei nepotis, ejuſque filios hæredes, & ſucceſſores* -- Fœminæ ex eodem Franciſco deſcendentes non per fideicommiſſariam, ſed per ſimplicem vulgarem vocatæ intelliguntur; ſi de tranſverſali ageretur diſpoſitione, quia charitatis, & affectionis ordo reſpectu ſubſtitutorum poteſt conſiderari, non autem neceſſitas eoſdem ſubſtituendi. 176.

Imolen. Reparationis Aggerum.
Lunę 15. *Iunii* 1716.
ARGUMENTUM.
In materia expurgationis fluminum, ſive aquęductuum, conſuetudini multum defertur, ad effectum judicandi, quis ad hæc teneatur; licèt enim de jure, communibus ſumptibus fieri debeat, in uſum hodie pertranſivit, quod ad adjacentes poſſeſſores pro rata tangente pertineat.
Pacta licèt de jure ſtrictè ſervanda ſint; Judex tamen in iis, quæ uti ex accidenti provenientia, pactoque non conſiderarunt, prudenti judicio, utriuſque Partis indemnitati conſulere poteſt, & arbitrari, ne illa de licitis fiant illicita, & læſiva. 177.

Peruſina Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli.
Veneris 19. *Junii* 1716.
ARGUMENTUM.
Filius hæres Patris ad ejus arcendos Creditores Cauthelam Angeli allegare non poteſt, ſi illorum pecuniis bona hæreditaria à debitis certis fuiſſent vindicata, & niſi de hæreditate paterna prius redditionem rationis reddidiſset, ſique eam vigore fideicommiſſi etiam deduceret, de bonorum identitate per cofinium deſignationem ſtrictè edocere tenetur. 180.

Ferrarien. Cambii.
Veneris 19. *Junii* 1716.
ARGUMENTUM.
Mulier de nullitate Contractus excipere non poteſt ob defectum ſolemnitatum in cambio, quod paſſivè contraxiſſet, ſi illius pecuniis propriis auctoris Creditores dimiſiſſet, quo caſu, ex cauſa utili, ejus ſubſtinetur obligatio.
Fideicommiſſum quando dicatur à Teſtatore ſuper aliquibus bonis tantum Inſtitutum. 181.

Romana Pecuniaria.
Lunæ 22. *Iunii* 1716.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt revocatoria alterius ſub die 20. Martii hujus anni.
Odioſa cum ſemper ſint reſtringenda, obid Judex, quando agitur de declarando incurſu in pænam ob contraventionem Teſtatoris præcepto adverſus hæredem, ſemper pro excluſione potius pænæ, quam è contra in re dubia ſtare debet.
Hæres fidejubere prohibitus, in pęnam à Teſtatore nominatam incidere non dicitur, ſi contractus, in quo fidejuſſiſſet, ad proprium commodum tenderet, ubi caſus prohibitus non intelligitur. 183.

Romana Pecuniaria, ſeù Cambii.
Lunæ 22. *Junii* 1716.
ARGUMENTUM:
Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 20. Martii 1712.
Scriptura de falſitate ſuſpecta non dicitur illa, quæ ſuum habuiſſet effectum.
Deciſiones Sacræ Rotæ circa ea, de quibus obiter loquuntur, non ſunt paſſim allegandæ. 186.

Romana Dotis, & lucri dotalis ſuper Fructibus.
Lunæ 22. *Junii* 1716.
ARGUMENTMU.
Teſtator, ſi ſuum Creditorem de pingui aſſe hęredem ſcripſiſſet, ſemper ſuum debitum in illo compenſandi animum habuiſſe præſumitur, ex eademque rationis paritate alimenta lauta, loco fructuum dotalium Viduæ ſubminiſtrata præſumuntur. 187.

Romana Redditionis Rationis.
Lunæ 22. Junii 1716.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt duarum præcedentium confirmatoria emanatarum ſub diebus 3., & 7. Septembris 1714.
Vidua Tutrix filiæ à Socero relicta, de rigida rationis redditione quærenda non eſt, immo bene adminiſtraſſe præſumitur, ſi cũ ſplendore à teſtatore prædilecto familiam aluiſſet maximè ſi in ejus, & domus ſubſtentatione fructus tantum unius cenſus in tali manutentione erogaſſet, quando teſtator etiam facultatem eí dediſſet, ut in eadem manutentione illius ſortem erogaret. Inventario de bonis Viri pro reddenda ratione non indiget, ſi Vir mentecaptus vixiſſet, & ejuſdem Soceri adeſſet inventarium. Quæ expenſæ pro Nobilis puellę alimonia requirantur. 189.
Romana Locorum Montium.
Lunę 22. Iunii 1716.
ARGUMENTUM.
Hęc eſt confirmatoria alterius ſub die 28. Novembris 1714.
Immisſio ad certa deſignata bona fideicommiſſaria, quam contra aliquos ex compoſseſsoribus hæres gravatus reportaſset, etiam contra cæteros, ex paritate rationis, verificatis neceſsariis extremis, ei concedenda eſt.
Theorica Oldradi ceſsat, ſi ex coniecturis erueretur, quod Teſtator progresſivum fideicommiſsum ordinare in eius ſucceſsores, & ſubſtitutos intellexiſset. 192.
Viterbien. Cappellaniæ.
Veneris 26. Junii 1716.
ARGUMENTUM.
Juſpatronatus cum habeat præſumptionem pro ſe, quod ſub fæudi venditione, cui adeſſet annexum, non caderet, niſi mentio de hoc ſpecialis fieret, & per Apoſtolicum Breve declararetur, ob id eò fortiùs in tali venditione non fuiſſe compręhenſum probatur, ex quo illius poſſeſſor in Vacationibus præſentaſſet ad excluſionem feudatarii, iſteque ulterius ab hoc actu non reclamaſset. 193.
Eadem Viterbien. Cappellaniæ ſuper Inſtitutione.
Veneris 26. Junii 1716.
ARGUMENTUM.
Habes in Summario. 195.
Illerden. Annuæ Præſtationis.
Veneris 16. Junii 1716.
ARGUMENTUM.
Manutentio in poſſeſſione exigendi annuas preſtationes à Religione Hyeroſolimitana retardari nequit ſub prætextu, quod ædem non ab ea, ſed à magnis ſuis Prioribus fuiſſent ſemper ſolutæ, quia iſti eam repreſentant, & uti illius adminiſtratores conſiderantur. ibid.
Forolivien. Juriſpatronatus.
Veneris 26. Junii 1716.
ARGUMENTUM.
Epiſcopus ſibi Jus nominandi ad Jura patronatus non acquirit ex hoc, quod ipſi à Teſtatore illorum electio fuiſset commiſſa.
In declaratione pertinentiæ Juris patronatus, obſervantiæ nullimodè defertur; bene vèro in dubio, ſi ex Teſtatoris diſpoſitione eadem pertinentia colligi nequiret. 197.
Forolivien. Canonicatus ſuper Inſtitutione.
Veneris 26. Junii 1716.
ARGUMENTUM.
Si velis, vide. 199.
Eugubina Renunciationis.
Mercurii prima Julii 1716.
ARGUMENTUM.
Pater, ſi neque à filia, neque ab illius viro actualem renunciationem umquam referre curaſſet, quam propter dotem illa paternis Bonis in actu ſponſalium ſe facturam promiſſiſſet; eandem filiam ad ſuam ſucceſſionem, una cum cæteris filiis abilitare voluiſſe præſumitur, & ad id probandum, teſtes etiam informes, leveſque probationes, accedentibus præſertim adminiculis, admittuntur, ac ratificatione unius ex filiis coęquale intereſſe habentis. ibid.
Eugubina Immiſſionis.
Mercurii 1. Julii 1716.
ARGUMENTUM.
Hujus deciſionis, tam in præſenti Summario, quam in illo proximè præteritæ deciſionis ſuper renunciatione de hac eadem cauſa habes. 202.
Romana Cambiorum.
Mercurii 1. Julii 1716.
ARGUMENTUM.
Creditor cambii activi, in quo duo adeſſent ſolidaliter obligati, ſi uni ex iſtis illud cedat cum obligatione de exigibilitate, & realitate ceſſionarius ſimul debitor non dicitur a ſua obligatione tantum liberatus, ſed in eo jura contra debitorem ceſſum, ſimulque coobligatum exercibilia, & in caſu inexigibilitatis etiam adverſus ipſum cedentem translata dicuntur. 203.
Toletana Canonicatus.
Mercurii 1. Julii 1716.
ARGUMENTUM.
Statutum Primitialis Eccleſiæ Toletanæ non admittit Canonicos, niſi bene, de eorum ſanguinis puritate edoceant, iſta ex Teſtibus probari poteſt, immo concludentiſſimè probata remanet, ſiquis, vel eſſet ipſe, vel habuiſſet parentem ſacræ Inquiſitionis Miniſterio, & moderamini addictum. Puritas ſanguinis, ad impuritatem pertranſit, ſi vel ipſe, qui ad canonicatum aſpiraret, vel ejus Prædeceſſores fuiſſent ab eodem ſacro Tribunali Inquiſiti, & Pænitentiati. 204.
Veliterna Cauthelæ Angeli.
Mercurii prima Iulii 1716.
ARGUMENTUM.
Filius, ſi ad arcendos Patris Creditores avitum allegaret fideicõmiſſum illis manus non ligat, quin jura legitimæ, & Trebellianieæ Patri competentia adverſus illud exercerent, ſique dotem allegaret maternam, quam per confeſſionem de recepto iſta ſimpliciter probaret, ſique proprios Creditos anteriores ex retrovenditione cenſuum ſui favore relata alle-

allegaret, quos ære proprio ſeſe extinxiſſe prætenderet omninò reiciendus eſset. 207.

Romana Redditionis Rationis.

Veneris 3. Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario. 210.

Ferrarien. Cambii.

Mercurii 29. Julii 1716.

Nec argumento, nec Summario indiget. 211.

Romana Pecuniaria.

Mercurii 29. Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Eſt in Summario. ibid.

Farfen. Bonorum.

Die 22. Novembris 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria magiſtralis deciſionis ſub die 24. Aprilis hujus anni emanatæ, ubi fusè habes argumentum. ibid.

Romana Immiſſionis.

Lunæ 25. Novembris 1716.

ARGUMENTUM.

Immiſſio in genere hæredi legitimo ad bona defuncti conceſſa, quaſcumque exceptiones de liquidatione, & ſeparatione bonorum, prout de jure præſervat. 212.

Forolovien. Jurium Parochialium.

Lunæ 7. Decembris 1716.

ARGUMENTUM.

Parochus alteri Eccleſiæ intra limites ſuæ Parochiæ exiſtenti, jurium merè Sacerdotalium exercitium prohiberi non poteſt, nec illius Rector in illa Parochialia jura è converſo poteſt exercere. Eccleſia extera ſemper præſumitur à Parochiali juriſdictione, quoad exercitium jurium merè Sacerdotalium exempta. 213.

Firmana Dotis.

Die 11. Decembris 1716.

ARGUMENTUM.

Apoca matrimonialis à Sponſo, & Sponſæ Patruis ſubſcripta, quoad omnia in ea contenta illos obligat, præſertim circa promiſſionem dotis, quam eiſdem conjugibus indefinitè per apocæ ſubſcriptionem feciſſent, qua de cauſa Sponſus non tenetur inquirere, an in ipſorum manibus tot bona de aſſe Sponſæ patris prædefuncti provenientia, & pro dote coæqua exiſtant, vel nè; cum actio contra eoſdem habeatur directa, quorum fidem fuiſſe ſequutum præſumitur, cum reciproca promiſſione de uxore ducenda ſe in eadem apoca obligaſſet. 216.

Legionen. Cenſurarum.

Lunæ 11. Januarii 1717.

ARGUMENTUM.

In literis citatorialibus, & compulſorialibus Sacræ Rotæ, licet generalis legatur facultas illarum exequtori delegata excommunicandi Actuarios extractum actorum tradere renuentes; ipſe tamen Judex, tali eveniente caſu, prius eos tenetur admonere, eiſque cenſuras intimare, monitioneſque cum intimatione ad Rotam tranſmittere, quæ, elapſis terminis ad docendum de paritione, ſolet contra inobedientes cedulones relaxare; neque Judex à Quo poteſt eundem exequtorem excommunicare, ex quo iſte Actuarium proceſſum tradere renuentem cenſuris plexiſſet, deque tali facultate prius non edocuiſſet poſt ei præſentatam appellationem. In hac tamen materia caute, & mitius Judices procedere tenentur. 218.

Romana Expenſarum.

Lunæ 11. Januarii 1717.

ARGUMENTUM.

Ad totalem expenſarum Judicialium refectionem tenetur, qui cauſam proſequi curaſſet non obſtante, quod cæteri conlitigantes liti ceſſiſſent, nec ob exceptionem de poſſibili utilitate, quæ omnibus profutura eſſe potuiſſet in caſu Victoriæ excuſatur.

Mandatum ſpeciale ad renunciandum in Procuratore requiritur, ne Victor, tutò ad expenſarum taxationem deveniat, nec non legitimè renunciationis notitia judicialiter victori danda eſt à ſuccumbente, ut iſte ab earum taxatione ſibi cavere teneatur. 220.

Calaritana Evictionis.

Lunę 14. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Licet regulare ſit, quod Cæſſionarius, nomine debitoris ſibi ceſſo prius non diſcuſſo, contra cedentem regreſſum non habeat, limitatur tamen, quando non Idoneitas nominis ceſſi, ſed ſolutio ipſa ſub conditione evictionis fuiſſet appoſita, quæ ſtatuta die inter eoſdem coventa ſequuta non fuiſſet, quo caſu eadem adventa, ſolutioneque non ſequuta, cedens abſque nominis ceſſi diſcuſſionem ad evictionem obligatur. 222.

Romana Immiſſionis.

Veneris 19. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Creditor ex fructibus pignoris ſatisfaciendus ſtatim ſatisfactione completa, non poteſt ſub prętextu alterius tituli, qui de cętero eſſet turbidus, idem pignus retinere.

In contractibus quando habet locum æquitas *legis Curabit*, fructus, juxta taxam legalem taxantur, etiam ſi diverſimodè, & in majori ſumma fuiſſent concordati. 224.

Romana Diſtributionis Dotium.

Lunæ 22. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Teſtator, ex quo ſemper præſumatur ſe communi uſui loquendi uniformare voluiſſe, ob id, ſi dotes ad piam cauſam conſtitueret, & ad eas confratres de ſua natione vocaſſet, dat intelligere, quod ejus diſpoſitio eos tantum ſub dominio ſuæ Patriæ exiſtentes, non vero extra illam comprehendere voluerit. 226.

Romana Diſtributionis Doti um ſuper Attentatis.

Lune 22. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario. 227.

Romana Immiſſionis.

Veneris 26. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Avus in vim legis *hac edictali*, ſi prælegatum relinqueret exceſſivum ſecundæ Uxori, quod remu-

remuneratorium non eſſet, & quando adeſſent vel filii, vel nepotes ex primo Thalamo, iſtique ob prædeceſſum parentum in filiorum locum, in vim eiuſdem legis aſcendiſſent, idem prælegatum non ſubſtinetur, cum non poſſit avus iuribus eorundem nepotum præiudicare in ſuis bonis hæreditariis, ad ipſos deferendos ad tramites diſtributionis ab eadem lege volitæ, cum iſti ob Patris prædeceſſum in hæreditate Avi ſuperſtitis, tamquam filii ſint conſiderandi. Secunda Uxor tali caſu Quartũ non ſuperlucratur, ne plus ipſa, quam quilibet ex filiis primi Thalami adipiſcatur. 228.

Ferrarien. Fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli.

Lunæ 1. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Frater, ſi ad repellendos defuncti fratris creditores Cauthelam Angeli ſuper ſuis creditis anterioribus fundatam allegaret, quando decætero hæc eſſent turbida, deque illius hæreditate per diſtinctum, & validum Inventarium legitimam prius rationem non reddidiſset, audiendus non eſſet, multoque minus ſuper re propria pro debito proprio, eam poteſt allegare. 231.

Romana Emphytheuſis.

Veneris 5. *Martii* 1717.

ARGVMENTVM.

Inveſtitura de bonis Eccleſiaſticis duobus conceſſa abſque expreſſione clauſulæ ſolidalis, operatur, ut iſti pro virili in ea dicantur comprehenſi, adeo quod unus in alterius portionem præjudicium inferre nequeat, etiam ſi in inveſtituræ inſtrumento clauſula *ad habendum* legeretur, quę juxta illius actus naturam regulatur, nec jus perſonarum in eadem compræhenſarum lædit. 233.

Firmana Domus.

Veneris 5. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Adimplementum proprii facti promiſſi per æquipollens non datur, adeo quod ille, qui ſe obligaſſet Domum vendere, & Uxoris conſenſum reportare, ac actuale venditionis Inſtrumentum conficere ea reluctante, nihilominus, tanquam ad factum proprium, promiſſa adimplere tenetur eo modo, quo ſe obligavit, nec per æquipollens pretium offerendo liberatur. 136.

Romana Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli.

Lunæ 8. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Dos quando in ſpecie, & non in quantitate dicatur conſtituta.

Dos non præſumitur à muliere conſtituta ſuper omnibus bonis, quæ Vir adminiſtraſſet, cum adminiſtratio Viri etiam ad bona extradotalia Uxoris referri poſſit, præſertim ſi iſta poſt conſtitutionem dotis ad Mulierem ex alio relicto deveniſſent. 237.

Romana Salviani.

Lunæ 8. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Exceptio retenſionis fundi vigore crediti anterioris adverſus poſteriorem Creditorem Immiſſionem ad illum poſtulantem in ſimilibus Judiciis validior reputatur. 240.

Romana, ſeu Albanen. Pecuniaria.

Veneris 14. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Emptor poteſt ſe validè confovere in profeſſione rei emptæ à communi debitore per hoc, quod creditores anteriores illius dimiſiſſet, & ſicuti ex hoc titulo ei datur retentio, ita quoque validè ſuum creditum compenſat, quod adversùs venditorem habuiſſet cum rata illius prętii.

Obligatio emptoris de dimittendo creditores venditoris intelligitur merè demonſtrativè ad illos in venditione nominatos. 241.

Viterbien. Cappellaniæ.

Lunę 15. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria in parte alterius deciſionis ſub die 26. Junii 1716., ubi fuſius habes argumentum.

Juspatronatus exiſtens in Eccleſia feudi nunquam iſti annexum pręſumitur, & ideo contrarium aſſerenti probandi annexionem onus ineſt. Juspatronatus dicitur honorificum, & de juribus hæreditariis, cum legitimarius ſimplex nunquam in eo ſuccedere poſſit. Ex quibus verò probetur talis diſtinctio à feudo. 244.

Viterbien. Cappellaniæ ſuper Inſtitutione.

Die 15. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario præſenti, & in illo proximę præteritæ deciſionis. 246.

Aurien. Parochialis de Rozamonde.

Veneris 16. *Aprilis* 1717.

ARGUMENTUM.

Ante Concilium Tridentinum Epiſcopi non habebant facultatem uniendi Eccleſias. Unio non dicitur de novo facta per hoc, quod in iſto actu Epiſcopus declaraſſet Eccleſiam incorporatam fieri de jurepatronatus Monaſterii incorporantis, quando relativè ad aliam Unionem præcedenter factam ſe haberet, nec per hoc ſit novatio, cum unio largo modo juſpatronatus dici poſſit. 247.

Romana Salviani.

Lunæ 10. *Aprilis* 1717.

ARGUMENTUM.

Debitor coobligatus cum altero, quando ſui favore, ne dum crediti ceſſionem à ſuo creditore extinctivè, verùm etiam translativè reportaſſet, non ſimplicem ſui liberationem obtinuiſſe dicitur à creditore, ſed effectivam jurium exercibilium ceſſionem adversùs alterum correum debendi, & ſolidaliter coobligatum, ceſſionarius, quando principaliter obligatos pulſaſſet, non tenetur adversùs remotum, & de ſecundario intereſſe habentem judicium renovare. 250.

Romana Cambii.

Veneris 20. *Aprilis* 1717.

ARGUMENTUM.

Actio clara, & directa Creditoris ex cambio activo adverſus illius debitorem ab exceptio-

ptione, quod cambium non ex numeratis pecuniis, ſed rei emptæ pretio à debitore fuiſſet creatum, retardari non valet, etiamſi per teſtes hæc probatio fieri poſſe à dicto debitore prætenderetur, cum contra publicum inſtrumentum iſti teſtimonium non dicant. 253.

Romana Cambiorum.

Veneris 10. *Maii* 1717.

ARGUMENTUM.

Creditor ex cambio activo duos habens ſolidaliter ſui favore obligatos, quando uni ex iſtis illud cum promiſſione de exigibilitate ceſſiſſet, & ulterius in evictionis caſu ſe ad omnia damna obligaſſet, non ſolum dicitur, ut eumdem ceſſionarium liberare intellexerit, ſed etiam omnia ſua jura activa in eumdem adverſus alterum coobligatum exercibilia transferre voluerit. 256.

Romana Salviani.

Veneris 14. *Maii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 6. Junii 1714.

Actione Hypothecaria gaudet Creditor ex cambio activo ſuper bonis per ſuum debitorem poſſeſſis etiam adverſus alios creditores ſibi in tempore anteriores, quando cum eiſdem cambialibus pecuniis creditum anterius cum reportatione jurium fuiſſet extinctum, adeò quod idem creditor, uti anterioris creditoris ceſſionarius, iſtius jura in omnibus fovere diceretur. 258.

Viterbien. Cappellæ.

Veneris 14. *Maii* 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario. 260.

Romana Primogenituræ de Bubalo.

Veneris 4. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Teſtator, quando ad primogenituram primariò ex germano fratre nepotem, & ſecundariò, in iſtius lineæ defectum alios maſculos aliarum linearum maſculinarum ejuſdem ſuę familiæ, ordine primogeniali, & deindè demum his omnibus lineis maſculinis extinctis, maſculos ex fæminis de primo inſtituto vocaſſet, quoties ad agnationis conſervationem reſpexiſſet; ſi linea ejuſdem primi maſculi expiraſſet, primogenitura ad maſculum alterius lineæ ſecundariò vocatæ devolvitur ad excluſionem maſculi de femina à primo inſtituto originem trahente, etiam ſi iſte maſculus de fæmina eſſet ſanguine eidem teſtatori proximior, quàm ille: votum enim agnationis, cum in eodem teſtatore carius ſit, ideò fæminæ, ſeù maſculi de iſtis in eo tantum caſu ad primogenituram invitati præſumuntur, quando opus eſt, ut artificialiter teſtatoris linea maſculina extincta per medium fæminæ reviviſcat. ibid.

Romana Primogenituræ de Bubalo Super Palatio ad Cloacam.

Lunæ 7. *Iunii* 1717.

ARGUMENTUM.

Creditor ſuper Domo meliorata habens hypothecam, nil, ultra illorum valorem, ab illius Domino poteſt expoſtulare, etiamſi eadem Domus, tùm ex illorum cauſa, cùm ratione ſitus, atque Conductorum augumento, quod in ea regione, ubi ſita eſſet, ſuperveniſſet, melioris evaſiſſet conditionis, iſtæ enim adauctæ utilitates, Domini beneficium tantum ſequuntur. 268.

Romana Primogenituræ de Bubalo ſuper reliquis Bonis ad Cloacam.

Lunæ 7. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM

Valor melioramentorum ex temporis lapſu diminuitur.

Dominium unius corporis, quod pænes Teſtatorem non extiterit, bene infertur ex hoc, quod ille omnia ſua bona in teſtamento deſcribens, de eo mentionem non feciſſet, neque ex locationibus, quæ jure familiaritatis fieri potuiſſent, deducitur, nec ex penſionum depoſito in confuſo abſque individuatione perſonę ad quem ſpecialiter pertinerent. 271.

Romana Primogenituræ de Bubalo ſuper depoſito Penſionum, & inveſtimento.

Veneris 11. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Pertinentia domorum, ſeu Palatii, quando adhuc Rota totaliter non decidiſſet, & res in diverſis compoſſeſſoribus ſuper eis ius privativum habere prætendentibus verſaretur, rite operatur, ſi eum clauſula pręſervativa *S. P. jurium partium* penſiones deponi iubeat ad effectum inveſtiendi iuxta ſenſum in deciſione panditum, & reſolutum:

Adverſus inſtrumentum publicum ſimulatio contractus non eſt allegabilis, & decretum contra proprium auctorem (qui illo tunc legitimus fuiſset cotradictor) prolatum, ſucceſsor impugnare non poteſt. 273.

Lauretana Cenſuum.

Lunæ 14. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hæres beneficiatus ex inventario nullo fit ſimplex, & ad debita defuncti in perſona, & bonis propriis remanet obligatus; Paria enim ſunt defectuoſum conficere inventarium, & ſine illo hæreditatem adire. 276.

Lauretana Cenſuum ſuper reſtitutione in integrum.

Lunæ 14. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Adverſus defectuoſum inventarium reſtitutio in integrum pro nova firmatione ſtatus nunquam hæredi conceditur, niſi prius de læſione paſſa, & patienda ob illius defectus edocuiſſet, ac per coarctatam negativam aliorum bonorum, præter illa in eo adnotata, non exiſtentiam concludenter probaret, & niſi infra quadriennium (ſi hæres prædictus de tempore obitus teſtatoris minor fuiſſet) à die completæ minoris ętatis eam poſtulaſſet.

Deſcriptio de rebus hæreditariis turmatim congeſta, in confuſo, & generica, malam fidem parit, & inventarium facit omnino nullum. In hac materia lex nemini parcit, cum qui-

quilibet teneatur peritiores conſulere: Ad hanc eandem rem facientem vide deciſionem 755. in tom. 3. 277.

Peruſina Immiſſionis.

Veneris 18. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hipotheca inter præſentes per decennium, & inter abſentens per vintennũ in judicio Salviani ex creditoris acquieſcentia præſcripta non remanet, niſi ſcientiam certam de ea Creditorem habuiſſe probaretur, nec ſufficit præſumpta, à cujus die præſumptio currere incipit. Pro præſumpta cenſus extinctione centenaria non oritur, quoties creditor inter medio tempore pro fructibus mandatum reportaſſet, filius pro credito turbido ex materna dote deſumpto retentionem non habet. 281.

Sueſſana Bonorum.

Veneris 18. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Deliberatio facta abſque denunciationibus, accenſione candelæ, æſtimatione bonorum (ſi plures non concurriſſent oblatores) ac ſine duobus diſtinctis decretis-- *Subbaſtari*-- & *deliberari*-- fit nulla, & ex qualibet ex his enunciatis omiſſionibus, atque etiam ex capite læſionis in æſtimatione bonorũ ſubhaſtatorum incurſæ,& quomodo iſta probetur. 284.

Romana Salviani.

Lunæ 15. *Iunii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatæ ſub die prima Julii 1712.

Cambium,ne dicatur creditum ſiccum,tranſmiſſionem pecuniarum ad nundinas requirit. Socius, qui ſocialem pecuniam invadendo *ex lege prima* §. *Socius ff. de uſuris*, ultra illius ſortem, etiam uſuras refundere tenebatur; hodiè moderatoria inolevit ſententia, juxta *Text. in leg. Socium* 60. *ff. pro ſocio*; nec non ſocius, qui prius ex *lege ſi unus* §. *ſi quid ff. pro ſocio*, ultra id, quod de proprio in ſocietate impendiſſet, etiam uſuras repetebat, hodie pariter ad id tantum, quod ſua intereſſet ratione damni emergentis, ultra ſortem, actionem habet. 288.

Peruſina Pecuniaria.

Veneris 25. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Evicta re, quam quis, cum ſua permutaſſet, illicò ad iſtam regreſſum habet, atque etiam actionem pro fructibus loco damnorum, & intereſſe adipiſcipitur, veluti ſi evictio non fuiſſet exorta. 291.

Ripana Diviſionis ſuper Fructibus.

Veneris 25. *Iunii* 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario. 292.

Romana Cambii.

Ven. 25. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Cambium ex quibus conjecturis non fuiſſe remiſſum, neque extinctum deducatur; maximè cum remiſſio fortiſſimam juris contra ſe præſumptionem habeat. Qualibet ſolidatio licèt à clauſulis reſtrictivis non coarctetur, attamen ſemper ad cauſas, & debita tantum in ea expreſſa, non verò ad cætera, de quibus non fuiſſent contrahentes loquuti, extendi poteſt. 293.

Romana Exhibitionis ſuper expenſis.

Veneris 25. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Merces periti à ſuccumbente in judicio omnino reficienda eſt, etiam ſi peritia fuiſſet à Judice demandata ex cauſa alicujus creditoris ad cauſam admiſſi. 295.

Tridentina Domus.

Veneris 25. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Subrogatio fundi vinculati in locum liberi, (quæ illius diſtractioni æquiparatur) eodem detecto vinculo, evanida fit, neque ille, qui tali ſubrogationi conſenſum dediſſet, ad alterius fundi novam ſubrogationem acceptandam compelli poteſt. 296.

Tridentina Domus ſuper Reſciſſione Contractus.

Veneris 25. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Contractus uti actus indididuus, quando corruit in una parte,corruit in totum. 298.

Romana Immiſſionis.

Lunæ 28. *Junii* 1717.

ARGUMENCUM.

Pingue prælegatum à Viro ſecundæ Uxori(extantibus Nepotibus ex filia præmortua) relictum, quod remuneratotium non eſſet, ſed ex mera animi liberalitate, & voluptuarium, non impedit, quin iidem Nepotes matrem prædefunctam in ſtirpes, & non in capita immediatè repræſentantes legis *Hac edictali* privilegio gaudeant. Maternam tamen dotem ab eodem Avo profectitiam in legitimam imputare tenentur. ibid.

Romana Immiſſionis ſuper Articulis-

Lunæ 28. *Iunii* 1717.

ARGUMENTUM.

Articuli obiectivi, irrelevantes, & in nichilum profuturi non admittuntur.Mulier juvenis, quæ virũ ſenẽ duxiſſet, propter ætatis diſparitatem,ſemper ſollicita fuiſſe præſumitur de reportatione promiſſionis alicujus prælegati poſt viri obitum in juventutis remunerationem conſequutura. 300.

Romana, ſeu Bononien. Litterarum Cambii ſuper Fructibus.

Lunæ 28. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Creditum mere pecuniarium, inter mercatores, per epiſtolas, in quibus ſe quis fructus ſoluturum promitteret, fieri poteſt fructiferum abſque alia ſcriptura, imo ſi agatur de credito ſicco, concurrentibus Pauli de Caſtro requiſitis, de ſui natura fructiferum pariter evadit. Mercator ſuas pecunias otioſas retinere non præſumitur, nec non cambia,quoties non adeſſet cònventio, juxta loci conſuetudinem taxantur. 302.

Craco-

Cracovien. Parochialis.
Veneris 2. *Iulii* 1717.
ARGUMENTUM.
Ad jus præſentandi, quod ad quatuor Villarum poſſeſſores pertineret, ille præfertur Patronus, qui vocum majoritate gauderet, iſtaque ex antiquis ſententiis in rei judicatæ authoritatem tranſactis, ſemperque obſervatis, concludentiſſimè probatur.
Quadrimeſtre Patronis Laicis ad præſentandum conceſſum non expirat, ſi eo currente lis ſuper tali jure fuiſset exorta; imò à die, qua in præſentandi libertate Patronus poſitus fuiſset, computari incipit. 304.
Firmana Cappellaniarum.
Veneris 2. *Julii* 1717.
ACGUMENTUM.
Beneficia primæ erectionis oneribus Cammeralibus non ſubiacent; bene vero illa, quæ merè laicali ſubiacent beneficio. Teſtator quando mere laicale beneficium cum onere Miſſarum dicatur voluiſſe, non vero Eccleſiaſticum. 307.
Reatina Immiſſionis.
Veneris 2. *Julii* 1717.
ARGUMENTUM.
Immiſſio neceſſariis verificatis extremis, hæredi fideicommiſſario ad bona in tertios diſtracta, illique obnoxia concedenda eſt. 309.
Romana Immiſſionis ſuper Expenſis.
Vener 2. *Julii* 1717.
ARGUMENTUM.
In refectione expenſarum ſtylus eſt, ut ſuccumbens in cauſa, quoad Judiciales, uſque ad obulum eas reficiat, quo verò ad extrajudiciales, honoraria Procuratoris coram A. C. in ſcut. 3., & in Rota in ſcut. 10. pro qualibet inſtantia taxantur; expenſę verò, quas ad propriam legitimandam perſonam, & ante litem motam victor feciſſet, nullimodé taxantur. 310.
Romana Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli.
Lunæ 22. *Novembris* 1717.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria alterius emanatę ſub die 8. Martii hujus anni.
Mobilia, argenta, & iocalia in hæreditate Viri reperta, quando de dominio Viri, & quando de Mulieris dicantur, & quid dicendum in caſu, quo Vir Uxoris domum, & non Uxor domum Viri adiviſſet. 311.
Lauretana Cenſuum ſuper reſtitutione in integrum.
Veneris 10. *Decembris* 1717.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt revocatoria alterius emanatæ ſub die 14. Junii labentis anni.
Reſtitutio in integrum adversùs inconſulto aditam hæreditatem, vel male confectum inventarium datur Minori, quando de læſione hac de cauſa paſsa edoceret, vel de imminenti carceratione ob æs alienum à Patre defuncto contractum; maximè quando obvius ei eſset modus, ut fidelem de bonis hæreditariis rationem redderet, pro qua attingenda inventarium tutelare à matre factum multum operaretur; quando verò illud doloſum dici poſſit, & quando iuſtum, ac ex quibus vitioſum fiat, diſtinctè explicat ſequens. 313.
Romana Dotis ſuper Expenſis.
Lunæ 10. *Januarii* 1718.
ARGUMENTUM.
De Stylo Curiæ in cauſa victus tenetur victori expenſas reficere, & quoad judiciales, nulla illius favore datur liſtæ moderatio. 318.
Ferrarien. Cauthelæ Angeli ſeu Redditionis Rationis.
Veneris 14. *Ianuarii* 1717.
ARGUMENTUM.
Cauthela Angeli allegata à Filio ad Patris Creditores arcendos, ut ſuſtineatur, debet prius ille ſtrictam de bonis hæreditariis reddidiſſe rationem, fructuſque de illis perceptos eorundem Creditorum commodo reportaſſe, cum ſuos facere eidem non licuerit; necnon etiam de aliena hæreditate, quæ ad Patris manus titulo hæreditario deveniſset, ſimilem redditionem rationis facere obligatus remanet; filius enim tali caſu per ſuarum actionum confuſionem nullum poteſt allegare titulum, ſed tanquam hæres ſimplex eſt reputandus. ibid.
Romana Pecuniaria.
Veneris 14. *Januarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Miniſter ad Loci Pii adminiſtrationem, vel ab iſtius Protectore, vel Congregatione electus non intelligitur ad vitam dicti eligentis, ſed ad ſemper, vel donec ex juſta cauſa removendus non videatur; adeo quod eodem Protectore defuncto, à Miniſterio remotus ipſo jure nullimodè intelligatur, ex quo etiam fit, quod ſi in adminiſtratione defeciſſet ejus fidejuſſor, non tam de geſtis ab illo in vita ipſius eligentis, ſed etiam de geſtis de tempore ſucceſſoris in Protectoria, obligatus remaneat. 322.
Ferrarien. Parochialis.
Lunæ 12. *Januarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Præſentatus ad beneficium à Procuratore legitimè per Patronum conſtituto, præfertur compræſentato ab ipſomet Patrono, quando illa iſtius pręſentationi præceſſiſſet, juxta diſtinctionem à DD. amplexam *in c. cum autem de jurepatr.* Præſentatus enim à tali Procuratore, ab ipſomet Patrono cenſetur electus, qui è contra, ſi antequam ejus Procurator nominet, alium beneficium eligat, mandatum procuræ revocaſſe ſupponitur. 325.
Romana Pecuniaria ſuper Deliberatione.
Veneris 21. *Ianuarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Deliberatio ex capite læſionis etiam poſt lapſum longi temporis reſcinditur, nec præſcriptionem admittit; ſicut eſt nulla ex citationis defectu, quando plures fuiſſent debitoris hæredes citandi, & in actione perſonali. 328.

Ro-

Romana Pecuniaria ſuper conſignatione.
Veneris 21. *Ianuarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Ex facti ignorantia, alicujus decreti, illiusque exequtionis acceptatio ſemper reſcinditur. 330.

Hortana Sylvarum ſuper Qualitate Lignorum.
Veneris 28. *Januarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Verba tranſigentium non ſemper juxta ſtrictam juris diſpoſitionem interpretanda veniunt, ſed juxta ſenſum, circa res in tranſactione individuatas, qui denominationi in loco contractus vulgariter percurrenti eſſet conſonus. 331.

Romana Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli.
Veneris 28. *Januarii* 1718.
Nec argumento, nec Summario indiget. 332.

Romana, ſeù Bononien. Litterarum Cambii ſuper Fructibus.
Veneris 28. *Januarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Cambium per litteras creari poteſt inter Mercatores, necnon creditum ex litterarum cambialium ſolutione proveniens inter eoſdem eſt fructiferum, maxime accedentibus Pauli de Caſtro requiſitis; Mercator, ad quem litteræ, quas traxiſſet, ob mandatarii defectum rediiſſent proteſtatæ, loco illius lucri, quod ſibi in earum ſcriptione feciſſet, & ex ejusdem culpa retrotradere Creditori fuiſset coactus, fructus ab eodem mandatario poteſt petere, deque eis cum ipſo convenire. 333.

Abulen. Cappellaniæ.
Lunæ 31. *Januarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Proviſus Apoſtolicus de Beneficio cum clauſula -- *Sive vacaſſet in menſe reſervato, ſive alio quovis modo* --, & cum alia clauſula -- *Perinde valere* -- omnino inſtituendus eſt, nec ſubreptionis cenſuræ ſubjacet, maximè ſi litteras in forma gratioſa reportaſſet, quæ ſemper juſtificatæ præſumuntur. Gratia -- *Perinde valere* -- ad initium retrotrahitur, ac ſi uſque tunc exprimendum, Papæ fideliter fuiſſet enarratum.
Intruſus, & à non habente jus conferendi nominatus, legitimus contradictor dici nequit, nec regula de triennali juvatur. 335.

Romana Domus, ſeu Palatii ſuper Liberatione à Moleſtiis.
Veneris 4. *Februarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Legalis proportio inter impenſum, & melioratum non cadit reſpectu refectionis melioramentorum faciendæ per domus evictæ venditorem favore emptoris de ea ſpoliati, cum ille, melioramenta etiam voluptuoſa iſti ratione bonę fidei reficere teneatur; Eadem verò legalis proportio ſe habet inter hæredem fideicommiſſarium melioratum fundum evincentem, & illius indebitum detentorem. 338.

Brictinorien. Beneficii.
Lunæ 7. *Februarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Fundator beneficii, quando ad illud actu celebrantem Sacerdotem vocaſſet, Sacerdotem habitu, qui intra annum celebrare poſſet, ſemper præſumitur noluiſſe, quo caſu ſanguinis proximitas non attenditur. Ex quibus vero verbis, & conjecturis Sacerdos actu celebrans dicatur à Teſtatore volitus. 340.

Faventina Fideicommiſſi ſuper Detractionibus.
Veneris 11. *Februarii* 1718.
AGUMENTUM.
Rigoroſum Inventarium neceſſarium non eſt, ut hæres gravatus legitimam, omniaque ſibi de Jure competentia in fideicommiſſi reſtitutione poſſit detrahere, ſed ſat eſt, ut quodamodo de fideicommiſſi ſtatu conſtet, ſecus verò inter hæredem fideicommiſsarium, & Fideicommittentis Creditores.
Pater in præjudicium legitimæ filio in triente debitę, non poteſt ſupponere fideicommiſſo illud plus, quod ſupereſt de legitima, quæ tribus aliis filiabus deberetur, quaſque dotaſset, & loco legitimæ dos ſtaret aſſignata, quando ad fideicommiſsum eaſdem filias, vel extraneos, ad excluſionem maſculi vocaſſet, ſecus vero ſi illius favore illud condidiſſet, cum tali caſu virtute ſtatutariæ diſpoſitionis triens integraliter maſculo cedat. 342.

Calaritana Evictionis.
Lunæ 14. *Februarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Regulariter ceſſionarius, ut regreſſum contra cedentem habeat, demonſtrare tenetur, vel quod nomen ſibi ceſſum fuiſſet de facto inexigibile; vel quod factis diligentiis, idoneum non fuiſſet repertum, vel demum quod de juris exigibilitate non conſtaret, quæ in illius realitate verſatur. Limitatur tamen regula, quando idem nomen, ex cedentis promiſſione, ſtatuta die ſolvere debuiſſet fructus ceſſæ proprietatis, de quo adimplemento iſte negligens fuiſſet repertus, quo caſu ceſſionarius ad ulteriores non tenetur diligentias, cum contractus idoneitatem illius non reſpexiſſe, ſed ad ſolutionis actum directus intelligatur. 346.

Nullius Abbatiæ S. Hylarii.
Veneris 18. *Februarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Habes in Summario. 348.

Nullius, ſeu Sublacen. Donationis.
Veneris 18. *Februarii* 1718.
ARGUMENTUM.
Lis quando dicatur à Tutore non proprio nomine, ſed Pupilli defenſa, & Tutor, ex quibus bona fide ductus ad pupilli litem ſubſtinendam, ne ad expenſarum refectionem de proprio teneatur, quibus non ſubiacet, quando boni Juris probabilitatem, & ſpem habuiſſet de victoria cauſæ, nec ſiniſter litis eventus conſideratur. 349.

Fer-

Ferrarien Fideicommiſſi de Giliolis.
Lunæ 7. Martii 1718.
ARGUMENTUM.
Bona fideicommiſſaria pro dimiſſione æris alieni à fideicommittente contracti alienata, liberè in emptores creditorum ejuſdem fideicommittentis jura foventes pertranſeunt, maxime quando ex dotis reſtitutione, cui ille reperiretur obligatus, eadem credita provenirent; neque iidem emptores inquirere obligantur, an eadem dos potuiſſet ex bonis liberis reſtitui, cum hoc potius eſſet damnum, cujus correctio adverſus hæredes gravatos à fideicommiſſario fieret repetibilis, numquam verò afficit creditores ejuſdem fideicommittentis. Inventarii defectus non eſt allegabilis adverſus proprietarium, quando hæres uſufructuarius à teſtatore, ſibi injuncta facultate utendo, pro ſui ſatisfactione bona fideicommiſſaria diſtraxiſſet. Pretium rei poſt decennium variatur, & poſt centum annorum lapſum de verò antiquo illius valore poſſe inquirere non datur, adeoquod preſentis temporis æſtimationi ſtandum ſit. 351.

Peruſina Cappellaniæ.
Veneris 11. Martii 1718.
ARGUMENTUM.
Extraneus de Cappellania proviſus à Fundatoris conſanguineo, poteſt eiici, quando talis ejectio eſſet de mente iſtius in caſu ſupervenientiæ ejuſdem conſanguinei.
Nomen -- *familia*, & *domus* -- etiam ad familiam contentivam extenditur, & in materia beneficiali, ad extranei excluſionem, ad illos etiã progreditur conſanguineos, qui reſpectu teſtatoris, in remotiſs gradu verſarentur. 355.

Peruſina Pecuniaria.
Veneris 11. Martii 1718.
ARGUMENTUM.
Defectus citationis in ſecunda inſtantia adverſus communem debitorem primo judicato acquieſcente judicium non efficit nullum, quando creditor anterior Actor, Concreditores cauſam proſequi curantes corã Judice ad quem laceſſiſset.
Creditor in actione perſonali contra debitorem ſui debitoris agendo, operatione legis illum in omnibus repræſentat. 356.

Peruſina Immiſſionis.
Veneris 18. Martii 1718.
ARGUMENTUM.
Extinctio cenſus non infertur per hoc, quod Frater debitoris ipſi creditori quędam bona ſub hac conditione locaſſet, ſcilicet, quod ſi moroſus fuiſſet in ſolvendo affictu intelligeretur, ut ad ratam debiti, ejusdem cenſus rata pro extincta habenda foret, quando revera de tali mora in ſolvendis eiſdem penſionibus à debitore cenſus non edoceretur. 357.

Peruſina Manutentionis.
Lunæ 21. Martii 1718.
ARGUMENTUM.
Manutentio danda eſt mulieri ſuperſtiti ſuper bonis, quæ pro dotali fundo viro prædefuncto conſtituiſſet, non verò ſuper cæteris aliis bonis pro aliis creditis ab eadem prætenſis, etiam ſi jure familiaritatis vivente viro eadem alia bona poſſediſſet, quando hæc alia ſua credita eſſent turbida. 359.

Eyſteten. Præcedentiæ.
Veneris 1. Aprilis 1718.
ARGUMENTUM.
Reſtitutio ad publicandam reſignationem obtenta, quando nullus intra terminum à Conſtitutione Gregoriana præfixum de hoc defectu, & ſibi quæſito jure oppoſuiſſet, perinde habetur, ac ſi imperrans intra eundem terminum eandem publicaſſet, quæ etiam publicatio poteſt per reſignantem fieri; ſecus verò ſi eodem elapſo termino, quis hoc in actis expoſuiſſet, & ſub hoc fundamento ſuam proviſionem impetraſſet.
Civica qualitas ad obtinendum idem beneficium à Statutis Eccleſiæ volita, quando ſatis ſuperque remaneat probata. 360.

Eyſteten. Præcedentiæ ſuper Manutentione.
Veneris 1. Aprilis 1718.
Ea quæ in Argumento continentur habentur in Summario 363.

Romana Redditionis Rationis.
Lunæ 4. Aprilis 1718
ARGUMENTUM.
Frater major natu à communi Patre ad gerendam ſuorum officiorum adminiſtrationem electus, poſt iſtius obitum favore germanorum fratrum minorum, qui æqualiter Patri ſucceſſiſſent, ſtrictam rationem reddere tenetur, quæque ut legitime dicatur facta, de præventiva computorum diſpunctione ſuper datis, & receptis conſtare debet, cum ex ſola librorum exhibitione non perficiatur, neque ab ea liberatus dicatur, ex quo Pater de ea eundem filium nunquam requiſiviſſet. ibid.

Romana Annuæ Præſtationis.
Lunæ 4 Aprilis 1718.
ARGUMENTUM.
Promiſſio ſolvendi annuam pręſtationem a fratre majore natu favore minoris facta, certam, ac deſignatam præexiſtentem cauſam habens retardari nequit, ex quo frater minor redditionem rationis de rebus domeſticis, & Patris officiis ab illo exercitis ante iſtius obitum repoſceret, quando iſta rationis redditio ex alio diverſo fonte promanaret, adeo quod nulla inter unam, & alteram cauſam deſideretur correſpectivitas, ob quam Frater major talem annuam ſummam ſe ſoluturum promiſiſſe dici poſſet. 366.

Cremonen. Beneficii.
Lunæ 2. Maii 1718.
ARGVMENTVM.
Teſtator, qui ſuis bonis Eccleſiaſticum beneficium ab altero fundatore jam erectum pinguius reddidiſſet, leges ſibi beneviſas illi poteſt adiicere.
Conſenſus à Patrono beneficii permutationi præſtitus, veræ æquivalet præſentationi, cum beneficii vacatio non ſecus per reſignationem, ſeu permutationem detur, ac per ipſam mortem naturalem beneficiati.
Quadrimeſtre datur Patronis laicis ad præſentandum. 368.

Hortana Sylvarum ſuper qualitate Lignorum.
Veneris 6. Maii 1718.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 18. Januarii hujuſmet anni.

Verba contrahentium non ſemper ſecundum ſtrictam juris ſignificationem, ſed juxta communem loquendi uſum in loco initi contractus percutientem veniunt interpetranda.

In tranſactionibus ſemper quid inter partes remiſſum amicabiliter præſumitur, & victor in cauſa non minori affectus utilitate, quam per viam juris in Cauſæ progreſſu fuiſſet conſequuturus, nec non ad tranſigentium mentem interpetrandam, ſubſequutę obſervantiæ, & cauſæ tanſactionis motivæ multum eſt deferendum. 371.

Peruſina Cappellaniæ.

Veneris 6. Maii 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatæ ſub die 11. Martii hujuſmet anni.

Fundator, qui indefinitè loquendo, de ſua familia deſcendentes ad Cappellaniam à ſe erectam, & ad nutum commovibilem invitaſſet, ſuperveniente uno ex iſtis, extraneum de ea jam proviſum eici voluiſſe cenſetur.

Sub nomine deſcendentium venit tota familia contentiva, & deſcendentia quomodo probetur. 373.

Romana Primogenituræ de Bubalo.

Lunæ 9. Maii 1718.

ARGUMENTUM.

Hęc eſt confirmatoria alterius emanatę ſub die 4. Junii 1717., ubi fuſiùs habes argumentum.

Sub nomine deſcendentium maſculorum, licèt etiam maſculi de fœmina veniant, hęc tamen limitationem patitur regula, quando ex omnibus ſimul junctis, agnationis conſervandæ votum teſtatorem ante oculos habuiſſe depræhenditur, quod tam ex parte generati, quàm generantis maſculinitatem requirit. 376.

Romana Primogenituræ de Bubalo ſuper Depoſito Penſionum, & Inveſtimento.

Lunæ 8. Maii 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 11. Junii 1717.

Obligatio clara deponendi penſiones in vim decretorum rotalium ſub prætextu adimplementi eorumdem decretorum numquam ſequuti nequit retardari, cum nemo ex propria culpa commodum valeat referre. 382.

Romana Primogenituræ de Bubalo ſuper Palatio ad Cloacam.

Veneris 13. Maii 1718.

ARGUMENTUM.

Purus creditor melioramentorum ſuper augumento domus melioratæ, dominium non adipiſcitur. 383.

Romana Primogenituræ de Bubalo Super reliquis Bonis ad Cloacam.

Veneris 13. Maii 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius ſub die 7. Junii 1717.

Teſtator, qui in ultimo ſuæ vitæ elogio omnia ſua ſtabilia accuratè deſcripſiſſet, ſtabile, de quo in eo locutus non fuiſſet ſe poſſediſſe non eſt præſumendum, dominium ſuper Domo, vel aliis bonis ſtabilibus, quando ex locationibus probatum remaneat, & quando ſecus, necnon idem quando ex depoſito penſionum argui poſſit, & quando non. 385.

Faventia Fideicommiſſi ſuper Fructibus.

Veneris 3. Junii 1718.

ARGUMENTUM.

Sicuti à die præſentationis monitorii ſuper immiſſione ad bona per alium poſſeſſa, iſte in mala fide ponitur; ob id ab hac die fructuum curſus ſuum deſumit initium, nec ſcripturarum effectiva requiritur productio.

Taxa legalis, ex quo ſimplici innititur præſumptioni, pro omnibus caſibus indiſtinctè regulam non prębet univerſalem, ſed paſſim ab ea receditur, quando de præciſa fructuum quantitate aliunde conſtat, & de ſtylo loci fructus minoris taxari debeant, qui per Judices ſervandus eſt.

Libri tutelæ, nitidè, & legaliter à tutore tenti optimè probant fructuum pupillarium exactionem, nec doloſi præſumuntur, maximè, ſi eorũ legalitas à Peritis veniat approbata. 387.

Romana, ſeu Florentina Pecuniaria.

Veneris 3. Junii 1718.

ARGUMENTUM.

Per dationem rei in ſolutum, ſicuti iſtius dominium in creditorem acceptatem transfertur, ità fructus de eadem perceptos idem creditor ſuos facit, nec ad extenuandam ſortem eos tenetur adſcribere, ad differentiam rei in pignus datæ, in quo ſecundo caſu fructus de ea percepti ſortem diminuunt; iſtique duo contractus ex verbis contrahentium deſignantur, & inter ſe ſe diſtinguuntur.

Evicta re in ſolutum data pro extinctione cambii, iſtius jura, tam quoad ſortem, quam fructus reviviſcunt; Fructus tamen ejuſdem rei pro illa rata, quæ creditum acceptantis exuberaret, ſortem cambii diminuunt. 389.

Comen. Parochialis.

Veneris 10. Junij 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius emanatæ coram Reverendiſſimo P. D. Aldrovando ſub die 10 Februarii 1713.

Gratia ſubrogatoria à lite legitime introducta fundamentum recipit.

Præſentatus à Procuratore legitime conſtituto inſtituendus eſt ad excluſionem præſentati ab ipſo conſtituente, poſt expletum tamen primum ejuſdem Procuratoris actum.

Odioſitas Populi ad excludendum Parochum tunc attenditur, quando eſt rationabilis & in juſta cauſa fundetur, ſecus enim nihil refert. 393.

Romana Pecuniaria.

Lunæ 13. Junii 1718.

ARGUMENTUM.

Hęc eſt confirmatoria alterius ſub die 14. Januarii hujuſmet anni.

Miniſter à Superiore, vel Congregatione Loci Pii deputatus, de ſui natura talis electio ad tempus, & donec ejuſdem Superioris perduret præeminentia non intelligitur, cum etiam ad Succeſſores ſuperiores pertranſeat, ex quo fit, ut illius fidejuſſoris obligatio etiam ad tempus novi Superioris extendatur, nec per confirmationem ejus miniſterii ab iſto exarata, aliqua facta dicitur innovatio, ob quam, quod fidejuſſio ceſſaſſet, dicendum ſit. 396.

Roma-

Romana Salviani.
Lunæ 15. *Iunii* 1714.
ARGUMENTUM.
Hæc eſt confirmat.alterius ſub die 19.Apr.1717.
Cæſſionarius, ut immiſſionem ſuper bonis debitoris cæſſi, & in tertium diſtractis reportet cæſſione verè jurium translativa, & non extinctiva gaudere debet. 399.

Romana Salviani.
Veneris 18. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Immiſſio clara per exceptionem fideicommiſſi, quod allegaretur ab illo, in cujus perſonam non poſſet purificari; minime retardatur, cum ſit de jure tertii exceptio.
Hæres gravatus ad ratam detractionum ſibi competentium poteſt valide obligare fideicommiſſum, reſque in earum cauſa ex eo detractæ, in ejuſdem nexus amplius non reincidunt. 491.

Piſauren. Immiſſionis.
Lunę 20. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Deliberatio tam ex capite exceſſus, quam brevitate termini ad reluendum per Judicem reſtricti, ac omiſſione affixionis edictorum in loco, ubi adſunt bona, omnino irrita ſit; ſicut pariter in caſu, quo creditor in ea ſuum aliud excomputaret creditum ſine novo mandato Judicis, & exequutione, pro quo ſuper diverſis aliis bonis ejuſdem debitoris aſſociationem reportaſſet.
Tranſactio falſæ cauſæ nixa, & enormiſſima læſione laborans, ſimiliter reſcinditur. 402.

Bononien. Pecuniaria.
Mercurii 22. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Pactum reverſivum ad primęva iura in caſu evictionis rei, quam inſolutum pro extinctione cenſus creditor acceptaſſet, non habet locum, quando eiuſdem rei fructus ex facto ſupremi Principis diminuerentur, cum illud ad caſum evictionis, prout de iure, referibile intelligi debeat.
Factum Principis caſui fortuito æquiparatur, & ob id caſus evictionis in eum refundi non poteſt. 405.

Fanen., Seu Senogallien. Fructuum.
Mercurii 22. *Iunii* 1718.
ARGUMENTUM.
Poſt donationis actum expletum, Donans omni jure ſuper bonis donatis deſtituitur, tum quoad ſortem, cum quoad fructus.
In contractibus neceſſariis mulierum ſolemnitates non requiruntur, ac manutentio jure familiaritatis tantũ poſſidenti non datur. 407.

Nullius, ſeu Terræ Civitellæ Dotis ſuper Art.
Mercurii 22. *Junii* 1718.
ARGVMENTUM.
In materia prophana articulorum admiſſio non denegatur, maxime quando eorum relevantia ad cauſæ victoriam protendat.
Matrimonii mediator de vera quantitate promiſſæ dotis informatus præſumitur. 409.

Firmana Dotis, & Alimentorum.
Lunæ 27. *Iunii* 1718.
ARGUMENTUM.
Dos non ſolum in caſu, quo bona libera nullimodè adſunt, ſed etiam quando ſunt intricata, de aſcendentali fideicommiſſo detrahenda eſt, utque congrua dicatur, regionis conſuetudo, quantitas Patrimonii, & perſonæ qualitas ſpectandæ ſunt, quod idem circa alimentorum taxam procedit. 410.

Nullius, ſeu Terræ Civitellæ Dotis.
Mercurii 22. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Dos ſine recognitione bonę fidei numquam ad pompam in tanta enunciata ſumma pręſumitur conſtituta, cum de ea tali caſu Sponſum ſollicitum fuiſſe credendum ſit, ſimiliter dotans ſimbrias dilatare pręſumitur, quando ſe nobiliori viro filiam tradidiſset, ex quibus tale pompoſum augumentum remaneat excluſum. 411.

Romana Locorum Montium ſuper Fructibus.
Lunæ 27. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Poſſeſſor locorum Montium fideicommiſſariorum in mala fide ex ſcientia fideicommiſſi conſtitutus, à die purificationis eorumdem fructus Vocatis reſtituere tenetur.
Fideicommiſſum particulare ſemper præſumitur à Teſtatore impoſitum ſuper illis bonis, erga quæ, dum vixit, fuiſſet ſemper pręcipua affectione ductus, potius quam ſuper cęteris aliis minus ſibi caris; quod etiam ex prohibitione detractionum deducitur, quam imperative ſuis hæredibus quoad illa injunxiſſet. 413.

Romana Pecuniaria.
Lunæ 27. *Iunii* 1718.
ARGUMENTUM.
Tranſactio bona fide facta ab Æconomo appoſito ſuper aliquo affictu cum illius debitoribus, & fideiuſſoribus, diuque obſervata, ſicut affictuarium ligaret, à fortiori eius hęredem tenere debet.
Fideiuſſor per innovationem inter creditorem & debitorem ſequutam remanet liberatus, necnon hæres defuncti factum ſervare tenetur. 415.

Eadem coram Eodem ſuper novo Mandato.
Lunæ 27. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Habes in Summario. 417.

Urbevetana Immiſſionis.
Lunæ 27. *Junii* 1718.
ARGUMENTUM.
Immiſſio datur etiam ſuper bonis ad manus mortuas deventis, quando hypotecis anteriorum Creditorum reperiuntur affecta, cum ex debitoris, vel tertii facto creditor minimè præjudicetur. 418.

Eugubina Fructuum Cambii.
Veneris 1. *Julii* 1718.
ARGUMENTUM.
Cambia ſunt etiam Clericis licita, quando cambiandi onus penes debitorem relinquitur, vel per interpoſitam perſonam contrahuntur
Locus Pius quibus conſtare debeat, ut talis dicatur, quique Prophanus potius appellari poſsit, ſive ſecularis etiam ad materiam negociationis. 420.

Melevitana Habitus.
Lunæ 1. *Julii* 1718.
ARGUMENTUM.
Jus deputandi Commiſsarios ad faciendas probatio-

bationes recipi prætendentium in Conventuales Cappellanias ad Italiæ Linguam non pertinet, ſed ad Venet. Conſilium. Similiter Aſsemblea nullo alio gaudet iure, niſi circa cantum, & litteraturam de eorundem idoneitate cognoſcendi. Scripturæ, & teſtes vilem originem Cappellanorum denotantes, poſt expletum probationum proceſsum, & poſtquam clauſus, & ſigillatus cum voto Comiſsariorum Linguæ traditus fuiſset, de ſacræ Religionis praxi, non admittuntur. 422.

Florentina, ſeu Tuſcanen. Pecuniaria.

Lunæ prima Julii 1718.

ARGUMENTUM.

Liber privatus pro ſcribente, licet non probet, à debitore tamen approbatus plenam meretur fidem. Liberatio debitoris, & novatio non præſumuntur, niſi de eisdem in ſecundo contractu ſpecialis mentio fieret.

Expenſæ litis in majori parte verificatæ, veræ in omnibus præſumuntur, & veniunt per ſuccumbentem reficiendæ, earumque liquidatio Judicis remittitur arbitrio. 425.

Romana Emolumentorum Parochialium.

Vener 1. *Julii* 1718.

ARGUMENTUM.

Vicarius habens intentionem fundatam pro exactione emolumentorum Vicariæ ad ſe ſpectantium, tam ſuper re judicata, quàm Conſtitutione Apoſtolica eadem exigere non prohibetur à tranſactione, ad quam ſui Prædeceſſores ſine Apoſtolico Beneplacito, & ſtipulatione etiam pro ſucceſſoribus deveniſſent, maxime quando res judicata ab obſervantia vim deſumeret, eademque tranſactio ſuum numquam effectum habuiſſet. 427.

Romana Emolumentorum Parochialium ſuper Prætatico, & Penſionibus.

Lunæ prima Julii 1718.

ARGUMENTUM.

Prætaticum inter Jura Parochialia comprehenditur, & ſecundum iſta regulatur, quando loco emolumentorum per Capitulum Parocho ſubminiſtratur.

Capitulum habitationis commodum Parocho aſſignare tenetur, cum iſte intra Eccleſiæ Parochialis ſepta debeat habitare, juxta Concilium Trident. ſeſ. 25. cap. 1. 429.

Romana diſtributionis dotiū quoad Helverios.

Lunæ 21. *Novembris* 1718.

ARGUMENTUM.

Teſtator, qui ad pium legatum à ſe relictum Confratres de ſua Natione in genere vocavit, de illis præſumitur intellexiſse, qui de ejus propria Patria ſunt oriundi, non vero de cæteris Confratribus ex diverſis aliis Provinciis licet illæ ſub generali imperio, cui ejuſdem Teſtatoris Patria ſubiacet contineantur, maxime quando ejus mens ex obſervantia, tùm ab eodem detenta, cum ab ejus exequtore teſtamentario interpretationē reciperet. 430.

Romana diſtributionis dotium quoad Flandros

Lunæ 21. *Novembris* 1718.

ARGUMENTUM.

Voluntas Teſtatoris, & non periodi, nec verborum ſenſus attendi debet, maxime quando ex obſervantia, qua tum ipſe, dum vixit cum ejus teſtamentarius exequtor poſt obitum uſus eſſet, deprehenderetur. 433.

Romana Officii Mazieratus Apoſtolici.

Lunæ 5. *Decembris* 1718.

ARGUMENTUM.

In materia Societatum Officiorum cautum habetur, quod pecunias mutuo dans emptori Officii Vacabilis cum reſervatione decreti tam quoad ſortem, quàm fructus, ſui favore pro rata mutuo datarum pecuniarum condominium ſuper eodem Officio adipiſcitur, & veram contrahere dicitur ſocietatem, præſertim ſi in ordine, quem dicto emptori dedit, iſteque exegit, talem animum de participandis fructibus expreſſiſſet, quod ad ſimplicis, vel ſpecialis tantum hypothecæ adeptionem ſuper eodem officio non redigitur, ex quo hęc de re hypothecata fructus non extrahit. 434.

Romana Emolumentorum Parochialium.

Veneris 9. *Decembris* 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius ſub die prima Julii hujuſmet anni.

Parochus, ſivè Vicarius ad petenda omnia Parochialia emolumenta ſuper conſtitutione ſa. me. Pii V. ſa 139. actionem deſumunt, nec à Tranſactionibus præjudicialibus ab eorum Prædeceſſoribus abſque Pontificis approbatione, ſive ſtipulatione etiam pro ſucceſſoribus initis ligantur.

Appellatio reſtricta ad Iudicatum A., ad Iudicatum B. non extenditur. 438.

Eadem coram Eodem ſuper Prætatico, & Penſionibus.

Veneris 9. *Decembris* 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt in parte confirmatoria alterius emanatæ ſub die prima Julii hujus anni.

Parochi, & Vicarii animarum curam exercentes in Parochiali domo habitare tenentur, & ab Eccleſiarum Capitulis eis tradendum eſt tale commodum. 450.

Romana, Albanen. ſeu Pecuniaria.

Lunæ 12. *Decembris* 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius ſub die 12. Martii 1717.

Emptor pretium rei ſibi venditæ in dimiſſionem certi creditoris à venditore deſignati, etiam ſi ſibi eum accollaſſet, erogare non tenetur, quando illud ab anterioribus creditoribus evincitur; pariterque ſi pluris quam emiſſet, eandem rem alteri ſubvenderet, totum illud ſibi adipiſcitur augmentum, nec creditorum commodo cedere, niſi primum ejuſdem rei pretium tenetur.

Tranſactio litium extinctiva dicitur utilis, & ideo ex hoc ſolo capite exequenda. 451.

Aſculana Dotis, & Legitimæ.

Veneris 27. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Quid requiratur, ut veniri poſſit contra confeſſionem pertinentiæ bonorum in inventario factæ; & quando hæres fructus hęreditatis ſuos faciat, vel non, & quorum reſpectu urgente creditore, vel legatario.

In hac cauſa ſunt in to. 1. dec. 41. 68. 147., & iſta quia in ſuo loco fuit omiſſa, hic adnectitur, & in tertio Tom. adeſt quoq; dec. 614. 454.

INDEX

INDEX DECISIONUM,

Quæ in hoc Quarto Volumine continentur, per Diœceſes, juxta ordinem Alphabeticum.

A

ABulen. Cappellaniæ 31. *Januarii* 1718. *dec.* 1044. pag. 336.

Albanen. Immiſſionis 13. *Maii* 1715. *dec.* 901. 55.

Aſculana dotis, & legitimæ 27. *Iunii* 1709. *dec.* 1094. 454.

Aſculana Evictionis 15. *Martii* 1715. *dec.* 884. 23.

Aſculana liberationis á moleſtiis 16. *Martii* 1715. *dec.* 885. 25.

Aurien. Parochialis de Rozzamonde 16. *Aprilis* 1717. *dec.* 1005. 247.

B

BOnonien. fideicommiſſi de Ghiſleriis 11. *Maii* 1716. *dec.* 958. 164.

Eadem de Ghiſleriis ſuper reſtitutione in integrum *eiſdem die*, *& Anno* 167.

Bononien. liberationis à moleſtiis 29. *Martii* 1715. *dec.* 891. 37.

Bononien. Pecuniaria 22. *Junii* 1718. *deciſ.* 1074. 405.

Brictinorien. Beneficii 7. *Februarii* 1718. *deciſ.* 1046. 340.

C

CAlaritana Evictionis 14. *Februarii* 1717. *deciſ.* 992. 222.

Eadem 14. *Februarii* 1718. *deciſ.* 1048. 346.

Cavallicen. Vintenii 9. *Aprilis* 1716. *dec.* 952. 153.

Cæſenaten., ſeu Cervien. bonorum ſuper Prælatione 8. *Aprilis* 1715. *dec.* 895. 45.

Eadem 5. *Iulii* 1716. *dec.* 962. 172.

Colonien. Canonicatus tertiæ gratiæ 16. *Ianuarii* 1715. *dec.* 874. 9.

Comen. Parochialis 10. *Iunii* 1718. *dec.* 1069. 393.

Conſtantien. Canonicatus ſuper Remiſſoria *prima Iulii* 1715. *dec.* 921. 91.

Cracovien. Parochialis 2. *Iulii* 1717. *dec.* 1029. 305.

Cremonen. Beneficii 2. *Maii* 1718. *dec.* 1060. 369.

E

EUgubina Bonorum ſuper fructibus 27. *Martii* 1715. *dec.* 889. 33.

Eadem 23. *Martii* 1716. *dec.* 948. 142.

Eugubina Fideicommiſſi 16. *Martii* 1716. *deciſ.* 944. 133.

Eadem ſuper Cauthela Angeli 5. *Aprilis* 1715. *dec.* 894. 42.

Eadem 16. *Martii* 1716. *dec.* 945. 135.

Eugubina fructuum cambii *prima Iulii* 1718. *dec.* 1083. 420.

Eugubina Immiſſionis *prima Iulii* 1716. *deciſ.* 979. 202.

Eugubina Pecuniaria 20. *Ianuarii* 1716. *deciſ.* 935. 120.

Eugubina renunciationis *prima Iulii* 1716. *deciſ.* 978. 200.

Eyſteten. Præcedentiæ *prima Aprilis* 1718. *dec.* 1056. 361.

Eadem ſuper Manutentione *eiſdem die*, *& anno dec.* 1057. 363.

F

FAnen., ſeu Senogallien. fructuum 22. *Junii* 1718. *dec.* 1075. 408.

Farfen. bonorum 24. *Aprilis* 1715. *dec.* 954. 156.

Eadem 22. *Novembris* 1716. *dec.* 986. 211.

Faventina Fideicommiſſi ſuper detractionibus 11. *Februarii* 1718. *dec.* 1047. 343.

Eadem ſuper Domo 26. *Iunii* 1715. *deciſ.* 915. 81.

Eadem ſuper fructibus 3. *Iunii* 1718. *deciſ.* 1067. 387.

Eadem ſuper Prædio 26. *Iunii* 1715. *deciſ.* 914. 80.

Faventina Fideicommiſſi de Paſſis 15. *Februarii* 1715. *dec.* 881. 19.

Faventina Parochialis 6. *Maii* 1715. *dec.* 897. 48.

Ferrarien. Cambii 19. *Iunii* 1716. *dec.* 967. 181.

Eadem 29. *Julii* 1716. *dec.* 984. 211.

Ferrarien. Cauthelæ Angeli, ſeu redditionis rationis 14. *Ianuarii* 1718. *dec.* 1036. 319.

Ferrarien. Fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli *prima Martii* 1717. *dec.* 997. 232.

Ferrarien. Fideicommiſſi de Giliolis 7. *Martii* 1718. *dec.* 1051. 351.

Ferrarien. Parochialis 12. *Ianuarii* 1718. *deciſ.* 1038. 326.
Ferrarien. ſucceſſionis ſuper legitima 29. *Novembris* 1715. *dec.* 926. 101.
Eadem Succeſſionis ſuper immiſſione *eiſdem die*, & *anno dec.* 925. 98.
Firmana Beneficiorum 11. *Ianuarii* 1715. *deciſ.* 870. 1.
Eadem 3. *Iunii* 1715. *dec.* 904. 60.
Eadem 23. *Martii* 1716. *dec.* 949. 144.
Firmana Commendæ 27. *Martii* 1715. *deciſ.* 890. 35.
Firmana Cappellaniarum 2. *Iulii* 1717. *deciſ.* 1030. 307.
Firmana Domus 5. *Martii* 1717. *deciſ.* 999. 236.
Firmana dotis 11. *Decembris* 1716. *deciſ.* 989. 216.
Firmana dotis, & alimentorum 27. *Iunii* 1718 *dec.* 1078. 412.
Firmana Immiſſionis 15. *Maii* 1716. *dec.* 961. 169.
Florentina, ſeu Tuſcanen. Pecuniaria *prima Iulii* 1718. *dec.* 1085. 425.
Forolivien. Canonicatus ſuper inſtitutione 26. *Iunii* 1716. *dec.* 977. 199.
Forolivien. Jurispatronatus *eiſdem die*, & *anno dec.* 976. 197.
Forolivien. Iurium Parochialium 7. *Decembris* 1716. *dec.* 988. 214.
Fulginaten. Immiſſionis 13. *Ianuarii* 1716. *deciſ.* 931. 113.
Fulginaten. Laudi 7. *Iunii* 1715. *deciſ* 907. 65.
Fulginaten. liberationis à moleſtiis 28. *Junii* 1715. *dec.* 918. 86.
Fulginaten. Quarti dotalis 28. *Junii* 1715. *deciſ.* 917. 84.

G

GErunden. Jurispatronatus 4. *Februarii* 1715. *dec.* 878. 15.
Eadem *prima Julii* 1715. *dec.* 919. 87.

H

HOrtana Sylvarum ſuper qualitate lignorum 28. *Januar.* 1718. *dec.* 1041. 331.
Eadem 6. *Maii* 1718. *dec.* 1061. 372.

I

ILlerden. annuæ præſtationis 26. *Iunii* 1716. *dec.* 975. 196.
Imolen. reparationis Aggerum 15. *Junii* 1716. *dec.* 965. 178.

L

LAuden. penſionum 9. *Decembris* 1715. *deciſ.* 928. 106.
Eadem 27. *Martii* 1716. *dec.* 950. 148.
Lauretana Cenſuum 13. *Martii* 1716. *deciſ.* 943. 132.
Eadem 14. *Junii* 1717. *dec.* 1015. 276.
Eadem ſuper reſtitutione in integrum *eiſdem die*, & *anno dec.* 1016. 278.
Eadem 10. *Decembris* 1717. *deciſ.* 1034. 314.
Legionen. Cenſurarum 11. *Ianuarii* 1717. *dec.* 990. 218.
Leodien. diſmembrationis 25. *Ianuarii* 1715. *dec.* 876. 12.
Leodien. Paſtoratus 20. *Martii* 1716. *dec.* 947. 140.

M

MElevitana Fideicommiſſi 22. *Martii* 1715. *dec.* 887. 29.
Melevitana Habitus *prima Julii* 1718. *deciſ.* 1084. 422.
Monaſterien. Beneficii 22. *Ianuarii* 1716. *deciſ.* 936. 121.

N

NArnien. decimarum 7. *Februarii* 1716. *deciſ.* 938. 124.
Nullius Abbatiæ S. Hylarii 10. *Maii* 1715. *deciſ.* 899. 52.
Eadem *eiſdem die*, & *Anno deciſ.* 900. 54.
Eadem 18. *Februarii* 1718. *deciſ.* 1049. 348.
Nullius, ſeu Montis Caſſinen. Manutentionis ſeu Proceſſionum 3. *Iunii* 1715. *deciſ.* 903. 59.
Nullius ſeu terræ Civitellæ dotis 22. *Junii* 1718 *dec.* 1076. 409.
Eadem ſuper Articulis *eiſdem die*, & *anno dec.* 1077. 411.
Nullius, ſeu Sublacen. donationis 18. *Februarii* 1718. *dec.* 1050. 349.

P

PEruſina Canonicatus 5. *Junii* 1716. *deciſ.* 963. 174.
Peruſina Cappellaniæ 11. *Martii* 1718. *deciſ.* 1052. 355.
Eadem 6. *Maii* 1718. *dec.* 1062. 374.
Peruſina cenſus 15. *Februarii* 1715. *deciſ.* 879. 16.
Eadem 17. *Ianuarii* 1716. *dec.* 933. 117.
Peruſina Fideicommiſſi, ſeu Salviani ſuper expenſis *prima Iulii* 1715. *dec.* 923. 95.
Peruſina Immiſſionis 7. *Iunii* 1715. *dec.* 906. 64.
Eadem 18. *Iunii* 1717. *dec.* 1017. 282.
Peruſina Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli 19. *Iunii* 1716. *dec.* 966. 180.
Eadem 18. *Martii* 1718. *deciſ.* 1054. 357.
Peruſina Manutentionis 21. *Martii* 1718. *deciſ.* 1055. 359.
Peruſina Pecuniaria 25. *Iunii* 1717. *dec.* 1020. 291.
Eadem 11. *Martii* 1718. *dec.* 1053. 356.
Piſauren. Immiſſionis 20. *Junii* 1718. *dec.* 1073. 403.
Piſauren., ſeu Fanen. Cenſus ſuper reſervatis 17. *Februarii* 1716. *dec.* 940. 127.
Ra-

R

RAvennaten. Manutentionis 8. *Aprilis* 1715. *dec.* 896. 46.
Reatina Fideicommiſſi ſuper fructibus 24. *Aprilis* 1716 *dec.* 953. 155.
Reatina Immiſſionis 2. *Julii* 1717. *deciſ.* 1031. 309.
Ripana diviſionis ſuper fructibus 25. *Junii* 1717. *dec.* 1021. 292.
Romana Affictus 11. *Martii* 1715. *deciſ.* 882. 21.
Eadem ſuper duabus partitis *eisdem die, & anno dec.* 883. 22.
Eadem ſuper partita ſcut. 300. 29. *Martii* 1715. *dec.* 892. 38.
Romana annuæ præſtationis 4. *Aprilis* 1718. *dec.* 1059. 366.
Romana Aſſignationis bonorum 31. *Ianuarii* 1716. *dec.* 937. 122.
Romana Cambii *prima Iulii* 1715. *deciſ.* 922. 93.
Eadem. 20. *Aprilis* 1717. *deciſ.* 1007. 254.
Eadem 25. *Iunii* 1717. *dec.* 1022. 293.
Romana Cambiorum *prima Iulii* 1716. *deciſ.* 980. 203.
Eadem 10. *Maii* 1717. *dec.* 1008. 256.
Romana cenſus 11. *Ianuarii* 1715 *deciſ.* 871. 4.
Romana Depoſiti 10. *Ianuarii* 1716. *dec.* 929. 109.
Romana diſtributionis dotium 22. *Februarii* 1717. *dec.* 994. 226.
Eadem ſuper Attentatis *eisdem die, & anno dec.* 995. 227.
Eadem diſtributionis quoad Helvetios 21 *Novembr.* 1718. *dec.* 1088. 431.
Eadem quoad Flandros *eisdem die, & Anno dec.* 1089. 433.
Romana Domus ad curſum 25. *Novembris* 1715. *dec.* 924. 96.
Eadem 10. *Martii* 1716. *dec.* 942. 131.
Romana Domus, ſeu Palatii ſuper liberatione à moleſtiis 4. *Februarii* 1718. *dec.* 1045. 338.
Romana donationis 6. *Maii* 1715. *deciſ.* 898. 50.
Romana dotis 3. *Iunii* 1715. *dec.* 905. 62.
Eadem 2. *Martii* 1716. *dec.* 941. 128.
Eadem 15. *Maii* 1716. *dec.* 960. 168.
Eadem 11. *Decembris* 1716. *deciſ.* 989. 216.
Romana Dotis ſuper expenſis 10. *Ianuarii* 1718. *dec.* 1035. 318.
Romana Dotis, & lucri dotalis 2. *Decembris* 1715. *dec.* 927. 104.
Eadem ſuper fructibus 22. *Iunii* 1716. *deciſ.* 970. 187.
Romana emolumentorum Parochialium *prima Iulii* 1718. *dec.* 1086. 427.
Eadem 9. *Decembris* 1718. *deciſ.* 1091. 439.
Eadem Emolumentorum ſuper Prætatico & penſionibus *prima Julii* 1718. *deciſ.* 1087. 429.
Eadem 9. *Decembris* 1718. *deciſ.* 1092. 330.
Romana Emphyteuſis 5. *Martii* 1717. *dec.* 998. 234.
Romana exhibitionis ſuper expenſis 25. *Iunii* 1717. *dec.* 1023. 295.
Romana expenſarum 11. *Ianuarii* 1717. *deciſ.* 991. 220.
Romana expurgationis ſovei 18. *Martii* 1715. *dec.* 886. 27.
Eadem ſuper expenſis 14. *Februarii* 1716. *dec.* 939. 125.
Romana Fideicommiſſi R.P.D. de Alveris 14. *Iunii* 1715. *dec.* 908. 68.
Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper fructibus 17. *Junii* 1715. *dec.* 910. 72.
Eadem ſuper reſervatis 21. *Iunii* 1715. *dec.* 913. 78.
Eadem ſuper noviter reſervatis 17. *Iunii* 1715. *dec.* 911. 75.
Eadem ſuper reſtitutione in integrum 21. *Iunii* 1715. *dec.* 912. 76.
Romana Fundationis Monaſterii 28. *Ianuarii* 1715. *dec.* 877. 14.
Romana Immiſſionis 14. *Ianuarii* 1715. *deciſ.* 873. 7.
Eadem 18. *Februarii* 1715. *deciſ.* 880. 17.
Eadem *prima Iulii* 1715. *dec.* 920. 89.
Eadem 25. *Novembris* 1716. *deciſ.* 987. 212.
Eadem 19. *Februarii* 1717. *deciſ.* 993. 224.
Eadem 26. *Februarii* 1717. *deciſ.* 996. 229.
Eadem 28. *Iunii* 1717. *dec.* 1026. 299.
Romana Immiſſionis ſuper articulis 28. *Iunii* 1717. *dec.* 1027. 301.
Romana Immiſſionis ſuper cauthela Angeli 8. *Martii* 1717. *dec.* 1000. 238.
Eadem 22. *Novembris* 1717. *deciſ.* 1033. 311.
Eadem 28. *Ianuarii* 1718. *deciſ.* 1042. 332.
Romana Immiſſionis ſuper expenſis 2. *Iulii* 1717. *dec.* 1032. 310.
Romana liberationis à moleſtiis 22. *Martii* 1715. *dec.* 888. 31.
Romana locorum Montium 4. *Maii* 1716. *deciſ.* 957. 162.
Eadem 22. *Iun.* 1716. *dec.* 972. 192.
Eadem ſuper fructibus 27. *Iunii* 1718. *deciſ.* 1079. 414.
Romana Officii Mazzieratus Apoſtolici 5. *Decembris* 1718. *dec.* 1090. 435.
Romana Pecuniaria 14. *Ianuarii* 1715. *deciſ.* 872. 6.
Eadem 14. *Iunii* 1715. *dec.* 909. 70.
Eadem 20. *Martii* 1716. *dec.* 946. 137.
Eadem 27. *Martii* 1716. *dec.* 951. 150.
Eadem 22. *Iunii* 1716. *dec.* 968. 4.
Eadem 29. *Iulii* 1716. *dec.* 985. 211.
Eadem 14. *Ian.* 1718. *dec.* 1037. 323.
Eadem 13. *Iunii* 1718. *dec.* 1070. 397.
Eadem 27. *Iunii* 1718. *dec.* 1080. 415.

Ro-

Romana Pecuniaria, ſeu cambli 22. *Iunii* 1716. *dec.* 969. 186.
Romana Pecuniaria ſuper conſignatione 21. *Ianuarii* 1718. *dec.* 1040. 330.
Romana Pecuniaria ſuper deliberatione 21. *Ianuarii* 1718. *dec.* 1039. 328.
Romana Pecuniaria ſuper novo mandato 27. *Iunii* 1718. *dec.* 1081. 418.
Romana Primogenituræ de Bubalo 4. *Iunii* 1717. *dec.* 1011. 262.
Eadem 9. *Maii* 1718. *dec.* 1063. 377.
Eadem Primogenituræ de Bubalo ſuper depoſito penſionum, & inveſtimento 11. *Iunii* 1717. *dec.* 1014. 274.
Eadem 8. *Maii* 1718. *dec.* 1064. 382.
Eadem Primogenituræ de Bubalo ſuper Palatio ad Cloacam 7. *Iunii* 1717. *dec.* 1012. 268.
Eadem 13. *Maii* 1718. *dec.* 1065 384.
Eadem Primogenituræ de Bubalo ſuper reliquis bonis ad Cloacam 7. *Iunii* 1717. *dec.* 1013. 271.
Eadem 13. *Maii* 1718. *dec.* 1066. 385.
Romana redditionis rationis 13. *Ianuarii* 1716. *dec.* 932. 115.
Eadem 29. *Aprilis* 1716. *dec.* 955. 159.
Eadem 22. *Iunii* 1716. *dec.* 971. 189.
Eadem 3. *Iulii* 1716. *dec.* 983. 210.
Eadem 4. Aprilis 1718. *dec.* 1058. 364.
Romana Reintegrationis depoſiti 10. *Ianuarii* 1716. *dec.* 930. 111.
Romana Salviani 8. *Martii* 1717. *dec.* 1001. 240.
Eadem 10. *Aprilis* 1717. *dec.* 1006. 251.
Eadem 14. *Maii* 1717. *dec.* 1009. 258.
Eadem 15. *Junii* 1717. *dec.* 1019. 289.
Eadem 15. *Iunii* 1718. *dec.* 1071. 399.
Eadem 18. *Iunii* 1718. *dec.* 1072. 401.
Romana, ſeu Albanen. *Pecuniaria* 14. *Martii* 1717. *dec.* 1002. 242.
Eadem 12. *Decembris* 1718. *deciſ.* 1093. 441.
Romana, ſeu Bononien. litterarum Cambii ſuper fructibus 28. *Iunii* 1717. *deciſ.* 1028. 303.
Eadem 28. *Ianuarii* 1718. *dec.* 1043. 333.
Romana, ſeu Civitatis Plebis Cauthelæ Angeli 12. *Junii* 1716. *dec.* 964. 176.
Romana, ſeu Florentina pecuniaria 3. *Junii* 1718. *dec.* 1068. 390.
Romana, ſeu Sutrina Confinium *prima Aprilis* 1715. *dec.* 893. 39.

S

SPoletana Immiſſionis 4. M*aii* 1716. *deciſ.* 956. 160.
Sveſſana bonorum 18. *Junii* 1717. *deciſ.* 1018. 285.

T

TOletana Canonicatus *prima Julii* 1716. *dec.* 981. 205.
Tridentina Domus 25. *Junii* 1717. *dec.* 1024. 297.
Eadem ſuper reſciſſione contractus *eiſdem die, & anno dec.* 1025 298.
Treviren. Parochialis 26. *Junii* 1715. *deciſ.* 916. 83.
Turritana pecuniaria 21. *Januarii* 1715. *deciſ.* 875. 10.

V

VEliterna Cauthelæ Angeli *prima Julii* 1716. *dec.* 982. 208.
Veliterna donationis ſuper credito 17. *Januarii* 1716. *dec.* 934. 119.
Vercellen. Fideicommiſſi 13. *Maii* 1715. *dec.* 902. 57.
Viterbien. Cappellaniæ 26. *Junii* 1716. *deciſ.* 973. 194.
Eadem 15. M*artii* 1717. *dec.* 1003. 244.
Eadem 14. M*aii* 1717. *dec.* 1010. 260.
Eadem ſuper inſtitutione 26. *Junii* 1716 *dec.* 974. 195.
Eadem 15. *Martii* 1717. *deciſ.* 1004. 246.
Urbevetana Immiſſionis 27. *Iunii* 1718. *deciſ.* 1082. 418.

Finis Indicis Deciſionum.

DECISIONES
SACRÆ ROTÆ ROMANÆ
Coram
R. P. D. LANCETTA
EJUSDEM SACRÆ ROTÆ DECANO

FIRMANA BENEFICIORUM.

Veneris 11. Ianuarii 1715.

ARGUMENTUM.

Præſentatus à majori parte Patronorum, qui pro ſe ultimum habeant ſtatum, inſtituendus eſt. In renunciatione facta de bonis paternis, & maternis ſub generalitate verborum implicitè renunciatio juripatronatus numquam continetur, cum expreſſam mentionem requirat. Lis quandò eſt inter Patronos ſuper titulo, ſtatus ultimus attendendus eſt.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus habens pro ſe Patronorum voces, qui in ultima vacatione cum ſubſequto effectu præſentarunt, præfertur alteri præſentato ab iis, qui in illa vocem non habuerunt.*

2 *Ultimus attenditur ſtatus, ſi ſit lis inter Compræſentatos ſuper inſtitutione contendentes.*

3 *Præſentatus à Patrono, qui vocum medietatem habeat, quique in ultima vacatione cum effectu præſentaſſet, in concurſu ſemper præfertur.*

4 *Amplia, ut concurrente ultimo ſtatu, dicatur ab omnibus præſentatus.*

5 *Titulus præſentandi deſumitur, vel ex confeſſione partis, vel ex re judicata, vel publico inſtrumento.*

6 *Mulier ſine juſta cauſa ſe obligare non poteſt.*

7 *Amplia, ſi ſe obligando in dote læderetur.*

8 *Subamplia, ſi in contractu, quem geſſiſſet, inſinuatio non adeſſet, & idem de minoribus dicendum eſt,* & num. 9.

10 *Renunciatio de juribus Paternis, & maternis jus Patronatus non comprehendit.*

11 *Amplia, ſi Renuncians expreſſiſſet ea jura, quibus renunciaſſet.*

12 *Obſervantia, in omni materia, præcedentibus actibus præbet interpetrationem.*

13 *Renunciatio Juripatronatus, quod non comprehendatur ſub facta de bonis paternis, & maternis deducitur, ex quo Renunciantes poſt illam præſentaſſent, & cum effectu ſubſequutæ inſtitutionis.*

14 *Amplia, ut etiamſi penderet lis ſuper dicta renunciationis validitate, non obſtaret.*

15 *Turbiditas tituli, & lis inter præſentatos, ſatis eſt, ut detur locus præſentato à Patrono, qui pro ſe ultimum habeat ſtatum.*

16 *Præſentatio facta à Patrono pro ſpoliativa allegari nequit ab illo, qui in poſſeſſione præſentandi numquam fuiſſet.*

17 *Præſentatio numquam dicitur vitioſa, ſi cum effectu, omnibuſque intereſſe habere prætendentibus citatis, & per ſententiam ſequuta fuiſſet.*

18 *Clauſula* conſtituti *ſequitur naturam actus, in quo apponitur.*

19 *Præſentatio pati poteſt omnes exceptiones, quæ adverſus titulum præſentandi opponi poſſent.*

20 *Clauſula* Conſtituti *non operatur favore jus habere prætendentis, quando poſſeſſio fuiſſet plena apud Patronum, cum ſubſequto effectu in poſſeſſione exiſtentem.*

21 *Subditus tituli facit, ut cum ultimo ſtatu procedatur.*

22 *Jus præſentandi cum poſſeſſione actuali dicitur habere, qui vitioſum non foveat titulum, imò clarum, & ex quibus iſte probetur.*

23 *Patronus habens jus præſentandi in ſtatu validitatis cum ultimo ſtatu unitum, caducitatis exceptioni non ſubiacet.*

24 *Præſentatus à Patrono, in quem per jus accreſcendi omnes voces fuiſſent conſolidatæ, inſtituendus eſt, etiamſi caducitatem incurriſset, quandò tamen ultimum pro ſe ſtatum haberet.*

DECISIO DCCCLXX.

EX tribus Collitigantibus, inter quos quæſtio erat ſuper adjudicatione Beneficiorum, de quibus agitur, hactenus victor extiterat Mattheuccius, dum pro excluſione Morroni duplicem deciſionem favorabilem reportaverat, alteram ſub die 3. Junii anni 1709., & alteram ſub die 6. Junii 1710., ac pro excluſione Calvucci ultimam die 19. Januarii 1711. coram Me; hodie tamen revocatis ad trutinam hujus poſtremæ deciſionis viribus, ſuper eo, quod atti-

attinet ad eundem Calvuccium tantum, & comperto ex meliori facti dilucidatione, quod iſte à majori Patronorum parte fuerat præſentatus, *recedendum eſſe à deciſis* DD. reſponderunt.

1 Siquidem Primicerius Calvuccius ſui favore numerat eorum Patronorum voces, qui in ultima præcedenti vacatione cum ſubſequuto effectu præſentarunt, & è converſo Mattheuccius nullam pro ſe hujuſmodi Patronorum nominationem habet, ſed tantummodò præſentatus reperitur ab iis prætenſis Patronis, qui non ſolum in ultima vacatione non præſentarunt, ſed nuſquam amplius fuerunt in poſſeſſione præſentandi, undè
2 illi aſſiſtit validiſſimum in hac materia fundamentum ultimi ſtatus, quod inter Compræſentatos ſuper inſtitutione contendentes, rejecta quavis exceptione altiorem indaginem requirente, omninò attendendum eſt ex diſpoſitione *Tex. in cap. Conſultationibus de Jurepatr.*, cum aliis de quibus *Rota in Bononien. Beneficiorum de Caſtello 12. Decembris 1712. §. Inſtitutio, & §. Hæc ſanè coram R. P. D. meo Criſpo, & 9. Junii 1713. §. Ex hac ipſa, & ſeqq. cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

Hoc autem aſſumptum evidenter ex facto convincitur; reſtricta enim difficultate, juxtà ſeriem facti relatam in deciſione, quæ reviditur §. *retento, & ſeq.* ad perſonam Honuphrii antiqui Patroni, in quem ex tribus vo-
3 cibus, in quibus Jus præſentandi ab initio conſtitutum fuerat, devenit integra una vox ex perſona Marchetti hæredis Friderici unius ex tribus filiis Fundatoris, & dimidia pars alterius vocis ex perſona Urielis, itaut videndum tantummodò ſit, ad quos in ultima vacatione ex perſona hujus Honuphrii præſentandi jus pertineret, utrum nempè, ad eas perſonas, quæ Calvuccium, vel ad eas, qui Mattheuccium præſentarunt; habito propterea reſpectu ad vacationem anni 1689. ultimum ſtatum conſtituentem, ſtatim conſtat præſentaſſe ſolum Claricem, & Catharinam filias, & hæredes Comitiſſæ, & Jo: Antonium filium, & hæredem Nicoleſæ, eorumque præſentationes effectum ſortitas fuiſſe, cum earum vigore Philippus Antonius de Nobilibus controverſa Beneficia judicialiter obtinuerit, & uſque ad obitum poſſederit, ut ex deciſione tunc ædita *in Firmana Beneficiorum 19. Iunii 1693. coram bo. me. Manuel.* Ab iiſdem Clarice, Catarina, & Joanne Antonio præſentatus hodiè fuit Calvuccius, un-
4 dè dubium eſſe nequit, quin reſpectu ad perſonam ſupradictam Honuphrii, non ſolum à majori parte, ſed ab omnibus ſit præſentatus, adeoùt habeat pro ſe ultimum ſtatum, qui non aliter, quam ex ultima præſentatione effectum ſortita conſtituitur, *Rot. dec. 181. num. 18. par. 19. rec., in Mediliolanen. Cappellaniæ 22. Junii 1703. Indubitanter cor. R̃mo P. D. meo Decano, & in Pennen. Beneficii ſuper executione litter. Apoſt. 17. Martii 1710. §. ac ſubmovetur cor. R. P. D. meo Aldrovando.*

Mattheuccius ex oppoſito, quoad hanc vocem cum dimidia ab Honuphrio provenientem, non habet, niſi nominationem Julii Cæſaris ejus Patris, qui Juſpatronatus ad ſe ſpectare prætendit in vim quarumdam renunciationum factarum de anno 1672. & 1673. à prædictis Clarice, & Catharina, ſed neque in dicta ultima vacatione, neque unquam antea præſentavit.

Neque dicatur, quod ex dd. renunciationibus ſtatim conſtet de claro titulo, & proprietate abſorbente poſſeſſionem, itaut ceſſet diſpoſitio *cap. conſultationibus*, neque amplius attendi mereatur ultimus ſtatus; quo-
5 niam ad hunc effectum de titulo, & proprietate conſtare debet per unum ex illis mediis communiter à Doctoribus præſcriptis, nempè, Partis confeſſione, re judicata, & inſtrumento publico, adeò tamen claro, & limpido, ut nullam in animo Judicantium dubietatem patiatur, nullaque probabili exceptione ab altera parte excludi valeat, juxtà deducta per *Rot. dec. 423. n. 15. & 17. p. 14., in Tuden. Parochialis 9. Junii 1700. §. ad effectum cor. R̃mo dell' Olmo, in Maceraten. Parochialis 11. Januarii 1712. §. Quòd autem cor. R. P. D. meo Falconerio,* & cum concordantibus in citata *Bononien. Beneficiorum de Caſtello 12. Decembris 1712. §. abſque eo quod cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Tales profectò viſæ non ſunt præfatæ renunciationes, cum potius ingentis ponderis
6 patiantur difficultates. Poſſet enim rationabiliter dubitari de earum validitate, cum non benè conſtet de juſta cauſa, propter quam emanaverint, cujus ſanè defectus, Mulierum contractus ipſo jure vitiat, *Rot. dec. 226. n. 12. p. 17. rec., & in Sutrina dotis 11. Iunii 1708.*
7 *§. ſiquidem coram R̃mo D. meo Decano*; nec non de ipſarum læſione, cum ratione Dotis, quam ex propriis bonis per prædeceſſum Matris acquiſitis recipiebant, Paternæ, ac Maternæ hæreditatis jura à ſe abdicaverint, quæ pariter earum nullitatem importaret, *Rot. in Faventina Fideicommiſſi, & Tranſactionis 19. Februarii 1714. §. reſpectu verò coram R. P. D. meo Criſpo, & in æſina Succeſſionis 11. Junii 1714. coram R. P. D. meo Cerro.*
8 Item de alia nullitate ex defectu inſinuationis omninò neceſſariæ in actu lucrativo, tam ex conſtitutione Ægidiana, quam ex jure municipali Firmanæ Civitatis, itaùt hac etiam ratione ſuſtineri non poſſent, *Rota cor. Emer. Jun. dec. 1337. n. 3., in rec. dec 226. num. 9. p. 17.*, & in citata *æſina ſucceſſionis, §. Quoniam coram R. P. D. meo Cerro*, cum
9 præſertim eſſent minores, quibus hujuſmodi actus ſine ſolemnitatibus juris ſunt prohibiti, ex vulgatis regulis. Quæ ſanè omnia quantam dubietatem involvant de ſe optimè patet.

Verùm præter hæc, adhuc alia non minor ſuper ipſis eſt quæſtio circa comprehenſionem aſſerti Juriſpatronatus Beneficiorum,
10 de quibus agitur; renunciarunt enim omnia jura, & actiones ſuper bonis Paternis, mater-

ter-

ternis &c., quod verificari non poteſt de Jurepatronatus, cum illud ſit quidem jus, ſed non ſuper bonis, vel in bonis exiſtens, dum præcipuè ipſæ Renunciantes hæc jura, quænam eſſent, rectè explicarunt, ideſt -- *compe-*
11 *ten. tam de jure paterno, materno, & adventitio, directè, vel indirectè contra quoſcumque &c., etiam Fratres, & Patrem ipſum* -- adeout melior ſanè declaratio deſiderari nequeat, *Rota coram Danozz. dec.*836. *n.* 23., *& in rec.dec.*287.*n.*29. *&* 30.*p.*9. *rec.*

12 Accedente etiam ſubſequta obſervantia, quæ ſicut in omni materia precedentis actus interpraetationem prębet, ita in præſenti de-
13 monſtrat non fuiſſe in renunciationibus comprehenſum Juspatronatus, dum poſt eas emiſſas, ſequta de anno 1689. Beneficiorum vacatione, feminæ renunciantes ſine ullius reclamatione novum Rectorem pręſentarunt, earumque pręſentatio ab hoc Sac. Tribunali admiſſa fuit, & ad effectum ſubſequutę inſtitutionis deducta, ut ad rem obſervat *Rota dec.*121. *num.*15. *verſ. tandem, poſt Vivian. de Jurepatr., coram Peuting. dec.* 490. *n.*4, *& in Auguſtana Juriſpatronatus* 17. *Februarii* 1698. §. *Eoque facilius coram* R.mo *dell'Olmo.*

14 Nec favet Mattheuccio actualis litis pendentia coram A.C. ſuper validitate, vel nullitate dd. renunciationum, adeout ei ſufficiat illas eſſe in implicito ſtatu validitatis; quia (ultra quod firma remanet proxima exceptio
15 non comprehenſionis) hęc potius lis tituli turbiditatem demonſtrat, quę in pręſenti judicio inter Compręſentatos ſuper inſtitutione contendentes omninò ſatis eſt, ut fiat locus diſpoſitioni *Text. in cap. Conſultationibus*, ut in fortiori caſu; quo etiam ſententia pro tituli validitate prodierat, reſpondit *Rota in Pennen. Beneficii ſuper executione litter. Apoſt.*17. *Martii* 1710. §. *Minimèq; coram R.P.D. meo Aldrovando.*

Minuſque relevat, quod pręſentationes
16 mox dictę poſt renunciationem factę, ſint actus ſpoliativi, & turbativi, ut ait *deciſ.; quæ revidetur* §. *Tandem non obſtat cum ſequ.* Quoties enim Julius Cæſar renunciatarius præſentandi poſſeſſionem nunquam adeptus eſt, ceſſat ſtatim quodcumque ſpolium, quia nequit allegari ab eo, qui nunquam poſſedit, ad *tex. in leg. impulſos, & tot. tit. C. unde vi, & l. g. prima ff. de vi, & vi armat, Rota poſt Poſth. de manut. dec.*204. *n.*6. *& deciſ.*464.
17 *num.*3., & fortius, quia per edicta publica omnibus intereſſe habentibus dd. pręſentationes notificatæ fuerunt, & Renunciatario quamvis per hæc edicta monito, non reclamante, canonizatæ per ſententiam bo: me: Manuel in hoc Sac. Auditorio, & per adeptionem Poſſeſſionis Beneficiorum ad effectum productę, unde vitioſæ dici certè non poſſunt, juxta *Tex. in cap. cum Eccleſia Sutrina de elect., Vivian. de Jurep. lib.*5. *cap.*4. *n.* 42., *Rota in Melevitana Juriſpat.* 11. *Martii* 1702. §. *Ex hac cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore, & in Pennen. Beneficii ſuper executione litter. Apoſtol.* 17. *Martii* 1710. §. *Ac ſubmovetur coram R.P.D. meo Aldrovando.*

Abſque eo quod poſſeſſio Julii Cæſaris de-
18 ſumi valeat ex clauſula Conſtituti, nam hęc ſequitur naturam actus, in quo apponitur,
19 ideòque ſicut actus non comprehendit, ex præmiſſis juſpræſentandi, ità non potuit ejus poſſeſſionem transferre, plenè *Tiraquell. de Jur.conſtit.Poſſeſſ. limit.*7. *p.*3. *n.*16. *& ſeq., Rot.deciſ.*152. *n.*5. *poſt Poſth. de manut.*, &
20 *deciſ.*183. *n.*12. *& ſeq. p.*19. *rec.* Ultra quod eſt in concurſu verę poſſeſſionis procedentis à pręſentatione à renunciatariis expleta cum ſubſequuto effectu, per quam impeditur poſſeſſio, quę ejus vigore transferri potuiſſet, *Poſth. de manut. obſerv.* 20. *nu.* 24., *Thomat. deciſ.*15. *n.*22. *& ſeq.*, & cum aliis *Rota dec.* 799. *n.*14. *p.*18. *rec. to.*2.

Ex his Domini cenſuerunt plenè conſtare (ſi non de invaliditate in petitorio cum Patronis diſcutienda) de turbiditate ſaltem
21 allegati tituli Renunciationum, itaut neceſſariò procedendum ſit cum ultimo ſtatu, ad terminos *Tex. in cap. Conſultationibus*, &
22 propterea quod earum vocum portiones, quæ in pręteritis ex perſona Honuphrii calculabantur pro Mattheuccio, ab hoc quodammodo avulſæ, numerandæ ſint favore Calvucii, & conſequenter quod habeat iſte, una cum medietate vocis illorum de Nobilibus cauſam habentibus à Peregrino altero Fundatoris filio, præſentationem à majori Patronorum parte, & ſit ad excluſionem alterius inſtituendus, *Rot. in Mediolanen. Prioratus ſuper manutentione* 15. *Junii* 1703. §. *his ita cor. R.P.D. meo Scotto, & in Lucana Beneficii* 22. *Februarii* 1709. §. *fin. cor. R.P.D. meo Falconerio, & in Bononien. Beneficiorum de Caſtello* 9. *Junii* 1713. §. *Perſpicuè cor. R.P.D. meo Anſaldo.*

Quin ulla diminutio fieri valeat reſpectu prædictarum Vocum de portione Jo: Antonii, ex quo iſte jus deſumat à Nicoloſa, quæ, non acceptando diſpoſitionem Eugenię, jus præſentandi ex hujus perſona proveniens non acquiſivit, juxtà deducta in deciſione *quę revidetur* §. *Nec obſtat cum ſeqq.* Quoniam quicquid ſit de iis, quæ circa caducitatem Nicoloſæ firmantur in pręfata deciſione, cum cæteroquin, exiſtente dicto Joanne An-
23 tonio ejus hærede, juxta ultimum ſtatum, in poſſeſſione pręſentandi pro medietate vocis derivantis ab Honuphrio, diſpoſitio prædicta remanere debeat in implicito ſtatu validitatis, excluſa aſſerta caducitate, *Rota in Tuden. Parochialis* 9. *Junii* 1702. §. *Ad effectum coram* R.mo *dell' Olmo*. Sufficit pro
24 nunc Primicerio Calvuccio, ſe præſentatum eſſe ab hæredibus Comitiſſæ, in quam ex jure accreſcendi jus Nicoloſę, quatenùs per hypotheſim caducitatem incurriſſet, conſolidatum foret, ut admittit eadem *deciſio* §. *Undè*, & ſic remanet ſemper ejus favore major quantitas vocum.

Et ita utraque Parte, &c.

ROMANA CENSUS.

Veneris 11. Januarii 1715.

ARGUMENTUM.

Ceſſio cenſus activi cum pacto reſolutivo in caſu, quo Ceſſionarius conventum pretium non perſolvat, ſolutione non ſequuta, illicò reſolvitur. Fructus à die impoſitionis, & non motæ litis debentur, & reliqua ſecumfert.

SUMMARIUM.

1 *Creditum reſultans ex publico inſtrumento habet exequutionem paratam.*

2 *Ceſſio crediti habens clauſulam reſolutivam in caſu inadimplementi, iſto adveniente, de jure reſolvitur.*

3 *Productio informis ſcripturæ, ſeu copiæ apocę non probat.*

4 *Caſus reſolutionis ceſſionis ob non ſervata pacta, probatur ex facto cedentis, qui ad novam ceſſionem deveniſſet, & de debitoris inadimplemento conquæreretur.*

7 *Fides de ſcriptura informi, ſicut ab obſervantia confirmatur, ita ab inobſervantia tollitur.*

6 *Actus ſecundus primi conſequutivus dici non poteſt, quotieſcumque primus exequutionem non habuiſſet, & dicitur novus.*

7 *Contractus mulieris abſque ſolemnitatibus eſt nullus.*

8 *Pupillus ſemper poteſt impugnare contractum læſivum à Tutore factum.*

9 *Leſio enormiſſima intrat, quando ex contractu neque medietas crediti attingeretur.*

10 *Suſceptio termini ad ſolvendum facit agnoſcere debitum, & cuicumque exceptioni renunciare.*

11 *Fructus cenſus antiqui debentur à die impoſitionis, non à motæ litis.*

12 *Specificatio ſummæ in actis facta cum clauſula* Sine præjudicio majoris, ſeu verioris, *creditori præſervat actionem pro majori, de qua creditor eſſet.*

13 *Compenſatio ſemel cum uno credito obtenta, cum altero poſtulari non poteſt.*

DECISIO DCCCLXXI.

POſtquam Lucas Minerbettus tribus Judicatis conformibus A. C., & Sacræ Rotæ, canonizatis etiam à Signatura Juſtitiæ cum reſcriptis *Sine Præiudicio*, *et Parito Judicato*, obtinuerat condemnari Thomam Baccellum ad ſolutionem fructuum cenſus, in quo pro Nappio fidejuſſerat favore anteceſſoris ipſius Minerbetti, & Nerlii, Thomas ſenior petiit ulterius in hoc eodem ſacro Auditorio coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Priolo relaxationem mandati pro aliis fructibus ejuſdem cenſus pendente lite ab anno 1700. decurſis, & ab R. P. D. meo Anſaldo in locum d. Eminentiſſimi Prioli ſubrogato prævia deciſione 15. Maii 1713. illud obtinuit.

Adita verò poſt hæc iterum Signatura Juſtitiæ, & reportata à Baccello debitore commiſſione appellationis cum clauſula *de cauſis reſtitutionis in integrum*, eaque mihi delegata, dedi dubium -- *An conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, ſeu potiùs mandatum Rotale ſit exequendum*, & Domini *non conſtare de cauſis, et mandatum Rotale eſſe exequendum*, reſponderunt.

1 Creditum enim Minerbetti, & reſpectivè debitum Baccelli clarè reſultat ex inſtrumento publico paratam executionem habente, cujus vigore fructuum ſolutio evitari non valet, ut in terminis dictum fuit in *Romana ſeu Ferrarien. cenſus ſuper novis Fructibus 25. Iunii 1714. §. Siquidem cor. Me*, & licèt iidem Minerbettus, & Nerlius creditores, dictum creditum Falcuccio ceſſerint, attamen

2 in eadem ceſſione conventum fuit, quod non ſolvente Falcuccio intra terminum trienni pretium inter ipſos conſtabilitum, ceſſio haberetur pro reſoluta, prout ob non adimplementum illius, vigore hujuſmodi pacti reſolutivi de facto evanuit.

Neque obſtare viſa ſunt objecta à Baccello majori conatu hodie deducta, & ſignanter, quod Partes à dicto pacto reſolutivo receſſerint, illique renunciaverint, ſicut in hac propoſitione noviter juſtificatum allegabatur ex

3 quadam apoca. Quandoquidem hæc apoca exhibita non fuit, niſi in ſimplici copia, quę de per ſe nullam in judicio probationem poteſt conſtituere, ad *Text in Auth. Si quis in aliquo C. de eden.*, & ibi *Doctores*, ac in *L. Procurator. Cod. eod.*, & *L. Sancimus C. de diverſis reſcript. cum concordan. in Romana Pecuniaria 15 Januarii 1714. §. Quo verò cor. R. P. D. meo Falconerio.* Etiamſi in actis producta reperiatur, quia ſola productio Scripturæ cæteroquin informis, & non probantis, nullam vim habet, *Rot. dec. 74. num. 12. et 14. p. 17. recent.*

Maximè quia totaliter excluditur prætenſa remiſſio dicti pacti ex ſucceſſivè geſtis, tam inter Nerlium, & Falcuccium, quàm inter Tutricem Lucæ filii Raphaelis Minerbetti,

4 & eumdem Nerlium. Hic enim judicialiter in conſequentiam, & pro effectu dicti pacti reſolutivi coegit Falcuccium ad retro accipiendam eam ſummam, quæ ab ipſo Falcuccio fuerat perſoluta, ut ex *Summ. Minerbetti num. 3.* Tutrix verò novam ſucceſſivè ejuſdem crediti ceſſionem fecit, in eaque ſpecificè cõqueſta eſt de non adimplemento Falcuccii reſpectu primi contractus, propter quod ad novam hanc ceſſionẽ devenire etiam profeſſa fuit, quod ſanè omnimodè repugnat cuicumque remiſſioni pacti reſolutivi, dum illud his actibus cauſam dabat, & benè intrat

5 regula, quod ſicut obſervantia tribuit robur ſcripturæ etiam informi, ita & inobſervantia, ſive contraria obſervantia omnem fidem tollit, *Rot dec. 253. ſub nu. 9. p. 13.*, & *dec. 640. n. 15. p. 19. tom. 2. rec.*

Rursùs opponi non valet, quod mox dicta ceſſio reportata per Nerlium à Tutrice Minerbetti, quam in omnibus cauſæ deciſionibus Sacra Rota nullam declaravit, ſubſti-

neri

neri poſſit, tanquam ſapiens executionem ceſſionis jam factæ à Raphaele Minerbetto
6 favore Falcucci, ideòque ſit actus continuativus, & exequutivus alterius præcedentis, & fieri potuerit ſine ſolemnitatibus. Nam cum prima ceſſio, quam fecerat Raphael favore Falcuccii, effectum ſortita non fuerit, & imò (ut eſt dictum ſupra) vigore pacti reſolutivi irrita, & vana remanſerit, neceſſariò dicendum eſt, hac de medio ſublata, de ventum extitiſſe à Sirigatta Tutrice ad actum penitus novum, & ſolemnitatibus omninò
7 ſubjectum, ita ut iis non ſervatis, nullus ipſo jure fuerit, juxta deducta per *R. P. D. meum Anſald. de commerc., et mercatur. diſcur. 19. n. 8., cum aliis in deciſione huius cauſæ 28. Junii 1702 §. minus relevat cor. Eminentiſſimo Priolo.*

Fortiùs quia nullitas hujus ceſſionis non ſolùm deſumitur ex defectu ſolemnitatum, quas Tutrix ſervare debebat, ſed etiam ex quo iſta pro Cenſu in ſorte ſcut. 2000., cujus medietas ad pupillum ſpectabat, ac pro illius fructibus decurſis uſque ad diem ceſſionis initæ de anno 1670. in ſumma ſcutorum 2740, non recepit, niſi ſola ſcuta 400., & liberationem à reſtitutione ſcutorum 600., quam in ſe accollavit Nerlius ceſſionarius;
8 ideoque negari non poteſt, quin pro credito adeò conſpicuæ quantitatis, recepta tam modica ſumma, quæ etiam dicitur ſoluta pecuniis ipſius Minerbetti (ut in *deciſione Romana cenſus 10. Decembris 1704. §. Huiuſmodi cor. clar. mem. Card. Caprara*) Pupillus non remanſerit enormiſſimè læſus, itaut conſequenter contractus penitùs irritetur, *Actolin. reſolut. 111. n. 1., Rot. cor. Priol. dec. 191. n. 3., dec. 532. n. 6 p. 18. rec., & in cit. dec. cor. Emo Priolo §. Minus relevat.* Abſque eo quod ad evitandam læſionem dici valeat, quod quantitas crediti ad Pupillum ſpectantis, plures pati poſſet diminutiones. Quoniam, omiſſis aliis reſponſionibus, poſito quod ad illum procul dubio pertinebat pro medietate, adeo ingentem conſtituunt ſummam unitim Capitale, & Fructus, ut dato etiam lo-
9 co alicui diminutioni, adhuc ſcuta 400. à Tutrice in ceſſione recepta cum liberatione prædicta nullo modo adequant medietatem, & ſic ſemper remanet evidens, quod Pupillus fuerit enormiſſimè læſus, ex deductis per *Rot. cor. ſa. me. Innoc. X. dec. 49. n. 1., & per tot.*, & *dec. 698. n. 5. p. 18. rec. tom. 2.*

Accedit pro Coronide, quod nullitas iſtius contractus, circa quam ſemper ſtetit in hoc ſacro Auditorio defenſio Thomæ Baccel-
10 li debitoris, agnita ab ipſo fuit, & acceptata, dum poſtea quam ſuccubuerat, & à Signatura Juſtitiæ rejecta fuerat appellatio in ſuſpẽſivo, & ille *fatendo debitum, ſuſcepit terminum*, per quem ſanè actum approbata ab ipſo cenſetur realitas, & exiſtentia Crediti à Minerbetto petiti, & renũciatum dicitur omnibus iis exceptionibus, quæ hactenus ab eo promotæ fuerant, ut advertit *Deciſio hujus cauſæ 3. Junii 1707. §. Validitas cor. bo. me. Omanna.*

Nullius denique roboris viſum eſt poſtremum objectum exceſſivitatis mandati jamdiù relaxati favore Minerbetti in ſcut. 3000. pro fructibus decurſis ab anno 1650. ad annum 1700., quo lis mota fuit; quidquid enim ſit, an prætenſus exceſſus ſubſiſtat, quatenùs à dicto tantùm anno 1650 fiat fructuum com-
11 putatio, unum certum eſt, quod computatio fieri omninò debet ab anno 1616, quo Cenſus impoſitus fuit; undè calculus Baccelli ponentis fructus decurſos ab anno tantùm 1650., hanc exceſſivitatem nullo ſanè modo demonſtrat. Quin obſtet Minerbetto ſpecificatio dictæ ſummę in actis facta per ejus Procura-
12 torem, quia fuit emiſſa cum ſalutari clauſula *Sine præjudicio majoris, ſeu verioris ſummę*, cujus vigore creditori præſervatum remanſit quidquid per antea plus debebatur, & ſolutum non fuerat, *Rot. dec. 172. n. 4. & 5. p. 11. rec., cum aliis in Deciſione hujus cauſæ præcedentis inſtantiæ 15. Maii 1712. §. Eoque clariùs cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

Hucuſque deducta reſpiciunt prætenſam in Integrum reſtitutionem, cujus reſpectu *Non conſtare de cauſis* Domini reſponderunt. Quo verò ad mandatum Rotale pro novis fructibus, quod *eſſe exequendum* cenſuerunt, non habere locum viſa eſt compenſatio ſcut. 600, quæ in partem pretii primæ ceſſionis reſolutæ ſolverat ab initio Falcuccius Raphaeli Patri Lucæ hodierni actoris;
13 nam hęc ſumma ſatis ſuperque bonificata fuit in alio prædicto mandato relaxato pro fructibus ante litem decurſis, qui computati, ut dictum eſt fieri debere, ab anno 1616. ad 1700. ad rationem ſcutorum 6. pro quolibet anno, & centenario, longè abſorbent tam dictam ſummam ſcutorum 600., quam aliam ſcutorum 3000. vigore mandati ſolutam. Undè non poteſt hodie nova prætendi ejuſdem ſummæ bonificatio, vel compenſatio, pro qua nunquam partitæ reduplicantur, ut benè reſpondit *cit. deciſ. R. P. D. mei Anſaldi §. At quia, cum ibi allegat.*

Et ita utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunæ 14. Ianuarii 1715.

ARGUMENTUM.

Miniſter, qui in actu ſuſcipiendi adminiſtrationem ſe obligat rationem reddere, obligatus quoque ſubintelligitur ad reliquatus ſolutionem, caſu quo in adminiſtratione deficiat, & folia partitarum ab ipſo ſubſcripta, contra ipſum concludentiſſimè probant.

SUMMARIUM.

1 *Folia ſuſcripta in redditione rationis ab eo, qui adminiſtravit, propriam confeſſionem important*

2 *Solutio reliquatus continetur ſub obligatione Camerali facta de reddenda ratione ab eo, qui adminiſtravit.*

3 *Clauſa*

3 *Clauſa S. Q. E. Signaturæ ſecumfert viam exequutivam.*
4 *Solutiones ſemel bonificatæ debitori à creditoris Miniſtro, non ampliùs ſunt ab illo deducibiles ad alterius debiti exonerationem.*
5 *Creditor non tenetur bonificare debitori partitas pecuniarum, quas ille ſolviſſet illegitimæ perſonæ, quæ creditoris famulatui non amplius eſſet addicta.*
6 *Amplia, ſi debitor eam repeteret adversùs creditoris Miniſtrum jam dimiſſum, & notulam ab illo ſubſcriptam produxiſſet.*
7 *Creditor non tenetur bonificare ſuo debitori partitas, quas abſque ſuo ordine tertio perſolviſſet, quas etiam nomine ejuſdem credidiſſet.*
8 *Amplia, ſi eaſdem creditas partitas debitor exigere curaſſet nomine proprio.*
9 *Obſervantia in contractibus multum operatur.*
10 *Electio Periti debitori denegatur, quando ſuum debitum per ſolia ſubſcripta in manibus ſui creditoris approbaſſet.*

DECISIO DCCCLXXII.

Diſpunctis rationibus Hieronymi Sperandei pro tempore quo adminiſtravit proventus Terræ Vallis Montanæ, à Miniſtris Domini Principis Pamphilii repertus eſt debitor in ſcutis 1184. 75., & conventus pro ſolutione judicialiter coram A. C., admiſſis quibuſdam recapitis pro exoneratione dicti reliquatus per illum exhibitis, paſſus fuit relaxationem mandati in ſumma ſcut. 658. 89.

Commiſſa mihi appellationis cauſa cum clauſula *Si quid exequendum*, propoſui dubium commiſſioni conforme, quod *affirmativè* pro Domino Principe informante reſolutum fuit.

1 De credito enim ejuſdem Actoris plenè conſtitit ex foliis dati, & accepti in reviſione computorum ſubſcriptis ab eodem Hieronymo Sperandeo, quibus propterea ſtandum eſt, uti præſeferentibus propriam confeſſionem non elidibilem, niſi aperte, & per facti evidentiã, doceatur de errore, juxta deducta per *Rot. dec.* 6. *n.* 16. *p.* 16., & *dec.* 484. *nu.* 10. *p.* 19. *rec. tom.* 2., *cum concordan. in Ariminen. legitimæ* 8. *Iunii* 1714. §. *Strictè ſiquidem cor. Me.*

Abſque eo quod dubitari queat de compe-
2 tentia viæ executivæ, quia ille in aſſumptione adminiſtrationis promiſit ſub obligatione Camerali de adminiſtratis rationem reddere, ſub qua quidem obligatione continetur etiam ſolutio reliquatus, ad *Tex. in l. non ſolum* §. *Is qui rationes ff. de liber. legat.*, *Gratian. dec. march.* 188. *num.* 11., *Rot. dec.* 76. & *dec.* 168. *utrobique num.* 2. *cor. Card. Cerro*,
3 tollitque omnem ambiguitatem clauſula *Si quid exequendum*, cujus vigore competentia viæ exequutivæ à Signatura Juſtitiæ canonizata jam fuit, itaut ampliùs in dubium revocari non poſſit, *Rot. dec.* 562. *n.* 4. *p.* 13., *dec.* 122. *n.* 9. *cor. Benincaſ.*, & *in Senogallien. Pecuniaria* 28. *Junii* 1709. §. *Omiſſa etenim cor. Emo D. meo Card. de Polignac.* & paſſim alibi.

Neque juſtitia obumbrari valet, ex quo in exonerationem ſui debiti quædam exhibeat recapita ſibi à Domino Principe omni-
4 nò bonificanda. Si enim res eſt de recapitis concernentibus ſolutiones certarum pecuniarum, & conſignationes Frumenti, Vini, & Bladarum factas in manibus Guidacci Miniſtri Domini Principis, illa jam ſatis bonificata fuerunt ab A. C., undè hodie rursùs in arenam proponi non valent., *Rot. in Romana Cenſus* 15. *Maii* 1713. §. *At quia cor. R.*
5 *P. D. meo Anſaldo.* Si verò agitur de iis recapitis, quæ eidem Guidaccio ſucceſſori in adminiſtratione conſignata ſunt, non amplius uti Miniſtro D. Principis, ſed uti ipſius amico, ad hoc ut Procuratoris nomine eorum curaret exactionem, ſanè nullo modo contraponi poſſunt credito Principis, & merito non fuerunt bonificata, quia iſta ſtant riſi-
6 co, & periculo Sperandei, qui de eis rationem petit à Guidaccio, uti privata perſona, non uti Miniſtro D. Principis, ut patet ex notula à d. Guidaccio ſcripta, ibi -- *per dargliene conto* -- quæ ſanè ab ipſo Sperandeo acceptata cenſetur, cum illam in actis produxerit, *Rot. cor. Coccin dec.* 2027. *num.* 37., *dec.* 484. *n.* 8. & 9. *p.* 19. *rec. tom.* 2.

Quod ſi demùm loquimur de aliis recapitis provenientibus à bonis, & redditibus adminiſtratis, ut dicitur *Incredentiati* tertiis
7 perſonis, etiam nomine ipſius D. Principis, adhuc illa bonificanda non ſunt, quia Princeps debitores non recognoſcit tertias has perſonas, ſed Sperandeum adminiſtratorem, cui non licebat abſque licentia D. Principis, res, & proventus bonorum adminiſtratorum alicui credere, *Angel. conſ.* 328. *n.* 1. *per tot. Card. de Luc. de beneſic. diſc.* 94. *n.* 16., *Rota coram Coccin. deciſ.* 1986. *num.* 11. & 13.,
8 adeoque exigendo partem eorumdem recapitorum, etiam poſt dimiſſam adminiſtrationem, propria comprobavit obſervantia,
9 quam plurimùm attendendam eſſe, firmat in propoſito *Rot. cor. Dunoz jun. dec.* 829. *n.* 9., & *relat. concordan. dec.* 229. *n.* 12. *p.* 19. *recent.*

10 Minuſque Domini locum eſſe crediderunt electioni periti (prout oretenùs expoſtulabat Sperandeus) quia non ſumus hodie in terminis faciendæ redditionis rationis, dum ad illam cum Miniſtris Domini Principis deventum jam eſt, etiam cum ſubſcriptione foliorum dati, & accepti, ſed in determinando tantum reliquatu, quæſtio eſt, quam poteſt Judex ex ſe rectè decidere, abſque eo quod ad aſſumptionem Periti ullo jure adſtringatur, *Rot. dec.* 32. *n.* 16. *p.* 10. *rec.*, & *in Romana Cenſus* 3. *Decembris* 1694. §. *Adversùs hujuſmodi cor. bo. me. Muto.*

Et ita altera tantùm &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 14. *Ianuarii* 1715.

ARGUMENTUM.

Tacita hypotheca prò Canonibus infixis ſuper uno fundo non datur adverſus tertium poſſeſſorem illius exercibilis ſuper aliis bonis emphyteuticis ab eodem poſſeſſis, ſi nullam emiſiſſet obligationem prò primodictis Canonibus, nec obligatio Cameralis emiſſa ab eodem favore venditoris ejuſdem fundi continet ſtipulationem prò omnibus intereſſe habentibus, adeòut ad hoc non reddatur extenſibilis.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio deficiente hypotheca non datur.*

2 *Actio hypothecaria, ſivè perſonalis in rem ſcriptam an intret contra tertium prò Canonibus decurſis, & non ſolutis, ſuper altero fundo in iſtius dominium delato, eſt opinio inter Doctores, hinc indè ventilata.*

3 *Qui Doctores affirmativam, quique negativam teneant, vide hìc.*

4 *Hypotheca tacita prò Canonibus non competit ſuper aliis bonis Emphytheutæ, eoque minùs in bonis propriis hæredis iſtius, & ſucceſſoris ſingularis.*

5 *Amplia, ſi emphytheuta nullam obligationem emiſiſſet favore Domini directi prò Canonibus fundi incorporati cum aliis ſuis bonis, ſuper quibus prò illis hypotheca non oritur.*

6 *Hypotheca ſemper regulatur ab obligatione principali, cui eſt acceſſoria, cum ad perſonam Venditoris, & Emptoris tantum reſtringatur, & ad alias non extendatur.*

7 *Obligatio Cameralis continet ſtipulationem prò omnibus intereſſe habentibus.*

8 *Obligatio ſemper cohæret perſonæ promiſſoris, nec de una ad aliam perſonam extenditur.*

9 *Solutio Canonum facta à poſſeſſore fundi Emphyteutici non eſt interpetranda, quod ſequta fuerit, ex quo iſtius alia bona prò eiſdem canonibus eſſent affecta.*

10 *Canones ſolvendi ſunt à Poſſeſſore fundi emphitheutici, neque prò illis actio dirigitur contra rem, quam ille uti Tertius acquiſivit, & ſecluſo contractu dd. Canonum, ad ſingulares ſucceſſores tranſmittit, nec tacita hypotheca adverſus eamdem rem intrat.*

11 *Venditio rei, & ſtabilium facta mediante Brevi Apoſtolico, operatur, ut omnia vendita à quocunque vinculo, cui priùs ſubiacebant, immunes evadant.*

12 *Breve Pontificium alternativè conceptum cum facultate, vel vendendi bona, vel in ſolutum dandi, ſive uno, ſive alio modo creditores ſatisfiant, mens Papæ dicitur adimpleta.*

13 *Creditores habent actionem ad inveſtimentum, non contrà res venditas, quandò venditioni Breve Apoſtolicum præceſſit.*

DECISIO DCCCLXXIII.

Vineam annuo gravatam Canone cadorum 12. Muſti favore Eccleſiæ Parochialis SS. Coſmæ, & Damiani (in cujus juribus ſucceſſit Archiconfraternitas Pietatis Carceratorum, & Capitulum S. Mariæ in Via lata) emit anno 1544. à Valerio Mattarello emphyteuta Cardinalis Joannes Dominicus de Cupis communitèr dictus de Trano, illamq; univit Tenutæ *del Caſaletto*. Hanc verò Tenutam ex contractu emphyteuſis, certo ſtabilito Canone, acquiſiverunt pro rata Fratres *della Fonte*, & ſucceſſivè aliam Vineam, ejuſdem Tenutæ partem, vendiderunt Patribus Somaſchis S. Blaſii in Monte Citatorio, qui occaſione prænobilis ædificii, quod eo in loco ſanct. mem. Innocentius XII. in majorem Curiæ ornatum, & commoditatem conſtruxit, ad Eccleſiam S. Nicolai ad Cęſarinos tranſlati ſunt.

In hoc ſtatu curarunt iidem Patres, uſque ab anno 1622. ſibi affrancari ab hæredibus Cardinalis dictam aliam Vineam in emphyteuſim conceſſam Fratribus de Fonte eorum authoribus, nunquam curando de alio Canone, quo erat gravata Vinea empta à Cardinali de Trano, cum illum ſemper ſolverint uſque ad hęc tempora ejus hæredes. Aſt cum anno 1696. defecerint in ſolutione, Archiconfraternitas Pietatis judicium inſtruxit coram A. C. Gomez, petens vigore Salviani interdicti immitti in poſſeſſionem dicti alterius Canonis exigendi à Vinea proveniente ab hæreditate dicti Cardinalis Tranen., quem ab initio debebant Patres Somaſchi prędfatis hęredibus, & favorabilem ſententiam reportarunt, à qua interpoſita ad Sac. Tribunal appellatione, propoſui hodiè dubium -- *An ſit danda Immiſſio* -- & Domini *non eſſe dandam* cenſuerunt.

1 Evidens enim viſus eſt defectus hypotecæ, ſine qua Archiconfraternitas immiſſionem obtinere non poterat. Quandoquidem Vinea, quæ poſſidetur à Patribus S. Nicolai non eſt illa emphyteutica, quam Cardinalis de Trano emit anno 1544. ſubjectam Canoni fauore Archiconfraternitatis, circa quam cadere

2 poſſet intricata quæſtio, an competat pro Canonibus decurſis, & non ſolutis actio hypothecaria, ſiuè perſonalis in rem ſcriptam etiam contra tertium poſſeſſorem exercibilis, juxta contrarias inter ſe opiniones *Baldi*

3 *in Auth. Si quas ruinas num.9. in fin. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* tenentis affirmativam, & *Bartol. in leg. fin. num.1. verſ. Quià Doctores dicunt Cod. de Iure emphyt.* negativam partem

4 tuentis, ſed eſt diverſus totaliter fundus ab hæredibus ejuſdem Cardinalis de Trano diſtractas in Auctores eorum Patrum ex contractu venditionis; undè nullo modo dici poteſt, quod favore Domini directi alterius fundi ab eodem Cardinali acquiſiti ſubjaceat hypothecæ hodiè contra ſucceſſorem ſingu-

ſingularem exercibili, ut egregiè in terminis diſtinguendo firmat *Rota cor. Bich. dec.*611. *per tot.*, *& præſertim n.*9., *&* 10.

5 Præſertim quia in dicto contractu emptionis anni 1544., ſępèdictus Cardinalis de Trano non ſolum nullam obligationem emiſit favore Domini directi, nequaquam in ſtipulatione intervenientis, undè multò minùs potuit prò Canonum ſatisfactione in aliis ejus bonis oriri hypotheca, quæ ſemper re-

6 gulatur à principali obligatione, cui eſt acceſſoria, *Merlin. de pignor.*, *& hypothec. lib.*4. *cap.*126. *num.* 1. *ubi concordan.*, itaut illa reſtricta ad perſonas venditoris, & emptoris tantum, nequaquam ad alias extendi poſſit, juxta aliam regulam, de qua idem *Merlin. lib.*4. *quæſt.* 148. *num.* 1., *&* 2., verùm neque favore ipſius venditoris, aut alterius cujuſquam perſonæ, ut patet ex lectara, iuxtà quam omnis obligatio in eo contenta reſpicit venditorem promittentem libertatem Fundi venditi, & contractus manutentionem in caſu moleſtiarum evictionis &c. cum obligatione etiam Camerali favore Cardinalis Emptoris.

Et hinc eſt, quod neque ex hac obligatione

7 Camerali, quæ cęteroquìn continet ſtipulationem prò omnibus intereſſe habentibus, *Rota deciſ.*197. *num.* 7. *cor. Card. Cerro*, & cum aliis *deciſ.*527. *num.*6. *par.*19. *recentior. tom.*2., & hypothecam omnium bonorum præſentium, & futurorum, *Rota deciſ.*576. *n.* 3. *cor. Dunoz. jun.*, *& deciſ.* 350. *n.* 33. *cor. Priol.*, ullum jus deſumi valeat favor Domini directi fundi venditi prò ſolutione

8 Canonum, quia tam Inſtrumentum venditionis, quam obligatio in eo à venditore emiſſa reſpiciunt ſolùm jus Cardinalis emptoris, cujus favore tantùm illa eſt attendenda, nec protrahi poteſt ad contrarium effectum, qualis eſſet, ſi iſtæ ad Canonum ſatisfactionem remaneret obſtrictus, quia obligatio cohæret ſemper perſonæ promiſſoris, nec de una tranſit in aliam, ad *Tex. in leg. quis ergo*, *& leg. Si quis Sticho ff. de pecul.*, *& leg.*3. *ff. prò ſoc.*, *Jaſon. in leg. Iurisgentium* §. *Prætor ait num.* 9. *ff. de pact.*, optimè *Rota cor. Cardin. Mant. dec.*218. *n.* 4.

Abſque eo quod dici valeat hanc obligationem agnoviſſe ſucceſſores Cardinalis, eo ipſo, quod ſolverunt Canones. Hanc enim

9 illi ſolutionem fecerunt, quia poſſidebant vineam affectam eorum ſolutioni, non verò quia agnoverunt propria ipſorum bona affecta, & obligata Canonibus, prout congrua congruis referendo patet ad ſenſum.

Neque obſtant auctoritates *Roman.*, *& Pacific. de Salvian. Interdict*, aliæque incontrarium allegatæ, quià vel loquuntur in ca-

10 ſu, quo dirigatur actio contra primum emphyteutam, qui cum Domino directo contraxerat, vel contra rem ipſam Canonibus obligatam; non vero in diverſo caſu noſtro, quo actio dirigitur contra rem, quam in figura tertii acquiſivit emphyteuta, & quę etiam tranſiit in ſingularem ejuſdem emphyteutæ ſucceſſorem, cum in aliis bonis, ſecluſo contractu, vel particulari obligatione, tacita hypotheca prò Canonibus non competat, ut benè explicare videtur ſupra *cit. deciſ.*611. *n.*8. 9., *& per tot. cor. Bich.*

Deficit autem ex alio capite hypotheca in præſenti caſu, quia Franciſcus de Cupis Cardinalis hæres, cum eſſet gravatus magno ęre alieno, obtinuit anno 1622. à san. mem. Gregorio XV. facultatem vendendi bona illius fideicommiſſaria uſque ad ſcuta 10. mil., ita tamen, ut ſc. 8. mil. deberent erogari in ſatisfactionem creditorum, & alia ſc. 2000. multiplicari pro reintegratione fideicom-

11 miſſi, & lata ſuper executione hujus brevis ſententia in Tribunali Cardinalis Vicarii, venditi fuerunt illi Canones, qui debebantur hæredi prædicto à Patribus Somaſchis, uti ſucceſſoribus Fratrum della Fonte. Undè non eſt dubium, quod evaſerunt exempti à quocumque vinculo, & hypotheca, cui per antea erant fortaſſe ſubjecti, iuxta effectum derogationis Pontificiæ, de quo *Rot. in Reatina Salviani* 16. *Iun.*1704. §. *Nec ſuffragavi*, *et* 10. *Iun.*1705. §. *Inutiliter cor. b. m. Omanna.*

Nec relevat, quod venditio dd. Canonum facta ipſiſmet Patribus debitoribus fuerit contra formam brevis, in quo præcipiebatur

12 bona dari inſolutum creditoribus; quoniam tam littera Brevis, quam ſententia ſuper ejus executione lata, leguntur alternativè concepta cum facultate, vel vendendi, vel dandi in ſolutum; unde ſive uno, ſive alio modo procedatur, mens Papæ concedentis ſemper aſſiſtit, ad *Text. in cap. In alternativis de regul. jur. in* 6., *Rota coram Bich. deciſ.*58. *nu.* 9, & paſſim alibi, itaut Socie-

13 tas actionem dirigere teneatur contra dictum Inveſtimentum, & multiplicum, anquam alia bona per Apoſtolicam auctoritatem ab omnibus nexibus liberata perſequatur.

Et ita &c. utraque &c.

COLONIEN. CANONICATUS TERTIÆ GRATIÆ.

Mercurii 16. *Ianuarii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria præcedentis ſub die 8. Junii 1714., ubi fuſiùs habetur Argumentum.

Ad electionem Beneficii nunquam deveniri poteſt, ſi unus ex Vocalibus proteſtatus fuiſſet de nullitate, ob non ſervatam formam Indulti Pontificii, lapſus temporis non adeſſet, neque neceſſitas ad pręſentandum.

SUMMARIUM.

1 *Electio Beneficiati eſt nulla, ſi emanaſſet in ſpretum proteſtationis emiſſæ à vocali*, *& contra formam Indulti*, & num. 9.

2 *Eſt nulla, ſi unus ex Vocalibus intimatus non fuiſſet, qui mandatum de manutenendo*

in hac

in hac poſſeſſione reportaſſet.

3 *Amplia, ſi adfuiſſet inhibitio, ne ſub pœnis attentatorum in electione ſe ingereret.*

4 *Subamplia, ſi Delegatus Generalis cauſarum in Tribunali Nunciaturæ inhibuiſſet, & inhibitio ad omnium Vocalium notitiam fuiſſet deducta.*

5 *Item ſi in actu electionis duo ex Vocalibus proteſtati fuiſſent, ne ad electionem deveniretur, maximè ſi lapſus temporis non adeſſet, & nulla urgeret neceſſitas.*

6 *Proteſtatio in hac materia non eſt quarendum, utrum ſit rationabilis, & inhibitio juſta, utraque enim ſemper attendenda eſt.*

7 *Vocalis dubbius dicitur ille, qui manutentionem re integra in eligendo reportavit, et prò poſſeſſore habetur.*

8 *Vocalis dubius ſemper eſt admittendus, & in electione vocandus, & ſaltem cum proteſtatione,* quatenus de jure.

10 *Vocales, juxtà indultum Apoſtolicum, in conferendis Parrochialibus, debent fidei profeſſionem emittere, juramentum præſtare de eligendo digniorem, & quod electus continuet in munere legendi in Univerſitate.*

11 *Obſervantia contra Breve non eſt allegabilis, ſi per clauſulam* Sublata, *& decretum* Irritans *deſtrueretur.*

12 *Amplia, ſi fuiſſet interrupta ex renovatione, & innovatione ſuperventa.*

13 *Litteræ Apoſtolicæ alternativè conceptæ dicuntur verificatæ, quotieſcumque, vel in uno, vel in alio modo juſtificentur, & tali caſu exequi debent.*

DECISIO DCCCLXXIV.

Litteras Apoſtolicas Franciſci Anſelmi Bilſtein exequendas eſſe ad excluſionem Joannis Sutgen electi ab Univerſitate Studii Colonien. tunc non comparentis, Domini cenſuerunt 8. Junii elapſi anni, ut ex *deciſione edita coràm Me*, adverſus quam, cum conceſſa fuerit nova Audientia, *ſtandum eſſe Domini in deciſis favore Franciſci Anſelmi, etiam hodiè reſponderunt*, adhùc Joanne jura ſua deducere negligente.

1 Subſiſtit enim nullitas electionis factæ à prædicta Univerſitate Studii Coloniæ, tam ex capite ſpretus eorum, qui non interfuerunt, immò inhibuerunt, & contra electionem proteſtationem emiſerunt, quam ex capite non ſervatæ formæ indulti Pontificii.

2 Quoad primum certum eſt, quod Sthuir Decanus Univerſitatis, & ſic unus ex vocalibus, neque vocatus, neque admiſſus fuit in electione, quando jam ille ad excluſionem Huygen. in Decanatu competitoris mandata de manutenendo reportaverat à Reverendiſſimo Sedis Apoſtolicæ Nuncio, in quorum altero, quod *Arctius* dicitur, continebatur
3 expreſſa inhibitio dicto Huygen præſentata, ne in electione ſub pœnis nullitatis, & attentatorum ſe ingereret. Undè clara eſt nullitas, & evidens ſpretus, ſi ad eam ſucceſſivè abſque admiſſione Sthuir, & è converſo cum admiſſione Huygen deventum fuit, iſtæ præſertim altera inhibitione à delegato Generali
4 cauſarum pendentium in Tribunali ejuſdem Nuncii decreta, & ante electionem ad notitiam omnium vocalium deducta, quæ nullitatem multò magis importat, juxta *Text. in cap. ſi eo tempore de elect. in 6.*, *Sperell. deciſ. 137. n. 3.*, *Rota cor. Coccin. deciſ. 1810.* cum aliis in *deciſione, quæ revidetur §. eodem.*

5 Potiſſimè, quia in obſequium earumdem inhibitionum, alii duo ex vocalibus in ipſo electionis actu ſolemnem proteſtationem emiſerunt, ne ad eam cœteri devenirent; quo circa ex iſtorum etiam oppoſitione, dum præſertim non imminebat lapſus temporis ad eligendum, nullaque urgebat neceſſitas, inevitabile oritur nullitatis fundamentum, ut præter adduct. in præcedenti *dec. §. Maximè*, firmat *Cardinal. de Luca de Canon diſc. 27. n. 13., & 14.*, *Rot. in rec. dec. 36. n. 1. p. 6.*, cum aliis in *Capuana Beneficii 23. Jun. 1698. §. Ex his autem coràm Me.*

6 Neque quærendum eſt, utrum proteſtationes fuerint rationabiles, & inhibitiones juſtæ, necne; proteſtationes enim omnem earum rationabilitatem deſumunt ex inhibitionibus; inhibitiones vero, ſive juſtę, ſive injuſtę, quoties Superioris auctoritate decretæ ſunt, timendæ veniunt, *Rota deciſ. 33. n. 4. cor. ſan. mem. Alexan. VIII., cor. Beincaſ. deciſ. 202. n. 1., & deciſ. 315. num. 2., & par. 18. rec. tom. 2. dec. 595. n. 9* cum aliis vulgaribus, neque permiſſum eſt Partibus earum cognitionem aſſumere, & ſibi jus dicere, ut proſequitur *Rota dicta dec. 595. num. 10 par. 18. rec., & melius dec. 352. n. 14. cor. Bich.*

Nec relevant obiecta, quod Sthuir, vel non eſſet in poſſeſſione, vel ſaltem eſſet vocalis
7 dubius, itaut non deberet vocari. Quo enim ad defectum poſſeſſionis, dum ille re integra obtinuerat mandata de manutenendo in odium impedientium ejus admiſſionem, habetur pro poſſeſſore, *Rot. in Leodien. Canon. 4. Iulii 1698. §. Verum cor. R. P. D. meo Anſaldo, cum concordan. in deciſ. quæ revidetur §. Haud relevante.* Quo vero ad dubietatem,
8 hæc ſanè non operatur, quin ſaltem ubi, prout hic, publicantur nomina eligentium prò evitanda actus nullitate, vocandus, & admittendus eſſet cum clauſula præſervativa quatenus de jure deberet admitti, ut pręter relat. *in eadem dec. § Minuſque*, dixit *Rot. in Oſnaburgen. Canonicatus 10. Decembr. anni elapſi §. Ad effectum cor. R. P. D. meo Criſpo.*

9 Non minor eſt altera nullitas ex eo promanans, quod in electione Joannis non fuerit ſervata forma Indulti Pontificii. Præſcribit enim Sum: Pontif., quod indicatur Concurſus juxtà methodū traditam à Sac. Conc. Triden. in conferendis Parochialibus, quod vocales
10 emittant profeſſionem fidei, & juramentum præſtent de eligendo digniorē, quodq; electus juret continuare in munere legendi in Univerſitate; cum autem de his omnibus, nihil ſervatum fuerit, conſequens eſt, quod etia m ex hoc capite prędicta electio fuerit nulla, &

in puncto firmant auctoritates allegatę in *deciſione*, *quæ revidetur* §. *Pari claritate*.

11 Obſervantia autē contraria dicto Brevi non eſt allegabilis, tum quia clara eſt littera, tùm quia ceſsat per clauſulam *ſublata*, & decre-
12 tum *irritans*, tum denique quia eſt interrupta ex illius renovatione cum iiſdem clauſulis, & eadem forma nuper facta ad quinquennium à SS. D. N., ut reſpondetur in eadem *deciſ.* §. *Nihilque*.

Poſita nullitate electionis ex prædicto duplici capite, ſtatìm conſtat eſſe in omni ſui parte juſtificatam narrativam litterarum Apoſtolicarum, quæ à Franciſco Anſelmo
13 obtentæ ſunt, quamvis cęteroquin, cum eſſet alternativè concepta, ſufficeret juſtificatio in una, vel altera tantum parte, ad *Tex. in cap. in alternativis de regul. iur. in* 6., *& Rota in Colonien. Vicariæ* 20. *Novemb.* 1713. §. *Atque hæc cor. Me*, itaut nulla cadente difficultate quoad vacationem, habilitatem, valorem, & reliqua narrata, debitam exequutionem promereantur, ad *Text. in cap. ſi capitulo*, ibique *Gloſ. de conceſſ. Præbend. in* 6. cum notiſſimis.

Et ità relativè ad præcedentem Deciſionem, in qua cęteris objectis plenè reſpondetur, fuit reſolutum unica &c.

TURRITANA PECUNIARIA.

Lunæ 21. *Januarii* 1715.

ARGUMENTUM.

Solidaliter obligatus principalis Debitoris excuſſionem primario faciendam nequit opponere, ſicut neque ſeſe obligaſſet in caſu, quo ille ſtatuto tempore non ſolveret, & dies ſolutionis adveniſſet. Quàndo Principalis debitor eſt pauper, excuſſio neceſſaria non eſt, quia fruſtranea eſſet.

SUMMARIUM.

1 *Obligatio ſolidalis operatur, ut ex ea ligatus ſit debitor principalis, & correus debendi*.

2 *Excuſſio debitoris præventiva non eſt neceſſaria, licet obligatio reſtricta eſſet ad caſum, quo debitor non ſolveret, quando dies ſolutionis ceſſit, & principalis debitor non ſoluiſſet*, & num. 8. & 11.

3 *Limita, ſi obligatio concepta eſſet cum verbis* -- ſi Titius ſolvere non potuerit --, *quo caſu principalis debitoris excuſſio eſt neceſſaria*.

4 *Secùs, ſi eſſet concepta cum verbis* -- ſi Titius non ſolverit.

5 *Excuſſio non eſt neceſſaria, quando debitor eſt pauper, & ex quo paupertas probetur*.

6 *Debitor reputatur fuiſſe pauper, ſi poſt obitum illius, hæres nullus eſſe voluiſſet*.

7 *Excuſſio debitoris dicitur facta, ſi bona fuiſſent ſubhaſtata, illorumque prætium pro juribus dotalibus Uxor ſibi vindicaſset ad excluſionem Creditorum*.

9 *Negligentia Creditoris in exigendo à debitore principali, fidejuſſorem ſolidaliter obligatum non liberat, caſu quo certo tempore debitor non ſoluiſſet, cum per hoc prorogetur terminus debitoris*.

10 *Amplia, ſi ex cauſa dictæ dilationis debitoris conditio deterior non evaſiſſet, adeo quod negligentia dici nequeat doloſa*.

11 *Subamplia, ſi favore Creditoris adeſſet renunciatio novis Conſtitutionibus, & Solidalis obligatio*.

12 *Novatio numquam præſumitur, niſi de ea doceatur, nec ſolutio partis debiti innovationem inducit*.

13 *Fidejuſſor privilegium ſibi competens amittit, ſi ſe obligaſſet in eadem met forma, qua originarius debitor*.

DECISIO DCCCLXXV.

IN venditione Tabernæ Mercium, quam pretio librarum 5000. monetę Sardiniæ fecit anno 1695. Joannes Antonius Tundorus favore Andreæ Coſſu, & Experantiæ Serrę coniugum, diſtributis ſolutionibus ad ſexennium, acceſſerunt, & ſeſe in ſolidum obligarunt, tam pro capitali, quam fructibus recompenſativis conventis in annuis libris 133. Petrus Manunta, & Gravinus Serra, alter Canonicus, alter Beneficiatus Eccleſię Turritanæ.

Solutis in cauſam capitalis pro primo termino lib. 833. una cum intereſſe decurſo anni 1698 in lib. 199., deceſſit anno 1702. præfatus Coſſu Emptor, & cum inſurrexiſſent adverſus ejus hæreditatem diverſi creditores, peracta fuit ad inſtantiā Fundoni Venditoris deſcriptio merciū, quæ deinde ſubhaſtatę fuerunt, & pretiū conſignatū extitit ſupradictæ Experantiæ Emptoris conjugi, quę allegans nullitatem quoad ſe prædicti contractus, & petens dotis reſtitutionem, duo favorabilia judicata in partibus reportaverat. Propterea Nicolaus Fundonus Antonii Venditoris filius, & hæres pro conſequenda ſatisfactione reſidui capitalis, & fructuum vocavit in judicium Fidejuſſores coram Vicario Generali Turritano, ſed contrariam ſententiam paſſus eſt abſolutoriam ab obſervatione Judicii.

Devoluta ſubinde cauſa ad A.C. Anſideum, iſte mandatū relaxavit contra dictos Manuntum, & Serram, ſed iſtis reclamantibus, cauſa mihi in gradu appellationis delegata fuit cū clauſula *ſi quid exequendum*. Unde dato dubio -- *An mandatum A.C. ſit exequendum*, *affirmativa* prodiit reſolutio.

Poſita enim validitate, quæ nullam inter Partes habebat controverſiam, Juſtitia reſultabat ex Inſtrumento publico venditionis mercium, in quo Manunta, & Serra tàm
1 prò capitali, quam pro fructibus ſeſe obligarunt uti principales, & inſolidum, undè ex hac obligatione facti ſunt reſpectu Fundoni Creditoris, principales Debitores, & Correi debendi, late *Arias de meſ. variar. reſol. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 3., *& per tot.*, *Rot. coram Bich. dec.* 203. *num.* 12., *& ſeq.*, *coram Emer. jun. dec.* 972. *num.* 9., *& par.* 17. *rec. dec.* 294. *num.* 13., ita ut propterea mandatum contra ipſos relaxatum debitam exequutionem promereatur, ut cum aliis dixit *Rota deciſ.* 49. *num.* 1., *& dec.* 273. *num.* 3. *par.* 16 *rec.*

Abſque

Abſque eo quod obſtaret exceptio non
1 factæ excuſſionis bonorum Andreæ Coſſu originarii debitoris, quæ eo fortius in præſenti caſu requiri dicebatur, dum Fidejuſſorum obligatio concepta eſt ſub conditione *caſu quo coniuges principales debitores non ſolvant*. Quandoquidem plures occurrebant reſponſiores, & primo, quod dicta conditio neceſſariam facere non poteſt excuſſionem in preſenti caſu, ubi non ſolum obligatio eſt ſolidalis, ſed etiam ceſſit dies ſolutionis, & commiſſa jam fuit ſtipulatio, dum deceſſit ſine effectiva ſolutione Andreas Coſſu, & Uxor coobligata obtinuit judicialiter liberationem ab obligatione; unde bene verum eſt neutrum eorum ſoluiſſe, ut inquit *Text. in l. fidejuſſor obligari §. fin. ff. de fidejuſſor.*,
3 & diſtinguendo inter obligationem ſuſceptam ſub conditione -- *Si Titius ſolvere non potuerit* -- quæ videbatur requirere excuſſionem hæreditatis, ab altera, *Si Titus non*
4 *ſoluerit* -- juxta quam, decedente Titio, etiam non interpellato, Fidejuſſor remanet obligatus, omiſſa excuſſione, ut probat *Rip. in l. ita ſtipulatus n.50., & ſeq. ff. de verbor. oblig.*, *& aliis adductis Calvin de æquitat.*
5 *lib.2. cap.114. n.4.*, *Rot. cor. Cæſar. de Graſſ. dec.2. n.1., & 2. de fidejuſ., & bene Car. Mantic. de tacit. lib.16 tit.17. nu.14. 15., & ſeq.*

Secundo quod Andreas originarius debitor obiit ſine hærede, fuitque illius hæreditati jacenti deputatus Curator in Curia Tarentina, ex quo, ſanè ejuſdem inopia clarè reſultat, & inanis remanet exceptio excuſ-
6 ſionis, ut proſequitur *Mantit. de tacit. d. lib. 16. tit.17. num.14. in fin.*, *Rot. dec.167. n.45. par.14. rec.*

Et tertio demum (cæteris omiſſis) quod quatenus etiam facienda fuiſſet excuſſio, de
7 iſta ſatis conſtat, dum tàm Fundonus Actor, quam Uxor Andreæ debitoris, aliique concreditores invicem in dicta Curia contenderunt ſuper prælatione, fuitque duplici ſententia decreta, & conſumpta conſignatio pecuniarum ex illius bonis hæreditariis ſub haſta deliberationis retractarum favore ejuſdem uxoris in cauſam dotis; quamobrem cum non verſemur in caſu, quo præcedens excuſſio fuiſſet in pactum deducta, in quibus terminis loquuntur *Card. Bontius penes Pir. Maur. de Fidejuſ. par.2. ſect.10. poſt. cap.23*, *Rot. dec.241. cor. Dunoz. jun., & dec.212. cor.*
8 *Royas*, utique ubi, prout hic, obligatio purè concepta eſt cum clauſula in ſolidum, & æquè principaliter cum debitore, adveniteque dies ſolutionis, eo ipſo, quod conſtat debitorem non ſoluiſſe, & bona eſſe intricata, excuſſio habetur pro expleta, *cit. Mantic. d. tit.19. n.29., & 24.*, *Larrea allegat fiſc.33. n.5.*, *R. P. D. meus Anſald. in tract. de commerc., & mercat. diſ.32. nu.30.*, *Tomat. dec.61. n.12., & ſeq.*, *Rot. dec.212. n.16., & 17. cor. Durano*.

Minoris apud Dominos relevantiæ viſa eſt altera exceptio liberationis Fidejuſſorum, ex quo creditor negligens fuerit in exigendo à principali debitore; imo dilationem illi conceſſerit, quando cæteroquin erat obligatus ad ſolvendum ſine dilatione, & diffugio temporis intra ſexennium, ac proindè contractum innovaverit.

Etenim reſpectu negligentiæ, & dilationis (quicquid ſit, ubi quis pro aliquo, uſque ad certum tempus fidjeuſſit) quando, prout hic, principalis debitor ſe obligavit ad ſolvendum certo tempore, & quatenus ille non ſolvat, accedit in ſolidum Fidejuſſor, tum
9 prorogato debitori tempore ad ſolvendum, non intelligitur liberatus Fidejuſſor, cum agatur de tempore adiecto gratia explendæ ſolutionis, *ex theoric. Hoſtienſ. in cap. conſtitutus n.11. in fin. de fidejuſſor. Iaſon. in l. ſi electa n. & 10. ff. ſi cert. petat.*, *Maur. de fidejuſſor. par.2. ſect.10. cap.33. n.16., & 17.*, *Henriq. eod. tract. cap.20. §.12. num.3.*, *Gomeſ. Var. reſol. lib.2. cap.13. num.19. verſ.6., & ultimo, & Manſ. conſult.531. num.15. tom.16.*

Maximè dum non probatur ex conceſſa
10 dilatione, & creditoris conniventia factam fuiſſe deteriorem debitoris conditionem, & datam fuiſſe cauſam ejus decoctioni, adeout inferri nequeat, quod ille jus amiſerit perſequendi fidejuſſores, quia verè in his terminis prorogatio referri non poteſt, niſi ad ſimplicem, & levem, & nullo modo doloſã neglingtiã, quæ ita negligenti obeſſe non valet, ut relatis cõcordan. probat. *Maur. de fideſſor. d. c.33. 23., & cit. Manſ. conſul.532. n.8., & 9., & conſult.533. n.5.*, preſertim attẽta renũcia-
11 tione, quæ habetur in fine inſtrumenti beneficio novarum conſtitutionum, & reliquorum jurium, ac ſolidalis obligationis ſuſceptione, ex quibus inanis ſit obiectio negligentię, ut in fortioribus terminis factæ à fidejuſſoribus interpellationis advertit *cit. Maur. d. cap.33. num.26., & 27.*, & concordat. *Card. de Luc. de credit. diſc.98. nu.3.*, *Magon. dec. Florent. 30. nu.10. & 11. & ſeqq.*

Quo verò ad novationem, ſatis eſt reſpon-
12 ſio, quod nequaquam de illa doceatur, nam novus numquam contractus factus eſt, ſed ſemper primus ille, in quo fidejuſſores acceſſerunt firmus fuit, nec immutatus, actuſque cõſecutivi receptionis ſolutionum in parte, illam nullo modo præſeferunt, benè *Amat. reſolut.57. num.18.*, *Rota cor. Bich. dec.136. num.23., & 24., & in rec. dec.558. num.2., & 4. par.19. rec. tom.2.*

Suſtulit demum omnem difficultatem animadverſio, quod Fidejuſſores in præſenti caſu effrænato pacto ſeſe obligarunt in eadem forma, qua obligati remanerent originarii debitores, itaut illas exceptiones, quas iſti proponere non poſſent, neque ipſi
13 valeant adducere, ceſſentque reſpectu creditoris omnia Fidejuſſorum privilegia, *Merlin. de Pignor. lib.5. tit.1. quæſt. 58. nu. 13.*, *Staiban. reſolut.176. num.93.*, *Card. de Luc. de credit. diſc.98. num.3.*, *de Marin. reſolut. Jur. lib.1. cap.133. nu.13.*, *ibique Rodoer. num.25.*

Et ita utraque &c.

LEODIEN. DISMEMBRATIONIS.

Veneris 25. Januarii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius etiam in tertia inſtantia ſub die 22. Junii 1714.

Vicarius Generalis authoritate ordinaria Eccleſiam diſmembrare non poteſt, cum ſit actus de jure privativo Epiſcopi, ac in nullitatem de tribus incurrit, niſi citet Parochum, ſive Rectorem, neque ad ipſum diſmembrationis actum devenire poteſt, niſi in caſu graviſſimæ neceſſitatis.

SUMMARIUM.

1 *Actus perfectus, & conſumatus habet validitatis præſumptionem.*

2 *Diſmembratio Eccleſiæ attentatè facta, illiuſque Paroco uſque ab initio reluctante nulliter dicitur, & ex integro talis actus examinandus eſt.*

3 *Diſmembratio Eccleſiæ authoritate ordinaria à Vicirio Generali facta, quam authoritatem non habet, eſt nulla, cum ſpeciale mandatum Epiſcopi precedere debeat*, & num. 11.

4 *Diſmembratio eſt de juribus Epiſcopi*, & numero 14.

5 *Abſentia Epiſcopi non ampliat facultates Vicario Generali.*

6 *Obſervantia eſt optima legum interpres quoad actus præcedenter factos.*

7 *Vicarius Generalis nomine, & ſigillo Epiſcopi inſcribit, & unum, & idem cum illo Tribunal conſtituit.*

8 *Atteſtatio Epiſcopi omne genus probationum ſuperat.*

9 *Vicarius in pronunciando debet exprimere, ſi ſe gerat authoritate ab Epiſcopo ſibi delegata.*

10 *Juriſdictio poſt latam ſententiam expirat.*

12 *Comunis credulitas circa juriſdictionem Vicarii Generalis in diſmembratione non attenditur.*

13 *Equitas textus in* l. Barbatius *circa hanc materiam habet locum in titulo à Superiore collato, qui eſſet nullus ex aliquo latente defectu, & quando ſecùs.*

15 *Diſmembratio, nòn citato Paroco, ſivè Patrono Eccleſiæ diſmembratæ eſt nulla ex defectu nullitatis de tribus.*

16 *Obſervantia talem non ſanat defectum.*

17 *Amplia, ſi diſmembratio facta fuiſſet à Vicario generali non juxtà ſtylum, ſed ſervato ordine judiciario.*

18 *Subamplia, ut etiam in actu ſententiæ Parochus, & Patronus eſſent citandi.*

19 *Diſmembratio antequam ſequatur, tales requirit citationes, etiamſi Epiſcopus in authoritate propria haberet, quod eiſdem inſciis diſmembrare poſſet.*

20 *Diſmembratio, uti materia odioſa niſi in caſu neceſſitatis, & ob utilitatem publicam fieri poteſt.*

21 *Amplia in caſu, quo Parochus ſe obtuliſſet Sacramenta miniſtrare, omnibuſque ſupplere, ex quorum defectibus ad diſmembrationem Epiſcopus vellet devenire.*

22 *Parochus non poteſt exercere juriſdictionem in Eccleſia de jurepatronatus alterius.*

23 *Juſpatronatus non poteſt acquiri, niſi doceatur de edificatione, & dotatione Eccleſiæ, nec reparationes illiùs factæ ſufficiunt*, & n. ſeqq.

24 *Extractio de privatis libris, non citata parte, facta non probat.*

25 *Juſpatronatus, ut acquiratur à Reparante, vel Edificante Eccleſiam, debet is talem animum acquirendi ſe habuiſſe probare.*

26 *Patronus de jure Canonico Eccleſiæ redditus adminiſtrare prohibetur.*

27 *Diſmembratio ſemper reijcitur, & ſi unus ob ipſam dotare offerat, quando Parochus modū occurrendi cauſæ ultro offerat, ob quam illa fieri prætendatur.*

28 *Amiſſio emolumentorum Parochialium, eſt juſta cauſa, ob quam Parochus diſmembrationem impedire queat.*

DECISIO DCCCLXXVI.

PER geminas Sententias declaratum extitit non ſuſtineri diſmembrationem Eccleſiæ, ſeù Cappellæ S. Jo. Baptiſtæ factam ab Eccleſia Parochiali Beringenſi, quod & iterum illas confirmando coram Me in tertia inſtantia reſponſum fuit die 22. Junii ſuperioris anni, & hodie cauſa repropoſita -- *Standum eſſe in deciſis* DD. cenſuerunt.

Etenim pręmiſſo, quod hì: non agitur de actu jam perfecto, & conſumato, prout opponebant ſcribentes pro Suburbanis Berin-
1 gen, quo caſu ſtat præſumptio prò illius va-
2 liditate, atque juſtitia, ſed agitur de diſmembratione nuper facta reluctante uſque à principio, & ſubinde etiam appellante, ac judicium ſuper nullitate, & iniuſtitia perſequente Parocho Beringenſi, itaut dum executioni fuit demandata, nulliter, & attentatè id geſtum fuerit, & proindè iſte actus conſiderari debeat adhuc in fieri, & examinanda veniat ex integro illius validitas, & Juſtitia, nec cum ſola præſumptione procedi poſſit, juxta regulas, de quibus *Rot. dec.* 211. *n.* 22., *dec.* 381. *n.* 17. *p.* 19. *rec.*, & *dec.* 675. *n.* 9. *eadem p.* 19. *tom.* 2., & *paſſim.*

Hinc validitatem examinando, illam in hypotheſi non concurrere ex defectu Juriſdictionis, & citationis iterum compertum
3 fuit. Reſpectu enim Juriſdictionis, conſtitit, quod diſmembratio facta fuit à Vicario Generali Leodienſi ordinaria auctoritate, qui tamen hanc facultatem ſinè ſpeciali, atque expreſſo mandato Celſiſſimi Epiſcopi habere non poterat, quantumvis ad Vicarii munus prægnantiſſimis clauſulis, & cum ampliſ-
4 ſima poteſtate deputatus fuiſſet, quia eſt actus de præcipuo Juriſdictionis exercitio, quod Vicario neutiquam competit, ad deduc-

ducta per *Paſſerin. in cap. cum generali de*
offic. Vicar. in 6. *qu. unica art.* 1. *n.* 15., *&*
ſeq., *Sbrozz. de offic. Vicar. lib.* 2. *qu.* 116.
n. 6., *& alios relat. in deciſ.* 1. *Februarii*
1712. §. *Defectus cor. R. P. D. meo Falcone-*
rio, 3. *Julii* 1713. §. *patuit cor. R. P. D. meo*
Criſpo, *& in ea*, *quæ revidetur* §. *Subſi-*
ſtunt cor. Me, etiamſi Epiſcopus abſit à Diœ-
5 ceſi, quia ejus abſentia Vicarii facultates
non ampliat, niſi in caſibus expreſſis à Jure,
text. in cap. cum nullus de temp. ordin. in 6.,
Rot. cor. Coccin. dec. 652. *n.* 10., *& ſeqq.*
Quod verò non à Vicario, ſed ab ipſo
Epiſcopo lata ſit Sententia ſuper aſſerta diſ-
membratione, in facto non ſubſiſtit, dum li-
cet illa pręſeferat ea verba -- *Datum in Ci-*
vitate noſtra Leodienſi ſub Signatura noſtri
in Spiritualibus Vicarii Generalis --, et ul-
tra nomen Epiſcopi, quo eſt inſcripta, muni-
ta etiam ſit ejuſdem ſigillo, adhuc tamen
facta collatione cum aliis actibus indubitan-
ter à Vicario geſtis, patet illos conſueviſſe
hoc modo ſignare, & inſcribere, adeout
6 hæc pręciſa illius obſervantia optimè inſer-
viat pro interpretatione, & declaratione al-
terius actus ab eo expleti, plenè *Rot. dec.* 452.
n. 24., *deciſ.* 520. *n.* 9., *&* 582. *n.* 10., *& ſe-*
quen. p. 19. *rec. to.* 2., & paſſim alibi. Pre-
7 ſertim quia talis quoque eſt Vicariorum pra-
xis, ut eorum actus, & nomine inſcribant,
& ſigillo muniant Epiſcopi, cum quo unum,
idemque Tribunal conſtituunt, ut ait *text.*
in cap. Romana verſ. eorum vices ſupplendo,
& verſ. unum ſit conſiſtorium de appellat. in
6., *ibique Doctores*, *& late Barboſ. de Epiſc.*
p. 3. *alleg.* 54. *nu.* 45., & obſervat deciſio,
quę revidetur §. *Ultra quod*. Tollitque
8 prorſus omnem dubietatem atteſtatio ipſius
Epiſcopi aſſerentis, ſe inſcio, hæc omnia
fuiſſe geſta, cui quantum ſit in his rebus
adhęrendum, ſuadent notiſſimæ Juris regulę.
Abſque eo quod juvet reſponſio, quod in
9 iſto caſu Vicarius proceſſerit tanquam Admi-
ſtrator Epiſcopatus Leodienſis, & ſic aucto-
ritate delegata, tùm quia talem auctorita-
tem non expreſſit, prout in aliis actibus illius
vigore geſtis declarare ſolitus erat, tùm
10 quia talis Juriſdictio de tempore latę Sen-
tentiæ jam expiraverat, ut ponderant omnes
deciſiones, prima ſcilicet *cor. R. P. D. meo*
Falconerio §. *Sed etiam*, *&* §. *Neque dicta*,
& altera *cor. R. P. D. meo Criſpo* §. *A pa-*
tenti, *&* §. *Verum*, & præcedens *cor. Me*
§. *Quo verò*.
Cum igitur et delegata non competeret,
11 & ordinaria non ſufficeret, ceſſat objectum
in pręſenti diſputatione latiùs adductum,
quod Vicarius expreſſerit ſe quacumque
auctoritate ſibi quomodolibet competente
proceſſiſſe, cum nulla alia ſpecies juriſdictio-
nis ad explendum ſimilem actum valeat al-
legari.
Atque ex his inania remanebant etiam ea,
quæ rurſus deducebantur ex communi repu-
12 tatione, *ad text. in l. Barbarius ff. de offic.*
Pretor., cum ęquitas ex dicto textu de-
13 ſumpta locum habeat ſolum in caſu, quo
titulus à Superiore collatus ſit nullus ex
aliquo occulto vitio, & latente defectu, ut
explicat *Maſcard. de Probat. concluſ.* 648.
n. 91., *& ſeq. cum concordan.*; ſecùs ubi agi-
14 tur, ut hic, de ſubſtinendo actu ab eo ge-
ſto, qui juriſdictionem à Jure pro eo geren-
do non habebat, illamque ſolum ad tempus
obtinuerat, ut reſpondit deciſio, quę revi-
detur §. *Quod optimè*.
Non minor eſt alter defectus citationis,
15 quia neque Patronus, neque Rector Paro-
chialis Eccleſiæ Beringenſis fuerunt citati,
quando cęteroquin, cum ageretur de eorum
intereſſe, & præjudicio, id omnino neceſ-
ſarium erat, ut firmatur in omnibus citatis
deciſionibus.
Nec profectò ſanari valuit hæc nullitas ex
16 aſſerto ſtylo Curiæ Leodienſis. Nam omiſ-
ſo, quod legitima non habeatur illius pro-
batio, & quod etiam probatus minime rele-
varet, juxta egregiè deducta in *dec. R. P. D.*
mei Falconerii §. *Nec d. nullitas*, placuit pre
cæteris reſponſio, quod in præſenti Vica-
17 rius Generalis non proceſſit ſervando dictum
ſtylum, ſed judiciarium ordinem aſſumpſit.
Unde antequam ſententiam ferret, erat in-
diſpenſabilis citatio quorumcumque intereſ-
ſe habentium, bene in terminis *Rot. deciſ.*
277. *n.* 19., *&* 20. *p.* 16. *rec.*, maximè quia
in antecedentibus actibus citati fuerant, &
recogniti pro oppoſitoribus, undè etiam
18 in actu ferendæ ſententię erant audiendi, ut
proſequitur dec., quæ confirmatur coram
Me §. *Sicut etiam*.
Minuſque relevat, quod legitima defen-
19 ſio citandis non ſuppeteret, dum poterat
Epiſcopus, concurrente cauſa, etiam illis
invitis, diſmembrationem explere. Etenim
licet Epiſcopo permiſſum ſit etiam diſſen-
tientibus Parocho, & Patrono ob neceſſita-
tem, vel evidentem utilitatem ad diſmem-
brationem devenire; firma tamen adhuc vi-
get pro validitate actus neceſſitas illos citan-
di, ut in earum exceptionibus audiantur,
ut benè notat *Fagnan. in cap. ad audientiam*
1. *n.* 29. *de Eccleſ. ædif.*, *et firmat Rot. dec.*
224. *n.* 13., *et ſeq. p.* 10. *rec.*, *et alii relat.*
in d. mea dec. §. *Neque hujuſmodi*.
Æqualis nullitati hactenus conſtabilitæ
20 eſt injuſtitia; regulare enim eſt, quod ad
odioſum diſmembrationis actum, quando
aliunde Parochianorum commoditati conſu-
li poteſt, deveniri non debet, dum eſt tota-
liter ſubſidiarius, ut probat *Rota dec.* 578.
n. 6., *et* 7. *p.* 19. *rec.*, *aliæque auctoritates*
plenè allegatę in dec. R. P. D. mei Falcone-
rii §. *Nullitati*, *et R. P. D. mei Criſpi* §. *Pre-*
ter, *et in mea* §. *Patens*. Quamobrem cum
21 in præſenti obtulerit Parochus deputare,
propriiſque ſumptibus manutenere Vica-
rium, qui in Cappella S. Joannis Baptiſtę
Sacramenta miniſtret, & omnia expleat,
quę animarum curam reſpiciunt, patens eſt,
quod quatenùs oblatio iſta *cum effectu adim-*
pleatur, itaut remaneat conſultum indigen-
tiæ

tiæ Parochianorum, exorbitans diſmembrationis remedium locum non habet, *Rota dec.* 578. *n.* 7. *p.* 19. *rec.*, *et Doctores relat.* in prima dec. §. *Idcirco*, in ſecunda §. *Præter*, & in mea, *quæ revidetur* §. *Cum igitur.*

Replicatio autem, quod cum Eccleſia,
22 ſeu Cappella S. Joannis ſit propria, & de Jurepatronatus eorumdem Suburbanorum, & propterea neque Parochus, neque ejus Vicarius poſſit, ipſis invitis, jura Parochialia in illa exercere, juxta reſolutionem Sacræ Congregationis Concilii in *Comen. Iurium Parochialium* 9. *Iunii ſuperioris anni*, tollitur ex facto. Quoniam (ultra quod, ut fuit animadverſum in deciſione, quæ revidetur §. *Etenim*, jam Eccleſia, de qua agitur, ex deſignatione ipſorum Suburbanorum effecta eſt ſubdita Parocho) adhuc non fuit doctum
23 nec de ędificatione, nec de donatione præfatæ Eccleſię, ut poſſet acquiri Juſpatronatus, prout plenè conſtiterat in caſu diſputato in d. Comen. Jurium Parochialium; aſſignatio namque dotis nuperrimè fuit facta, non intuitu Eccleſiæ, & Juris in ea acquirendi, ſed ex cauſa aſſertæ diſmembrationis, & ędificatio nullo documento concluditur.

Siquidem regeſtrum oblationum recepta-
24 rum de anno 1620, & expenſarum factarum pro Eccleſię dealbatione, & reparatione, extractum ex privatis libris non citata parte, non probat, ut nota ſunt Jura, & quamvis probaret, non poſſet ſuffragari, quia hujuſmodi reparationes ad obtinendum Juſpatronatus non ſufficiunt, maximè dum neſ-
25 citur, utrum in iis Suburbani, præter piorum Fidelium oblationes expenderint quicquam de proprio, & cum animo Juris exinde acquirendi, ut opus eſſe dixit *Rota dec.* 614. *n.* 4. *p.* 5. *to.* 2. *rec.*, neque intervenerit Ordinarii conſenſus omnino requiſitus à Sacris Canonibus, ut in *cap. nobis de jurepatron.*, & aliis adductis per *Vivian. de jurepatr. lib. primo cap.* 1. *n* 34., & *lib.* 7. *cap.* 55. *n.* 4., & paſſim alibi. Reliqua vero documenta concernentia adminiſtrationem Proventuum pænes eoſdem Suburbanos, ad intentum non conferunt, & potius excludunt qualitatem
26 Patronorum, quibus hęc adminiſtratio à Jure Canonico eſt interdicta, & à Sac. Concilio Tridentino *Seſs.* 22. *cap.* 11. *de Reformat.*, & ibi notat *Barboſ. n.* 13., & *ſeqq.*

Ita pariter nihil refert, quod non agatur de odioſa diſmembratione, aut præjudiciali, ſed favorabili, ex quo Suburbani Eccleſiam diſmembrandam dotent. Poſito enim,
27 ut ſupra dictum eſt; quod dotatio fiat intuitu diſmembrationis, eo ipſo, quod offerente Parocho modum aliter occurrendi Parochianorum commoditati, diſmembratio reijcitur, ceſſat quoque eadem dotatio, & abeſt omnis favor. Præjudicium autem eſt evidens, & graviſſimum, cum Eccleſiæ Beringenſi minuatur Populi concurſus, & frequentia, ejuſque Parochus amittat omnia
28 ea emolumenta, quę hactenùs ex vicis ſeparandis percepit, quod ſane juſtam reclamandi cauſam præbet, ut in paribus terminis novę Eccleſiæ intra limites Parochiæ ædificandæ, *text. in cap. cum dilectus* 2. *de Capell. Monach.*, & *in cap. Paſtoralis* 9. *de his, quę à Prelat. &c.* cum concordan., *Rota dec.* 225. *n.* 9. *p.* 13. *rec.*, aliiſque obiectis plenè ſatisfaciunt præcedentes deciſiones, ad quas DD ſe relativè habuerunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA FUNDATIONIS. MONASTERII.

Lunæ 28. *Januarij* 1715.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Sac. Rota, quando traditionem voti decreviſſet favore Tertii vil comune habentis, cum principali obligato, reſervato jure agendi contrà iſtum, eadem traditio nequit retardari, cum ex tali jurium reſervatione ſit ſatis conſultum intereſse habentibus.*

DECISIO DCCCLXXVII.

Fuerat in deciſione ædita coram Me ſub die 10. Decembris proximè pręterit resolutum ad inſtantiam defenſorum Eccleſię Sancti Ignatii, quod prò legato facto à cla: me: Principiſſa Conſtantia Pamphilia Ludoviſa prò erectione Monaſterii, eſſet agendum
1 contra bona per illam in teſtamento deſignata, non autem contra alia poſſeſſa per dictam Eccleſiam. Cumque in præſenti Audientia inſtarent iidem defenſores pro traditione Voti, & è converſo Procurator Rever. Fabricæ opponeret, quod eſſet prius terminanda diſputatio pro deſtinatione loci, in quo fieri deberet erectio ejuſdem Monaſterii, Domini adverterunt, quod in pręfata deciſione jam fuit ſatis conſultum mediante jurium reſervatione contra illos, qui de jure tenentur, cum in hac controverſia nihil habeat agere Eccleſia S. Ignatii, quapropter mihi demandarunt, ut prævia hac brevi deciſione, explicaretur, non eſſe juri conſonum, quod retardetur traditio Voti favore Eccleſię ſuper jam deciſis, cum reſpectu reſervationis jurium, *quam iterum approbant*, nulla remaneat quæſtio cum eadem Eccleſia.

Et ita, &c.

GERUNDEN. JURISPATRONATUS.

Lunæ 4. *Februarii* 1715.

ARGUMENTUM.

Præſentatas, qui ſit de familia fundatoris, utque talis vocatus, cęteris eſt pręferendus, & juris diſpoſitione hominis diſpoſitionem ſupplente, nominari non indiget à Patrono.

SUM-

SVMMARIVM.

1 *Præſentatus à legitimo Patrono, ad beneficium inſtituendus eſt.*

2 *Præſentatus, qui deſcendat ex fundatoris familia, & ideò ab eo nominatus, non indiget nominatione, ejuſque præſentatio remanet à Iure ſuppleta.*

3 *Deſcendentia per diſtinctos gradus ex inſtrumentis, publiciſque documentis probatur.*

4 *Beneficium, licet ſit Sacerdotale, Clericis de ſanguine Teſtatoris poteſt conferri, quoties iſti de ſua familia ab eodem fuiſsent habilitati.*

5 *Fundator ex quibus verbis in fundatione prolatis dicatur voluiſse habilitare diſcendentes de ſanguine, qui eſsent ſimplices Clerici ad Sacerdotale beneficium.*

6 *Fundator habilitandò ad illud hęredes, & ſucceſsores, preſumitur illos de ſanguine prædilexiſse.*

7 *Ius nominandi regulatur juxtà legem Turni, adeòut, in quo jus præſentandi ceſset, jus quoque ad beneficium inſtituendi non remaneat.*

8 *Præſentatus, qui habeat prælationem ex lege fundatoris, ad excluſionem cæterorum eſt inſtituendus.*

9 *Litteræ Apoſtolicæ in forma gratioſa non proſunt, ſi adſit alter præſentatus, & collitigans.*

10 *Amplia, ſi ille, qui eas retuliſset, à legitimo Patrono præſentatus non eſset, & qualitatibus à Fundatore volitis careret.*

11 *Subamplia ſi preſentatus fuiſset in juribus unius de ſanguine fundatoris ſubrogatus, & vide rationem* num. ſequenti.

12 *Iura perſonalia, & qualitas ſanguinis per ſubrogationem in extraneum non tranſeunt.*

DECISIO DCCCXLXXVIII.

IN Fundatione ſimplicis Beneficii erecti in Eccleſia Parochiali Ruris Verges, Petrus Bordila ita de jure patronatus ſibi reſervato diſpoſuit, *ut activum perpetuò pertineret ad Franciſcum ipſius fundatoris Fratrem, ejuſque hæredes, & ſucceſsores; paſſivum verò ad filios, nepotes, & ſucceſſores, tam dicti Franciſci, quam Ermeneſandæ ſororis*.

Devenerat poſt longum temporis intervallum jus activum ad Stephanum Nigra, & Franciſcum Rocca; quia verò ſuper illius exercitio diſcordia extitit, inita fuit tranſactio, in qua fuit concordatum, quod præſentationes alternativè imposterum explendæ forent, eaque ſucceſſive ſervata in penultima vacatione anni 1698., de facto prædictus Rocca præſentavit Franciſcum Ferrer., cum autem ultimo loco per iſtius obitum nova vocatio contingerit, præfatus Rocca ſpreta tranſactionis lege Fauſtum filium, & cumulativè, Joannem Lunell. nominavit. Econtrà verò Stephanus Nigra vigore alternativæ, Caliſtum Ferrer. preſentavit. Undè orta lis fuit inter preſentatos coram Ordinario Gerunden, qui Fauſtum eſſe inſtituendum cenſuit.

Renunciavit poſt hæc idem Fauſtus Beneficium in manibus Ordinarii, & Joannes à Sancta Sede Apoſtolica litteras gratioſæ ſubrogationis reportavit. Undè Caliſtus interpoſita appellatione à dicta ſententia, & ſuſpenſa per inhibitionem executione dd., litterarii cauſam mihi delegari curavit, ac propterea dedi hodie dubium - *An, & cui ſit danda Inſtitutio* -- quam Domini *Caliſto informanti dandam eſse* reſponderunt.

1 Fuit enim ille à Stephano Nigra præſentatus, ad quem vigore recenſitæ tranſactionis in occurrenti vacatione jus preſentandi pertinebat, ad firmata per *Rot. in Vicen. Canonicatus* 3. *Febr.* 1702. §. *Iuſtitia cor. R. P. D. Meo Scotto Almæ Vrb. Gubern., & in Colonien. Canonicatus S. Andreæ* 17. *Febr.* 1713. §. *conſtitit. cor. Me.*

2 Imò cum ille deſcendat ab Ermeneſenda ſorore Fundatoris, & propterea ſit de genere eorum, ad quos ex lege fundationis jus paſſivum ſpectat, nulla Patronorum nominatione indiget, illiuſque præſentatio à jure ſuppleta remanet, & habetur, ac ſi eſſet ab ipſomet Fundatore præelectus, & præſentatus, *Abbas in cap. cum in cunctis* §. *Inferior n.* 10. *cum ſeqq. de elect.*, *Rot. deciſ.* 68. *nn.* 3. *p.* 12. *rec.*, *in Valentina Beneficii* 6. *Decembris* 1713. §. *clara coram Me.*, cum aliis *in Aſten. Beneficii* 10. *Decembris* 1414. §. *& è contrà cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

3 De hac verò deſcendentia plenè conſtitit, & quidem per diſtinctos gradus ex publicis documentis teſtamentorum, Inſtrumentorum, & ſimilium, ex quibus illam probari, præſertim in concurſu extranei, latè firmat *Rot. in Tuden. Parochialis de Reverteme* 7. *Decembris* 1708. § *final. cor. Me, in Sorana Juriſpatron.* 22. *Januar.* 1712. § *Fruſtrà cor. R. P. D meo Falconerio*, & cum aliis *in cit. Aſten. Beneficii* § *quod autem cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

4 Hinc ceſſat obiectum, quod Beneficium non poſſit adjudicari eidem Caliſto ſimplici Clerico, cum ſit Sacerdotale, quoniam Fundator expresſè ab hac lege excepit Clericos de ſanguine ſui ipſius, dum etiam Pueros (ſunt verba Fundationis) *non obſtante eorum ętatis defectu ad dictum Beneficium præſentari poſſe conſtituit*; itaut in hoc ſtatu qualitas Sacerdotalis requiratur reſpectu extraneorum, non verò illorum de ſanguine Fundatoris, quorum reſpectu ſufficiat Clericalis, ut in ſimili animadvertit *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 25. *Barboſ. de jur. Eccleſ lib.* 3. *cap.* 5. *ſub num* 32. *verſ. idem erit dicendum, Rota in Rheginen Juriſpatronatus* 16. *Januar.* 1708. §. *Hanc coram R. P. D. meo Molines Decano.*

Nec ſubſiſtit quod Fundator etiam in paſſivè vocatis voluerit concurrere qualitatem hæreditariam, hoc enim non præſefert ſenſus Fundationis, qui præſentandos dicit,

5 ibi -- *filios, & nepotes*, *qui velint eſse Clericari*, & rurſus *Infantes, & nepotes de Parentela, ſeu de genere meo Clerici*. Hæc verò uni-

unicè important contemplationem ſanguinis,
6 & hæreditariæ ſobolis mixturam excludunt *Rot.deciſ.251. num.4. cor. Benincaſ., & in Mediolanen. Prioratus ſuper qualitate agnatitia 29. Januar. 1706., §. Qualitatem cor. bo: me: Caſſarello*, & ſequentia alia verba, *hæredes, & ſucceſſores, intelligi debent de hæredibus, & ſucceſſoribus ſanguinis, Rot. in cit. Mediolanen. Prioratus ſuper qualitate Agnatitia 18. Iunii 1703. §. minus relevat coram R. P. D. meo Scotto Almę Urbis Gubern., & in Materaten. Parochialis ſuper per pertinentia Iuriſpatr. 11. Ianuar. 1712., §. Et ratio eſt cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Firmato ex his, quod ſit inſtituendus Caliſtus, conſequens eſt excluſio Joannis; aut enim ſe fundat in præſentatione, quam reportavit à Franciſco Rocca, & obtinere non
7 poteſt, quia ad illum, juxta legem Turni, non pertinebat jus nominandi, quod expleverat in antecedenti vacatione, & ideò deficiente præſentatione, inſtitutionem conſequi non poteſt, *Rot. in Majoricen. Beneficii 1. Febr. 1709. §. exiſtentibus cor. R. P. D. meo Falconer., & in Civitatis Caſtelli Canonicatus 12. Martii 2714, §. ratio fuit coram R.*
8 *P. D. meo Scotto*. Fortiùs quia non eſt de ſanguine fundatoris, ſed extraneus, ideoque concurrere non poteſt cum Caliſto habente prælationem ex lege fundationis, *Rot. in Interamnen. Iuriſpatr. 22. Martii 1706. §. rurſùs, & 10. Decembris dicti anni, §. & in hanc cor. R. P. D. meo Scotto, & 15 Martii 1709., §. idque procedere cor. Em̃o D. Card. de Polignach.*

Aut verò Ius deſumit ex litteris Apoſtoli-
9 cis gratioſæ ſubrogationis, & iſte non ſuffragantur, dum aderat alter præſentatus, & col-
10 litigans, quodque fortius eſt, non fuit ipſe à legitimo Patrono nominatus, nec habet qualitates in fundatione requiſitas, ex firmatis per *Rot. in Valentina Beneficii ſuper gratia ſubrogationis 17. Febr. 1696. §. ſecundò ex capite cor. Rm̃o dell' Olmo, & in Vicen. Beneficii 17. Febr. 1713. § Præterea cor.*
11 *R. P. D. meo Aldrovando*, etiamſi Fauſtus Rocca, in cujus Iuribus ſubrogatus fuit Ioannes, eſſet de ſanguine, & genere præele-
12 cto; quia jura perſonalia, & ęqualitas ſanguinis per ſubrogationem in extraneum non tranſeunt, ut in terminis firmavit *Rot. deciſ. 177. n.5. & ſeq. par.12. rec.*

Et ita altera tantum, &c.

PERUSINA CENSUS.
Veneris 15. Februarii 1715.

ARGUMENTUM.

Ceſſionarius crediti anterioris, ſi ex proprio facto ſinat, ut debitor ceſſus, creditoribus ſibi poſterioribus ſolvat, contra cedentem regreſſum non habet, & de culpa tenetur.

SUMMARIUM.

1 *Ceſſionarius, ut contra cedentem regreſſum habeat, docere tenetur de diligentiis adversùs debitorem ceſſum.*

2 *Ceſſionarius non poteſt permittere, quod debitor ceſſus poſteriores ſibi creditores dimittat in cedentis præjudicium, nec contra cedentem regreſſum habet.*

3 *Amplia, ſi ipſemet Ceſſionarius in cauſam crediti poſterioris ab eodem exegiſſet.*

4 *Subamplia, ſi Ceſſionarius in concurſu ſuper bonis debitoris ceſſi pro credito poſteriori, eo ſibi ceſſo cum obligatione de reſtituendo prioribus, exegiſſet, quo caſu pecunias à ſemetipſo avocare tenetur, & ad anterius creditum adſcribere.*

5 *Compenſatio à Judice admiſſa effectivę ſolutionis vim habet.*

6 *Ceſſionarius adversùs cedentem actionem non poteſt retorquere, quando ex proprio facto à nomine ceſſo non exegiſſet, & vide caſum.*

DECISIO DCCCLXXIX.

Cenſum ſcutorum 400. in ſorte impoſuit anno 1632. Comes Aſtor Raynerius favore Jacobæ de Montemellinis, quæ ſubindè anno 1639. illum vendidit, & ceſſit Dario de Monteſperellis cum promiſſione, quod eſſet verus, bonus, & exigibilis, tam quoad ſortem, quàm quoad fructus *alias de proprio* &c.

Inſurrexit nuper poſt 70 circiter annos Paulus Æmilius dicti Darii ſucceſſor, & vocavit, in judicium cedentem cor. A. C. Anſideo, ad hoc, ut cenſum manuteneret exigibilem, ejuſque fructus pro hoc effectu perſolveret, ſed ſententia prodiit abſolutoria à qua interpoſita ad noſtrum Tribunal appellatione, dedi dubium -- *An conſtet de credito &c.*, & Co. Tiberio tantùm informante, *negativè* Domini reſponderunt.

Omiſſa enim quæſtione, An obligatio Jacobę cedentis de manutenendo cenſum bonum, & exigibilem ſit necne reſtricta ad tempus ceſſionis, vel perpetua; ponderabant Domini, quod (cujuſcumque illa naturę ſit)
1 priuſquam ceſſionarius contra cedentem regreſſum habere queat, docere tenetur ſe feciſſe diligentias, & excuſſiſſe debitorem, atque ob ejus inopiam non potuiſſe ſatisfieri, latè *Urceol. conſult.2. num.15., Rot. dec. 15, n.10. poſt Oleam de ceſſ.jur.*, & *dec.302. nu.8. p.19.rec.*

Quod ſanè in præſenti deficit, quia nullo modo docetur de iſta excuſſione, neque de diligentiis tam contra principalem debitorem, quàm contra alios in ſolidum obligatos, minuſque contra bona Montis Pètrioli, ſuper quibus idem cenſus fuit impoſitus; imò potiùs è contrario conſtat, quod ipſe Raynerius debitor fuit pluſquam idoneus, ita ut facile fuiſſet creditori ſatisfactionem reportare, tam ſi inſpiciamus factum Darii Ceſſionarii, quàm Pauli Æmilii ſucceſſoris.

2 Darius ſiquidem ex pretio bonorum dicti Montis Petrioli curavit de anno 1659. ſibi ſatisfieri de tribus aliis cenſibus poſterioribus conſtituentibus unà cum fructibus ſcut. 1964. 50., quando debuiſſet ſibi ſatisfacere

de

dè controverſo cenſu anteriori, itaut propterea hodie non poſſit contra cedentem intentari regreſſus, qui ſi nunquam competit, ubi ceſſionarius permittat, quod dimittantur creditores poſteriores, ex firmatis in *Calaritana evictionis* 9. *Decembris* 1707. §. *Nec talis*, & 27. *Febr.* 1711. §. *Neque diligentiis cor. R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Guber-*
3 *natore*, multò minùs competere poteſt in præſenti cauſa, ubi ceſſionarius met exigit in cauſam crediti poſterioris, ex deductis per *Tondut. reſol. civil. p. 1. cap. 49. n. 52.*

4 Sed hic non ſtetit factum Darii: ille enim anno 1666. obtinuit in concurſo pro alio cenſu, & ſocietate officii poſterioribus alia ſcuta 578. 83. provenientia ex pretio bonorum Comitatus Civitellæ ad Raynerium debitorem ſpectantium, facta obligatione de reſtituendo prioribus, & potioribus; undè non ſolùm ſibi præjudicavit quoad cenſum controverſum, exigendo credita poſteriora, ſed quod magis eſt, cum attenta dicta obligatione, pecuniæ dicantur extare, juxta deducta in *Romana Pecuniaria* 11. *Martii* 1714. §. *Quo verò ubi concordan. cor. Me.* Sequitur, ut ſicut poſſet facere creditor anterior, ita debeat ipſe à ſe illas quodammodò avocare, & referre ad creditum anterius cenſus, de quo agitur, quia alliàs id peteret, quod ſtatim cedenti teneretur reſtituere, & daretur inanis circuitus, ut benè ponderat *Merl. de Pignor. lib. 4. tit. 2. q. 69. n. 11. cum ſeqq.*

Hoc ipſum accidit in perſona Pauli Æmilii hodierni Actoris, cum enim Co. Conſtantinus ſenior de Rayneriis ex pretio dictorum bonorum Civitellæ conſequutus fuiſſet ſcuta 544., & 70. ſub eadem obligatione de reſtituendo, idem Paulus Æmilius ex illis judicialiter avocavit ſcuta 465. 42. pro creditis pariter poſterioribus cenſui de quo agitur.

Et demùm cum Bigarzinus ex eodem pretio, & cum dicta obligatione obtinuiſſet ſcuta 2095. 78. pro creditis æquè poſterioribus, dictus Paulus Æmilius coram A. C. illum convenit pro reſtitutione vigore ejuſdem met cenſus, pro quo hodie iterum Co Tyberium pulſat. Verùm quia excepit Bigarzzinus, ſe creditorem eſſe Darii illius Auctoris in ſcutis 813. 70., ideoque eſſe locum compenſationi, Judex illam admiſit, & ſuper ea inſtrumentum ex officio confici demandavit,
5 hujuſmodi autem compenſatio dubium non eſt, quin vices effectivæ ſolutionis ſortita ſit, ad *Text. in l. 4. ff. qui potior. in pign. habean.*, & *l. dediſſe. 76. ff. de verbor. ſignific.*

Quibus unitim ponderatis, concludebant Domini, quod etiamſi creditum Pauli Æmilii conſiſteret pro ſorte, & fructibus in ſcu. 1470.,
6 adhuc tamen præmiſſæ partitæ pecuniarum receptarum cum obligatione de reſtituendo, & in compenſationem ejuſdem crediti exactæ, longè illud abſorbent, itaut hodie fruſtra petat, quod intus habet, neque contra cedentem poſſit habere regreſſum.

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 18. Februarii 1715.

ARGUMENTUM.

Hęc eſt confirmatoria alterius ſub die 3. Decembris 1714.

Augumentum legitimæ, quod fit favore maſculi de triente ad ſemiſſem ob exiſtentiam quatuor fæminarum, licèt à Statuto excludantur, quæque ob ingreſſum in Monaſterium renunciaſſent, non poteſt à Patre fideicommiſſi onere gravari.

SUMMARIUM

1 *Legitima ad ſemiſſem aſcendit, ſi ſint quinque filii, licèt quatuor eſſent fæminæ.*

2 *Fęminæ, licèt excluſæ, faciunt numerum pro augenda legitima favore maſculi.*

3 *Portio fęminarum, quæ illis à Statuto aufertur, an maſculis accreſcat; vel potiùs Patris hæreditati, qui fideicommiſſum inſtituiſſet, Rota tenet affirmativam pro filiis.*

4 *Pater, ſi ſub fideicommiſſo fæminas, & extraneos comprendiſſet, portio legitimæ maſculis adaucta ob exiſtentiam fæminarum, onere fideicommiſſi gravari non poteſt.*

5 *Fęminæ non ſimpliciter, ſed cauſativè propter maſculos à Statuto excluduntur.*

6 *Augumentum legitimæ, quod per excluſionem fęminarum debetur maſculis, onere fideicommiſſi à Patre gravari nequit.*

7 *Iſtud augumentum, reſpectu extraneorum, legitima dicitur.*

8 *Fideicommiſſum, quod per obitum maſculi in fœmina ſubſtituta purificatur, operatur, ut portio, quæ fęminis à Statuto aufertur, legitimę naturam retineat, & ſub ea gravamen imponi nequeat.*

9 *Exceptio, quę contra utrumque litigantem militat, à neutro opponi valet.*

10 *Hæreditas ab inteſtato debetur hęredi legitimo, eo ipſo, quod compareat, ſaltem cum obligatione de reſtituendo, quatenus alter hæres ſuperveniret, ſecùs in hęreditate debita ex teſtamento.*

DECISIO DCCCLXXX.

INter cętera bona, ad quæ competeret immiſſio Venerabili Monaſterio Sanctiſſimæ Transfigurationis Montis Rotundi ex perſona Annæ Victoriæ Caranza agentis ad conſucceſſionem Alexandri fratris cum illis de Capiciis cauſam habentibus ab Angela Margherita alia ſorore, connumerata extitit in Deciſione coram Me edita die 3. Decembris proximè præteriti legitima eidem Alexandro debita in bonis Scipionis communis Patris in ſemiſſe ob exiſtentiam quinque filiorum; quia verò petente Monaſterio Cauſæ expeditionem, oppoſuerunt defenſores illorum de Capiciis, quod augumentum dictæ legitimę à triente ad ſemiſſem proveniens ab exiſtentia filiarum fæminarum remaneret ſubjectum vinculo fideicommiſſi conditi à di-

cto Scipione Patre, & ipſorum favore purificati, placuit Dominis ſuper hoc Partes iterum audire; undè propoſui hodie congruum dubium, cui pro perſiſtentia *in deciſis* reſponſum fuit.

1 Poſito ſiquidem principio, quod cum de tempore obitus Scipionis quatuor adeſſent filiæ fæminę, & Alexander maſculus, legitima huic debita de triente ad ſemiſsē aucta fuerit, ad *Text. in Auth. noviſſima C. de in-*
2 *offic. teſtam.*, quia licèt illæ ſint excluſæ, adhuc numerum faciunt favore maſculi, ut benè firmant auctoritates in pręcedenti Deciſione allegatę §. *Quænam verò*, difficultas
3 in eo erat, an illæ duæ unciæ, quæ ultra trientem accreſcunt maſculo ob exiſtentiam dd. fæminarum à Statuto excluſarum, in hæreditate Patris remaneant, itaut cadant ſub fideicommiſſo ab iſto condito, vel liberæ jure legitimę tranſeant ad eundem maſculum, & in hoc articulo, omiſſa diſputatione, *an tale augumentum debeatur eidem maſculo uti Patris hæredi juxta deciſiones in Romana de Lantes* 2119. *&* 2158. *cor. Coccin.* vel potiùs filio, uti filio, juxta aliam *dec. in eadem cauſa cor. ſa. me. Clemente VIII.* 266. *par.* 1. *diverſor*, cui videtur adhæſiſſe *Rot. dec.* 499. *n.* 17. *p.* 18. *rec. to.* 2., Domini cum diſtinctione procedendum exiſtimarunt.

Aut enim fideicommiſſum, & gravamen impoſitum eſt favore ipſorum maſculorum, & procedunt citatæ Deciſiones Coccini, aut
4 gravamen, & fideicommiſſum, ſepoſito hoc maſculorum favore, compræhendit etiam fæminas & extraneos, & iſto caſu portio adaucta ob exiſtentiam fæminarum maſculo, non poteſt in prejudicium iſtius à Patre fideicommiſſo gravari, quia poteſtas Patris non eſt libera, ſed reſtricta ad commodum maſculorum de ſua agnatione, itaut reſpectu extraneorum, legitimæ naturam ſemper retineat, quemadmodum magiſtraliter firmat *Rota dec.* 147. *n.* 4. *cum ſeq. p.* 13. *rec.*

5 Et ratio eſt, quia Statutum Urbis fæminas non excludit ſimpliciter, ſed cauſativè ad favorem maſculorum, ut proſequitur *cit. deciſ.* 147. *ſub n.* 7. *p.* 13. *rec.*

Nos autem in hoc ſecundo caſu verſari
6 compertum eſt; Scipio enim Pater poſt obitum Alexandri filii ſubſtituit Margaritam filiam fęminam nuptam in aliena familia, atque ejus deſcendentes, & proindè iſtorum reſpectu etiam augumentum naturam habet legitimæ, ex prædictis, & etiam declarare videtur *ead. dec.* 2119. *n.* 24. *cor. Coccin.*, ubi
7 quod iſtud augumentum dicitur legitima reſpectu extraneorum.

Nec obſtat, quod fideicommiſſum ab initio radicatum fuerit in filio maſculo, ſcilicet in
8 Alexandro, quia cum, eodem maſculo defuncto, purificatum extiterit favore fæminæ ſubſtitutæ, à Statuto cætero quin excluſæ, excitatur natura legitimæ, quę favore maſculi, veluti ſopita, quieverat, & per remotionem obſtaculi redit ad priſtinam ſui naturam, & ſuum effectum operatur cujuſcumque oneris rejectivum, ut per hæc verba reſpondit *Rot. dict. dec.* 267. *n.* 7. *p.* 13. *rec.*

Et demùm non relevat, quod ex quinque hæredibus, Monaſterium repræſentet perſonam unius dumtaxat, undè quintam tantùm partem hujus legitimæ habere debeat. Ultra enim quod, & ipſi Capicii cauſam habent ab una tantùm perſona, propterea hæc
9 exceptio æquè contra ipſos militaret, itaut à neutro poſſit opponi, *Rot. dec.* 664. *nu.* 6. *p.* 19. *tom.* 2. *rec.* Difficultas ceſsat, quia cum
10 non agatur de hæreditate debita ex teſtamento, ſed ab inteſtato, eo ipſo, quod comparet hæres legitimus, & non probatur exiſtentia aliorum, cum equali jure hæreditas petenti debeatur, ad *Text. in l. unic.*, ibique *gloſſ.*, *& Doctores C. quando non peten. partes*, ſaltem cum obligatione de reſtituendo, quando alii ſupervenient, juxta deducta per *Rot. dec.* 448. *n.* 10. *cor. Duran.*, *dec.* 162. *n.* 4. *cor. Emer. jun.*, *dec.* 111. *nn.* 17. *p.* 13., *& in Peruſina reintegrationis* 20. *Junii* 1701. §. *ultimo cor. bo. me. Pio.*

Et ita utraque &c.

FAVENTINA FIDEICOMMISSI DE PASIIS.

Lunę 25. *Februarii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt duarum præcedentium confirmatoria, prima ſcilicèt ſub die 29. Januarii, & alterà ſub die 17. Februarii.

Tranſactio ſuper bonis fideicommiſsariis facta inter fideicommiſsarios hæredes, qui una cum bonis Fideicommiſsariis alia libera inter ſeſe diviſerunt, ſemper Fideicommiſſi remiſſionem importat, maximè ſi emanaſset, poſtquam à Sacra Rota ſuper expiratione Fideicommiſſi fuiſset judicatum.

SUMMARIUM.

1 *Recipiens aliquid pro extinctione litis ſuper Fideicommiſſo vertentem, in cauſam Fideicommiſſi recepiſſe dicitur*, & n. 12.

2 *Tranſactio tunc præexiſtentem titulum conſervat, quando iſte ſit in ſtatu conſervationis.*

3 *Limita, quando titulus præcedens cum illa non ſit compatibilis, & tunc novum titulum parit.*

4 *Poſſeſſio in tranſigentibus jus deſumit à Tranſactione, & à quovis alio titulo independenter.*

5 *Amplia, ſi tranſigentes de conſervatione primi tituli mentionem non feciſſent, quia fuiſſet cum tranſactione incompatibilis.*

6 *Tranſactio in ſequelam remiſſionis litium juſtè dicitur facta, &* num. 13.

7 *Fideicommiſſum dicitur expiratum, ſi adducatur tranſactio ſuper illius ceſſatione inita inter hæredes Fideicommiſſarios, quæ ſit illius deſtructiva, & bona fide ſequuta.*

8 *Tran-*

8 *Tranſactio inita ad reſecandas lites afficit etiam ſucceſſores proprio jure venientes.*

9 *Tranſactio ſuper Fideicommiſſo habens in ſe promiſſionem evictionis hinc inde eſt incompatibilis cum duratione fideicommiſſi, & illius remiſſionem importat*, & nu.11.

10 *Obſervantia eſt optima legum interpres quoad actus prudenter geſtos, & praecedenter volita.*

14 *Expiratio fideicommiſſi eſt favorabilior, quam illius prorogatio, quę in dubio, uti odioſa, ſemper excluditur.*

15 *Fideicommiſſum non praeſumitur vigens, relictum à Tranſigentibus, ex quo in diviſione unus majorem partem bonorum attigiſſet, quae citra titulum fideicommiſſi attingere non potuiſset, quando dicta major pars referibilis eſſet ad alia bona libera in tranſactione condiviſa.*

16 *Amplia, ſi in eadem tranſactione alia jura fuiſſent concordata cum ęquali diviſione, quae à fortiori remiſſionem fideicommiſſi important.*

17 *Subamplia, ſi tranſigentes à Fideicommiſſo condiviſo detractiones ſeparaſſent, & illud in ſtatu liquido ad effectum coequaliter bona dividendi firmaſſent.*

18 *Actus conſecutivè ad alium geſtus eodem jure regulatur, nec ad invicem deſtruuntur.*

19 *Fideicommiſſum à deciſionibus non probatur ſi accidentaliter tantum per narrativam facti illud in eis ſit expreſsam.*

20 *Deciſiones Sacrae Rotae per indirectum non ſunt revocandę, niſi priùs ex profeſso de earum viribus denuo queratur.*

DECISIO DCCCLXXXI.

FIdeicommiſsum ab Anibale de Paſiis inſtitutum, utpote reſtrictum ad obitum Bartholomaei in aetate pupillari, per ejus mortem, poſtquam pubes factus erat, expiraſse jamdiu deciſum fuerat in hoc Sacro Auditorio, ut ex *deciſ.136., & 473.par.4. diverſ.* Novam nihilominus ſuper illius exiſtentia, imo etiam purificatione, controverſiam modernis tēporibus excitavit Eques Jo.Franciſcus de Paſiis, primo coram Me, & deindè coram R. P. D. meo Criſpo contendens portionem bonorum illius obventam Canonico Fabritio, ſubjectam eſse eidem fideicōmiſso, itaut iſte in caſu obitus libere de ea diſponere non valeret, ſed duplici ſententia rejectus extitit, cumque in gradu ulterioris appellationis mihi cauſam iterum cōmitti curaverit, propoſui hodie dubium -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* -- ſed non meliorem exitum ſortitus eſt, dum Domini pro *confirmatione* reſponderunt.

Ad ſuſtinendam enim ulteriorem fideicommiſſi exiſtentiam nullatenùs concludere viſa ſunt Dominis, quae ex tranſactionibus poſt antiquas deciſiones coram Blanchetto, & Pāphilio aeditas, inter Alphonſum & Julium tunc contendentes ſtipulatis deducebantur, inhaerendo praeſertim regulae,

1 quod Alphonſus quicquid recepit pro extinguenda lite, in qua ipſe fideicommiſſi exiſtentiam tuebatur, recepiſse dicatur pro eodem fideicommiſso, juxta deducta *per Rot. dec.101. num.4., & 10. cor. Rhoyas, & dec. 1051. n.4., cor. Emerix. Jun. cum aliis latè allegat.*

Quandoquidem, praemiſso, quod illę initę fuerunt tempore, quo fideicommiſſi expiratio à noſtro Tribunali declarata jam fuerat, non una, ſed plures in contrarium regulae concurrunt pro illius ceſsatione eruenda ex ipſis tranſactionibus; iſtae enim de ſui natura

2 tunc praeexiſtentē titulū conſervant, quando ille eſt in ſtatu cōſervationis & cōfirmationis,

3 at quando è contra titulus praecedens non eſt conſervabilis, novum, & diſtinctum titulum

4 de perſe conſtituunt, ex quo tranſigentes independenter à quovis alio Jure poſſidere dicuntur, ex adductis in *deciſ. bujus cauſae 7. Maii anni praeteriti §. Verum objecti coram R.P.D. meo Criſpo.* Praeſertim ubi, prout hic, univerſus earum contextus de

5 conſervatione prȩexiſtentis tituli, qualis erat fideicommiſsum Annibalis, nullam fecit mentionem, imo nec quicquam fuit conventum, quod cum deciſionibus aeditis eſset incompatibile, prout omninò neceſsè fuiſset,

6 ne alias in earum ſequelam facta cenſeretur Tranſactio, ut notatum fuit in *dec. primae inſtantiae cor. Me 17. Februarii §. quibus, & 19. Junii 1713.§. abſque eo quod., & in alia dec.7. Maii 1714. §.Et quidem cor. R.P.D. meo Criſpo.*

Fortiùs vero procedunt haec omnia dum potius ex eiſdem tranſactionibus conſtat voluiſſe Partes bona ibidem deducta haberi pro liberis, & exemptis ab omni onere, & vinculo fideicommiſſi; ſi enim reſpiciatur prima anni 1596., iſta continet expreſsam

7 renunciationem à contrahentibus factam cuicumque fideicommiſso, tam purificato, quam purificando ex teſtamento Annibalis, unde nihil adduci poteſt clarius pro excluſione jurium Equitis Joannis Franciſci, cum illa adeo bona fide inita, & cauſam habens à praexiſtente lite, dubium non ſit, quin afficiat etiā ſucceſſores ex propria perſona venientes, ex plenè deductis *in Rom. Immisſionis 19. Januarii 1714. §.Conſtabilita coram Me, & in Firmanā Primogeniturae ſuper tranſactione 5. Februarii ejuſdem anni §. Et ſanè, cum pluribus ſeqq. pariter cor. Me*; ſi vero attendatur alia ſubſequens ſtipulata de anno 1605. occaſione qua Alphonſus aſſignavit Julio octavam partem bonorum Annibalis, & quartam haereditatis Bartholomaei, juxta obligationem in prima ſuſceptam, & iſta habet

9 in ſe ampliſſimam, & perpetuam evictionis promiſſionem, quae cum exiſtentia, & duratione fideicommiſſi eſt incompatibilis, imò parem illius remiſſionem importat, ut ponderant *deciſiones bujus, cauſae prima ſcilicet cor. Me §. Maxima quia, & altera cor. R.P. D. meo Criſpo §. Famulantibus.*

Nec minoris momenti eſt ſubſequuta ob-
ſervantia, juxta quam bona provenientia ab
10 hæreditate Annibalis, & Bartholomæi ha-
bita ſemper ſunt pro liberis, & exemptis à
quocumque onere, & vinculo fideicommiſſi,
hanc vero præ cæteris optimè demonſtrat
diviſio inter Fabritium, & Joannem Anto-
nium Actores colliitigantium facta de anno
1621., in qua proculdubio talia bona com-
prahendebantur, & tamen, ut obſervat pri-
ma *dec. cor. Me §. Subſequitur*, invicē divi-
dentes perpetuo de evictione ſeſe, & hære-
11 des obligarunt, cū clauſulis ampliſſimis, &
urgentibus expreſſionibus, unde patet, bona
diviſa in ſtatu libertatis conſiderata fuiſſe,
dum alias inanis remanſiſſet evictionis pro-
miſſio, & ipſa diviſio inæqualis fuiſſet, ut
probant auctoritates ibidem allegatę, *& in
Rom. Immiſſionis* 12. *Januarii* 1714. §. *Eo-
que potiſſimum cor. Me*.

Quibus poſitis, ceſſat jam principale fun-
damentum Equitis Joannis Franciſci, quod
12 quicquid ex tranſactione in tranſigentem
devenerit, deveniſſe præſumatur ex titulo,
quem ille in præexiſtente lite tuebatur. Eo
enim ipſo, quod talis titulus inſubſiſtens de-
13 claratus fuerat, recurrunt omnia ſupra-
dicta, & tranſigentes ad formam deciſio-
num proceſſiſſe cenſentur, cum præſertim,
14 expiratio fideicommiſſi ipſis eſſet favorabi-
lior, quam exiſtentia, quæ erat prorogatu-
ra, odioſum onus ſemper in dubio excluden-
dum, ad deducta per *Rot.dec.*255. *num.fin.
cor.Ottobon., dec.*79. *num.*17.*par.*18., *dec.*20.
*n.*31., *& dec.*340. *n* 5. *par.* 19.*rec.*, *& paſſim.*

15 Neque obſtat, quod Alphonſus fideicom-
miſſi defenſor in dicta lite fuerint per tranſa-
ctionem aſſequutus ſeptem ex octo partibus
bonorum Annibalis, quas non potuiſſet ob-
tinere, niſi fideicommiſſum ſubſiſteret, octa-
va tantum parte relicta Julio contradictori.
Nam omiſſis aliis reſponſionibus, pondera-
bant Domini ad excludendam erroneitatem
tranſigentium neceſſario dicendum eſſe,
quodultra fideicommiſſum alia adeſſent jura,
ſuper quibus tranſactum fuit, & quorum re-
ſpectu data fuit major pars bonorum, quam
dari poſſet pro fideicommiſſo, dum cętero-
quin Julius, qui favorabiles deciſiones obti-
nuerat, quatuor ſaltem partes habere debe-
bat; quod ſi igitur alia jura unitim cum fi-
16 deicommiſſo fuerunt concordata, tanquam
ejuſdem naturæ à tranſigentibus habita,
utique pro libertate omnium bonorum illos
ſtetiſſe dicendum eſt, ut objectum retor-
quendo, dictum fuit in *ſecunda dec.*19. *Iunii*
1713. §. *Præſertim coram Me, & melius in
alia* 7. *Maii* 1714.§. *In aliquo loco cor. R.P.
D. meo Criſpo*.

Minuſque relevat, quod in ipſamet tranſa-
ctione ſeparata fuerit hæreditas gravati ab il-
la fideicommittentis, & præviis Peritiis ha-
bita ratio ſuper detractionibus Bartholomęo
17 ſubſtituto competentibus; nihil enim ma-
gis fuit hujuſmodi actibus congruum, quam
pro rectè metienda tranſactione, & æquo ju-
re concordandis partibus firmare ſtatum, &
valorem bonorum prætenſi fideicommiſſi in
lite cadentium, & ſegregare hæreditatem
gravatam à detractionibus, ſuper quibus quę-
ſtio eſſe non poterat, ita diſtinguendo liqui-
dum ab illiquido, & indè normam deſumen-
do pro partium concordia faciliùs concluden-
da, non tamen ex hac ſeparatione argui ad
durationem fideicommiſſi, contra quam ſen-
ſerat Sacra Rota in memoratis deciſionibus,
& Partes ipſę, abſque ulla illius mentione
tranſigentes, ut de ſe patet.

Nullius denique roboris viſæ ſunt enuncia-
tivæ fideicommiſſi, & detractionum hujuſmo-
di in deciſionibus iſtius cauſæ coram bo. me.
Coccino, & Informationibus earum occaſio-
ne à partibus diſtributis, & in Laudo cla.me.
Cardinalis Matthei de eo tempore in actis,
& ſummariis exhibito. Quandoquidem reſ-
pectu Laudi, illud nihil ultra continere vi-
ſum eſt, quam executionem prædictę tranſa-
ctionis anni 1596., quod ſi, ut mox dictum
fuit, illa expreſſam continebat renunciatio-
nem, cuicumque fideicommiſſo Annibalis,
quomodò poterit ex iſto Laudo in ejus ſeque-
lam, & executionem lato argui fideicommiſ-
ſi ejuſdem progreſſus, & exiſtentia contra
18 regulam, quod actus conſequutivè ad alium
geſtus, eodem themate, & jure regulari de-
bet, nec unus poteſt in deſtructione alterius
reſultare, *Surd. conſ.*385. *n.*14.*&* 15., *Me-
noch.de præſumpt. præſ.*134. *nu.*26. *lib.*3., &
cum aliis *Rot. dec.*558. *n.*4 *p.*19. *tom.*2. *rec.*.
Reſpectu verò Deciſionū, & Informationum
coram Coccino non ſubſiſtit, quod cum ſup-
poſito exiſtentiæ fideicommiſſi proceſſum
19 fuerit; nam de illo nulla fit mentio, niſi ac-
cidentaliter occaſione narrationis facti, ne-
que in rei veritate quicquam de illo firmare
neceſſe erat, dum controverſia unicè conſi-
ſtebat in executione prædictarum tranſactio-
num, & ſi ſuper illo quæſtio contigiſſet, di-
verſimodè procedendum fuiſſet, per revoca-
tionem ſcilicet aliarum deciſionum, quæ à
noſtro Auditorio tam ſerie, & maturo exa-
20 mine priùs prodierant, neque adeò inciden-
ter revocari ſolent, *Rot. dec.*627. *n.*4., & *dec.*
638.*n.*22., *& ſeqq. p.*19. *rec. tom.*2. & paſſim
alibi.

His accedunt alia non minùs ſolida funda-
menta præcedentium reſolutionum, quæ
cum in prętereritis fuerint plenè comprobata,
& in pręſenti nihil relevans contra illa
deductum, Domini abſque neceſſitate ulte-
rioris examinis, ad alias deciſiones in cauſa
editas ſe remiſſivè habuerunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA AFFICTUS.

Lunæ 11. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc Deciſio partitarum diſpunctionem conti-
net inter Affictuarium, & Dominum, cuius
Argumentum habes in Summario.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Calculus exceſſivus, deteƈto errore, eſt reformandus.*

2 *Impræſtantia frumenti facta F.G. anno* 1699. *non poteſt referri ad recollectionem ejuſdem anni, ſed ad illam* 1700. *proximè accedentem.*

3 *Piſtores ſolent gratis dare quoſdam panes, qui vulgò dicuntur* l'Aggio di Pane, *mercatoribus frumentariis, ad hoc, ut eorum furno utantur.*

4 *Iſta donatio Mercatorùm commodo cadit, non Domini Tenutarum.*

5 *Compenſatio ſemel cum una partita admiſſa, cum altera fieri non poteſt.*

6 *Furtum eventum ſuper frumento, quod debitor Affictuarius in horreis Domini pro affictuum ſecuritate depoſuiſſet, ejus damno cadit, & non Affictuarii.*

7 *Dominus tenetur de negligentia proprii Miniſtri.*

8 *Partita ſemel approbata, amplius reprobari non poteſt.*

9 *Liber in partitis favorabilibus admiſſus, debet admitti in contrariis.*

10 *Confeſſio emiſſa à Creditore in judicio criminali contra ipſum probat etiam in judicio civili.*

11 *Liber privatus probat contra ſcribentem, non autem ejus favore contra tertium.*

12 *Notula exarata ad unum effectum, à Debitore ad diverſum trahi nequit.*

13 *Partita ſemel à Rota approbata, ſi in repropoſitione Cauſæ debitor de ea non loquatur, ab ipſo admiſſa præſumitur.*

DECISIO DCCCLXXXII.

GEminis ab Emo D. Card. Priolo, & à R. P. D. meo Aldrovando latis ſententiis, prævia contrapoſitione plurium partitarum, de quibus in deciſionibus, declaratum fuit Fulvios creditores remanere D. Principis in ſcut. 675.70. occaſione affictus Tenutarum *della Caſteluccia, e del Borghetto*, & & pro iis, tanquam plus debito, *relaxandum eſſe mandatum*; provocante eodem D. Principe ad Signaturam Juſtitiæ, commiſſa mihi fuit appellationis cauſa cum reſcripto -- *Conſtito de duabus* -- juxta quod propoſui hodie conſuetum dubium, & DD. *de illis conſtare* reſponderunt, præter quam quoad partitam pretii herbarum in ſcut. 300., ſuper qua voluerunt, quod particulariter videretur.

Et ſanè inſequendo ordinem deciſionis coram eodem R. P. D. meo Aldrovando editæ 13. Maii 1712., & omiſſa dicta partita ſcut. 300., quę ibi in ordine eſt prima, atque poſita ad partes etiam ſecunda ſcut. 215. pro rubris 43. frumenti, ut pote non controverſa, tertia conſiſtens in rubris 20. frumenti, & quæ impugnabatur à D. Principe, viſa fuit bonificanda Fulviis. Ipſis enim fuerant conſignata rubra 60. pro impreſtantia, ut conventum fuerat in ipſo inſtrumento affictus, & tamen erroneè fuerat calculata à Sanctino Miniſt. D. Principis in rub. 70, ut apparet tum ex computo ann. 1702., tum ex libris ejuſdem Sanctini *fol.* 1. *Avere*, quod cum in duplici anno evenerit, utique error irrepſit in ru-
1 bris 20., itaut reduci debeat impreſtantia ad minorem ſummam rubrorum 60. pro quolibet ex iiſdem annis, emendato errore, ex deductis per *Rot. dec.* 584. *nu.* 3. & 4. *p.* 19. *rec. tom.* 2.

Neque refert, quod in aliquibus annis, ut aſſerebant Defenſores Principis, impreſtantia fuerit etiam minor dicta ſumma, quia id potius retorquebatur, & coadjuvabat exceſſum, & injuſtitiam ſummę majoris, minuſque dictus error referri poterat ad unum tantum annum 1693., non ad alium 1699., quo fuerunt debito fratrum de Fulviis de-
2 ſcripta rubr. 60., quia hæc impreſtantia deſcripta ſub anno 1699. refertur ad annum 1700. proximè ſuccedentem, non ad antecedentes 1698., & 1699., ideoque ſeparari debent primæ ab iſta poſteriori, ut in dicta *deciſ. R. P. D. mei Aldrovandi* §. *Non ſubſiſtentes.*

Ita bonificandam Fulviis DD. exiſtima-
3 runt quartam partitam ſcut. 36. *peraggio* (ut dicitur) *di Pane*, quod nihil aliud eſt, quam quædam largitas Piſtorum, quæ fit ad alliciendos Mercatores, ut eorum Furno utan-
4 tur, & facilius inde Panem emant; undè ſi Fulvii fuerunt emptores, eorum commodo cedere debet, quamvis etiam pro pretio Panis fuiſſet Fidejuſſor D. Princeps, attenta præſertim ipſius Piſtoris declaratione, qua ſe hanc urbanitatem Fulviis, non autem D. Principi pręſtare voluiſſe profitetur, ut refertur in *deciſ. R. P. D. mei Aldrovandi* §. *Quartam partitam.*

Ejuſdem ſenſus fuerunt etiam reſpectu quintæ concernentis pretium duorum Equorum, quod deberi exiſtimarunt, non attenta exceptione compenſationis cum pretio herbarum, quibus pro depaſcendis ſuis equis
5 uſi fuerant Fulvii, ſemel enim hæc compenſatio facta jam eſt in partita ſcut. 164.20., ut in *deciſ. Emi D. Prioli* 23. *Januarii* 1711. §. *Favore*, ideoque iterum compenſari non debet, ad *Tex. in l. bona fides ff. de reg. Jur.*, & præter *relat. in deciſ. mox cit. R. P. D. Aldrov.* §. *Quinta*, dictum fuit *in Romana Cenſus* 11. *Januarii proximè pręteriti* §. *Hinc uſque cor. Me.*

Ultra ſextam, quam Partes non impugnabant, ſeptima quoque ſcut. 150. 50. pro pretio rubr. 21. frumenti, quæ fuerunt furto ſubtracta ex horreis D. Principis, favore il-
6 lorum de Fulviis connumerata fuit, quia cum dictum frumentum depoſitum ab illis, fuiſſet penes eundem D. Principem, iſte procul dubio de eo rationem reddere debet, tum quia tenebatur rectè cuſtodire, itaut
7 etiam ex negligentia Miniſtrorum ad cuſtodiendum deputatorum, ipſe remanſerit obligatus, ad *Tex. in l. damnum ibique gloſſ. ff. de*
8 *reg. Jur.*, tum quia pluries hanc partitam approbavit, undè non poteſt amplius illam controvertere, juxta aliam regulam *Text. in l. quod*

l. quod ſemel ff. eod. tit., ut proſequitur *cit. dec. R. P. D. mei Aldrovandi §. ad ſeptimam.*

Super octava partita, quæ reſpicit rubr. 80. frumenti, ex quibus jam rubr. 18. habuiſſe admittunt Fulvii, itaut reſtringatur ad rubr. 62., opponebant Scribentes pro D. Prin-
9 cipe, quod Fulvii ad probandum hujus frumenti depoſitum penes ipſum Principem ſe fundant in libro Sanctini, in quo eſt etiam adnotata reſtitutio, undè ſi eo libro in parte favorabili utuntur, debent etiam in alia præſeferente reſtitutionem approbare, maximè quia concordat cum dicto libro notula ſcripta manu Joannis Fulvii unius ex Aſſictuariis. Placuerunt tamen DD. reſponſiones, cum quibus etiam in præteritis proceſ-
10 ſum fuit, quod nempè depoſitum probatur ex alia confeſſione ejuſdem Sanctini emiſſa occaſione recuperandi furtum frumenti ſibi factum à Bajulo, quæ confeſſio eſt ſeparata à dicto libro, & licèt emiſſa in judicio criminali, probat tamen etiam in civili cum illius vigore obtinuerit condemnationem contra
11 Furem. Ultra quod eſt regulare, quod hujuſmodi libri privatarum perſonarum probant optimè contra Scribentes, non autem illorum favorè contra Tertios, *Genua de ſcript. priv. lib. 5. q. 9. tit. de Scartafacciis n. 4., Rot. cor Card. Cerr. dec. 76. num. 7., & dec. 734. n. 6. & paſſim.*

Notula verò à dicto Joanne exarata, ultra quod non eſt ſuſcripta, reſpicit ſolam qualitatem, & quantitatem frumenti depoſiti penes Principem, ejuſque Miniſtros, neque de ejus reſtitutione verbum facit, undè tan-
12 quam ad unum effectum emiſſa, ad alium trahi non poteſt, *Rot. dec. 391. n. 11. coram Celſo*, & alii relat. in *d. dec. R. P. D. mei Aldrov. §. Fortius.*

Quoad nonam partitam ſub hoc dubio comprehenſam, & admiſſam pro Fulviis in
13 ſcut. 850., cum partes nihil de novo deduxerint, approbarunt Domini fundamenta præcedentium deciſionum, & præſertim ultimæ mox citatæ R. P. D. Aldrovandi, in qua etiam reſpectu aliarum, de quibus ſupra, objectis D. Principis plenè ſatisfacit.

Et ita ſuper octava partita, ſuffragium ferentibus Quinto & Sexto, reſolutum fuit utraque &c.

ROMANA JAFFICTUS SUPER DUOBUS PARTITIS.

Lunæ 11. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Depoſitarius duarum ſpecierum frumenti, boni, ſcilicet, & inferioris, ejuſdem qualitatis illud reſtituere tenetur, nec poteſt unam ſpeciem cum alia miſcere, neque pro bono inferius reſtituere.

SUMMARIUM.

1 *Depoſitarius tenetur penes ſe depoſitata Domino reſtituere.*

2 *Depoſitarius boni frumenti, & mercantilis, non poteſt inferioris ſpeciei ab eo, quod recepit alterum reſtituere.*

3 *Depoſitarius, ſi per diſtincta depoſita frumentum bonum, & inferius recepiſſet, non poteſt in reſtitutione unam cum altera qualitate illius miſcere, hoc eſt pro bono malum reſtituere.*

4 *Diverſitas eorundem depoſitorum probatur ex calculo inter Dominum, & Aſſictuarium facto diſtinctivè inter unam & aliam ſpeciem.*

5 *Qualitas frumenti probatur per teſtes formiter repetitos.*

6 *Teſtes licèt viles, & concives, favore inducentis admittuntur circa res, quæ ipſis tantùm innoteſcunt, & proprium eorum factum concernentes.*

7 *Teſtes viles contra inducentem concludentiſſimè probant.*

DECISIO DCCCLXXXIII.

Servando diviſionem partitarum, cum qua in præcedenti inſtantia coram R. P. D. meo Aldrovando pro meliori rerum, adeò involutarum, dilucidatione proceſſum fuit, contemporaneè cum dubio, complectente novem partitas, propoſui hodie etiam aliud -- *An conſtet de duabus conformibus quoad partitas rubr 40. anni 1699., & rubr. 35. anni 1704.*, quæ in ordine cum aliis ſunt decima & undecima, fuitque reſponſum *Conſtare de duabus.*

Etenim actio contra D. Principem pro dictis rubr. 40 frumenti, ejuſque pretio in ſcutis 236. clarè reſultat ex depoſito facto penes eundem à Fulviis rubror. 240., ex quibus cum reſtituerit ſolum rubr. 200., du-
1 bium eſſe non poteſt, quin ad integram reſtitutionem reſidualium 40. teneatur, ut *tot. tit. ff. depoſiti.*

Nec relevat, quod ultra dd. rubra 200. reſtituerit D. Princeps etiam alia rubra 34., ita ut creditum Fulviorum in hac parte reſtrin-
2 gatur ad rubr. 6. Quoniam depoſitum factum à Fulviis fuit de Frumento optimæ qualitatis, & expurgato, dd. verò rubr. 34. illis reſtituta, erant diverſæ ſpeciei, nempè *di Cappiame*, quod frumentum eſt immundum, & lutulentum, & longè inferioris notæ, adeout minimè cedere poſſit in excomputationem alterius ſpeciei frumenti mercantilis,
7 & mundi; præſertim attento quod Fratres de Fulviis unam, & alteram ſpeciem diverſam diſtinctè, & ſeorſim conſueverant deponere, ut patet ex computo anni 1701., undè D. Principi depoſitario licitum non erat unā cum alia immiſcere, & unam pro alia reſtituere.
4 Comprobat hanc diverſitatem depoſiti, & reſtitutionis calculatio ſeorſim inter Partes facta de una & altera frumenti ſpecie, itaut indè evidenter pateat, quod rubr. 34. *di Cappiame* non poſſunt eſſe unum & idem cum rubr. 40. frumenti mercantilis, nunquam Fulviis à D. Principe reſtitutis, neque bonificatis, ut fieri debebat, ut advertit *deciſ.*

ciſ. ſuper his duabus partitis 13. *Maii* 1712. §. *Non ſuffragante cor. R. P. D. meo Aldrovando.*

Hanc itaque DD. partitam cum aliis, de quibus in contemporanea mea deciſione, favore illorum de Fulviis numerandam cenſuerunt. Neque diſparis fuerunt judicii reſpectu undecimæ ſcut. 122. 50. provenientium ex alio depoſito anni 1704. rubror. 35.

5 *di Cappiame*, *e Conciatura*, optima enim ejus probatio habetur ex teſtibus formiter examinatis.

6 Fruſtra verò conabantur Defenſores D. Principis horum depoſitionem excludere, tum quia etiam ſi ſint perſonę viles, & Fulviorum Concives, adhuc dum deponunt de re penes ipſos acta, & ſolis ipſis poſſibiliter nota, plene probant, ex deductis *in Romana, ſeu Sutrina Confinium* 10. *Decembris* 1714.

7 §. *Non obſtante cor. Me*, tum quia præſcindendo etiam à Teſtibus adductis pro parte illorum de Fulviis, adſunt alii per ipſum D. Principem inducti, contra quem propterea ſuperlativè probant, ex *gloſſ. in l. de Teſtibus verb. excipere C. de Teſtibus cum aliis Adden. ad Gregor. dec.* 215. *nu.* 4. *verſ. ſi tamen*, *& in deciſ. mox cit. R. P. D. mei Aldrovandi* §. *fin.*

Et ita ſuffragium ferentibus ſuper utraque partita Quinto & Sexto ex Dominis, & Partibus auditis &c.

ASCULANA EVICTIONIS.

Veneris 15. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Mater una cum Viro ſolidaliter pro evictione obligata in dote filiæ conſtituta ſemper ſubſtinetur, vel habeat relevationem ſuper bonis ejuſdem Viri, vel non, cum iſto caſu in ſubſidium ad eam dotandum teneatur. Reliqua in hac deciſione contenta ſequens explicat.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus de evictione, ea ſtatim ſequuta, ad quanti intereſt tenetur, cum dicatur commiſſa ſtipulatio.*

2 *Emptores litium, earumque ceſſiones procurantes, ſubiacent cenſuræ textus in l. per diverſus.*

3 *Creditum clarum à cedente jàm in judicium deductum, ſi cedatur, hujuſmodi non ſubiacet cenſuræ, & Ceſſionarius valide agit.*

4 *Donatarius poteſt omnia jura, quæ ſub donatione cadunt, exercere.*

5 Pragmatica *Civitatis Aſculi prohibet dotes excedere florenos* 2500.

6 *Ut habeat locum in dote æſtimata, probari debet, quod valor bonorum dotalium eandem ſummam excedat.*

7 *Cataſtrum rerum, bonorum valorem non probat.*

8 *Amplia, ſi ageretur de redarguendo de errore aliquem contractum.*

9 *Subamplia, ſi Cataſtrum fuiſſet confectum, quinquaginta annis ante ipſum contractum.*

10 *Valor ſtabilium ex lapſu temporis variatur, & minuitur, nec de uno tempore ad aliud valet illatio.*

11 *Derogatio Apoſtolica ex lapſu temporis in conſtitutione dotis exceſſivæ relata præſumitur, & ſumma facilitate conceditur,* & n. ſeq.

13 *Defectus derogationis non valet opponi in Civitate Aſculana ratione ſtyli in ea vigentis ob clauſulas præſervativas illius, quæ in inſtrumentis ſolent apponi.*

14 *Obligatus de evictione ſubſidiariè, non tenetur damnum corrigere, niſi prius debitor principalis excutiatur.*

15 *Limita, ſi eſſet ſolidaliter obligatus.*

16 *Mulier validè ſe obligat pro debito ſpectante ad Virum, ſi ſuper ejus bonis relevationem habeat.*

17 *Mater in ſubſidium tenetur dotare filiam, quando Vir, & Pater reſpectivè non ſunt ſolvendo.*

18 *Fructus regulari debent ſecundum taxam legalem.*

19 *Creditor petens id, quod ex alio titulo reſtituturus eſt, repellitur per exceptionem deſumptam à* l. Vindicantem.

20 *Obligatio Cameralis juvat omnes intereſſe habentes.*

21 *Donatarius, qui ſibi donantis debita accollavit, iſtius bona ſimul retinere nequit, & ſimul ſolutionem illorum retardare.*

22 *Donatio univerſalis, ex quibus verbis deducatur.*

23 *Bona, quæ ſibi donans reſervavit ad effectum teſtandi, ſi inteſtatus decedat, ſub donatione cadunt.*

24 *Coobligatus ſimpliciter in contractu, pro ſua tantum virili tenetur.*

25 *Circuitus inanis à jure reprobatus, eſt de medio ſemper tollendus.*

DECISIO DCCCLXXXIV.

Deciſionem coram Me editam 19. Februarii anni præteriti, in qua dictum fuit, mandatum ab A. C. favore Horatii relaxatum exequendum eſſe, ſed novum, quod ipſe petebat contra Conſtantiam non eſſe relaxandum, ambo collitigantes in partibus ſibi contrariis impugnarunt, Domini vero *in deciſis in omnibus* perſiſtendum eſſe cenſuerunt.

Retenta ſiquidem facti ſerie latè expoſita in d. mea deciſione, cum Horatius cauſam habeat ab Horpheo de Turre, & Emigdia

1 Soderina Coniugibus, quorum favore Maria Pariſana in ſolidum cum Petro Antonio, & Dominico filiis, & d. Emigdiæ reſpectivè fratribus bona in dotem data ſemper tueri, ac manutenere ſpoponderant, utique ſtatim ac dd. bonorum evictio ſequta eſt, commiſſa dicitur ſtipulatio, & proindè jure merito contra Conſtantiam, d. Marię Pariſanæ hęredem relaxatum fuerit mandatum, *per text. in l. evicta re ff. de evict.*

Et

Et fruſtra Conſtantia iterum impugnabat
2 ceſſionem per Actorem à dd. Coniugibus de
Turre reportatam, uti obnoxiam cenſuræ,
*text. in l. per diverſas, & l. ab Anaſtaſio C.
Mandati*, & dotationem Emigdiæ uti ex-
ceſſivam ratione pragmaticæ Civitatis Aſ-
culi.

Quo enim ad ceſſionem, in illa locum habe-
re non poterat diſpoſitio dd. legum unicè di-
rectas ad coercendas pravas eorum cupidi-
tates, qui ut alios injuxtè vexent, lites re-
dimunt, & ceſſiones expiſcant, quia credi-
tum ceſſum clarum, & liquidum eſt, & præ-
cedenter fuerat à cedentibus in Judicium
3 deductum, itaut ad inſtar aliarum rerum
per ceſſionem acquiri poſſet, *lat. Olea de
ceſſ. jur. lib. 6. q. 10. nu. 60., Rot. dec. 394.
n. 9. p. 11. rec., & in Romana, ſeu Farphen.
cenſus 7. Martii 1712. §. Ejuſdem coram
R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Guberna-
tore cum aliis allegat. in dec., quæ revidetur
§. leviori*. Ultra quod, etiamſi deficeret ceſ-
ſio, adhuc ſubſiſteret favore ejuſdem Hora-
tii alter titulus donationis, quam à Corrado
filio & hærede dd. Coniugum reportavit, &
4 illius vigore eandem poſſet actionem inten-
tare, ut proſequitur eadem mea dec. loco
citato.

Quo verò ad dotem Emigdiæ, cujus cre-
ditum ceſſum fuit, exceſſivitas non ſubſiſtit,
5 quia cum ex Pragmatica Civitatis Aſculi
cautum ſit, ne dotes excedant ſummam Flo-
6 renorum 2500. ad irritandum ex hoc capite
donationem jamdiù ſequutam non in quanti-
tate, ſed in ſpecie abſque æſtimatione fa-
ciente emptionem, & venditionem, neceſ-
ſe eſſet rigoroſis probationibus demonſtrare,
quod valor bonorum dotalium ſummam
præſcriptam excederet, ex firmatis in puncto
*per Rot. dec. 260. n. 13. p. 15. rec., & in Aſ-
culana dotis 14. Iunii 1709. §. Sublata coram
Emo D. Card. Priolo*.

Hæc autem probatio hactenus adducta
7 non fuit; ſi enim reſpicimus Cataſtrum, &
iſtud ultra regulam generalem, quod valo-
8 rem non probat, præſertim ad arguendum
errorem in contractu, *Rota cor. R. P. D.
meo Anſaldo dec. 92. n. 34., & dec. 390. n. 13.
p. 17. rec.*, cum fuerit cofectum anno 1619.,
& ſic quinquaginta, & ultra annis ante em-
9 ptionem, non meretur allegari, *ad text. in
l. pretia rerum ff. ad leg. falcid., Rota dec.
16. n. 14. p. 19. rec., cum aliis in Arimi-
nen. legitimæ 8. Iunii 1714. §. Neque coram
Me*; ſi vero reſpicimus Inſtrumentum em-
ptionis Prædii *di Caſtorano*, & hoc fuit ini-
tum anno 1656., & ſic longè poſt conſtitutio-
10 nem dotis, quo medio tempore potuit pre-
tium variari, neque ſuper eo poteſt funda-
mentum conſtitui, maxime quia alia poſte-
rior concurrit ejuſdem Prędii alienatio prò
longè minori ſumma.

Sed etiam ſi de iſto exceſſu plenè conſta-
ret, adhuc pro ſubſtinenda dotis conſtitu-
tione aliæ ſuppeterent rationes, quia ſcili-
11 cet, vel ex lapſu adeo longi temporis, quo
illa impugnata non fuit, prędumeretur ob-
tenta derogatio Apoſtolica, quæ paſſim, &
12 ſumma facilitate conceditur, *de Luc. de
dot. diſc 143. n. 14., & ſeq., aliique in prę-
cedenti dec. §. Adſtipulatur*, & præter eos
*Rot. cor. Royas dec. 117. n. 25., & dec. 102.
n. 8. p. 8.*, vel ob clauſulas præſervationis de
13 ſtylo Civitatis Aſculi in quibuſcumque do-
tium inſtrumentis apponi ſolita, etiam hodiè
poſſet obtineri, itaut non liceat ex illius de-
fectu dotis aſſignationem de nullitate, aut
exceſſivitate redarguere, ut probat in pun-
cto *Rot. in Aſculana dotis 27. Iunii 1681. §.
finali cor. bo. me. Rondinino, & in Romana,
ſeù Aſculana dotis 5. Iulii 1692. §. Urgebit
cor. bo. me. Pio*, cum quibus objecto reſ-
pondet eadem mea deciſio §. *Et tandem*.

Paris inſubſiſtentiæ DD. viſa ſunt ea, quæ
rurſùs deducebantur circa obligationem
Mariæ Pariſanæ ad effectum oſtendendi,
quod eſſet merè ſubſidiaria, & fidejuſſoria,
14 itaut ad evictionem Conſtantia ejus hęres
non teneretur, niſi in defectum Petri Anto-
nii, & Dominici Fratrum, qui fuerunt etiam
Patris hęredes, ideoque principaliter ad do-
tandam Emigdiam erant obligati. Quoniam
præter alias reſponſiones, quas hodiè de
novo adducebat Horatius ad refundendum
totaliter in Conſtantiam qualitatem hæredi-
tariam Patris, removet objectum littera ip-
15 ſius obligationis, juxtà quam ſeſe prædic-
ta Maria Pariſana debitricem conſtituit ęquè
principaliter, & in ſolidum, & ampliſſimam
evictionis promiſſionem emiſit, quæ ſanè
exuberant, ut ex ea poſſit agi contra ejus hę-
reditatem, *Rot. poſt Zach. de oblig. Camer.
dec 118. n. 8. cor. Emer. jun. dec. 1292. nu-
mero 5.*

Neque neceſſe eſt altiorem aſſumere in-
ſpectionem; an ea fuerit ſubſidiaria, vel non;
& ad quem onus donationis principalius per-
tineret, quia ut dictum fuit in deciſione, quę
revidetur §. *Eoque potiſſimum*, aut de tem-
pore ſuſceptæ per Matrem obligationis ade-
16 rant bona Viri, & ſuper illis relevationem
conſequi poterat, itaut validè ſe obligaverit,
ut plenè cum aliis probat *Rot. dec. 149. n. 21.
poſt. Conſtant. ad Stat. Urbis, & deciſ. 193.
17 n. 3. p. 12. rec.*, aut bona Viri, & reſpectivè
Patris non aderant, & hoc caſu dubium non
eſt, quin illa ad onus dotandi filiam de pro-
prio in ſubſidium teneretur, benè *Card. de
Luc. de dot. diſc. 29. n. 5., & diſc. 142. n. 52.,
Rota cor. Coccin. dec. 77. n. 5.*

Demum quoad fructuum condemnatio-
nem in mandato A. C. comprehenſam, inanis
fuit hodierna oppoſitio reſpectu liquidatio-
18 nis, quia cum proceſſum ſit cum taxa lega-
li, legitimè liquiditati fuerunt, *ad Gloſ. in
auth. perpetua verb. juſta C. de Sacr. Eccleſ.,
Rota dec. 295. n. 9. p. 18. rec., & in Eugu-
bina bonorū ſuper fructibus 17. Martii 1713.
§. Summa vero cor. R. P. D. meo Criſpo cum
concordan.*

Deſcendendo nunc ad ſecundam reſolu-
tionis partem, in qua pariter DD. ſteterunt

in

in deciſis favore Conſtantiæ, repelli viſus eſt
19 Horatius exceptione *L. vindicantem ff. de evict.* Cum enim Petrus Antonius alter ex coobligatis in dotatione, ſucceſſivè tranſactionem iniverit anno 1694. cum Dominico fratre, in qua aſſumpſit onus ſub obligatione Camerali reintegrandi Emigdiam Sororem de evictione paſſa in bonis, ſeu Vinea Folignani, utique idem Horatius d. Petri Antonii perſonam repræſentans ex univerſali donatione, quam ab iſto reportavit, ad reintegrationem Conſtantię, ſaltem pro medietate teneretur, ideoque ſtatim reſtiturus eſſet, quod petit, nec propterea poteſt obtinere, *Rota in Romana, ſeu Ianuen. dotis 3. Iulii 1711. §. Omnemque coram Rmo. P. D. meo Molines Decano, cum aliis in ſæpedicta mea deciſione §. Atque hinc.*

Nec relevat, quod obligatio emiſſa in tranſactione reſtricta ſit ad favorem Dominici fratris contranſigentis, ideoque prodeſſe
20 non poſſit Conſtantiæ. Quoniam cum illa munita ſit obligatione Camerali, quæ ſtipulationem importat pro omnibus, quorum intereſt, ex ea quæſitum jus fuit etiam Conſtantiæ, ab Emigdia evictionem paſſa, cauſam habenti, ut præter allegatos in d. deciſione §. *Altera*, *Rota poſt Conſtantin. ad Statut. Urbis dec. 36. n 9., cor. Dunozz. jun. dec. 279. n. 5., & p. 12. Rec. dec. 221. n. 9.*

Minuſque obſtat, quod idem Petrus Antonius ſeſe obligaverit tanquam Patris hæres, & proptera deficientibus bonis paternis, ejus obligatio reſolvatur, & ceſſet. Dicta enim obligatio ſimpliciter, & abſolutè ſuſcepta nullam relationem præſefert ad qualitatem hæreditariam Patris, neque defectus bonorum Paternorum juſtificatur, & cum
21 Horatius in donatione ſibi ab illo facta in ſe donantis debita accollaverit, utique etiam nō attēto, quod quis poſſideat bona Patris, nō valet bona donata retinere, & oneris ſuſcepti adimplementum protrahere, ut proſequitur eadem mea deciſio §. *Et poſtrema*, *Cyriac. contr. 128. n. 72., & ſeqq.*, *Rot. deciſ. 408. ſub n. 20. p. 16. rec., & ibi allegat.*

Ex facto itidem ceſſat aliud objectum,
22 quod ipſe Horatius non fuerit donatarius univerſalis d. Petri Antonii, ideoque ejus perſonam repræſentet. Obſtat enim clara littera ejuſdem donationis, quæ comprehendit omnia, & ſingula bona ſtabilia, mobilia, actiones, jura præſentia, & futura, & etiam Juſpatronatus, itaut major univerſalitas dari non poſſit, tam attenta latitudine dd. verborum, *ad text. in L. Iulianus in princ. ff. de legat. 3., l. hoc articulo ff. de hered. inſtit., & in cap. ſolitæ de majorit., & obedient.*, tum etiam attenta declaratione, quod donatarii non tenerentur ultra vires
23 bonorum donatorum, & quod ſi donans eis bonis reſervatis ad effectum teſtandi non diſponeret, hæc etiam in donatione comprehenſa cenſerentur, optimè *Rot. dec. 277. n. 7., & ſeqq. cor. Emer. jun.*, & alii adducti in dec., quæ confirmatur §. *Prima namque.*

Eadem ratione DD. cenſuerunt *non eſſe locum relaxationi novi mandati quoad Apothecam*, ideoque etiam in hac parte *ſtandum in deciſis*, quia licet iſtius reſpectu nullam particularem obligationem emiſerit Petrus Antonius, adhuc tamen, cum Horatius
24 agat vigore obligationis emiſſæ in capitulis matrimonialibus, hæc eumdem Petrum Antonium, utpote ibidem coobligatum, afficit, itaut conſiderari debeat tanquam Correus debendi, & dum ob titulum præfatæ donationis Petri Antonii jura in Horatium tranſierunt, iſte conſequenter pro ſua ſaltem rata teneatur, *ad text. in L. Creditor C. de duobus reis cum cæteris relat. dec. 344. n. 1. p. 18. rec.*, recurratque cenſura *text. in d. l. Vindicantem ff. de evict.*, juxta quam actio propoſita contra ipſum retorquetur, & inanis incurreretur circuitus, quem jura noſtra ſemper abhorruerunt, *Rot. dec. 393. nu. 8. p. 19. rec., & dec. 607. nu. 20. eadem p. 19 rec. to. 2.*

Et ita utraque &c.

ASCULANA LIBERATIONIS A MOLESTIIS.

Veneris 16. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Adimplementum obligationis in caſu evictionis promiſſum ab eo, qui ſua bona univerſaliter donavit, ad ejus donatarium, tamquam univerſalem hæredem tranſmittitur.

SUMMARIUM.

1 *Donatarius univerſalis tenetur de obligationibus à donante factis, cum ejus perſonam in omnibus repræſentet.*

2 *Amplia, ſi in donationis inſtrumento omnia donationis bona ſe ſoluturū promiſiſſet, & lites paſſivas in ſe aſſumpturum.*

3 *Maritus habens obligatos pro dote ſolidaliter Socrum, & Cognatos, quærere non tenetur ad quem dotandi onus pertineat, ſed unumquemque ſingulariter perſequi poteſt.*

4 *Coobligatus de evictione ſimpliciter, eveniente caſu, pro ſua tantum rata tenetur.*

DECISIO DCCCLXXXV.

QUemadmodum Domini in altera contemporanea mea deciſione ſuper evictione à Conſtantia præſtanda pro medietate Prædii *di Tolignano*, & tribus ex quatuor partibus medietatis Apothecæ favore Horatii de Graſſis *ſtandum in deciſis* reſponderunt, ita etiam cenſuerunt reſpectu liberationis ab hujuſmodi moleſtiis, quam eadem Conſtantia conſequutura eſt à Philippo de Joannettis univerſali condonatario Petri Antonii de Sodarinis, qui dictam evictionem, non ſolùm æquè principaliter, & in ſolidum promiſerat in capitulis matrimonialibus Emigidiæ Sororis, verùm etiam in-

tranſactione inita anno 1694. cum Dominico fratre altero ex coobligatis ſpeciali pacto in ſe aſſumpſerat.

Approbarunt propterea fundamenta deciſionis æditæ 19. Februarii 1714., in qua dictum fuit *eſſe relaxandum mandatum juxta modum*, nempè pro medietate Bonorum de *Toligniano*, & pro una ex quatuor partibus medietatis Apothecæ, & quoad dicta bona ratio reſolutionis iterum fuit in eo, quod & ſi in promiſſione dotis favore Emigdiæ, ſeſe in ſolidum obligaverint Petrus Antonius, & Dominicus ejus fratres, & Maria Pariſana Mater Conſtantiæ auctrix, cum ta-
1 men ſubindè in dicta tranſactione idem Petrus Antonius eamdem Emigdiam de evictione jam ſequuta, reintegrare promiſerit, utique, dum Conſtantia, ob non implementum hujus obligationis, moleſtias patitur ſuper hæreditate Mariæ Pariſanæ Matris, ſummo jure liberationem petit à Joannetto, qui in figura condonatarii univerſalis pro dimidia repræſentat Petrum Antonium ad dictam reintegrationem obligatum, *Card. de Luc. de donat. diſc.45. num.11.*, *Rota coram Emer. dec. 1273. num.2., cum aliis in dec. quę revidetur* §. *Reſpectu*. Maximè quia idem
2 Joannettus una cum Horatio condonatario in Inſtrumento donationis præciſè ſe obligavit omnia donatis debita dimittere, & lites paſſivas in ſe aſſumere, unde multò fortius liberationem à moleſtiis ex facto ſui auctoris illatis ſubire debet, ut proſequitur eadem deciſio §. *Tantoque magis*, & notat etiam contemporanea *ſuper evictione* §. *Minuſque*

Neque hic repetere fas eſt objecta, quod obligatio in tranſactione ſuſcepta à Petro Antonio reſpicit favorem Dominici contranſigentis tantùm, & correſpectivè ad hæreditatem Paternam emiſſa fuit, quodque onus dotandi ad Mariam Pariſanam Matrem principaliter pertinebat. Quoties namque clara
3 eſt littera Capitulorum matrimonalium Emigdiæ, in quibus Mater in ſolidum, & æque principalitèr cum fratribus dotem conſtituit, & bonorum dotalium evictionem promiſit, fruſtrà quæritur ad quem principalius onus dotandi pertineret, ex deductis in contemporanea deciſione §. *Paris inſubſiſtentia*, & *ſeq.* Quo vero ad reſtrictionem obligationis, ejuſque correſpectivitatem ad hæreditatem Prioris, plenè pariter ſatisfacit eadem deciſio §. *Minuſque obſtat* juxta ibi deducta in excluſionem Horatii condonatarii ejuſdem Petri Antonii.

Reſpectu demum Apothecæ, ſimiliter Dominis ſubſiſtere viſum eſt, quod ſicut in pri-
4 mæva obligatione inita in Capitulis Matrimonialibus, quilibet ex correis debendi inter quos eſt etiam prædictus Petrus Antonius Auctor Joannetti, teneatur pro ſua quota, ut in dicta alia deciſione §. *final.*, ita per conſequens eadem Conſtantia, etiam in hac moleſtia pro quarta parte liberari debeat per Joannettum, ut dictum fuit in deciſione, quę revidetur §. *fin.*

Et ita utraque &c.

ROMANA EXPURGATIONIS FOVEI.

Lunę 18. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 19. Junii 1713.

Foveus non manu factus, ſed communis, ſumptibus communibus adiacentiū expurgandus eſt, licet unus ex illis haberet fundum, qui non per totam fovei longitudinem ſe protenderet, nec expurgandus eſt ratione vicinitatis in communi, ſed ratione aquarum defluentium ſivè à longè, ſivè propriis ex adjacentium tenutis.

SUMMARIUM.

1 *Foveus ex quibus probetur, quod non ſit manufactus.*

2 *Non manufactus requirit, ut comuniter ab Adjacentibus Poſſeſſoribus expurgetur.*

3 *Probatio per acceſſum Judicis, & loci viſionem, omne probationum genus evincit.*

4 *Confine, ut ex denominatione, quam habet indentificè verificetur, probari debet in omnibus ſuis partibus à denominatione deſumptis.*

5 *Acceſſus concludentiſſimè probat contra illum, ad cujus inſtantiam factus fuiſſet.*

6 *Foveus communis non eſt expurgandus ab Adiacentibus ratione adiacentiæ, ſed ex quo eorumdem aquæ in illum deſcendant.*

7 *Amplia, ut teneatur etiam ille, qui dat cauſam ſivè proximam, ſivè remotam regurgitationi ob non expurgationem in bonis vicini.*

8 *Foveus ſi reſecet Tenutam Seii, ad illius expurgationem omnes tenentur, licet non confinent per univerſam fovei longitudinem.*

9 *Stagnatio aquarum oritur in fundo ſuperiori, ſi inferior ſitus, ubi aquæ defluunt, ex immunditis altior fiat.*

10 *Effectus ſemper ad ſuam cauſam refertur.*

11 *Argumentum ex rei experientia deductum, facit concludentem probationem.*

12 *Examen Teſtium ſequutum re ampliùs non integra, quà de cauſa veritas nequeat amplius commodè haberi, non attenditur.*

13 *Amplià, ſi fuiſſent examinati non citata Parte, ac pendente lite expiſcati.*

14 *Amplia, ſi contra facti evidentiam deponerent, quæ ex formali acceſſu deduceretur, eorumque ſcientiæ cauſam non adducerent.*

15 *Aquæ ſtagnantes in fundo ſuperiori regurgitare præſumuntur, ex quo inferior immunditiis ſit repletus, ob quas aqua ſuperior liberè non defluat.*

16 *Damnum ex re communi illatum, ſumptibus communibus reparandum eſt.*

17 *Poſſeſſor ultimus primogenituræ non tenetur ſtare facto prædeceſſorum, à quibus ſua jura non metiatur*, & num.25.

18 *Obſervantia ex actibus turbidis, & æquivocis non probatur, maximè ſi reperiatur interrupta.*

19 *Am-*

19 *Amplia, ſi in arte peritorum relationibus de diametro adverſaretur.*
20 *Fundus adjacens ſoveo communi, ab illius dominio eſt expurgandus, ne viciuis damnum exoriatur, cum hæc opinio, & mens Peritorum juri conſonę reperiantur.*
21 *Amplia, ſi id in contradictorio Judicio ſervatum fuiſſet.*
22 *Æquitas juris ſuadet, ut quiſque teneatur legem, quam cæteris dixit, ſibi ipſi dici patiatur.*
23 *Res inter alios acta modernum actorem non citatum non ligat.*
24 *Reſervationis natura eſt, jus primęum in ſuis qualitatibus reſervare.*

DECISIO DCCCLXXXVI.

AD Normam *Text. in L. ſi Tertius §. Si ex plurium ff. de aqu. pluv. arcen.* diſponentis, quod ſinguli Fundi adiacentes pro ſua rata proportionabiliter teneantur ad expurgationem fovei, dummodo non ſit ad privatam utilitatem conſtructus, vel manufactus, ſub die 19. Junii 1713. reſolutum fuerat cor. Me *teneri Ven. Archioſpitale S Spiritus pro rata adiacentiæ ad expurgationem Fovei di Trè denari*, per quem diffluentes Aquæ à ſuperioribus locis, plures tenutas adjacentes circumdant.

Verum quia Scribentes pro Archioſpitali exceperunt, quod cenſura præfati juris non eſſet in facto applicabilis, eo quia ſupponebant Foveum fuiſſe manufactum, & privatum pro utilitate fundorum ſupra exiſtentium, & ſignanter Prædii *di Torr'in Pietrà* ad primogenituram Domus Falconeriæ ſpectantis, ideo ad eruendam facti veritatem, inſteterunt pro deſtinatione acceſſus, & Domini quamvis omnibus numeris abſolutum crederent acceſſum factum in præcedenti inſtantia à R.P.D.meo Cerro, tunc A.C. meritiſſimo Locumtenente, & cum illo eo tunc procedendum eſſe, ne tamen coarctare probationes viderentur, huic petitioni benignè annuentes, mihi demandarunt, ut ad locum differentiæ me conferrem, prout de facto in eorum obſequium me contuli, & auditis Partibus hinc inde intereſſentibus, una cum Peritis, ſtatum rerum diſtinctè deſcribi curavi, quibus peractis, propoſui hodie dubium -- *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis* -- & Domini pro perſiſtentia *in deciſis* reſponderunt.

Tantum enim abfuit, quod ex hoc novo acceſſu excluderetur ſuppoſitum, quod Foveus inſerviat publicæ omnium fundorum adjacentium utilitati, ut imò plenè, & concludenter ex eo conſtiterit, illum originem trahere à ſuperioribus quibuſdam collibus, unde collectis pluvialibus aquis, ad inferiora loca deſcendit, & ſignanter ad tres tenutas,
1 ad illam ſcilicet *di Torr'in Pietra* DD. de Falconeriis, ad illam nuncupatam *di Maccareſe* Domini Ducis Roſpiglioſii, & aliam *di Palidoro* ſpectantem ad dictum Venerabile Archioſpitale, & donec in mare defluat, augumentum undequaque recipere, tum ex aquis per alios privatos foveos in illum traductis à circumadiacentibus fundis eorumdem poſſeſſorum, tum ex aliis è conſulari via, quam interſecat in illum concurrentibus. His autem ſtantibus, manufactus certè, & privatus dici non poteſt, niſi talis concludenti probatione demonſtretur, cum
2 cæteroquin regula ſit in his terminis, illum communem eſſe poſſeſſoribus Fundorum, quibus inſervit, *Bald. in cap. 1. §. Si quis de Manſ. ſub num. 8. verſ. quædam uero de controv. Inveſtit, Antonell. de tempor. legal. lib. 2. cap. 81. n. 22., & cum aliis Gobb. de Aqu. queſt. 4. num. 2.*

Quod verò in illum defluant etiam aquæ tenutæ *di Palidoro* (cum aliæ non cadant ſub controverſia) eſt innegabile, tum in ea parte, qua dicta tenuta declivium habet, omnes in illum deſcendunt, ut legitur in *Inſtrumento acceſſus num. 16.*, ſicut etiam alibì per plures rivulos ut *ſub. num. 20.*, & hæc
3 probatio deſumpta ex acceſſu judicis, & viſione loci ſuperlativa eſt, & quamcumque aliam vincit, plenè *Poſth. demanut. obſerv. 101. num. 5., Rota dec. 1103. num. 11. coram Emer. Jun.. & dec. 472. nu. 17., & 30. par. 19. rec. tom. 2. ubi concordan. in Rom. Fornacis ſuper manutentione 5. Februarii 1714. §. Quod autem coram R. P D. meo Criſpo.*

Neque obſtat, quod tenuta *di Torr'in Pietra* non ſit conterm ina foveo in loco *di tre Confini*, ubi, ex omiſſa expurgatione aquarum, regurgitatio evenire prætenditur, inferendo exinde, quod ceſſet fundamentum actionis à DD. Falconeriis contra Archioſpitale propoſitæ, deficit namque hujuſmodi objectum in facto & in jure.

In facto quidem, nam concurrit ſpecifica probatio, quod tenutæ ſint conterminæ in loco *di Tre Confini*. Omiſſo ſiquidem arguměto ex ipſa loci denominatione deſumpto,
4 quæ ut verificetur non ſufficit adiacentia duarum ſpectantium ad DD. Falconerios, & DD. Roſpiglioſios, ſed requirit etiam tertium confinem, qui non alius poteſt eſſe, quam tenuta *di Palidoro*, id probat noviſſimus acceſſus, ubi ſub §. 9. & 10. deſcribuntur quatuor minores fovei, qui aquas deponunt in controverſum foveum majorem *di Tre danari* in d. loco *di Tre Confini*, & quartus ex eis aquas ducit etiam à fundo ſuperiori S. Spiritus, & magis clarè confirmat acceſſus uſque de anno 1664. peractus occaſione alterius differentię, de quo *in ſum. reſponſionis DD. de Falconeriis nu. 1.*, in hoc enim ſic dicitur -- *Si trova nel principio di detto argine dove ſtanno li tre confini, cioè il confine di S. Spirito, il confine de Signori Falconerii, & il confini de Signori Matthei* --- quibus ſucceſſerunt DD. de Roſpiglioſis, qui ſanè
5 acceſſus, cum ad ejuſdem Archioſpitalis inſtantiam factus fuerit, & quod plus eſt ex illius parte in hac lite productus, plenam facit probationem, & amplius impugnari non poteſt, ad regul. de qua *Rot. dec. 484. nu. 8., & 9. par. 19. rec. tom. 2., & in Romana Pecunia*

pecuniaria 19. *Januarii hujus anni ſub* §. *Neque juſtitia coram Me*, *& paſſim*.

In jure pariter difficultas removetur, quia
6 ratio propter quam inferiores fundi ad expurgationem fovei communis ſunt obligati, non ſiſtit in eorundem adjacentia, & confine, ſed tum in ipſa communione, & promiſcuo fovei uſu in recipiendis eorum aquis, illiſque traducendis ad mare, juxta quam pro ſua rata unuſquiſque manutentionis & expurgationis fovei incōmodum debet ſubire, ex notatis per *Cyriac. con rov.*570. *num.*22., *alioſque relat. in deciſ. quæ revidetur* §. *Et ſanè*; tum in detrimento poſſeſſoris fundi ſuperioris, quod æqualiter poteſt contingere per aquarum reſtagnationem, ſi vel immediatus, vel mediatus inferior poſſeſſor ad liberum aquarum defluxum per Fovei emun-
7 dationem non contribueret; ſemper enim in damnis habetur ratio ad proximam æque, ac remotam cauſam, cum ille qui eam præſtat, illud reſarcire teneatur, ad *Tex. in cap. final de injur.*, *& l. qui occidit* §. *in hac ff. ad l. Aquil.*, *Surd. dec.* 118. *n.*12. *&* 13., & cum aliis egregiè *Cyriac. contr.* 688. *à nu.*62. *ad* 69. *& ſeq. uſque ad fin.*, & probat noſter *Tex.* ibi -- *Si ex plurium fundo decurrens aqua noceat*, *vel ſi plurium fundo noceatur*.

8 Conſequens propterea eſt, quod cum non ſit in quæſtione controverſum foveum ſupra Pontem, quem habet in via Conſulari tranſire per mediam Tenutam *di Torr' in Pietra*, & recipere ſubindè aquas omnium Tenutarum in ejus decurſu adjacentium, atque ejuſdem Viæ Conſularis, hoc ſufficit, ut teneantur omnes poſſeſſores adjacentes, etiamſi per univèrſam Fovei longitudinem non confinent ſive proximi, ſive remoti, ſive mediati, ſive immediati ad expurgationem proportionabiliter, & pro ſua rata contribuere, ut proſequitur idem *Tex.* ibi -- *Singuli in partem conveniantur*, *& in partem fiat condemnatio*. - Et benè declarat *ibidem Imola in princ.*

Quibus ita firmis, ceſſat quoque alterum objectum, quod aquarum regurgitatio in damnum Tenutæ *di Torr' in Pietra* non proveniat ex omiſſa expurgatione Fovei in inferiori Fundo *di Palidoro*, ſed ex inundatione aliorum particularium Foveorum exiſtentium in loco nuncupat *il Prataccio*, qui in acceſſu ultimo loco facto inventus eſt Paludoſus. Etenim contrarium conſtitit ex eodem acceſſu, in quo fuit recognitum, aquas in loco *di Tre confini* remanere ſtagnantes, ut in §. 30., & pro invenienda cauſa ejuſdem
9 reſtagnationis, facta livellatione per Peritos, compertum fuit Foveum *di Tre denari* in ſitu, in quem corrivantur aquæ, eſſe adeò repletum ſordibus, aquarum ingreſſum impedientibus, ut ibi terrenum altius eſſet, quam in dicto loco, ex quo aquæ in foveum deſcendunt, & ſic liber defluxus, qualis neceſſarius eſt, haberi non poſſet, ut in §§. 32. &
10 33., undè effectus dilatationis aquarum *nel Prataccio* ad iſtam cauſam immediatam, & propriam repletionis d. Fovei, & non liberi earum decurſus referri debet, *Spad. conſ.*1. *n.*9. *tom.*3., *Rot. dec.*26. *n.*11. *cor. Ninot.*

Poſuit verò rem extra controverſiam ſubſequuta experientia rerum omnium magiſtra. Poſtquam enim DD. de Falconeriis de licentia R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi, & per modum proviſionis foveum in prædicto loco *di Tre confini*, & in partibus adjacentibus Tenutæ *di Palidoro* uſque ad Mare expurgari fecerūt, ſtatim aquæ à parte prius paludoſa, qualis erat *il Prataccio* defluxerunt, neque amplius redundarunt, & terrenum exſiccatum remanſit, ſignum nimis evidens, quod cauſa inundationis erat repletio & omiſſa expurgatio fovei in dicto loco,
11 dum ça ſublata, ſublatus etiam eſt effectus. Argumento autem ab experientia rei deducto, ſtandum eſſe plenè probant per *Tex. in* §. *Quæ omnia inſtit. de fidejuſſ.*, *Bald. conſ.* 136. *num.*2. *lib.*2., *Cyriac. contr.*700. *n.*10., *Rot. dec.*631. *n.*9. *coram Burat.*, *& frequenter alibi.*

Hinc fruſtra recurritur ad oſtendendum, quod Aquæ in controverſo loco ſufficiens declivium habeant, & congruam pendentiam uſque ad mare palmorum 26., itaut ullo
12 mòdo redundare non poſſint. Teſtes enim ad hoc comprobandum adducti, vel depoaunt re non integra, poſt factam ſcilicet dictam proviſionalem expurgationem, à qua
13 oriri potuit iſta pendentia, ac fuerunt pendente lite ſine Partis citatione examinati, ideoque non ſunt attendendi, *Rot. cor. Ottobon. dec.*10. *num.*54., *& p.*18. *rec. tom.*2. *dec.*509. *nu.*17., quod procedit etiam quoad menſurationem pari illegalitate peractam,
14 vel ſaltem quia pugnant cum ſupra expoſita rei experientia, & ipſo inſtrumento acceſſus optimam probationem facientibus, fidem non promerentur, ad *Tex. in l. generalem* 13. *C. de non numer. pecun.*, *Rot. dec.* 235. *num.*20. *&* 29. *p.*13., *& dec.*284. *n.*13., *& ſeq. p.*19. *tom.*2. *rec.*, præſertim, dum eorum ſcientiæ certam rationem non reddunt, ex aliis vulgatis juribus.

Nec refert, quod ſi aquarum regurgitatio provenerit ex loco ubi poſſidet Archioſpitale, priùs inudarentur ejus bona, quàm ſuperiora DD. de Falconeriis; ſiquidem inundatio in loco *Prataccio*, non provenit ex regurgitatione aquarum redundantium à locis inferioribus versùs mare, ſed à repletione fovei *di Tre denari*, quæ cauſam præbet illarum reſtagnationi, & non libero decurſui;
15 ideoque nihil prodeſt iſto caſu, quod bona S. Spiritus ſint inferiora, & in loco magis depreſſo, cum talis repletio, quæ impedit, ne fundorum adjacentium aquę poſſint in dictum foveum ingredi, & inde ad mare defluere, ſit cauſa reſtagnationis, & propterea, ſicut nequeunt ad inferiora loca tranſcurrere, ita non valent illa mundare. Benè tamen verum eſt, quod inundationem patiuntur ab aliis propriis aquis ex eadem cauſa eandem reſtagnationem facientibus, ultra quod neque neceſſe eſſet, quod ipſi quoque damnum obve-

veniret ex regurgitatione, ut ad emundatio-
16 nem teneatur, ſed ſufficeret prejudicium, quod infertur compoſſeſſoribus in locis, per quæ aquæ derivantur ad hoc, ut damnum ex re communi illatum, communi etiam diſpendio reparetur, *Laderch. conſ.146. n.4. in fin. Cyriac. contr.576. n.21.*

Fruſtra denique recurrebant ejuſdem Archioſpitalis Defenſores ad expurgationes antiquis peractas temporibus à Duce Mattheio, & Paulo Franciſco Falconerio, adducentes de novo impenſas, eo tunc factas, eaſque coadjuvantes cum tranſactionibus, & aliis documentis etiam in præteritum deductis ad effectum oſtendendi onus hoc eſſe penes poſſeſſores Tenutæ *di Torr' in Pietra*, ac talem fuiſſe hactenus obſervantiam. Redeunt namque ad iſtius objecti confutationem plurimæ reſponſiones, quæ habentur in deciſione quæ revidetur, & præſertim, quod, quid-
17 quid ejus Auctores egerint, allegabile non eſt contra modernum poſſeſſorem primogenituræ hujus familiæ, cui ſubjecta eſt prædicta Tenuta ex proprio jure venientem, ut
18 in §. *Ejuſdemque*, ubi etiam, quod plures ex actibus ab Archioſpitale deductis, ſunt turbidi, & æquivoci, & propterea inhabiles ad probandam obſervantiam, quodque iſta ulterius eſt interrupta, dum conſtat de annis 1643. & 1646. foveum pro adjacenti rata Tenutæ *di Palidoro* fuiſſe propriis ſumptibus expurgatum ab Archioſpitali, ut in §. *Abſque eo quod*.

Et fortiùs excluditur hæc particularis in
19 præſenti obſervantia, attenta contraria univerſali totius Agri Romani, de qua latè periti, quorum dicto in hujuſmodi rebus ſtandum eſt, *Rota in Romana, ſeu Sutrina Confinium* 10. *Decembris* 1714. §. *Et ſanè*
20 *cor. Me*, & juxta quam DD, fundum ad metam adjacentiæ foveos communium aquarum receptitios expurgare tenentur, itaut iſta potius, quæ conformis eſt, diſpoſitioni juris veniat attendenda, ad *Tex. in L.1.§. Denique ait ff. de aqu. pluv. arcen., Gobb. conſult.56. n.4. cum aliis in dict. dec. quæ revi-*
21 *detur* §. *Hęc quę;* maximè quia fuit etiam in contradictorio judicio canonizata, & pręcisè ad inſtantiam ipſius Archioſpitalis reſpectu fovei *di Galera* ejuſdem qualitatis, & naturæ nulla habita proximioris, vel remotioris adjacentiæ confinium, vel non confinium, & patientium, vel non in propriis fundis de-
22 trimentum, itaut æquitati, ac juri valdè congruat, ut eam legem, quam cæteris dixit, & ſibi dici patiatur, ad *regul. tex. in l. quod quiſque juris ff. de regul. Jur.*

Atque his poſitis, nullius ſunt efficaciæ tranſactiones, & ſententiæ, quæ in oppoſitum adducebantur, reſpectu enim antiquarii inter præfatos Ducem Mattheium, & Paulum Franciſcum Falconerium, uti res inter
23 alios, & ab aliis actę, moderno Actori ab eis cauſam non habenti nocere non poſſunt. Reſpectu autem recentioris cum D. Duce Roſpiglioſio, iſta litteralem continet reſervationem jurium contra Archioſpitale S. Spiritus,
24 cujus natura ea eſt, ut reſervantis jura cum ſuis qualitatibus penitus illæſa remaneant, *Rota dec.347. n.16. cor. ſa.me. Gregor. XV.*, & *p.19. rec. tom.2. dec.522. n.9* Documenta verò expenſarum pro antiquis expurgationibus præſeferunt Ducem Mattheium pro medietate illas feciſſe uſque ad mare, ſed non concludunt pro altera medietate illas feciſſe Paulum Franciſcum, quod neque relevaret, cum ab eo cauſam non habeat modernus poſſeſſor Tenutæ *di Torr' in Pietra*, ut ſupra dictum eſt.

In reliquis Domini remiſſivè ſe habuerunt ad præcedentem deciſionem, ubi latiùs hęc fundamenta expenduntur, & aliis objectis ſatisfit. Et ita utraque parte &c.

MELEVITANA FIDEICOMMISSI.

Veneris 22. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Fæminæ æqualiter cum maſculis ad ſucceſſionem in fideicommiſſo invitatæ, ob exiſtentiam maſculorum non repelluntur, nec eis obſtat hęc animadverſio, ſcilicet, quod ſi fideicommiſſum in plures partes divideretur, ſequeretur abſurdum, quod nolitum à teſtatore præſumeretur, quoties tamen vehementiſſimæ non adeſſent conjecturæ denotantes, quod per prius maſculi, & per poſterius fæminæ ad illud fuiſſent vocatæ.

SUMMARIUM.

1 *Fæminæ continentur ſub nomine filiorum, nepotum, & pronepotum, & omnes ſimul ſub illo vocantur.*

2 *Limita, ſi ex conjecturis deduceretur, quod fæminæ eſſent vocatæ per poſterius in maſculorum defectu.*

3 *Teſtator ſi dixiſſet* -- adeò, & taliter, quod ex eius directa linea nullus ſuperſtes maſculus, neque fæmina ſupereſſet --, *iſta verba non important prælationem ullam, cum dictio* -- Neque -- *ſit continuativè, non diſcretivè.*

4 *Fęminæ non dicuntur vocatę in defectu maſculorum per hoc, quod teſtator in ingreſſu diſpoſitivæ vocaſſet maſculos, quoties in progreſſu, tam iſtos, quam illas in conditione poſuiſſet, cum ab ingreſſu non arguatur ad progreſſum.*

5 *Fæminæ, quando ſunt æqualiter vocatæ cum maſculis, ſecundùm naturalem verborum ſignificationem admitti debent abſque ulteriori indagine circa mentem teſtatoris.*

6 *Obſervantia reſpectu unius ex fęminis æque vocatæ, multùm operatur quoad alias in eadem navi poſitas.*

DECISIO DCCCLXXXVII.

SImultaneam ſucceſſionem in bonis fideicommiſſariis Julii Barbara, quam tribus conformibus ſententiis pronunciavit Sac. Tribunal de-

debitam eſse Caſsandræ , unà cum Lurentio fratre , & altera ſorore , acerrimè adhuc impugnante Roſa Laurentii filia, propoſui dubium conforme commiſſioni in gradu ulterioris appellationis mihi directę, reſponſumque accepi *Conſtare de tribus*.

Iterum quippe inſpecto tenore fideicommiſſi à Julio ordinati, ſubſiſtere DD. viſum eſt præcipuum fundamentum quinque deciſionum , quæ ſententias Rotales de more præceſserunt. Conſtitit enim ex eo, poſitos
1 fuiſse in conditione filios , nepotes , & pronepotes, quorum nomine ex propria ,& naturali verborum ſignificatione tam maſculi, quàm fęminæ continentur, *L. filii appellatione , & L. iuſta ff. de verb. ſign.,L. ſi quis ita ff de Teſtam. tutel.* Propterea que cum ſub iiſdem communibus verbis , ex quibus Laurentius vocationem ſuam deſumit, ſorores quoque compræhendantur, debent omnes ſine ulla prælatione, aut diſtinctione ſimul ad ſucceſſionem admitti , benè *Rot. in Hortana Immiſſionis 9. Junii 1710. §. Nec relevante cor. bo.me. Caſſarello , cum aliis in ultima deciſione huius cauſę 12. Junii 1713. §. Non relevante cor.R.P.D.meo Scotto Urbis Gubernatore.*

Et quamquam ab hac regula quandoque
2 recedatur , ſaltem ad effectum , ut Maſculi per prius , fæminæ per poſterius ſucceſſionem obtineant , ſi eam fuiſſe defuncti mentem urgentiſſimę coniecturæ ſuadeant , deficientibus tamen in hypotheſi contemplatione agnationis , & L. Municipali fęminarum excluſiva , ſuper quibus hodie Defenſores Roſę amplius non inſiſtebant , reliquæ coniecturę ab iiſdem adductę tanti ponderis compertę non ſunt. Quod enim Teſtator non ſubſtiterit in illis conditionalibus verbis -- *ſine filiis , Nepotibus , & Pronepotibus , ſed ſtatim addiderit -- adeo, & totaliter , quod*
3 *ex ejus directa linea nullius ſupereſſet maſculus , neque femina* -- DD. cenſuerunt majoris declarationis gratia factum fuiſſe , non ut ordo prelationis inter maſculos, & fæminas conſtitueretur, cum dictio illa -- *neque* -- ſtet continuativè , non diſcretivè, ut aliàs dixit *Rota in Tiburtina fideicommiſſi 14. Decembris 1711. §. Etenim cor. Em̃o D. Card. Priolo* , & pluribus aliis adductis reſponſum fuit in *prima dec. hujus cauſæ 12. Febbuarii 1710. §. adhuc. coram eodem Eminentiſſimo Priolo*, cum qua cęteræ ſequentes tranſierunt.

Alterum vero pretenſę prælationis argumentum deſumptum ex eo , quod in parte
4 diſpoſitiva , & in novo ingreſſu cujuslibet lineæ,maſculi dumtaxat invitati fuerint, fęminis excluſis , quemadmodum in aliis præcedentibus inſtantiis, ita quoque hodiè rejectum fuit , nam cum Teſtator quot vicibus in ingreſſu diſpoſitivæ vocavit maſculos , totidem in progreſſu ſub conditione poſuerit tàm maſculos, quàm fæminas, non poteſt pars conditionalis , quæ magis latè patet ad limites diſpoſitivę reſtringi , neque ab ingreſſu argui ad progreſſum , ut , allegatis concordantibus , firmant omnes deciſiones in cauſa editę , quas egregiè reaſſumit noviſſimè R.P.D. mei Scotti §. *Quin ad ſuadendum cum ſeqq.*

Aliis denique coniecturis deductis ab abſurdo , & à vitanda diviſione fideicommiſſi in minimas partes optimè reſpondent dictæ præcedentes deciſiones , ad quas DD. remiſ-
5 ſivè ſe habuerunt , ideoque cum omnes tàm ſeparatim , quàm unitim ſumptæ pernecelle non excludant ſimultaneam vocationem fæminarum cum Maſculis , non eſt à regula, & naturali verborum ſignificatione recedendum, ut aliàs advertit *Rota in ſecunda dec. coram R.P.D. meo Criſpo 20. Martii 1711. §. Maximè .*

Obſervantia autem nedum Roſę non aſſiſtit,ex latè animadverſis in iiſdem deciſionibus, ſed imo potiùs contra ipſam retor-
6 queatur, cum ex documentis exhibitis pro parte Caſſandræ conſtet, Eleonoram alteram Laurentii Sororem pro ſua tertia portione ad dd bona fideicommiſſaria immiſſam judicialiter fuiſſe , quæ ſanè tanquam magis ſpecifica , & precisè ad caſum præſentem reſpiciens , plurimum eſt attendenda , *Rota cor. Greg. dec. 451. nn. 7. , & deciſ. 105. n. 18. , & dec. 452. n. 24. p. 10. tom. 2. rec.*

Et ita Quintò , & Sextò DD. ſuffragantibus, & utraque Parte audita , reſolutum fuit &c.

ROMAMA LIBERATIONIS A' MOLESTIIS.

Veneris 22. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 26. Junii 1711.

Tutor optimæ probitatis repertus , qui fidelem rationis redditionem feciſſet à Judice approbatam non tenetur damnum fortuitò pupillo eventum in contractu illius nomine geſto corrigere , quoties in tutelæ exercitio tanquam diligens Paterfamilias ſe geſſiſſet , ac citrà dolum, & fraudem negocia illius pertractaſſet.

SUMMARIUM.

1 *Tutor non tenetur de evictione in contractibus pupilli nomine geſtis* , & n. 5.

2 *Tutor , ſi malè pro pupillo contrahat , actione tutelæ poteſt coveniri , vel utili negociorum geſtorum pro refectione damnorum , ſi ejus dolo pupillus damnum patiatur .*

3 *Hęres Tutoris non habet jus proſequendi litem ex illius facto peremptam .*

4 *Evictio clarè , & indubitanter profutura ſuperreempta, ſi emptor ſponte iſtam dimittat , ſibi non prejudicat pro obtinendo regreſſu contra venditorem* , & n. 6.

5 *Limita inter pupillum , & Tutorem , inter quos evictionis actio ſilet* , & n. primo .

7 Sub-

7 *Sublimita; ſi caſus illius, & cauſa ſit turbida, & difficultates patiatur, quo caſu liberationem à moleſtiis contra venditorem petere prohibetur.*

8 *Tutor non poteſt de evictione remanere obligatus favore pupilli ſuper Domo ſequta, ſi in illius emptione omnes diligentias poſſibiles, tamquam bonus Paterfamilias adhibuiſſet, & ex quibus iſtæ diligentiæ probentur.*

9 *Tutor, ut teneatur de damno favore pupilli, debet in eo probari lata culpa, quæ dolo æquiparatur.*

10 *Tutor, ut dicatur in culpa ob ſequtam evictionem ſuper Domo Pupilli nomine empta ex aliquo fideicommiſſo, debet in ipſo poſitiva de illo ſcientia probari; imò ſi tale fideicommiſſum eſſet litigioſum, tutoris culpa totaliter excluderetur.*

11 *Amplia; ut à fortiori in bona fide dicatur Tutor, ſi in actu venditionis Venditor Breve Apoſtolicum fideicommiſſo derogatorium retuliſſet.*

12 *Subamplia, ſi ab initio contractus optimè conſultum fuiſſet Juribus Pupilli, quo caſu ad ulteriores diligentias Tutor non tenetur.*

13 *Tutor poteſt libere ſolvere prætium Domus, quando iſtud erogatur in dimiſſione Creditoris anterioris, ſimulque pro evictione vinculatum remaneat, & vide quomodo.*

14 *Amplia, ſi ex hac ſolutione nullum damnum fuiſſet Pupillo eventum, & ex quibus iſtius utilitas à Tutore procurata dicatur.*

15 *Tutor non tenetur corrigere modicum damnum abſque culpa ex contractu* Pupillo *eventum.*

16 *Amplia, si Tutor notoriè fuiſſet probitatis à Judice approbatè.*

17 *Subamplia, etiam ſi utilitèr in uno contractu ſe non geſſiſſet, quoties de ejus probitate conſtaret, & doli ſuſpicio abſuiſſet.*

DECISIO DCCCLXXXVIII.

FUndamenta Deciſionis editæ 26. Jun. 1711. coram Me, ex quibus dictum fuit eſſe confirmandam Sententiam ab R. P. D. meo Anſaldo, nullatenus concuti viſa ſunt DD. ab iis, quæ iterum per Joannem Antonium opponebantur, ideoque perſiſtendum eſſe *in deciſis* hodie reſponderunt.

Concurrunt enim pro excluſione actionis, quam ille promovit contra Commendatarium Coſmum à Puteo, uti hæredem Caroli Antonii ejus Tutoris tria validiſsima argumenta ducta ex qualitate Judicii, Contractus, & Perſonę. Qualitas ſiquidem Judicii, quia Joannes Antonius non aliam propoſuit petitionem, quam liberationis à moleſtiis, ut ex *Summ. Commendatarii nu.* 3., & 4., quæ tamen omninò incongrua eſt, cum Tu-
1 tor, cujus Jura iſte repręſentat, de evictione non teneatur in contractibus Pupilli nomine geſtis, itaut nullo jure ſubire cogatur
2 moleſtias, Pupillorum cauſa illatas, poſſitque tantum actione tutelæ conveniri, ſi male contraxit, vel utili negociorum geſtorum pro refectione damnorum, ſi ex ejus dolo, aut culpa Pupillus illa paſſus ſit, ex juribus in puncto deductis in deciſione præcedentis inſtantiæ 27. Junii 1709. §. *Omiſſo etenim cum ſeqq. cor. R.P.D. meo Anſaldo*, & in ea, quæ revidetur §. Juſtitia.

Multoque minus hęc actio habet locum, attento quod, ubi hæredes fideicommiſſarii Victoriæ de Leis immiſsionem obtinuerunt ab A. C. ad Domum à Tutore emptam, contrariam ſententiam Joannes Antonius ſolemniter acceptavit, ideoque Tutoris hæredi quamcumque ſubſtulit facultatem aſſu-
3 mendi in ſe litem ex ipſius facto peremptam, & eumdem liberandi à moleſtiis, cum iſtæ jàm ita eſſent extinctę, nec ullo modo poſſent reviviſcere, plenè *Ciriac. contr.* 619. *n.* 3., & *ſeqq.*, *Rota cor. Dunozet. jun. dec.* 738. *n.* 8., *aliique in dec. R.P.D. mei Anſaldi* §. *fin.*, & *in mea, quæ confirmatur* §. *Verum etiam.*

Neque relevat, quod ſi evictio ex juſta
4 cauſa proueniat, poteſt emptor, illam præveniendo, bonam fidem agnoſcere, & rem dimittere, abſque eo quod ſibi pręjudicet in obtinendo regreſſum contra Venditorem. Ultra enim quod nos non verſamur in terminis Emptoris, & Venditoris, ſed Tutoris,
5 & Pupilli inter quos, ut pręmiſimus, evictionis actio ſilet, *ad text. in L. poſt mortem* §. *Tutor ff. quand. ex fact. Tutor cum aliis apud Mangil. de evict. qu.* 188. *n. primo, & ſeqq.* Ponderabant ulterius DD. id rectè
6 procedere, quando juſtitia evictionis eſt clara, neque ullo jure poteſt impediri, juxta deducta per *R. P. D meum Anſald. de commerc.*, & *mercat. diſc.* 62. *nu* 46., &
7 47., non tamen quando, prout hic, cauſa evictionis, nempe fideicommiſſum multas habebat difficultates, ut probat *dec. in Romana immiſſionis* 24. *Aprilis* 1711. *coram R.P.D. meo Criſpo*, & erat valde dubium, pro qua rata dari poſſet immiſſio, itaut ipſimet hæredes Victoriæ Actores variaverint, petendo prius immiſſionem pro ſexta parte, & deinde novo expedito monitorio illam implorando pro quinta, ut refertur in *mox cit. dec.* §. *Poſt paſſum*, ac prætterea plures aderant tituli deducibiles ad effectum retinendi, quorum omnium vigore poterat adhiberi defenſio, adeout recte conſtet, evictionem non fuiſſe ita claram, ut aſſeritur, ſed potius pluribus involutam difficultatibus, ut notat etiam deciſio, quæ revidetur §. *Ultra quod*. Improvide ſe propterea geſſit Joannes Antonius liti renunciando, & ſuas defenſiones obyciendo per acceptationem contrarii Judicati A. C., neque ideo poteſt pro relevatione, ſeù evictione agere, *ad text. in L. Emptor fundi C. de evict.*, & *L. Si per imprudentiam*, & *L. Herennius ff. eodem*, *R.P.D. meus Anſaldus in d. tract. diſc.* 39. *n.* 31., *Rota dec.* 311. *n.* 8. *cor. Card. Cerro*, *dec.* 455. *n.* 9. *cor. Priolo*, & *in rec. dec.* 352. *n.* 7. *p.* 18. *rec.*

Æqua-

Æqualis ponderis ſunt ea, quæ reſpiciunt contractum, & hæc præcludunt etiam Joanni Antonio viam agendi quovis alio modo contra Tutoris hæredem. Conſtitit namque
8 in emptione controverſæ Domus omnes adhibitas fuiſſe cauthelas, & diligentias, quas adhibuiſſet providus Paterfamilias, quandoquidem interpoſita in illo fuit auctoritas Judicis, proceſſit Tutor cum conſilio Juriſconſulti notoriæ probitatis, ac doctrinæ, interfuit ipſemet Joannes Antonius, & præceſſit æſtimatio Domus mediantibus Peritis, partem prætii Tutor excomputavit cum cenſu, cujus fructus per quatuor annos non potuerat exigere, & pro reſiduo conſignavit loca montium vinculata pro evictione ejuſdem Domus, unde patet quamcumque negligentiæ, & culpæ maculam à Tutore penitus abfuiſſe, ex deduct. per *Rot. dec. 662. nu. 14. cor. Emer. jun., & dec. 35. nu. 7. inter impreſs. ad Conſ. Ramon. to. 4., & aliis allegat. in dec. 17. Junii 1709. §. Nemo dixerit cor. R.P.D. meo Anſaldo, & in mea §. Tan-*
9 *tum vero*, quando tamen pro obtinenda refectione damnorum eſſet probanda in Tutore lata culpa, quæ æquiparatur dolo, & ideo concludenti indiget probatione, juxta firmata in *Romana redditionis rationis ſuper reſervat. inter has partes edita 22. Junii 1711. §. Etenim, & §. Profecto coram Me, confirmata in hodierna audientia coram R.P.D. meo Falconerio*, & proſequitur deciſio, quæ revidetur §. *Subſiſtunt, & ſeq.*

Nec valet ad hunc effectum adduci ſcientia ejus fideicommiſſi, propter quod evictio
10 ſequuta eſt, quia non probatur ita ſpecifica & individua prout ad effectum inducendi latam in Tutore culpam, eumque cogendi ad præſtationem evictionis, & damnorum requireretur, ex auctoritatibus plenè deductis *in dec. R.P.D mei Anſaldi §. Ad quartam & in mea §. Ultra*, & duplici alterius circumſtantia talis culpa removetur, primo ſcilicet, quia d. fideicommiſſum plurimas difficultates patiebatur, ut oſtendit diuturna lis, in qua ex eo venientes pro canonizatione eorum Jurium inſudarunt, ut ad rem notat *Rota dec. 692. n. 9., & dec. 678. n. 5. cor. Emer. jun.*, & ſecundo quia de tempore contractus
11 obtentum fuerat Breve Pontificium derogans quibuſcumque vinculis, & fideicommiſſis, cujus ratione Domus rectè poterat credi libera, juxta effectum ſimilium derogationum, de quo *Rota in Reatina Salviani 16. Junii 1704. §. Nec refragari cor. bon. mem. Omanna, & in Romana aſſociationis 10. Maii 1706. §. Non attento cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*, & alibi paſsim.

Replicatio autem, quod etiam reſpectu hujus Brevis Pontificii Tutor negligens fuit, dum non curavit reportare ratificationem
12 eorum omnium, qui erant Condomini Domus, pariter ceſſat, tùm quia ab initio contractus clarè conſtabat Pupilli juribus bene conſultum eſſe, quod ſufficit, juxta adducta in cauſa redditionis rationis inter has eaſdem Partes *ſuper reſervatis 22. Junii 1711. §. Nec obſtare coram Me*; tum quia, ſi quæ commiſſa dici poſſet, ut notat *dec. R.P.D. mei Anſaldi §. Poſito igitur &, mea, quæ revidetur §. Omnemque*, & de facto demonſtravit eventus, dum Pupillo moleſtiæ non ſupervenerunt ad eorum inſtantiam.

Minuſque ulla culpa deduci poteſt, ex quo in contractu d. emptionis Tutor perſol-
13 verit Caſanovæ Creditori Marci Cittadini Venditoris ſcut. 900. liberè, & etiam ſub pacto, quod ad illorum reſtitutionem non tenerentur, neque in caſu evictionis ejuſdem Domus. Id enim ſummo Jure factum eſſe DD. animadvertebant, quia Marcus Cittadinus Domum emerat à Felice Sabelleſca, & convenerat reſiduum pretii in ſcutis 1032. deponi ad ipſius creditum in Sac. Monte Pietatis ad effectū inveſtiendi in tot locis montium, qui ſtare deberent pro evictione Domus favore ejuſdem Cittadini. Ut verò iſte adimpleret propriam obligationem, impoſuit cenſum ſcutor. 700. favore Caſanovæ, & ita ſucceſsivè depoſuit complementum pretii cum prædicto onere inveſtiendi pro evictione. Cum itaque Caſanova pro prædicta rata pecuniarum cenſualium ſucceſſerit in Juribus eorum, qui vendiderant primo loco eidem Cittadino Domum iterum venditam Pupillo, debebat ſolutionem libere, & ſine vinculo reportare, ſatiſque Pupillo cautum erat per ſubingreſſum legalem in ejus Juribus, *ad text. in L. Ariſto ff. qui pignor. oblig. poſſ.*, de quibus in propoſito *Rota in Romana immiſſionis 24. Aprilis 1711. §. Minimè relevante cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Quod verò omnem in hac re difficultatem
14 abſtulit, illud eſt, quod verè Joannes Antonius nullum ex iſto contractu damnum ſenſit, & integum ferè pretium recuperavit, nam ſcut. 1400., quæ per Tutorem fuerunt excomputata cum Cenſibus, illicò ad Pupilli beneficium, & dominium redierunt, quia ſpeciali pacto in inſtrumento providè conventum fuit, quod, ſequuta Domus evictione, Jura cenſuum reviviſcerent, alia ſcut. 900. obtinuit in Judicio immiſsionis, in quo Domum dimittere condemnatus fuit ſub ea lege quod à fideicommiſſariis illi perſolverentur alii duo cenſus, quorum unus erat ſcut. 600., alter ſcut. 300., rurſus aliam pretii partem obtinuit ſuper nonnullis locis montium, quæ Tutor pro evictione Domus deſtinaverat, & ulterius in præfato Judicio fuit etiam illi conceſſa retentio portionis ejuſdem Domus, unde ducto calculo, & facta horū omniū collatione cum pretio, quod fuit ſcut. 4769., omne Pupilli damnum excluditur, vel ſal-
15 tem ad quid modicum reducitur, itaut nequeat ex hac ratione Tutor imputari de lata culpa, *L. ſi oleum in fine ff. de dolo, & L. Scio ff. de reſtit. in integrum.*

Ponderabant pro coronide DD. Perſonæ
16 qualitatem; fuit enim iſte Tutor notoriæ probitatis, & integritatis, ac pupilli Patri-

mo-

monium ſua in adminiſtratione prudentia plurimum auxit, ut teſtatur *dec. in Romana redditionis rationis inter has eaſdem Partes edita 17. Iunii 1709. §. 1. cor. R. P. D. meo Anſaldo*, inſuper ejuſdem adminiſtrationis rationem fideliter ita reddidit, ut promeritus ſit abſolutionem per tres ſententias, quarum poſtremę ab hoc Sac. Auditorio latę ſunt,
17 itaut etiamſi in hoc contractu utiliter ſe non geſſiſſet, adhuc de lata culpa, vel dolo ſuſpicio in eum cadere non poſſit, bene *Rota cor. Emerix jun. dec. 1317. n. 9.*, cum alias paſſim ex futuris eventibus decipiantur in rebus propriis quicumque Patresfamilias, ut quotidiana docet experientia.

Et ita utraque Parte audita DD. reſponderunt.

EUGUBINA BONORUM SUPER FRUCTIBUS.

Mercurii 27. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Allegatio Cauthelæ Angeli executionem Crediti liquidi non retardat, niſi priùs undique, & validè juſtificetur.

Fructus veniunt à die motæ litis, ſi indebite ſint percepti, nec bona fides, nec juſta litigandi cauſa eos retardat.

SUMMARIUM.

1 *Fructus veniunt de ſui natura in Iudicio ſpolii.*

2 *Mandatum expeditum in ſequelam rei judicatæ nequit retardari.*

3 *Hęres in judicio vocatus, hæreditaria jura tueri tenetur.*

4 *Hæres tenetur ad reſtitutionem fructuum indebitè perceptorum à die motæ litis indiſtinctè, ſicut, & quilibet Poſſeſſor prò rata temporis, quo fuerunt percepti.*

5 *Reſtitutio fructuum non excuſatur à bona fide.*

6 *Reſtitutio expenſarum non excuſatur à juſta cauſa litigandi, & ex quo Judices modo in unam, modo in aliam ſententiam ivisſent, cum exitus tantum cauſæ attendatur.*

7 *Res, quæ tranſit cum vitio litigioſo, Creditori non præjudicat, imò habetur, ac ſi diſtracta non fuiſſet.*

8 *Cauthela Angeli non operatur, quin hæres in bonis propriis damnetur, niſi prius de hæreditate legittimam reddidiſſet rationem, nec eſt contra proprium factum allegabilis.*

9 *Creditum clarum, & privilegiatum retardari nequit ſub prætextu, quod per redditionem rationis de hæreditate faciliter faciendam inexequibile reddi poſſet.*

10 *Amplia: Si hæres eo interim de nullo anteriori ex potiori titulo doceret.*

11 *Hæreditas de jure præſumitur idonea, & opulenta.*

DECISIO DCCCLXXXIX.

Poſtquam Comes Ardicinus à Porta in exequutionē rei judicatæ Rotalis ſuper nullitate deliberationis olim paſſæ à Sororibus de Cantalmaiis ejus Auctricibus, obtinuerat relaxari mandatum contra bona hæreditaria Ubaldi Antonii primi deliberatarii, Annæque ejus hæredis, necnon etiam contra bona propria Sororum de Galeatiis pro reſtitutione ratæ partis fructuum, quos à die motæ litis tàm ipſæ Sorores de Galeatiis, quàm d. Anna, & Ubaldus earumdem Sororum Auctores ex dd. bonis deliberatis ſucceſſivè unuſquiſque pro rata temporis indebitè perceperant, juxtà liquidationem factam in *dec. edita ſub die 17. Martii 1713. coram R. P. D. meo Criſpo* ad formam taxę legalis pro nunc, reſervatis juribus melioris liquidationis, quatenus magis concludenter major bonorum redditus probetur, ut ibi §. *Summa vero*. Exiſtimantes DD. Sorores de Galeatiis teneri ſolum ad prædictam reſtitutionem bonorū hęreditariorū Ubaldi, immò hęc quoque poſſe ab executione præſervari vigore propriorum jurium, allegarunt in actis vulgatam cauthelam Angeli, & inſuper petierunt ſubdelegari Judicem in partibus ad effectum reddendi rationem de dd. bonis hæreditariis, ſed facto verbo in Rota memorialium ante ferias generales præfati anni 1713., memorata cauthela non aliter admiſſa fuit, quàm quoad bona propria tantum, ſubdelegatio vero Iudicis conceſſa, ſed cum clauſula *non retardata exequutione contra bona hæreditaria*.

Hujuſmodi decreto non acquieſcentes prædictę Sorores, curarunt mihi per Signaturam Juſtitiæ delegari appellationis cauſam cum clauſula *S. Q. F.* Quamobrem propoſito hodie per me dubio commiſſioni conforme, attenta validitate, & Juſtitia dicti mandati, *illud exequendum eſſe* DD. reſponderunt.

Et quidem de validitate nulla fuit controverſia; Juſtitia vero plenè reſultare viſa eſt,
1 tùm ex ipſa natura Judicii ſpolii, in quo de jure venit reſtitutio fructuum, tùm & fortius quia mandatum relaxatum fuerat in ſe-
2 quelam rei judicatæ in devolutivo canonizatæ, & nuper ab ipſis Sororibus per renunciationem liti etiam acceptatæ, in quibus terminis quemadmodum ipſa res judicata, ita quoque ſubſequens mandatum pro reſtitutione fructuum à ſuccumbentibus impugnari non poteſt, ut pluribus adductis benè firmat *dec. R. P. D. mei Criſpi* §. *Nulla ſiquidem*, & §. *finali*.

Non obſtat, quod prædictum mandatum relaxari in totum debuerit contra bona hæreditaria Ubaldi primi deliberatarii, etiam pro ea rata temporis, quo ſequuto ejus obitu, Anna illius immediata hæres, & ſucceſſivè Sorores de Galeatiis bona nulliter deliberata detinuerunt, fructuſque ex eis perceperunt, ex quo litem ſubſtinuerint, bonaque præ-

prædicta titulo pro hærede, & quidem cum bona fide, & ex juſta cauſa poſſederint.

Quamquam enim heres in judicio vocatus
3 teneatur jura hereditaria defendere, *l. illud ff. de petit. hæred.*, non ideo tamen evi-
4 tare poteſt reſtitutionem fructuum, quos indebitè percepit. Illi enim poſt motam controverſiam ſunt reſtituendi indiſtinctè ab omnibus Poſſeſſoribus pro rata temporis ſuę poſſeſſionis, *L. Sed & ſi* 28. §. *Si ante litem*, *L. item veniunt* 22. §. *Præter in fin. ff. de petit. hered.*, *Rota dec.* 2. *n.* 8., & 9. *p.* 11. *rec.*

Haud relevante prætenſa bona fide, & juſta cauſa litigandi deducta ex quibuſdam intermediis reſolutionibus favore earumdem Annæ & Sororum emanatis. Etenim
5 ubi agitur de reſtitutione fructuum pendente lite perceptorum, vel de refectione expen-
6 ſarum, bona fides, & juſta litigandi cauſa, ſive quod Judices, modo in unam, modò in aliam iverint ſententiam, Victo non ſuffragatur, ſed unicè attenditur exitus cauſæ, & quinam tandem in lite ſuccubuerit, *Rot. cor. Seraph. dec.* 1245. *n.* 2., & *ſeqq.*, & *deciſ.* 311. *n.* 7. *cor. Royas*, & *d. dec.* 2. *nu.* 4., & *ſeq. p* 11. *rec.*

Prout etiam minus urget, quod poſt obitum Ubaldi Antonii Anna illius heres dederit in ſolutum Liviæ Ottonæ alterum ex Prædiis deliberatis pro ſcut. 1000. titulo ſupra dotis ejuſdem Liviæ ab Ubaldo relictis, ideoque ſaltem quoad Prædium cogi nequeat hæreditas d. Annæ, & Sorores de Galeatiis ejus filiæ reſtituere fructus, quos Creditores Ubaldi, non verò ipſæ perceperunt. Siquidem,
7 cum d. Prædium jàm de eo tempore vitium litigioſi contraxiſſet, non poterat in præjudicium collitigantis alienari, ſed hujus reſpectu perindè habetur, ac ſi nunquam alienatum fuiſſet, quod benè etiam à dict. Anna recognitum fuit, dum in inſtrumento dationis in ſolutum expreſsè cum d. Livia convenit, ut quatenus à Sac. Rota demandaretur purgatio ſpolii, fructus ab eo Prædio per Liviam percepti bonificari ſibi, & reſtitui debuiſſent, *Adden. ad Baratt. dec.* 642. *n.* 8., & 10., & *dec.* 777. *n.* 8., & 9., *Rota coram Achill. de Graſſis dec.* 20. *n.* 2., & 3. *de reſtitut. ſpoliat.*, & *cor. Bich. dec.* 170. *n* 2.

Atque ex his firma remanente Juſtitia mandati relaxati contra bona propria Sororum de Galeatiis, & bona hereditaria Annæ earum Matris pro rata temporis, quo ipſæ fructus ex dd. bonis ſucceſſivè perceperunt, nihil quoad hanc ratam ſuffragari potuit allegata cauthela Angeli, quoniam iſta proderit utique dd. Sororibus, & hæreditati Annæ, ne pro alia rata fructuum ab Ubaldo, dum vixit, perceptorum, condemnari, & executari valeant in bonis propriis, quatenus ipſę de hæreditate ejuſdem Ubaldi legitimam rationem reddiderint, neutiquam vero impedire valebit, quominus ipſę ra-
8 tam fructuum, quos perceperunt, refundere de proprio teneantur, ad tradita per *Rot. dec.* 95. *n.* 7., & 21. *cor. Card. Cerr.*, & *dec.* 105. *n.* 1. *cor. bo. me. Benincaſa*.

Quin etiam conqueri valeant, quod ſaltem pro fructibus ab Ubaldo perceptis retardari debeat exequutio contra ejus bona hæreditaria, ſub obtentu, quod completa redditione rationis, facilè poterunt dd. Sorores virtute propriorum Jurium eadem bona hæreditaria ab executione præſervare; nam
9 cum Comes Ardicinus contra d. Ubaldi hæreditatem habeat creditum undique clarum, canonizatum per rem judicatam, & ab ipſis Sororibus hodiè amplius non controverſum, ac inſuper ex privilegiatiſſima cauſa ſpolii deſcendens, nequit ejus ſatisfactio per quinquaginta circiter annos indebitè, & cum magno diſpendio protracta, ulterius etiam hodie retardari, quouſque ratio reddita fue-
10 rit, maximè cum hoc interim Sorores de nullo earum anteriori, ſeu potiori credito docuerint, & cæteroquin hæreditas idonea,
11 & ſolvendo de jure præſumi debeat, ut benè in his terminis alias reſpondit *Rota dec.* 155. *n.* 8. *cum ſeqq. p.* 12., & *dec.* 307. *n.* 7., & *ſeqq. cor. bo. me. Benincaſa*.

Et ita, utraque &c.

FIRMANA COMMENDÆ.

Mercurii 27. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Commenda erecta ab hærede gravato de bonis Fideicommiſſariis ſuſtinetur, quoties conſtat Commendatario erigenti competiiſſe detractiones, & dotis maternæ reſtitutio, de quo peculio erecta cenſetur. Detractiones ex defectu Inventarii conſumptæ præſumi nequeunt ab hærede gravato, niſi de conſpicuis alienationibus conſtet, quod probare, eſt onus Fideicommiſſario hæredi inhærens.

SUMMARIUM.

1 *Clauſula conſtituti transfert Poſſeſſionem actualem.*
2 *Bona in Forenſes alienari non poſſunt abſque beneplacito Apoſtolico, juxtà Conſtitutiones Pontificias.*
3 *Amplia, ut neque commendæ S. Stephani, juxtà illam Clementis VIII.* la 78., *Pauli V.* la 108., *Innocentii X.* la 41., & *Alexandri VII.* la 107.
4 *Conſtitutiones poſteriores non habent oculos retro, ſed antè.*
5 *Actus poſterior dicitur relativus primo, ſi in tranſactione fuiſſet à Partibus ad majorem cauthelam approbatus, uti fundatus in primo, quo caſu novationem non inducit.*
6 *Cauſa tranſigendi juſtiſſima dicitur lis per eam reſecanda*, & n.8.
7 *Factum proprii Auctoris nemo impugnare velet.*
9 *Factum de novo dici non poteſt id, quod fuit geſtum*

geſtum in ſecundo actu pro majori ſecuritate, & firmitate primi, ideoque novationem non parit.

10 *Novatio non dicitur in tranſactione facta, quando præcedens titulus, ob quem ad eam deventus fuiſſet, enunciaretur.*

11 *Exceptio Fideicommiſſi non eſt allegabilis ab eo, cujus Auctor illi renunciaſſet.*

12 *Commenda erecta ab hærede gravato de bonis Fideicommiſſariis, cenſetur facta de illis Jure legitimæ, & Dotis Maternæ ad erigentem ſpectantibus, & ob id ſubſiſtetur.*

13 *Detractiones conſumptæ præſumuntur ex defectu Inventarii, quoties res eſt inter hæredem hæredis gravati, & Fideicommiſſarium, & niſi ſint conſpicuæ, onus probandi ſpectat ad Fideicommiſſarium, prævia firmatione Status, ſecus ſi cum tertio, qui ex contractu ultrò citroque obligatorio poſſideret*, & n.15.

14 *Defectus Inventarii per equipollentem demonſtrationem ſtatus hæreditarii ſuppletur, ſi agatur cum hærede Fideicommiſſario, ſecus ſi cum Creditoribus.*

DECISIO DCCCXC.

SAcræ Religioni S. Stephani, ejuſque moderno Commendatario reintegrationem deberi ad bona comprehenſa in erectione Commendæ expleta anno 1589., & ſupplemento dotis facto anno 1597. ab Attilio de Valgarinis duabus Rotalibus ſententiis declaratum extitit, quarum prima à Me, & altera ab R.P.D. meo Anſaldo lata fuit, nec adhuc acquieſcentibus Guerreriis, & Adamis poſſeſſoribus reis conventis, cauſa mihi iterum fuit commiſſa, undè propoſui in hodierna audientia conſuetum dubium, & Domini *pro confirmatione ſententiæ*, Sac. tantùm Religione informante, reſponderunt.

Fundamentum reſolutionis rurſùs deſumptum eſt à duplici Inſtrumento erectionis Commendæ, & ſupplementi Dotis conti-
1 nente clauſulam conſtituti, cujus vigore, ſicut transfertur poſſeſſio, ita etiam competit reintegratio, ex deductis in *dec. 29. Februarii* 1712. §. *Nulla cor. Me.*

Neque ad retardandum ejus effectum, al-
2 legari valet aſſerta nullitas deſumpta ex Conſtitutionibus Pontificiis, alienationes Bonorum ſtabilium in Forenſes prohibentibus abſque beneplacito Sedis Apoſtolicæ; ſi enim ſermo eſt de illa ſa. mem. Sixti V. *inter ejus impreſſas la terza*, iſta non comprehendit erectiones hujuſmodi Commendarum, ut præciſe reſolutum fuit in Forolivien. Commendæ 11. *Ianuarii*, & 1. *Iulii* 1709. *cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Vrbis Gubernatore, & obſervant deciſiones hujus Cauſæ coram Emo Priolo* 17. *Aprilis* 1711. §. *Vindicata, & coram Me* 29. *Februarii* 1712. §. *Submota, & coram R.P.D. meo Anſaldo* 3. *Iulii* 1713. §. *Quatenus*. Si vero loquimur
3 de aliis Summorum Pontificum Clementis VIII. la 78., Pauli V. la 108., Innocentii X. la 41., & Alexandri VII. la 107. expreſſè comprehendentibus etiam Commendarum erectiones, & iſtæ cum ſint poſterio-
4 res fundationi præſentis Commendæ expletæ de anno 1589., illam non poſſunt afficere, ad *Text. in L. leges C. de legibus, cum aliis in deciſ. Eminentiſs. Prioli* §. *Non obſtantibus.*

Nec ſubſiſtit, quod erectio prædicta initium ſumat à tranſactionibus initis à Doralice, & Lucretia cum Sac. Religione de anno 1620., & 1659, ideoque cadant ſub aliquibus ex prædictis Conſtitutionibus, quæ jam anteà emanaverant. Quoniam ob-
5 jectum ceſſat eo ipſo, quod primus erectionis actus undequaque validus comperitur, & pro tali habitus fuit ab ipſis tranſigentibus, qui per viam confirmationis, & ratificationis proceſſerunt etiam cum dictionibuis *quatenus opus ſit, ut ad majorem cauthelam*, quæ totaliter novationem excludunt, imò exiſtentiam, & durationem tituli præcedentis ſupponunt, itaut hujus vigore retineri dicatur, non vero acquiri de novo quicquid in tranſactione tribuitur, ſeù remittitur, ut præter allegatos *in deciſ. Eminentiſſimi Prioli* §. *Haud reſiſtente, & R.P.D. mei Anſaldi* §. *Cæterum, & ſeq., Rota in Compoſtellana Parochialis de Pardeſſoa* 22. *Iunii* 1712. §. *Quin adverſari cor. R.P.D. meo Criſpo.*

Quod vero dd. actus fuerint tranſactiones ratificativę, & confirmativæ præcedentium, nullatenus controverti poteſt ex
6 ſuppoſito, quod defecerit cauſa tranſigendi. Hæc enim procul dubio concurrebat ratione litis, quam inſtruxerat anno 1616. Sac. Religio, prætendens per obitum Attilii bona dotalia Commendæ ad ſe fuiſſe devoluta, & in qua ulterius favorabile decretum cum relaxatione mandati de Immittendo à Gubernatore Firmi reportaverat, ut conſtat ex
7 actis, & comprobatur ex confeſſione Doralicis in Inſtrumento tranſactionis, quam Guarnerii, & Adami ab ea cauſam habentes impugnare non poſſunt, *Vrceol. de tranſaction. quæſt.* 86. *num.* 1., *& ſeq., Rota dec.* 6. *num.* 16. *par.* 13. *rec.*, & *in Bononien Fideicommiſſi de Griſonibus* 16. *Januarii* 1708. §. *Final. coram Rmo D. meo Molines Decano*. Hujus autem litis exiſtentia cauſam
8 tranſigendi juſtam, & rationabilem præbuit, benè *Vrceol. queſt.* 8. *num.* 39. *circa fin., Rota in Romana Tranſactionis* 3. *Junii* 1705. §. *Final., coram R.P.D. meo Scotto Almæ Vrb. Gubernat.*

Minuſque novationem poteſt concludere
9 renunciatio Fideicommiſſi, ſub cujus onere prætendebantur eſſe bona aſſignata Commendæ, quia talis renunciatio emiſſa non fuit pro integrando actu fundationis Commendæ, quæ cæteroquin ſubſiſtebat ratione detractionum (ut infra) ſed pro majori dumtaxat Sacræ Religionis ſecuritate, & cauthela; quod vero ad majorem validita-

tem, & cauthelam fit, de novo factum eſſe dici non poteſt, *Palm. nep. allegat.7. nu.36., & ſeq. tom.1., Rota coram Coccin. dec. 1922. nu.4., & ſeq., coram Dunoz. Iun. dec.748. ſub num.51., coram Emerix Jun. deciſ.519. num.3. cum concordan. in deciſ. R. P.D. mei Anſaldi* §. *Cæterum*.

Et ſi quæ ulterius adeſſe poteſt dubietas, illam à radice tollit factum poſitivum ipſiuſmet Doralicis, quæ ad repellendos Creditores ſuper bonis Commendæ aſſignatis, jura ſua exercentes, exhibuit Inſtrumentum an-
10 tiquæ dotationis, & hujus vigore ſententiam abſolutoriam reportavit, ex quo ſanè facto rectè declaratur quid illa in præcedenti tranſactione, citra ullam novationem agere intellexerat, *Rota in cit. Bononien. Fideicommiſſi de Griſon.* §. *Ultimo coram Rmo Decano, & animadverſum fuit in eadem deciſione Reverendiſ. P.D. mei Anſaldi* §. *Eoque*.

Hinc tranſeundo ad examen alterius exceptionis deductæ ex eo, quod Attilius non potuerit ad dotationem Commendæ devenire ratione fideicommiſſi Vincentii Valgarini ejus Patris, bona aſſignata comprehendentis, iterum Domini illam inſubſiſtentem eſ-
11 ſe cenſuerunt, tum quia non eſt allegabilis in præſenti ab Adamis, & Guerreriis hæredibus Doralicis, & Lucretiæ, quæ in memoratis tranſactionibus dicto Fideicommiſſo expreſſe renunciarunt, ad vulgatum *text. in L. cum à Matre C. de rei vindicat., cum aliis in deciſ. 17. Aprilis 1711.* §. *Objectum coram Eminentiſſimo Priolo*, tum quia competebant Attilio in bonis Fideicommiſſariis detractiones legitimæ, trebellianicæ, & Dotis maternæ, longè ſuperantes valorem bonorum aſſignatorum Commendæ, adeout
12 iſta elegiſſe præſumatur in cauſam earundem detractionum, plene *Rota dec.147. n.1. par. 13. rec., in Farſen. Aſſociationis 23. Martii 1708.* §. *Alienationes coram bo. me. Omanna, & in deciſione hujus Cauſæ cit. coram Emo Card. Priolo* §. *Funditus, & 29. Februarii 1712.* §. *Quibus cor. Me, ubi concordan.*

Haud relevante præſumpta illarum conſumptione ob defectum Inventarii, & concurſum plurium præcedentium alienationum,
13 non enim agitur inter hæredem hæredis gravati, & fideicommiſſarium, ſed in præſenti res eſt cum tertio poſſidente ex contractu ultrò citoque obligatorio, quo caſu, niſi alienationes reſpectu detractionum ſint valdè conſpicuæ, onus probandi, prævia firmatione ſtatus, earum conſumptionem ad hæredem fideicommiſſarium ſpectat, juxta diſtinctionem, de qua præ ceteris *Rot. in Bononien. fideicommiſſi de Burzanis 16. Junii 1697.* §. *Quoniam, & per tot. cor. Rmo P. D. Molines Decano, & 10. Decembris 1699.* §. *Et ſanè cor. bo. me. Pio*, cum aliis reaſſumptis in *dec. Emi Prioli* §. *Funditus, & in Me a* §. *Non attenta, & in poſtrema R.P.D. Anſaldi* §. *Subnectere, & ſeqq.*, quod ſanè Guerrerii, & Adami nuſquam in præſenti curarunt, prout ex prædictis debuiſſent.

Imo ad exuberantiam hujuſmodi onus aſſumens eadem Sac. Religio, Proceſſum exhibuit poſt obitum Vincentii fideicommittentis compilatum, prævio teſtium examine, & Peritorum relatione, occaſione aſſignandi bona promiſſa pro dotatione Commendæ, ex eoque colligitur Patrimonium d. Vincentii extitiſſe in ſcut.16477., adeout ſemis pro legitima, & Trebellianica debitus Attilio, aſcenderet ad ſcut.8238., & juncta dote materna ſcut.500., conſtitueretur iſte Creditor in ſcut.8738., hic vero ſtatus defe-
14 ctum Inventarii ſupplere poteſt, dum præſertim quæſtio non eſt cum Creditoribus, ſed hæredibus fideicommiſſariis, quorum reſpectu adeo rigoroſum non requiritur, ut probat *dec.29. Februarii 1712.* §. *Eoque coram Me*, Oppoſitæ autem alienationes diſtinctè ponderatæ in *dec. R.P.D. mei Anſaldi* § *His itaque, & ſeqq.* reſpectu prædicti crediti,
15 nullam promereri poterant æſtimationem, nam plurimæ non ſubſiſtunt. & reliquæ ſunt valdè exiguæ, adeout Attilius, adhuc illis admiſſis, Creditor in majori ſumma dignoſcatur, quam ſit valor bonorum, quæ in Commendæ fundationem erogavit, ut ponderant præcedentes hujus cauſæ deciſiones, illa ſcilicet Emi Card. Prioli §. *Quibus poſitis*, altera coram Me §. *Procedentes*, & tertia coram R. P. D. meo Anſaldo §. *Finali*. In quibus cum plenè fuerit ſatisfactum cæteris objectis pro evitanda prolixiori inutili repetitione, ad illas Domini relativè ſe habuerunt.

Et ita Sacra tantum Religione, ejuſque Commendatario comparente, præfatis verò poſſeſſoribus pluribus intimationibus laceſſitis, reſponſum fuit.

BONONIEN LIBERATIONIS A'MOLESTIIS.

Veneris 29. Martii 1715.

ARGUMENTUM.

Emptor quando patitur moleſtias ſuper re empta, ſatis eſt, quod de eis venditorem admoneat, nec tenetur litis exitum expectare inter venditorem, & moleſtantem, ut habeat jus illico, vel reſciſſionem contractus, vel liberationem à moleſtiis poſtulandi.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus ad liberandum à moleſtiis, tenetur poſt elapſas præfixiones terminorum, ſibi cum effectu moleſtias aſſumere, e moleſtatum penitus liberare*, & num.3.

2 *Timor juſtus eſt ille de amiſſione crediti, quando debitor ſit ætate provectus.*

3 *Amplia, ſi poſt elapſas plures terminorum præfixiones, ſuæ obligationi non ſatisfeciſſet*, & num.5.

4 *Verba non ſufficiunt, quando facto opus eſt.*

5 *Su-*

5 *Suſpicio vehemens oritur ex eo, quod obligatus ad liberationem à moleſtiis malum foveat jus, quando de die in diem moleſtias ſibi aſſumere detrectat.*

6 *Patiens moleſtias ſuper prædio, ſtatim acquirit jus vel pretium repetendi, vel ab eis liberari adverſus Venditorem, nec ultrò expectare tenetur.*

DECISIO DCCCXCI.

CUM pro evitanda expeditione mandati Rotalis ad inſtantiã Lucretiæ, & filiarum de Scappis jamdiu relaxati juxta deciſionem æditam coram Me die 27. Martii anni 1713. pro parte Comitis JoſephiMariæ emiſſa fuiſſet in actis proteſtatio, *qualiter ipſe paratus erat liberare tenutam d'Altedo ab ipſo venditam à moleſtiis per Menſam Archiepiſcopalem illatis, & quod pro hujuſmodi effectu dd. moleſtias, & litem in gradu appellationis coram A.C. pendentem aſſumpſerat*, dedi dubium -- *An eſſet procedendum ad ulteriora in expeditione mandati*. Sed dilata prima vice reſolutione, eoque repropoſito ſub die 2. Julii proximà præteriti, prodiit, utraque Parte informante, novum reſcriptum *dilata, & præfigatur terminus trium menſium Co. Joſepho ad proſequendam liberationem à Moleſtiis*. Factaque immediatè poſt præfixionẽ termini trium menſium, iſtis citrà ullam Comitis partitionem bis, & ultra elapſis, dubium alias datum, iterum hodiè repropoſui, habuique reſponſum -- *procedendum eſſe ad ulteriora*.

Siquidem, cum idem Comes, detecto

1 onere perpetuo, cui ſubjacet Prædium ab eo venditum, per tria conformia judicata jamdiu condemnatus fuerit ad reſtitutionem pretii in ſumma librarum 8000., & in ſuper acceptando d. rem iudicatam, obtulerit in actis liberare dictam Tenutam à moleſtiis. Re autem vera, & in effectu numquam hactenus illam à prædicto onere liberaverit, viſum eſt retardari amplius non poſſe ejuſdem rei judicatæ, & decreti rotalis exequutionem, ſed procedendum eſſe ad ulteriora in expeditione mandati pro dicta ſumma ſcut. 8000. jam aliàs contra ipſum relaxati, *Clem. ut calumniis de ſent. & re jud.*, *Rota coram Priol. dec.* 50. *num.* 4., & *cor. Bich. dec.* 544. *nu.* 7., & *coram Cerro dec.* 488. *num.* 5.

Attento maximè, quod idem Comes Joſeph

2 Maria jam Senio confectus eſt, undè niſi res judicata poſt tot moras ab eo interpoſitas debitæ tandem exequtioni demandetur, dum ille adhuc in humanis verſatur, facilè timeri poteſt, ne poſtea inanis reddatur quælibet actio, vel ſaltem difficile ejus exercitium, ad *text. in L. prima in fin. C. de dilat.*, *Rota coram Seraph. dec.* 1450. *nu.* 1., & *dec.* 223. *num.* 2. *par.* 16. *rec.*

Neque obſtare DD. authumarunt, quod Comes prædictus interpoſita ad Curiam appellatione à ſententia in partibus lata favore Menſæ, litem in ſe aſſumpſerit, ideoque non poſſit ulterius procedi ad expeditionem mandati executivi, cui locus numquam eſt, niſi, quatenus reus conventus, factum ad quod tenetur non adimpleverit.

Nam cum ex benignitate Sac. Tribunalis

3 præfixo Com: congruo termino ad complendum Judicium moleſtiarum à Menſa illatarum, ipſe nedum intra dictum tempus litem ad exitum non perduxerit, ſed ulterius neque etiam tranſactis pluribus aliis menſibus judicium ullo modo proſequutus fuerit, d. ejus obligatio ſuper moleſtiarum liberatione reddita eſt merè verbalis, & conſequenter minus apta retardare effectum rei judicatæ, & exequutionem decreti Rotalis. Quando enim facto opus eſt, verba non ſuffi-

4 ciunt, ut per *Text. in l. non omnes* §. *fin. ff. de re milit.*, *l. peculium* 4. *ff. de pecul.*, *dixit Rot. cor. Celſ. dec.* 139. *num.* 3.

Et ſanè ex negligentia adeo gravi in eo

5 Judicio contra Menſam proſequendo, quod intra lapſum tot menſium terminari pluſquam commodè potuiſſet, potius argui debet, quod Comes ſuum malum jus recognoſcendo à lite proſequenda deſtiterit, & ſic, quod impoſſibilis ſit, liberatio oneris, & moleſtiarum, quod quidem ferendum non eſt, cum de rigore juris hæredes de Scappis moleſtiam paſſæ, nullo expectato termino, intra quem Comes Judicium contra Menſam terminaret, ſtatim detecto onere, cui Prædium

6 eorum Auctori venditum obnoxium erat, reſtitutionem pretii in ejus emptionem erogati obtinere debuiſſent, dum ipſæ, ut firmatum fuit in dicta mea deciſione §. *Conſtat*, non ſolum egerant contra Comitem pro liberatione à Moleſtiis, ſed etiam cumulando actiones pro reſciſſione contractus, & pretii reſtitutione, in quibus terminis non eſt ab Emptoribus expectandus moleſtiarum, & litis eventus, ut *per tex in l. ſi hominem* 69. *ff. de ſolut.*, *firmant Poſt. reſol.* 118. *num.* 4., & *reſol.* 137. *nu.* 12., & 14., *Urceol. conſ.* 25. *num.* 16. *ad* 11., & *conſult.* 26. *num.* 8., & *ſeq.*, *Conſtantin. ad ſtatut. Urbis annot.* 27. *num.* 25., *Rota in rec. dec.* 324. *nu.* 13. *par.* 10.

Et ita utraque Parte in antecedenti propoſitione audita, hodie autem, altera tantum informante, reſolutum fuit.

ROMANA AFFICTUS SUPER PARTITA SCUT. 300.

Veneris 29. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Partita ferens ſolutionem anticipatam, ſi ſit ſimul referibilis ad antiquam ſolidationem, in quo caſu inveriſimilitudo non obſtet, quin anticipatam ſolutionem reſpiciat, potius, quàm antiquam ſolidationem.

SUMMARIUM.

1 *Partita reſultans ex publico inſtrumento, admittenda omnino eſt.*

2 *Soli-*

2 *Solidatio computorum tollit omnes partitas anteoedentes, de quibus in eadem ſolidatione fuiſſet habita ratio.*
3 *Solidatio nunquam erronea præſumitur, cum præſumptio ſtet pro veritate.*
4 *Solidatio eo magis preſumitur facta ad tramites Juris, ſi aliquas partitas in ea compræhendendas contineret, & non comprehendendas judiciáliter excluderet.*
5 *Inveriſimilitudo, quod debitor perſolviſſet anticipatè, non operatur, ſi ageretur de affictu, qui plures annos compræhenderet, & in fine computorum ſolidatio facienda eſſet.*

DECISIO DCCCXCII.

QUoniam placuit DD. in propoſitione hujus cauſæ die 11. currentis demandare, quod ſuper partita pretii herbarum ſcutor. 300. particulariter videretur, propoſui in hodierna audientia dubium -- *An conſtet de duabus etiam quoad dictam partitam* -- & *affirmativè* reſponſum fuit.

Illa enim (quæ in Deciſione præcedentis inſtantiæ 13. Maii 1712. coram R. P. D. meo Aldrovando eſt in ordine prima) concernit
1 pretium herbarum anni 1697., & viſa eſt admittenda favore illorum de Fulviis, cum ex publico inſtrumento conſtiterit herbas dicti anni fuiſſe à D. Principe venditas aliis perſonis, quam eiſdem Fulviis, qui ideò ad pretium rei, quam non habuerunt, nullo modo tenebantur, ut in præteritis Cauſæ propoſitionibus, & prius coram Perito ex parte ejuſdem Principis admiſſum fuit.

Neque obſtat, quod præfata herbarum venditio aliis facta reſpiciat herbas hyemales anni 1696. uſque ad menſem Martii 1697., & ſic non illas ſpectantes ad Fulvios, quæ depaſci debebant à menſe Septembris 1697.
2 ad menſem Martii 1698. Quandoquidem reſpectu anni 1698., habent Fulvii ſolidationem computorum ipſis factam à Sanctino Miniſtro D. Principis, comprehenſivam etiam pretii herbarum, *ut in preſenti Summario eorundem de Fulviis n.4.*, & ideò, ſi D. Princeps petit pretium herbarum anni 1697., obſtat venditio aliis perſonis facta, à quibus vel pretium conſequutus eſt, vel debet conſequi, ſi verò petit pretium herbarum anni 1698., obſtat præfata ſolidatio, qua mediante ab hac partita Fulvi liberati ſunt, *Rota cor. Coccin. dec. 2002. n. 7.*
3 Non ſubſiſtit replicatio, quod hæc ſolidatio fuerit erronea, quia præſumptio ſtat pro illius veritate, & donec error non probetur, ſuam debet executionem, & effectum habere, *Eſcobar. de ratiocin. cap. 31. num. 5., Cyriac. contr. 180. num. 48. & ſeq., Rot. coram Bich. dec. 197. num 12. & 16.*, & tantum abeſt, quod de ullo errore doceatur, ut potius
4 concurrat ex ipſa argumentum, quod fuerit facta ſumma ponderatione, & diligentia, Sanctinus enim eas partitas à Fulviis propoſitas, de quibus D. Princeps ſatisfactus non fuerat, prout juris erat, excomputavit à ſolidatione, & non admiſit, ut eſt impreſtantia rubr. 60., & reſponſio rubr. 130., undè non dixiſſet herbarum pretium fuiſſe ſolutum, & D. Principi ſatisfactum de eo, ſed pariter exceptuaſſet, niſi verè, & realiter fuiſſet ſolutum, & ſatisfactum.

Et parvi momenti eſt inveriſimilitudo,
5 quod in computorum ſolidatione facta de menſe Aprilis 1698. comprehendatur ſolutio, quę fieri debebat menſe venturi Septembris, itaut magis conſonum eſſet illam referre ad annum antecedentem, 1697., nam ut diximus, pro iſto anno Fulvii nihil debebant, cum herbas non habuerint, undè non poteſt credi voluiſſe earum pretium ſolvere, & non implicat, quod pro anno 1698. voluerint illi anticipatè ſolvere, adeout in ſolidatione computorum reſpiciente totum tempus affictus, & ſic etiam illud quo debebatur pretium herbarum, potuerit talis partita ipſis bonificari.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU SUTRINA CONFINIUM.

Lunæ 1. Aprilis 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria præcedentis ſub die 10. Decembris 1714.

In quo differant termini Territorii confinia denotantes ab iis, quæ Particularium terras dividunt, & deſignant. In hac materia Agrimenſorum judicio multum defertur.

SUMMARIUM.

1 *Termini denotantes confinia, ſunt illi, qui ſeſe ad invicem reſpiciunt directè, non obliquè*, & num. 15.
2 *Amplia, ſi inter duos ex iſtis adeſſent alii termini Particularium bona dividentes per lineam directam*, & n. 17.
3 *Exiſtentia terminorum probata ex deſcriptione acceſſus indubitata efficitur.*
4 *Præſentia Judicis ſupplet omnes legales formalitates.*
5 *Acceſſus quando dicatur factus ſervatis omnibus de jure ſervandis.*
6 *Judicium Peritorum an ſit neceſſarium, pendet ab arbitrio Judicis.*
7 *Peritorum munus eſt concernentia ſimplex factum explere, & Partes Judicis non aſſumere.*
8 *Juramentum non eſt neceſſarium in Peritis, quando adhibentur à Judice pro inſtructione animi tantum, & non ſunt judicialiter electi.*
9 *Amplia, ut neque tertius Peritior ſit neceſſarius, ſi de probandis confinibus agatur, ad quorum comprobationem concurrant teſtes, & inſtrumenta antiqua.*
10 *Terminus, quod reſpiciat, & referendus ſit ad alium exiſtentem in ſummitate montis, non probat, quando in eadem ſummitate*

mitate probetur nunquam terminum extitiſſe.

11 *Probationes adductæ in alia cauſa, intereſſe habentem non citatum non afficiunt.*

12 *Depoſitiones teſtium, & Peritorum, pendente lite expiſcatæ, non citata Parte non relevant.*

13 *Menſurationes factæ ab antiquis Peritis in recognitione confinium, quod potius terminum A., quàm B. reſpiciant, deſumitur ex diſcrepantia catenarum, quæ in termino B., & non in A. reperiretur.*

14 *Termini in quocumque loco ſolent eſſe frequentes.*

16 *Periti Agrimenſores in materia recognitionis terminorum multum attenduntur.*

18 *Termini denotantes confinia, quomodò ſint formati, & ex quibus diſtinguantur.*

19 *Agger non poteſt denotare confinia, ſi de uno termino ad alium directè non protendat.*

20 *Terminus denotans confinia bonorum particularium, nunquam Territorii confinia deſignat.*

21 *Dominium prædii denotatur à termino, & in ea parte, in qua terminus habet in ſe ſigna ſculpta.*

22 *Terminus denotans confinia prædii unius Eccleſiæ, territorii confinia nunquam deſignat.*

23 *Territorii extenſio non probatur ex poſſeſſione recenti, maximè ſi hæc cauſam liti dediſſet.*

24 *Enunciativa dominii facta in inſtrumento cenſus, in præjudicium Tertii nil probat.*

25 *Dominii extenſio, in concurſu probationum, reſultat ex deductis, quæ fundamentum habent in actibus juriſdictionalibus cum aſſiſtentia Juris exercitis.*

DECISIO DCCCXCIII.

BAſſani Territorium ad D. Principem Juſtinianum ſpectans in ea parte, qua contermium eſt cum Tenuta Vicarelli, quæ eſt de jure Ven. Collegii Germanici, & Ungarici Urbis per lineam rectam ſe protendere uſque ad Confines deſignatos in planta ejuſdem D. Principis *n.1. & 9.*, reſponſum fuit die 10. Decembris proximè præteriti coram Me in excluſionē dicti Collegii prętendentis illos juxta diverſam plantam non rectam, ſed ſemicircularem, & obliquam lineam efformare. Conceſſa ex DD. benignitate adverſùs deciſionem tunc editam nova audientia, propoſui hodie congruum dubium, & DD. -- *ſtandum eſſe in deciſis* - cenſuerunt.

Poſita ſiquidem exiſtentia dd. duorum principalium terminorum primi, & noni denominat *de Tre confini*, & quia trium locorum Confines hinc indè demonſtrant, plura concurrunt argumenta ad oſtendendum, quod ſe mutuò debeant intueri per rectam
1 lineam, & non in obliquum. Ex theorica enim *Bartol. in tract. Tyberiad. figur. 20. circa finem*, habemus, quod ita ſolent, ac debent apponi, ut invicem ſe directè, & non obliquè reſpiciant, ut præter allegatos in *Deciſione quæ revidetur*, firmant etiam *Maſſin. de confiſcat. q.11. n.43.*, *Bonden. collect. legal.39. ſub n.13. lib.1.*

Præter hanc juris regulam, evidens habetur ex facto demonſtratio, quoniam, ut plenè conſtabilitum fuit in *dicta mea deciſione*
2 *§. Secundo quia & ſeq.*, intermedii ad dd. principales terminos *de i tre Confini*, adſunt alii ſeptem termini nuncupati *Felcetone*, *Macchione di Mattia Corſi*, *Monte Saſſano*, *la Caſa di Bartolone*, *Val d'Agliari*, *Monte longo*, & *Val Conteſſa*, iique directam lineam, & non obliquam conſtituunt,
3 abſque eo quod de eorum exiſtentia ambigendum ſit, cum juſtificetur ex Judiciali DD. acceſſu ad differentiæ locum, eorumque oculari viſione, ex quibus ſuperlativa, & undequaque concludens probatio deducitur, *Poſtb. de manut. obſerv.101. num.5.*, *Rot. dec.472. n 17. & 30. p.19. rec.*, & nuperrimè *in Romana expurgationis ſovei 18. Martii mox elapſi §. Quod verò cor. Me.*

Neque ad elidendam vim iſtius argumenti objici poteſt nullitas, & illegalitas prædicti acceſſus, ex quo factus non fuerit ſervata cenſura *Tex. in cap. quia indicante 9. de præſcript.*, & *in L ſi irruptione 8. §. Ad officium ff fin. regund.* Etenim (ultra quod
4 regulariter præſentia Judicis tanti ponderis eſt & efficaciæ, ut omnes legales ſuppleat formalitates) examinando ſingulariter, & quæ in illo ſervata ſunt, & quę aſſeruntur omiſſa, plenè convincitur factum extitiſſe cum omnibus ſolemnitatibus, quæ pro illius validitate, & integritate requiri poterant.
5 Quandoquidem ſolemniter deſtinatus fuit ab hoc Sacr. Tribunali, prævia citatione Partis, & decreto per Me interpoſito pro diebus certis, & peractus extitit cum aſſiſtentia Miniſtrorum hinc indè, atque intervenientibus Peritis Agrimenſoribus ab utraque Parte electis, ut *in illius inſtrumento §. 1. & ſeqq*, ac per Notarium Sac. Rotæ deſcriptis omnibus hinc indè per Partes in contradictorio auditas deductis, ex quibus omnibus pro legalitate acceſſus requiſitis ſatisfactum fuit, ut tradunt *Tiber. Salust. in prax. lib.2. cap.43. n.2. & ſeq.*, *Poſtb. de manut. obſerv.101. num.1.*, *Card. de Luc. de Judic. diſc.24. n.2.*

Hinc minimè relevat, quod Peritorum judicium exquiſitum non fuerit, quod ii juramentum non præſtiterint, neque fuerit
6 Tertius in caſu diſcordiæ deputatus. Quoniam, quod eorum judicium exquiratur nullo Judici præfinitum eſt, ſed ejus remiſſum arbitrio, *Tondut. quæſt. civil. p.2. cap.107. n.22.*, *Rot. dec.339 n.16. p.19. rec.*, cum munus
7 illorum ſit, dum in quæſtione finium regundorum adhibentur, agros menſurare, terminorum proſpectus inſpicere, & oſtendere, aliaque purum concernentia factum explere, judicium verò prodire debet ex ore Judicis, ad quem ſpectat, ex probationibus hinc indè factis, controverſię definitio, ut in terminis monent

monent *Peregr. conſ.114. n.5. lib.3., Card. de Luc. cit.diſc.24. n.11. de judic.*, & regulare eſt, quod Periti Judicis Partes nunquam debent aſſumere, ne excedentes officii ſui terminos dicantur Sutores ultra Crepidam, ut probant Scribentes in *L.2. ff ubi pupilli educ. deb.*, & *in L. fin. C. de alim. pupill. præſtan.*, & ait *Rot. dec.112. n.3. & ſeq.p.4. recent.*

8 Juramentum verò, cum non fuerint judicialiter electi, ſed ſolùm adhibiti pro inſtructione animi DD., qui non ſolùm ex eorum dicto, ſed ex aliis quoque probationibus, ut argumentis ſententiam ferrent, præſtare non tenebantur, *Pariſ. conſ 56. num.13. lib.2., Tuſch. practicar. concluſ. litt. P. concluſ.*
9 *286. n.26., Barz. dec.22. nu.12.* Idque tollit etiam neceſſitatem deputandi tertium, cum imò in his terminis ſatis etiam ſit, ſi unus adhibeatur, ut præcisè explicando *Tex. in cap. quia indicante in obiect. allegat*, & diſtinguendo, probat *Gonzal. ſub n.4. verſ. his ergo omiſſis*, ibi -- *dicendum eſt, quod licèt in caſibus, in quibus ex iudicio Agrimenſorum Agri, ſeu fines regundi ſunt, duo, aut tres eligantur, qui non tam ut Teſtes, quàm ut Judices deponant, tamen in præſenti ſpecie, cum ex Teſtibus, vel Inſtrumentis conſtaret de limitibus, ſeu finibus Monaſteriorum, ideò Judex Syracuſanus re comperta, unius tantùm Agrimenſoris miniſterio utebatur ad fines regundos, non ut ex eorum depoſitione ſententiam proferret* --, & ita practicatum fuit in *Neapolitana Mercedis 23. Martii 1686. cor. bo.me. Benincaſ.*, & *in Romana fideicommiſſi de Avila, ut in deciſ. 10. Februarii 1710. cor. Me.*, ubi ſub §. *Sed ſubſequutas ſimilia exempla referuntur.*

Minuſque opponi valet, quod ſi fuiſſent auditi Periti ſuper terminis *de i tre Confini*, & obſervatus juxta regulas artis Agrariæ eorum proſpectus per angulum, compertum fuiſſet illos reſpicere alium terminum exiſtentem in ſummitate *di Montelongo*, ut depoſuerunt Agrimenſoris, *hodierno ſummario Collegii n.1. & 2.*, & ſic lineam protrahi non in directam, ſed in obliquam, juxta plantam Simonis Rotundi impreſſam in *deciſione edita in Romana, ſeu Portuen. Tenutarum ſuper exceſſu quoad Vicarellum 26. Martii 1708. cor. R.P.D. meo Anſaldo.*

10 Ut namque aliquam ſubſiſtentiam haberet hæc oppoſitio, prius probanda foret exiſtentia termini in ſummitate *di Montelongo*, quæ tamen hic neque reſpectu præſentis, neque præteriti temporis concurrit, itaut omnia in contrarium deducta, ſuper ſubjecto non ſupponente cadant, & conſequenter inutilia prorsùs remaneant, ad *regul. tex. in l. eius qui in Provincia 41. ff. ſi cert. pet., & in l. ſi ſervum §. fin. ff. de act. empt.*, de qua *Rota cor. R.P.D. meo Anſald. dec.63. num.4.*, & paſſim.

Et ſanè quatenus ad ejus probationem de-
11 ducuntur planta prædicta, Peritorum relationes, & depoſitiones Teſtium, quæ in antiqua lite inter Ven. Collegium, & Brachiani Duces prodierunt, nullius hæc omnia roboris eſſe poſſunt contra d. Principem modernum Actorem, cum ipſe tanquam in prima admiſſus fuerit ad cauſam, undè illi nocere non poſſunt, ex plenè adductis *in deciſ. quæ revidetur §. Sed de facili*, præſertim quia ſunt res inter alios, & in alia diverſa cauſa peractę, ut dictum fuit in *cit. Romana Fovei 18. Martii proximè præteriti §. Abſque his poſitis cor. Me.*

12 Quatenùs verò afferuntur depoſitiones prædict Agrimenſorum, ſufficit, omiſſis alijs, reſponſio, quod prodierunt, pendente lite, & Parte non citata, undè nullam fidem promereri poſſunt, *Rot. dec.509. num.17. p.19. rec. tom.2., & in eadem Romana expurgationis Favei §. Hinc fruſtra cor. Me.*

Sed ad rem propiùs accedendo pro totali hujus objecti eliminatione, plures DD. facti circumſtantias ponderabant, ex quibus reſpicientia termini *di tre Confini* à parte Sutrii ad aſſ. terminum *di Montelongo*, totaliter excludi videbatur. Et primò præmittentes, quod tam in plantis antiquitùs diſtributis, quàm in Partium informationibus, & Peritorum relationibus illi termino, qui in citata planta Deciſionis R. P. D. mei Anſaldi connotatur *num. 7.*, nulla unquam data fuit denominatio, animadvertebant DD., quod juxta Scalam Cathenarum, quæ repetitur in eadem planta Simonis Rotundi Periti in d. lite electi pro Collegio Germanico, iterùm impreſſa ad partes, conſtat d. terminum intermedium poſitum inter alios invariabiles *di tre Confini* inibi deſignatos *num.* 6. & 8. non eſſe in ea diſtantia, in qua hodie ponitur à dictis terminis, ille enim, qui hodie aſſeritur eſſe *di Monte longo*, diſtat à ſexto termino Sutrium versùs exiſtente Catenis 180., ille verò in d. planta Simonis Rotundi appoſitus, diſtat ab eodem ſexto, termino Cathenis 140., & juxta hanc menſurationem verificatur de alio termino nuncupato
13 *Poggio termine*, adeout argumentum præſtet hæc circumſtantia ad credendum, quod antiqui Periti plantas, & menſurationes eo tunc facientes cum mentione termini intermedii, intellexerint de iſto *di Poggio termine*, cui dicta menſura correſpondet, non verò de aſſerto alio termine *di Monte longo*, cui propter diſcrepantiam 40. circiter Cathenarum adaptari non poteſt, ita ſingula ſingulis congruè referendo, juxta *regul. Tex. in l. 4. §. Toties ff. de damn., l. hos accuſare §. Omnibus ff. de accuſ. cum aliis apud Soccin. iun. conſ.12. n.14. lib 3., Peregr. de fideicom. art.23. n.47.*

Ponderabant ſecundò Domini, quod inter prædicta certa confinia, & prætenſum aliud *di Monte longo* ſpatium intercedit duorum, & ultra milliarium, quod ſummopere eſt in-
14 veriſimile, cum frequentiores, ut experientia docet, eſſe ſoleant termini in quocumque loco, & quod plus eſt intermedius ſitus eſt montuoſus, qui nullatenùs patitur terminos

in

in ſuperficie terreni poſitos invicem ſe conſpici, & diametralem correſpondentiam habere, undè ſi illic trahenda eſſet linea terminalis, & diviſoria Territorii, dupliciter inflecteretur, tam ſcilicet in ſuperficie terreni propter aſcenſum & deſcenſum ſitus
15 montuoſi, quàm etiam in linea directa, quæ dari omninò debet ab uno confine ad aliud, juxta regulam Juris in præterita deciſione firmat. §. *Et ſanè*, & in præſenti ſuperiori §. *Poſtea*, cum qua concordant Peri-
16 ti Agrimenſores relati in *præterito Summario D. Principis n.*10., in hac materia plurimum attendendi, ut cum aliis adductis d. §. *Et ſanè*, probat *Sperel. dec.*178. *n.*28., & *R̃mus Zaul. ad ſtatut. Favent. lib.*3. *rubr.*37. *num.*2.

Tertiò demum, quod inter dd. duo confinia
17 per lineam rectam, & non obliquam adſunt, & de facto in acceſſu adinventi fuere plures termini, ut ſupra dictum eſt §. *Præter banc*, ex quibus, licet aliqui nonnullas pati poſſint exceptiones, ut in deciſione, quæ revidetur §. *licet*, plurimi tamen, omnia habent ſigna, omneſque demonſtrationes, ex quibus om-
18 nino termini diviſorii inter Territoria cenſeri debeant, cum ſint ſaxa in diverſas figuras efformata, & manufacta cum ſignis Teſtium ex lateribus, ut ibidem probatum fuit § *Secundo quia*, ex quo concludendum neceſſe eſt, quod linea nullatenus ſit protrahenda verſus locum *di Monte longo*, dum alias dd. termini intermedii fruſtratorii remanerent, & ſuperflui, ut de ſe patet.

Nec poteſt haberi ratio de aſſerto Aggere vulgo nuncupat. *il Montone*, quem deſervire prætendunt Scribentes pro Collegio directioni Terminorum ad eumdem locum,
19 cum enim ille continuus non ſit, neque ſe protendat à termino *di tre Confini* ad d. locum *di Monte longo*, nullum poteſt argumentum præſtare diviſionis, reſpectu præſertim Territorii, & in concurſu certorum terminorum, imò in deficientia termini, ad quem ille perduci poſſit, cum ut ſupra dictum eſt, ad conſtabiliendam ſituationem, & exiſtentiam termini *di Monte longo*, nulla huc uſque probatio adducta fuit.

Multoque minus affirmari poteſt, quod ex alia parte versùs Oriolũ pro conſtituenda linea directa, ad eumdem pariter locum inſpicienda ſit rectitudo termini *di Tre confini* cum alio *di Fonte Vitabbio*, & iſtius cum
20 altero ſæpedicto *di Monte longo*, nam ultrà alias reſponſiones, proſternit obiectum animadverſio, quod præfatus terminus *di Fonte Vitabbio* non eſt, ut requireretur pro hujuſmodi effectu, diviſorius Territorii, ſed particularium bonorum habens inſculpta Stemmata familiarum Anguillariæ, Cæſiæ, & Mutæ, quæ olim in partibus lateralibus ejuſdem Territorii Baſſani bona poſſidebant, ut demonſtratum fuit in deciſ., quę confirmatur §. *Neque*. Unde non poteſt pro diviſione Territorii locorum inſervire, & in diverſam totaliter ſpeciem flecti, quæ diſtincta cæteroquin eſſe debet, ut cum aliis in eadem dec. relat. §. *Si vero*, probat *Rota in Fanen.*, *ſeù Senogallien. Caſtri, & bonorum Montis Portii* 14. *Junii* 1709. §. *Non ſubſiſtente cor. R̃mo P. D. meo Molines Decano*. Quodque ſummopere notabile eſt, Terminus iſte, juxta ejus deſcriptionem factam in acceſſu in ea parte, qua Vicarellum reſpicit, habet inſignia Comitum de Anguillaria, olim Dominorum Baſſani, & ab altera parte reſpiciente Baſſanum, illorum de Mutis, undè remanet etiam comprobatum, eam partem, quam reſpiciunt Stemmata Comitum de Anguillaria ſpectaſſe ad eoſdem, cum certum
21 ſit illa inſculpi conſueviſſe in ea parte, quæ proprium Territorium intuetur, ut præcisè teſtantur *Urceol. conclſ.*38. *n.*56., *Franciſc. Marc. dec.* 170. *n.* 4., & *ſeqq. p. prima*, & hoc hujuſmodi ſuppoſitæ lineę rectitudinem totaliter excludit, cum illa ita ducta interſecaret bona, quæ juxta hanc demonſtrationem, Territorio Baſſani includuntur.

Pari facilitate Collegium repellitur, quatenùs innixum Peritorum relationibus pro termino intermedio, recurrit ad illũ factum ex parva Columna vulgò *Colonnetta*. Hic
22 enim de alio verificari non poteſt, quàm de eo exiſtente *in Poggio termine* in hanc formam conſtructo, qui tamen, ut in actu acceſſus inſtrumento publico demonſtratum extitit, eſt diviſorius bonorum Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Aſſumptionis Baſſani, ideoque eaſdem patitur exceptiones, quas alius mox dictus *di Fonte Vitabbio*

Nullius denique roboris ſunt, quæ deducebantur ex poſſeſſione à Collegio capta Tenutæ Vicarelli uſque ad cacumen *di Monte longo* occaſione devolutionis, & ex Inſtrumento cenſus impoſiti à Bracchiani Duce ſuper eadem tenuta, cum enunciativa, quod
23 eſſet rubr. 500. Quo enim ad poſſeſſionem, tanquam actus recens, qui cauſam dedit præſenti liti, non meretur attendi, imò debet emendari, quemadmodum factum fuit in alia cauſa cum Duce Bracchiani in eadem poſſeſſione pariter exceſſum paſſo, ut dixit *Rota in dec.* 1086. *n.* 15., & *ſeqq. cor. Emer.* Quo verò ad enunciativã emiſſam in Inſtrumento cenſus, cum illa tendat ad magis alliciendos eos, qui pecuniam cenſui dant, teſte *Rot. dec.* 286. *n.* 2. *cor. Cerro*, & *deciſ.*
24 1256. *ſub nu.*2. *cor. Emer.*, contra tertium nullam probationem conſtituunt, plenè *Rot. cor. Emer. jun. dec.* 115. *nu.* 7., *Rota deciſ.* 304. *nu.* 2. *p.* 11., & *dec.* 494. *nu.* 26. *p.* 19. *rec. to.* 2.

Reſpectu teſtium, & actuum jurisdictionalium, qui hinc inde à partibus aſſerebantur, DD. remiſſivè ſeſe habuerunt ad aliam meam deciſionem, hoc unum repetentes,
25 quod potiores eſſe debent adducti pro D. Principe, cum Juris aſſiſtentiam habeant, & aliis jungantur probationibùs, hactenus ejus favore perpenſis.

Et ita Partibus iterum auditis, & acerrimè informantibus reſolutum &c.

EUGUBINA FIDEICOMMISSI SUPER CAUTHELA ANGELI.

Veneris 5. Aprilis 1715.

ARGUMENTUM.

Fideicommiſſum dicitur ad ulteriores deſcendentes de primo inſtituto progreſſivum, & non ad iſtius mortis caſum tantum reſtrictivum, juxta 21. *Oldradi conſilium*, quando in teſtamento vehementer colligantur coniecturę, agnationis conſervationem præſeferentes, & fideicommiſſi perpetuitatem. Prælegata licet ſint opulentia à Fideicommittente ſcripta, ſub fideicommiſſo cadere non præſumuntur. Creditor hæredis gravati ea omnia exercere jura poteſt adversùs fideicommiſſum, quæ ex detractionum titulo, Dotis Maternæ ſcilicet, & ſimilium gravato hæredi competerent.

SUMMARIUM.

1 *Sententia tranſit in rem judicatam, niſi intra decemdium à reo non appelletur.*
2 *Renunciatio liti in poſſeſſorio non efficit, quod in petitorio cauſa vigens non remanſerit, pro cujus proſecutione opus non eſt nova commiſſione.*
3 *Clauſula* Quam, &Quas, *cauſas etiam futuras à negocio principali dependentes amplectitur.*
4 *Deſcendendentia probatur ex fidibus Baptiſmi, & publicis antiquis inſtrumentis.*
5 *Subſtitutio non expirat per obitum inſtituti cum filiis, juxtà conſilium Oldradi, quando adſunt coniecturæ fideicommiſſi perpetuitatem denotantes, & quæ ſint iſtæ, vide in* num. ſeq.
7 *Status fideicommiſſi in Rota firmatus, incidenter corrigendus non eſt per alteram diſtinctam deciſionem.*
8 *Voluntas Teſtatoris pro excludendo onere in fideicommiſſo eſt interpetranda, & attendenda, & quomodò.*
9 *Teſtator, ſi privaſſet prælegato Titium in caſu delicti, non exinde ſequitur, quod iſtud jus prælegati aliquam patiatur reſtrictionem præſcindendo à crimine patrando, ſemper vero liberum Legatario remanet, & vide caſum.*
10 *Verba generalia, et indeterminata ad certos effectus non reſtringuntur.*
11 *Prælegata non veniunt in reſtitutione fideicommiſſi univerſalis favore hæredis inſtituti cum clauſula --* In omnibus aliis autem ſuis bonis inſtituit &c.
12 *Opulentia prælegati vehemens non eſt circumſtantia ad arguendum, quod prælegatum veniat in fideicommiſſo compræhendendum, & vide rationem.*
13 *Creditor habens obligata omnia jura ſui debitoris, detrahere poteſt credita, quę ex bonis fideicommiſſi debitor ipſe detrahere poſſet ex quovis titulo.*
14 *Correus debendi fit ille, qui in inſtrumento quietantiæ indiſtinctè cum altero ſe dotem recepiſſe fateretur.*
15 *Confeſſio proprii Authoris ſuper dote recepta, afficit Succeſſorem jure proprio venientem.*
16 *Detractio dotis ex fideicommiſſo prohibita non præſumitur.*
17 *Cauthela Angeli, ut arceat Creditores, claris probationibus debet eſſe ſuffulta, & ex ſola turbiditate reiicitur.*

DECISIO DCCCXCIV.

AGentibus Andrea, aliiſque de Savinis coram A. C. Cincio pro reſtitutione Dotis Margaritæ Savinæ in ſcutis biſmille, cui factus eſt locus per obitumJoannisBaptiſtæ Viri ſine liberis, allegarunt Robertus, & Carolus de Benamatis iſtius ſucceſſores vulgatam Cauthelam ab Angelo de Peruſio traditam *in l. à Divo Pio §. Si ſuper rebus ff. de re judic* vigore fideicommiſſi àMario Seniore de Benamatis inſtituti, & eorum favore nuper canonizati à SacraRota coram R.P.D. meo Criſpo, ut ex deciſione edita 19. Januarii 1814. cum ſucceſſiva Sententia, quæ ob non interpoſitam legitimo tempore appellationem, rei judicatæ vim acquiſivit.

Propterea ut iſtud removerent obſtaculum, ex quo libera mandati jàm reportati exequutio ipſis præpediebatur, adiverunt Savini Signaturam Juſtitiæ, & adversùs dictamSententiam obtinuerunt ſignari Commiſſionem cum clauſula -- *De cauſis reſtitutionis in integrum* -- eaque mihi directa una cum alia, quam cum eodem reſcripto Petrus Antonius Marionus, & Angelus Dominicus, aliiſque Benamati Callienſes, qui in executione d. rei judicatæ ſe læſos prætenderunt, propoſui hodiè duo dubia unum ad inſtantiam dictorum Marioni, & Angeli Dominici -- *An, & ad quem effectum conſtet de re judicata, ſeù potius de cauſis* -- Et cum in iſtius examine Marionus ſe reſtringeret ad detractiones, & in ſubſidium ad oblationem pretii loco Domus in executione comprehenſę; Angelus Dominicus vero ad exceſſivitatem, remittendo ſe quoad exiſtentiam, vel non exiſtentiam fideicommiſſi ad deducta in alio dubio per Savinos, hinc DD. de circumſtantiis facti non ſatis edocti, reſcripſerunt -- *Iterum proponatur, & concordetur factum* -- Alterum vero ad inſtantiam illorum de Savinis -- *An conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, ſeu potius de re judicata, itaut ſit ſervanda Cauthela Angeli* -- Et hinc DD. reſponderunt *conſtare de re judicata, & ſervandam eſſe Cauthelam Angeli juxta modum* -- inferiùs exprimendum.

Motivum hujus reſolutionis illud fuit,
1 quod ſententia R.P.D. mei Criſpi ob non interpoſitam intra decendium à Jure ſtatutum appellationem, rei judicatæ auctoritatem aſſumpſit, juxtà *text. in cap. Romana §. Si verò, & cap. Non ſolum de appellat. in 6.* ibique *Gloſs.*, *Rota dec. 86. n. 5. p. 17. rec.*, *& in Peruſina Dotis, & fructuum 6 Martii 1713. §. Nulla cor. R.P.D. meo Aldrovando*, Nec ſubſiſtere viſæ ſunt exceptiones nul-

nullitatis, & iniuſtitię, quæ ad læſionem oſtendendam deducebantur, ut locus eſſet in integrum reſtitutioni.

Quo ſane ad nullitatem, fruſtra opponebatur præſens Judicium fuiſſe à Roberto, & Carolo de Benamatis in hoc Sacro Auditorio introductum vigore litis antiquitùs diſcuſsæ cor. bo. mem. Ottalora, Calathajù, & Albergato reſpectu poſſeſſorii: Quodque ideo opus fuiſſet nova Commiſſione, quæ juriſdictionem, alioquin per renunciationem Partium extinctam, tribueret in petitorio, quia cum d. renunciatio ad Poſſeſſorium
2 reſtricta eſſet cum præſervativa jurium in petitorio competentium ſubſtantiata jam in Tribunali juriſdictione ſuper omnibus vigore clauſulæ -- *Cum omnibus annexis, inciden., dependen. &c., & quam, & quas*, licet expiraverit ſuper poſſeſſorio, viva tamen, & vigens ahùc remanſit ſuper petitorio, in
3 quo hodie agitur, abſque ope novæ Commiſſionis ratione importantię d. clauſulæ, quæ cauſas etia futuras compręhendit, *Rota dec.* 332. *nu.* 7. *p.* 15., *dec.* 381. *n.* 6., *& dec.* 631. *n.* 4. *p.* 18., *& dec.* 556. *n.* 12. *p.* 19. *rec. to.* 2., & operatur introductionem litis etiam in petitorio, *Rota in dec.* 125. *n.* 15. *cor. Sa. me. Greg. XV.*, *dec.* 27. *n.* 8., *& ſeq. coram Zarat.*, *& dec.* 84. *n.* 34., *& ſeq. cor. Cardinali Cerro*

Quo vero ad iuſtitiam, ſatis illa emergere viſa eſt ex dicto fideicomuniſſo Marii, ejuſque purificatione tam favore Joannis Baptiſtæ ultimo loco defuncti, quam favore Roberti, & Caroli poſt obitum ejuſdem Jo. Baptiſtæ ſubſtitutorum, juxta deducta *in Deciſione diei* 19. *Januarii* 1713. §. *Ad fideicommiſſariam*, *&* §. *Hucuſque cor. R. P. D. meo Criſpo*. Abſque eo quod revocari
4 poſſet in dubium eorumdem deſcendentiaį, cum plenè probata ſit ex publicis Inſtrumentis, ex Libris Baptiſmalibus, aliiſque documentis, quæ communiter in hac re admittuntur, *Rot. dec.* 38. *num.* 9., *& deciſ.* 46. *nu.* 38. *coram R. P. D. meo Anſaldo*, & cum aliis *in Gerunden. Jurispatronatus* 4. *Februarii mox elapſi* §. *Hac vero coram Me*.

Nec prædicta vocatio Joannis Baptiſtæ, aliorumque ſubſtitutorum, caduca effecta fuit per obitum Decii, & Alexandri primo inſtitutorum cum filiis, juxtà *conſil* 21. *Oldrad.*, quoniam ab hac Sententia, concurren-
5 tibus conjecturis diverſam teſtatoris voluntatem præſeferentibus, paſſim recedi ſolet, *Rot. in Rom. Primogenituræ de Fabiis* 12. *Decembris* 1707. §. *His autem cor. bo. me. Omanna*, *& in Romana Locorum Montium* 4. *Junii* 1714. §. *Quoniam coram R. P. D. meo Anſaldo*, *&* 28. *Novembris ejuſdem anni* §. *Quoniam theorica coram Me*. Hic vero concurrunt plures ex iis, quæ graviores à Doctoribus eſſe cenſentur, & quidem
6 adeſt in teſtamento Marii digreſſus ad plures ſubſtitutionum gradus cum vocatione non ſolum deſcendentium remotiorum in tota linea Joan. Baptiſtæ, ſed etiam Agnatorum, & Collateralium, item reciproca ſubſtitutio ſine ulla detractione inter filios primi hæredis inſtituti, & contemplatio demum Agnationis in prohibitione alienationum, & detractionum ſpecificè volita, quę omnia limitationem præfatæ theoricæ *Oldradi*, & progreſſivitatem fideicommiſſi procul dubio importare, præter adducta *in citata Deciſione R. P. D. mei Criſpi* §. *In Joannis*, *& ſeqq.*, diſcuſſo articulo firmatum fuit *in citata Romana locorum Montium coram R. P. D. meo Anſaldo*, *& coram Me per tot*.

Quantitatem autem hujùs fideicommiſſi nullatenus DD. dubitarunt conſiſtere in ſcut. 1406. obul. 50., quemadmodum conſtabili-
7 tum fuit in Deciſionibus in antiquo Judicio editis, & impreſſis *par.* 14. *dec.* 100. *par.* 15., *deciſ.* 121., *& par.* 16. *dec.* 24., *& deciſ.* 216., quæ interim ſunt ſupponendæ, nec debent incidenter corrigi, aut revocari. Præſertim quia in earum ultimis fuit firmatus ſtatus hæreditarius de ordine Sacri Tribunalis, & fideicommiſſum nullatenùs excedere prædictam ſummam ſtabilitum extitit, unde major ſubſiſtentiæ, & veritatis præſumptio locum habet.

Abſque eo quod augumentum recipere poſſit ex prælegato Bonorum ab eodem Mario relictorum Joanni Baptiſtæ fratri; quidquid enim fuerit dictum in contrarium in præcedenti inſtantia coram R. P. D. meo Criſpo, DD. meliùs hodiè rimatis facti circumſtantiis, in aliam devenere ſententiam.
8 Ex iis namque plenè conſtitit de voluntate ipſius Teſtatoris, omnem oneris excluſionem in præſenti demonſtrante, & hæc præ ceteris in hac materia venit attendenda, juxta firmata *in eadem Ddeciſ. R. P. D. mei Criſpi* §. *Reddita*. Et in primis occurrit littera ipſius
9 prælegati, quæ importat reſtitutionem Jo. Baptiſtæ Prælegatarii *in univerſum Jus*, quod habebat in Bonis prælegatis, antequam ratione delicti ab ipſo commiſſi, illis privaretur, ſicut autem ante delictum Jus, quod habebat in dictis bonis non erat affectum oneri reſtitutionis, ita neque illud à Teſtatore ſuperadditum dici poteſt, alioquin non fuiſſet Joannes Baptiſta reſtitutus *in univerſum Jus*, quod per contrariam interpretationem diminueretur in proporietate, itaut repoſitio indefinita *in univerſum Ius*, quamlibet excludat reſtrictionem, & porrigatur ad liberum quoque rei prælegatæ dominium, ut hæc verba expendendo, firmant *Langunez de Fruct. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 7., *& ſeqq.*, *Manſ. conſult* 258. *num.* 99., *Rot. dec.* 239. *num* 6. *& dec.* 148. *num.* 2., *& dec.* 665. *num.* 17. *cor. Cerr.*, & cum aliis *in Romana fideicommiſſi* 2. *Novembris* 1702. §. *ſed clariùs cor. R. P. D. meo Sootto Almæ Urbis Gubernatore*, nec poſſunt dicta verba referri ad merum jus honorificum, & abolitionem memoriæ delicti commiſſi, *ut in d. deciſ* §. *His denique coram. R. P. D. meo Criſpo*, quia cum ſint ge-
10 neralia, & indeterminata, non poſſunt ad certos effectus reſtringi, ſe d ad omnia porrigun-

riguntur, *l.* 1. ibique *Gloſſ. verb. Omnibus*, *ff. de alien. Judic. mutan. cauſ. fact.*, *l. Julianus*, & ibi pariter *Gloſſ. verb. Omne ff. de legib.*, *Soccin. Jun. conſ* 131. *num.* 24. *lib.* 1., *Rota dec.* 35. *num.* 4., *& dec.* 143. *nu.* 2. *poſt. Conſtant. ad ſtatut. Urb.*, *& dec.* 799. *num.* 3. *cor. Emerix Iun.*, *& dec*, 144. *num.* 10. *coram Benincaſa*.

Id ipſum ſuadet littera inſtitutionis, & ordinationis fideicommiſſi, quæ diſcretivè reſtricta eſt ad omnia alia bona teſtatoris, ibi -- *In omnibus autem ſuis aliis Bonis*, quibus
11 concurrentibus, prælegatum in fideicommiſſo non comprehenditur, ut docuit *Bart. in l. Si quis ſervum* §. *final. de legib.* 2., & ſequuntur *Peregrin. de fidec. art.* 7. *num.* 44., *Fuſar. de ſubſtit. quæſt.* 650. *num.* 24. *& ſeq.*, *Rot. dec.* 48. *num.* 27. *cor. Coccin.*, *cor. Bich. dec.* 449. *num.* 4., *coram Emerix dec.* 49. *nu.* 4., *cor. R. P. D. meo Anſaldo deciſ.* 66. *num.* 4., *in Recent dec.* 112. *num.* 4. *par.* 11., *dec.* 60. *num. pariter* 4. *par.* 17., *& in Bononien.*, *ſeu Imolen. Bonorum* 12. *Iunii* 1693., *& in confirmatoria* 11. *Ianuarii* 1694., utrobique §. *Voluntas cor. b. me. Urſino*, *& in Interamnen. fideicom.* 27. *Ianuarii.* 1697. §. *Ulterà*, *&* 4. *Iulii ejuſdem anni* §. *Comprehenſio coram bo. me. Pio*.

Nullatenus relevante ejuſdem prælegati
12 opulentia, & quantitate, medietatem hæreditatis abſorbente, quia quemadmodum erat in arbitrio Teſtatoris fideicommiſſum inſtituere, vel non, ita dubium eſſe nequit, quin potuerit illud reſtringere ad alia bona, aliis liberè favore Joannis Baptiſtæ prælegatis, adeòut hæc opulentiç conjectura nimis vaga ſit, nec mereatur attendi, juxta deducta cum concordantibus in *Senogallien. Immiſſionis* 28. *Novembris* 1712. §. *Quoniam in actibus cor. R. P. D. meo Falconerio*.

E contrario DD. quantitatem illam ſcut. 1406., in quo antiquitus fideicommiſſum, de quo agitur ſtabilitum fuit, diminui cenſuerunt ex aliquibus detractionibus adverſus illud competentibus, & præſertim ex dote Magdalenæ Uxoris Joannis Baptiſtæ Senioris primi hæredis gravati, quæ cum in ſcutis 2000. conſiſteret, & fuerit communitèr recepta à Mario Fideicommittente, & dicto Joanne Baptiſta fratribus, quilibet eorum remanſit debitor pro medietate, iſta medietate ſubdiviſa reſpectu Marii in duos Columnellos Decii, & Alexandri, tetigit cuilibet rata ſcut. 500., qua detracta à dicta ſumma ſcut. 1406. in antiquo Judicio pro Columnello Decii ſtabilita, remanent ſcut. 906. in portione fideicommiſſaria à dicto Alexandro proveniente, quam Robertus, & Carolus vigore fideicommiſſi Marii poſſunt obtinere.

Neque ad hanc detractionem excludendam poteſt allegari, quod pro credito hujus Dotis non agant Creditores Mulieris, ſed Savini Creditores fideicommiſſi, cum namque prætendant dicti Robertus, & Carolus
13 tueri ſe in poſſeſſione Bonorum occupatorum titulo dicti fideicommiſſi in præjudicium Creditorum, utique licitum his eſt omnia Jura deducere, quibus oppoſitus fideicommiſſi titulus reſolvitur, & proponere competentiam detractionum ſuper Bonis Fideicommiſſariis, itàut in parte detrahenda, crediti ſatisfactionem conſequantur, *De Luc. de Fideic. diſc* 246. *num.* 8., *&* 9., *Rot. dec.* 50. *num.* 65. penès *Merlin. de Pignor.*, & cum aliis *dec.* 390. *num.* 11., *et ſeq. par.* 18. *Recen.*, & pleniùs *dec.* 254. *num.* 5., *& ſeq. par.* 16. *Recent.*

Minuſque ſubſiſtit, quod Marius in receptione hujus dotis ſe geſſerit tamquàm Fidejuſſor Joannis Baptiſtæ, quodque, & illius quantitas fuerit comprehenſa in fideicommiſſo, & prohibita ejus detractio, ut in *Dec. ſæpè citat. R. P. D. mei Criſpi* §. *Ad retardandam*, *et* §. *final.*; reſpectu ſiquidem ob-
14 ligationis Marii, illam fuiſſe æque principalem cum Joanne Baptiſta, clarè conſtat ex Inſtrumento quietantiæ ab utroquè indiſtinctè emiſſę cum confeſſione illius ſolutionis, quapropter dici debet non Fidejuſſor, ſed
15 Correus debendi etiam in præjudicium Succeſſorum, & cauſam ab eo habentium, quos afficit ejus confeſſio, *Text. in l. Ubi adhuc. C. de Dot.*, *Rota poſt. Conſtant. ad Stat. Urb. dec.* 27. *num.* 10., *inter collect. per Balanc. tit. de dot. deciſ.* 22. *num.* 14. *par.* 10. *Recent.*, *deciſ.* 124. *num.* 4. *et deciſ.* 75. *num* 10. *coram Benincaſa*. Reſpectu autem prohibi-
16 tionis, de iſta, nec ex inſtrumento diviſionis, nec aliundè conſtat, & tamen probari clarè deberet, dum alioquin non præſumitur, *Altograd. conſ.* 79. *nu.* 1., *Peregin. de Fideic. art.* 1. *num* 26., *Torr. de Majorat. Ital. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 14., *et ſeqq.* & paſſim alii.

Alias proponebant Savini detractiones legatorum, ſcilicèt factorum à Fideicommittente, & expenſarum factarum ab hęredibus gravatis pro defenſione Bonorum fideicommiſſi, & hæ profecto non modicè illius quantitatem poterant diminuere, DD. tamen ſuper iis concordes non fuerunt, ideoque tutiorem viam amplectentes, qua utrique parti conſultum eſſet, cenſuerunt ſtabiliendam *pro nunc* quantitatem fideicommiſſi in ſcutis tantum 700. (& hic fuit modus adjectus reſolutioni) & pro tali ſumma, tamquam verè liquida, atque nullatenus impugnabili, ſervandam eſſe Cauthelam Angeli, omiſſis interim reliquis detractionibus tamquàm plures ſecumferentibus inſpectiones, cum cæteroquin Jura in quibus fundatur dicta Cau-
17 thela talia eſſe debeant, ut nullam in contrarium admittant exceptionem, nulloque poſſint velamine offuſcari, *Rota dec.* 464. *num.* 1. *coram Priol.*, *dec.* 1253. *num.* 1. *coram Emerix Jun.*, *in Anconitana*, *ſeu Recinaten. Cauthela Angeli* 7. *Aprilis* 1710. §. *Clarum*, *cor. Rmo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*, *& in Interamnen. Cenſus ſuper redditione rationis & Cauthela Angeli* 15. *Feberuarii* 1712. §. *final. cor. R. P. D. meo Aldovrando*.

Et

Et ita juxta hunc modum utraque Parte *fusè* Informante &c.

CÆSENATEN., SEU' CERVIEN. BONORUM SUPER PRÆLATIONE.

Lunæ 8. *Aprilis* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 4. Junii 1714.

Inveſtitura bonorum, quæ ad inſtar allodialium redacta ſunt, ad hæredem ultimi Inveſtiti pertinet, & ab iſto ad Extraneos tranſmittitur.

SUMMARIUM.

1 *Acceptatio judicati probatur per hoc, quod unus ex tribus intereſſe habentibus in cauſa proteſtatus fuiſſet attendere id, quod inter alios duos fuiſſet judicatum.*

2 *Amplia, ſi proteſtatus fuiſſet de hoc, animo evadendi litis expenſas.*

3 *Inveſtitura de bonis redactis ad inſtar allodialium, quando quæſtio eſt inter proximiorem, & hæredem ultimi Inveſtiti, ſpectat ad hæredem.*

4 *Jus petendi renovationem emphiteuſis eſt hæreditarium, & proximioris ultimo Inveſtito excluſivum*, & n.9.

5 *Amplia, ut ad hæredes etiam Extraneos ſit tranſmiſſibile.*

6 *Inveſtitura favorem Maſculorum tantum reſpiciens, ad fœminas non extenditur.*

7 *Inveſtitura in defectu hæredis debetur proximiori ultimo inveſtito de æquitate Bartholi.*

8 *Teſtator ſub quibus verbis dicatur ſe jus inſtitutionis non comprahendiſſe.*

10 *Obſervatia ſubſequuta, Teſtatoris voluntatem declarat.*

DECISIO DCCCXCV.

Renovationem Inveſtituræ bonorum emphiteuticorum, quæ per obitum Aſcanii Ugolini ad menſam Epiſcopalem Cerviæ devoluta fuerant, prius ſibi debitam contenderunt Ludovicus innixus conceſſioni ab Epiſcopo reportatæ, & Lucretia uti proximior inhærens æquitati *Barthol. in L.* 1. §. *Permittitur num.* 1. *ff. de Acquir. quotid.*, *& aliis.*, & in hac diſputatione obtinuit Lucretia, cui per ſententiam Rotalem, prævia *deciſione* 19. *Junii* 1713. *ab R.P.D. meo Criſpo* latam, *illam deberi definitum fuit*, prout etiam reſponſum extitit *pro ejus confirmatione coram Me* 4. *Junii anni præteriti*.

Cum verò contra Lucretiam inſurrexiſſet Violantes hæres inſtituta à prædicto Aſcanio ultimo inviſtito, & præferri in concurſu proximioris prætendiſſet, eo quod dd. bona ad inſtar allodialiū redacta deſerantur, ſervata regula ſucceſſionum, *iſti prælationem in renovati one competere* DD. reſponderunt eadem *die* 4. *Junii* 1714. *coram Me*. Reclamantibus autem contra hanc reſolutionem non ſolum Lucretia, ſed etiam Reverendiſſimo Epiſcopo ratione ſui intereſſe noviter comparente, conceſſa fuit nova audientia; ideoque omnibus hodie informantibus, propoſui congruum dubium, & Domini ſtandum eſſe *in deciſis*, *juxta modum* inferius exprimendum, conſuerunt.

Siquidem quoad Reverendiſſimum Epiſcopum (reſervatis illi juribus prout, & quatenus de jure in quibuſcumque aliis caſibus particularibus, & in aliis bonis) viſus eſt ſtrictè in præſenti, & hic eſt modus prædictus, qualitatem bonorum, de quibus agitur, impugnare non poſſe, dum enim
1 quæſtio erat coram R. P. D. meo Criſpo ſuper renovatione Inveſtituræ prætenſa à Ludovico, & Lucretia, comparuit ille in actis Rotalibus, & proteſtatus fuit ſe ſe remittere ad id, quod judicatum fuerit favore unius, vel alterius Partis, & proinde ad litis expenſas nolle teneri, undè patens eſt Sac. Rotæ judicium acceptaſſe, adeo ut non reportata in integrum reſtitutione, audiri non poſſit, plene *Rota dec.*205 *num.*6. *coram Card. Cerro*, *in Romana Fideicommiſſi de Palazzolis* 18. *Aprilis* 1704. §. *Nec quidquam coram bon.mem. Muto*, maximè atten-
2 ta declaratione non ſubeundi expenſarum refectionem, quæ neceſſario præſupponit ſimilem acceptationem, & renunciationem litis, ſine qua alias evitari non poterant, ex latè deductis per *Conſtant. ad Stat. Urb. annot.* 59. *n.*140. *cum pluribus ſeqq.*, *Rot. cor. Benincaſ dec.*98. *n.*2.

His poſitis, ſubſiſtunt quoque fundamenta deciſionis, quæ revidetur reſpectu Lucretiæ, & Violantis, quoties enim agitur de
3 bonis redactis ad inſtar allodialium, & quæſtio eſt inter proximiorem, & hæredem ultimi comprehenſi in Inveſtitura de obtinenda renovatione, procul dubio hæres præferendus eſt, ut præter ibi *adduct.* §. *Poſito, probat Rota dec.*92. *per tot. coram Celſ.*, *dec.*621. *num.*9., *&* 10. *par.*19., *& in Æſina Emphiteuſis* 14. *Martii* 1692. §. *Quandoquidem coram clar. mem. Cardinal. Cavallerini*, quidquid ſit de allodialitate improprie inducta contra Vocatos durante inveſtitura, non autem contra Dominum, in quibus terminis loquitur *dec.*504. *cor. Card. Cerro pro Lucretia ſæpius allegata*.

Neque iſta qualitas allodialitatis, plene jam in aliis Cauſæ deciſionibus conſtabilita, referri valet ad merum Jus coactivum Dominii directi, & excludi reſpectu proximioris, vel Agnati, cui ex deſtinatione antiquorum de domo, & familia debita videri poteſt re-
4 novatio. Etenim Lucretia hodie comparens tanquam proximior, nullatenus eſt de comprehenſis in Inveſtitura, ideoque reſpectu illius ceſſant omnia deducta ex ultima Inveſtitura, quæ in Aſcanio terminavit. Antiquæ verò in vim pacti, & providentiæ non ſunt conceptæ, itaut his remotis impedimentis

mentis, bona dicantur quaſi hæreditaria, & hæreditario jure deferantur, plenè *Rota deciſ.621. num.9.*, & 10 *par.19. rec.*, *in Faven. Emphiteuſis 17. Junii 1695. §. Hæc autem coram Reverendiſſimo D. Molines Decano, & in Vaden. Emphit. 7. Iunii 1709. §. Neque viſa, & ſeq. coram R.P.D. meo Scot. Almæ Urbis Gubernatore*, & licitum ſit
5 ultimo compræhenſo ad libitum de illis favore cujuſcumque perſonę diſponere, ut probant adducti *in deciſ.*, *quæ confirmatur* §. *Minuſque*.

Compræhenſionem vero eadem Lucretia nullatenus hodie deducere poteſt, ex quo poſita ſit in eodem gradu, quo erat dictus Aſcanius ultimus defunctus, nàm ſæpedicta Inve-
6 ſtitura ſtrictè favebat maſculis dumtaxat, & ideo prorogationem in fœminis, qualis eſt Lucretia, habere non poterat, & videtur hoc ipſum illa agnoviſſe, dum ad excluſionem Ludovici pari modo in Inveſtitura non compræhenſi, numquam id allegavit, ſed renova-
7 tionem ſibi debitam prætendit ex æquitate *Bartol. in L. 1. §. Permittitur ff. de Aqu. quotid &c.*, quæ locum non habet, niſi favore proximioris illius, in quo terminavit inveſtitura, & propterea contrarium de directo eſt aſſertæ in iſta compræhenſioni, ut pluribus adductis ad vertit *d. deciſ.*, *quæ revidetur* §. *Ultra quod*, in qua aliis etiam objectis plenè ſatisfacit.

Nullius denique momenti eſt, quod Violantes non poſſit tamquam hæres, niſi in medietate renovationem obtinere, & in alia medietate pari jure, tanquam cohęredi Aſcanii renovatio debeatur Lucretiæ. Deficit namque huiuſmodi objectum in facto, animadvertendo, quod Aſcanius univerſalem ſibi hæredem inſtituit Violantem, tàm reſpectu bonorum Domus Ugolinæ, quam aliorum proprio jure ad ſe ſpectantium. Favore vero Lucretiæ ſororis, ita diſpoſuit -- *Intorno poi all' altra metà de beni di ſua Caſa, vuole, che la Signora Lucrezia ſia Padrona,*
8 *benche dà quella il Signor. Teſtatore poteſſe detrarne buona quantità* -- quæ ſane verba nullum videntur titulum inſtitutionis continere. Undè bene conſtat particulari tantum jure medietatem bonorum Domus Ugolinę, inter quæ non probatur conſiſtere illa, de quibus agitur, relictam fuiſſe Lucretiæ cum liberatione à prætenſionibus, quas ſuper iis Teſtator habere poterat, & è contrario
9 Jura omnia hæreditaria univerſaliter in Violantem tranſlata, itaut, cum agatur de renovatione inveſtituræ, iſti in totum, & univerſaliter competat, ſicuti competunt jura hæreditaria, inter quæ illud renovationis obtinendæ connumeratur, juxtà firmata *in Ferrarien. Renovationis Inveſtituræ 18. Aprilis 1712. §. Ideoque conforme cor. R.P.D. meo Criſpo inter impreſſas poſt modern. Ferrarien. obſerv. practico. leg. dec 17. num.17.*

Et hoc obſervat ſucceſſiva ipſius Lucretiæ
10 obſervantia, quæ in diviſione bonorum Domus Paternæ poſt Aſcanii obitum ſecuta, bonorum, de quibus agitur, medietatem non obtinuit, nec petiit, ſed illa uti univerſalis hæres in totum habuit Violantes, hæc vero Partium obſervantia bene declrat quid ex diſpoſitione Aſcanii ſibi potuit obvenire, juxta regulam, de qua *Rota deciſ.212. num.7. par.4. dec.104. nu.21. par.16., dec.537. num.11. par 19. rec. tom.2*, & *in Melevitana Fideicommiſſi 22. Menſis proximè præteriti §. Final. coram Me*, & paſſim alibi.

Et ita Partibus auditis fuit reſolutum &c.

RAVENNATEN. MANUTENTIONIS.

Lunæ 8. Aprilis 1715.

ARGUMENTUM.

Poſſeſſio anterior ad excluſionem poſterioris manutenibilis eſt. Hęres proprietarius operatione legis in inſtanti, vix ſequuto obitu uſufructuarii, poſſidere dicitur, & proprietas cum uſufructu conſolidatur.

SUMMARIUM.

1 *Poſſeſſio civilis hæredis proprietarii illicò ad ſe trahit poſſeſſionem naturalem, quam habebat Uſufructuarius, vix iſtius obitu ſequuto.*

2 *Jus iſtius poſſeſſionis in inſtanti ex ſe operatur, & quacumque alia poſſeſſione ſit anterior.*

3 *Legatarius debet legati poſſeſſionem de manu hæredis recipere.*

4 *Hæres comparens tamquam Tertius pro recuperatione rei ſibi citra jus hæreditarium delatæ, non tenetur ſervare factum defuncti.*

5 *Amplia, ſi eſſet hæres beneficiatus.*

6 *Poſſeſſio anterior eſt manutenibilis adverſus poſſeſſionem poſteriùs captam.*

7 *Poſſeſſio capta authoritate propria redditur manutenibilis, ſi ab Exequtore teſtamentario approbetur.*

8 *Poſſeſſionis claræ effectus non retardatur per exceptiones turbidas, & potiùs petitorium concernentes.*

9 *Manutentionis iudicium ſummariiſſimum, petitorium non cognoſcit, ſed nudum factum poſſeſſionis.*

DECISIO DCCCXCVI.

IN ultimo cum quo deceſſit Teſtamento Canonicus Joan: Andreas de Lovatellis, ſcriptis ſibi in univerſo Aſſe hęredibus, Magdalena, & Gentile ex prædefuncto Hieronymo fratre neptibus, legavit cum onere perpetui fideicommiſſi Comitibus Franciſco, & Hyppolito paritèr de Lovatellis Conſanguineis ſuis Prędium in Villa Sancti Marci, nuncupatum *della Torre*, quod olim tam ipſe, quam dictus Hieronymus ejus frater vigore aviti fideicommiſſini Equitis Joannis recuperaverant de manibus fratrum de Vizzanis, & de quo etiam

etiam renovationem ſubindè ambo obtinuerant à Ven. Abbatia S. Mariç in Portu Domina directa, pro ſe, ſuiſque liberis, & uno ſucceſſore.

Ne autem ulla inter dd. Sorores ſuboriri poſſet amaritudo occaſione dividendæ hçreditatis, idem Canonicus Teſtator in Codicillis poſtea exaratis de anno 1708., Executorem Teſtamentarium conſtituit Archidiaconum Valerium Spretum, illumque rogavit, ut ſecuto ejus obitu, aſſumeret in ſe ipſum hæreditatem, detractoque priùs ab ea Prçdio Sancti Marci, dictis Comitibus de Lovatelles relicto, quod reliquum foret, in duas æquas partes divideret, & unicuique Neptum ſuam virilem conſignaret, adiecta eiſdem Neptibus in alio poſteriori Codicillo ſtrictiſſima prohibitione, nè ſuper d. Prçdio moleſtiam, aut vim ullam legatariis inferrent.

Vita vix functo memorato Canonico Teſtatore, Comites de Lovatellis poſſeſſionem præfati Prædii propria occuparunt authoritate, eamque poſt aliquot dies Executor approbavit, & confirmavit, ſed dùm in ipſa prima die obitus, adhùc illi in Corporali detentatione inſiſtebant, paucas poſt horas ejuſdem quoque poſſeſſionem nactæ fuerunt Magdalena, & Gentilis. Undè orta ſuper hoc inter eos controverſia, eaque, per appellationem à Comitibus de Lovatellis interpoſitam, ad me devoluta, dubitavi, *An, & cui danda ſit manutentio*, & Domini, *utrique parti juxta modum dandam eſſe*, cenſuerunt, ſcilicet Magdalenæ, & Gentili in portione Hieronymi earum Patris, Hyppolito autem, & Franciſco de Lovatellis in portione Canonici Joannis Andreæ.

At ſanè quoad medietatem dicti Prædii à Hieronymo provenientem, & ab eo citrà dubium uſque ad obitum poſſeſſam, cum Ca-
1 nonicus Joannes Andreas eſſet merus uſufructuarius vigore Teſtamenti dicti Hieronymi fratris, proprietariæ verò eſſent prçfatç Sorores, utique eo defuncto, uſuſfructus expiravit, & civilis poſſeſſio, quæ reſidebat penès dd. proprietarias, illicò ad ſe traxit poſſeſſionem naturalem, quæ erat penès uſufructuarium, & cum illa ipſo jure conſolidata fuit, *Poſtb. de manutent. obſerv.* 16. *nu.* 37., *&* 42. *penès eumdem deciſ.* 119. *num.* 5., *& coram Mantic. deciſ.* 167. *num.* 7., *& coram Dunozett. Jun. dec.* 559. *num.* 1., *& coram Cerr. dec.* 70 *num. primo*, *&* 23. *cum ſeqq.*
2 Proptereaque vigore hujus poſſeſſionis, quæ tamquam delata juris Miniſterio in inſtanti operantis, quacumque alia poſſeſſione dicitur anterior, danda eſt manutentio dictis Sororibus proprietariis, ut ſequitur *Poſtb. d. obſervat.* 16. *nu.* 43., *Gratian. diſcept.* 779. *num.* 10., *&* 14., *Thomat. deciſ.* 118. *nu.* 13., *Rot. coram Dunozett. dicta dec.* 559. *n.* 2.

Non attento antiquo fideicommiſſo Equitis Joannis, tùm quia ejus purificatio non eſt clara, imò omnes collitigantes prçtendunt ſe ad illud eſſe vocatos, tùm quia in omnem caſum poſſeſſio capienda erat de manu earum-
3 dem Sororum ultimi Poſſeſſoris hæredum, *Rot. coram Cerro dec.* 538. *num.* 6., *& in rec. dec.* 215. *num.* 22. *par.* 11., *& dec.* 279. *nu.* 12. *par.* 15., *& dec.* 514. *n.* 11. *par.* 19.
4 Prout etiam minùs obſtat, quod dd. Sorores adiverint hçreditatem Canonici Joannis Andreæ, & ideò ejus factum impugnare non poſſint, quia ipſæ comparent hodiè tamquam tertiç poſſeditrices vigore propriorum jurium in ſua poſſeſſione ſe confoventes, *Card. de Luca diſc.* 40. *ſub num.* 12. *de Judic.*, &
5 inſuper ſunt hçredes cum beneficio legis, & inventarii, & paratç de bonis hçreditariis rationem reddere, idem *Card. de Luca de hæred. diſc.* 19. *n.* 2., *& diſc.* 21. *ſub n.* 7.

Sicut verò quoad hanc medietatem à Hieronymo provenientem, æquo animo pati debent Comites de Lovatellis, quod Magdalena, & Gentilis illius filiæ manutentionem
6 obtineant; ita quoque è contra Magdalena, & Gentilis conquæri non valent quod in alia portione ſpectante ad Canonicum, Comites de Lovatellis ejus Legatarii manutentionem pariter conſequantur, cum reſpectu hujus alteriùs medietatis, poſſeſſio Comitum ſit anterior, *Rot. penès Poſtb. de manut. deciſ.* 179., *&* 571. *utrobique num.* 3., *cum aliis in Peruſina manutentionis* 14. *Maii* 1703. §. *Donèc enim coram R. P. D. meo Scotto Urbis Gubernatore.*
7 Quin turbet, quod ea capta ſit propria, & privata authoritate; quoniam ſubindè confirmata, & approbata fuit ab Executore Teſtamentario ſpecialiter ad hoc deputato, undè habetur, ac ſi capta fuiſſet de manu ipſius defuncti, *Angel. de legit. contrad. quæſt.* 3. *num.* 31., *& quæſt.* 14 *n.* 8., *Rot. in rec. deciſ.* 36. *num.* 1., *&* 2. *par.* 15., *& deciſ.* 252. *n.* 14. *par.* 17.

Minimè ſuffragante replicatione, quo medietas ab eodem Canonico acquiſita, ſtatim poſt ejus obitum devoluta fuerit ad prædictas Sorores vigore Inveſtituræ, pacti, & providentiç receptç à Hieronymo eorum Patre
8 unà cum d. Canonico pro ſe, & liberis. Hujuſmodi namque exceptio viſa eſt altioris indaginis, quam præſens Judicium patiatur, cum dubium ſit in hoc caſu, an habeat locum concordia Ravennaten. redigens bona Emphyteutica ad inſtar allodialium, cujus vigore valeat quilibet Poſſeſſor diſponere de ſua portione etiam in extraneos, ex latè adductis per *Rotam in Ravennaten. Emphyteuſis* 12. *Junii* 1710. *coram R. P. D. meo Anſaldo.*

Quemadmodum etiam ex eadem ratione aliena à prçſenti Judicio eſt exceptio d. antiqui fideicommiſſi Equitis Joannis à Sorori-
9 bus deducta; nam ſicut ejus allegatio impedîre nequivit, quominùs Sororibus concederetur manutentio in portjone Hieronymi earum Patris, ità neque retardare debet manutentionem Comitibus de Lovatellis in alia portione Canonici Joannis Andreæ, militante quoad utroſque eadem regula, de qua *Rota coram Cerro dec.* 349. *n.* 9. *& in recent. dec.* 219. *n.* 9., *& dec.* 661. *n.* 4. *par.* 18. *tom* 2.

Et ita utraque &c.

FA-

FAVENTINA PAROCHIALIS.

Lunæ 6. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Reſignatarius Beneficii, qui etiam litteras Apoſtolicas reportaſſet, ſi inter litigandum Reſignans obiiſſet, Petronique alterum nominaſſent, jus ad illud amittit, maximè ſi litteræ ab eo expeditæ, & uti turbidæ repertæ ad arbitrium Rotę pro exequutione fuiſſent commiſſæ.

SUMMARIUM.

1 *Arbitrium intrat in executione litterarum Apoſtolicarum, ſi deficiat conſenſus Patronorum, & ſubreptitiæ detegerentur.*

2 *Conſenſus medietatis vocum non poteſt dici reportatus ex nominatione unius Patroni tantum, quando iſti eſſent plures,* & n. 9.

3 *Inſtitutio pertinet ad nominatum à Patrono, qui pro ſe ultimum ſtatum habeat, quando lis eſt inter Præſentatos.*

4 *Status ultimus non deſtruitur per hoc, quod præſentatus à Patrono non fuiſſet inſtitutus, quando id proceſſiſſet, quia plures concurriſſent ad Beneficium.*

5 *Continuatio poſſeſſionis in preſentando in Patroni animo conſiſtit, & etiam ex actu non effectuato declaratur.*

6 *Amplia, ſi Compatroni in caſu vacationis talem poſſeſſionem nominandi pro ſua rata vocum non impugnaſſent.*

7 *Litteræ derogatoriæ medietatis vocum, intelliguntur de medietate Patronorum habentium quaſi poſſeſſionem præſentandi.*

8 *Pronepos dicitur proximior de agnatione.*

10 *Præſentatus à duobus ex tribus Compatronis ad excluſionem alterius à tertio præſentati, inſtituendus eſt.*

DECISIO DCCCXCVII.

Rectoriam Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ de Traverſaria, quam fuerat aſſequutus anno 1702. ad præſentationem Marchionis Philippi Raſponi, & Com. Boſelli reſignavit Archangelus ad favorem Joſephi Mariæ Campadelli ejus nepotis anno 1712., & Sanctiſſimus eam illi de facto contulit, dummodò accederet conſenſus ſaltem medietatis Patronorum. Exhibitis proptereà litteris Apoſtolicis, & conſenſu reportato à Co: Boſellio, inſtetit Reſignatarius coram Archidiacono Cathedralis Faventiæ pro executione, eamque cum ſucceſſiva poſſeſſione obtinuit; ſed habito per alios Patronos, nempè Marchionem Raſponum, & Co: de Gregoriis recurſu ad Signaturam, fuit reſcriptum -- *Parito litteris arbitrio Rotæ circumſcripta poſſeſſione, & appoſito Æconomo* -- directaque mihi commiſſione cum hujuſmodi clauſula, propoſui in Audientia diei 18. Iunii anni præteriti dubium -- *An intret arbitrium pro retardatione litterarum Apoſtolicarum,* -- & Domini inter ſe non concordes reſcripſerunt, *Iterum proponatur.*

Obiit interim Archangelus reſignans, & ad novi Rectoris præſentationem devenerunt Marchio Cęſar Raſponus, Com: Joannes de Gregoriis, & Achilles Gajanus in perſonam Joannis Baptiſtæ Pizzocchi, ad cujus inſtantiam addidi dubio prædicto ſecundam partem -- *ſeu potius ſit inſtituendus Ioannes Baptiſta* -- illudque hodiè repropoſui, & Domini *affirmativè in omnibus,* iſtius favore reſponderunt.

Quo ſiquidem ad litteras intrabat dubio
1 procul arbitrium, cum deficeret earum juſtificatio reſpectu conſenſus medietatis Patronorum, omninò ratione clauſulæ in illis appoſitæ, requiſitus, itaut remanerent ſubreptitiæ, & inexequibiles, *Roſ. de execut. litter. Apoſtol. cap. 7. num. 120. & ſeqq., Rot. dec. 293. num 8. & 9 par. 10. rec., & dec. 10. nu. 2. & 3. par. 11., & in Compoſtellana Parochialis 2. Junii 1706. §. ex his itaque, & 17. Junii 1707. §. Quodque cor. Emo D. Card. Priolo.*

2 Et ſanè conſenſus à Com: Boſellio præſtitus, pro medietate numerari non poterat, quia Juſpatronatus controverſæ Parochialis non pertinet ad duos, ſed ad quatuor, vel ſaltem tres Patronos, ut diſtinctè procedendo, facilè demonſtratur.

Alter enim ex Compatronis eſt Marchio Raſponus, & plenè de illius jure conſtat ad effectum de quo agitur, dum in antecedenti
3 vacatione, una cum Boſellio, præſentavit Philippus ejus auctor, itaùt vertente lite non inter Patronos ſuper proprietate, ſed tantùm inter præſentatos ſuper inſtitutione, cum hoc ultimo ſtatu ſit procedendum, ad normam *tex. in cap. Conſultationibus de Jurepatron..* de quo in propoſito *Rot. in Firmana Beneficiorum* 11. *Januarii currentis anni,* §. *Siquidem*, ubi concordan. coram Me, & poſſeſſio auctoris ipſi quoque ſuffragatur, ac ſi tunc temporis præſentaſſet, *Rot. in Maceraten. Parochialis* 11. *Januarii* 1712. §. *quod procedit coram R. P. D. meo Falconerio,* cum aliis *in Bononien. Beneficiorum de Caſtello ſuper executione litterarum Apoſtolicarum* 12. *Decembris ejuſdem anni* §. *final. coram R. P. D. meo Criſpo.*

Tertius Patronus evidentiſſimè oſtenditur eſſe Gajanus, aſſiſtit enim huic quoque ultimus ſtatus, juxtà quem ejus præſentatio in antecedenti vacatione fuit admiſſa, nec proptereà refert, quod effectum non habuerit, dum præſentatus ab illo non fuit inſtitutus.
4 Hoc namque proceſſit, ex quo concurrebat præſentatus ab aliis Compatronis, qui juxta quaſi poſſeſſionem præſentandi, majorem partem vocum conſtituebant, non autem ex quo Patronus ille non eſſet, aut jus pro ſua rata cum aliis non haberet, itaùt adhuc mediante tali præſentatione poſſeſſionem in anterioribus ſtatibus annorum 1600., 1622., 1634., & 1663. à ſuis auctoribus acquiſitam,
5 ſibi quoque conſervaverit, quia continuatio poſſeſſionis in animo Patroni conſiſtit, & iſte ex actu etiam non effectuato declaratur, opti-

mè

mè *Rot. cor. Bicb. dec.382. n.25.*, *& in Sorana Juriſpatronat. 22. Junii 1712. §. Abſque ulla cor. R. P. D. meo Falconerio.*

6 Maximè, quia alii Compatroni in dicta ultima vacatione pro ſuo rata, & non privativè ad illum præſentarunt, imò neq; contra ejus vocem quidquam oppoſuerunt, ut ad rem proſequitur *Rota in Sorana Juriſpatronat. 22. Januarii 1712. §. ita dictante, & 24. Novembris 1713. §. nihil prorſus, & §. potiſſimè cor. R. P. D. Falconerio.*

Ex his jus Raſponi, & Gajani æquale cum Boſellio ad effectum, de quo agitur, pleniſſimè conſtitui viſum eſt, abſque eo quod opus eſſet examen aggredi pertinentiæ, quia litte-
7 rę derogatoriæ medietatis, intelliguntur de medietate Patronorum exiſtentium in quaſi poſſeſſione præſentandi, quam qui non habet, neque earum executionem poteſt obtinere; adhuc tamen deguſtando etiam aliquid de titulo, utique diſpoſitionem Menghi fundatoris aſſiſtere cenſuerunt Raſpono, quia deſcendit à Lucretia ejuſdem Menghi filia, & hæredé, ad quam una cum Catherina altera filia, & cohęrede, atque Hieronymo Conſobrino Legatario, jus præſentandi ex dicta diſpoſitione devenit, ut benè demonſtrant ſucceſſivę præſentationes à deſcendentibus ejuſdem Lucretiæ peractæ de dd. annis 1600., 1622., 1634., 1662., & 1701.; Gajano verò, quia deſcendit à pręfato Hieronymo particulari huius Juriſpatronatus legatario, & cujus ſucceſſores de facto in prædictis ſtatibus ad illius exercitium admiſſi ſunt.

Neque obſtat hujuſmodi legatum Hieronymo factum, reſtrictum fuiſſe ad ejus vitam, ideoque ad ejus deſcendentes tranſire Jus pręſentandi non potuiſſe. Contrarium enim expreſsè præſefert littera teſtamenti, juxta
8 quam poſt Hieronymi obitum ſunt vocati proximiores de ſua agnatione, talem verò exiſtere Achillem de Gajanis modernum Patronum negari certè non poteſt, cum ſit ejuſdem legatarii Pronepos, & ejus Pater, atque Avus, jus iſtud pręſentandi, quoties evenerunt vacationes, ſemper exercuerint.

His ita poſitis, quamvis facile videretur oſtendi poſſe pertinentia quartæ vocis favore illorum de Gregoriis, qui parem cauſam habent, ac Boſellius à Catherina altera fundatoris filia, & cohærede, & pręſentarunt in ſtatibus annorum 1600., 1622., & 1663. Cum tamen voces Raſponi, & Gajani ſufficiant ad intentum, conſultè iſtius examen DD. omi-
9 ſerunt. Si enim ex præmiſſis Jus præſentandi ad tres pertinet, Boſellium nempè, Raſponum, & Gajanum, utique conſenſum habens ſolius Boſelli, medietatem vocum numerare non poteſt, ſed unius duntaxat Patroni ex tribus, qui coęquale Jus habent.

Conſequens pariter inde eſt reſolutio ſecundæ partis dubii concernentis inſtitutionum
10 Joannis Baptiſtæ, nam fuit iſte pręſentatus à dictis duobus Patronis, quorum jus hactenus fuit conſtabilitum, itaut comparativè ad Franciſcum Mariam reſignatarium habentem, ut diximus, unicam vocem Boſelli tantum, majorem partem vocum pro ſe poſſit numerare, & ideò, illo excluſo, veniat inſtituendus, *ad tex. in cap. quoniam 3. ibiq; gloſ. verb. qui majoribus de Iurepatr.*, *Rot. in Piſana Prioratus 15. Junii 1711. §. pro informante coram R. P. D. meo Anſaldo cum aliis in Firman. Beneficiorum 11. Ianuarii 1715. §. Ex his cor. Me.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DONATIONIS.

Lunæ 6. *Maii* 1715.

ARGUMENTUM.

Donans quando æquè nominavit duos Donatarios, pro virili ad eos donatio devolvitur, nec ordo Sripturę attenditur, cum duę diſtinctæ donationes cenſeantur. Filius poteſt variare in fideicommiſſo à Patre inſtituto, quando detractiones ex titulo dotis Maternę ſibi competentes fideicommiſſum abſorberent; maximè ſi fideicommiſſum eſſet conditionatum, juxta ea, quæ refert ſequens

SUMMARIUM.

1 *Bona donata Patri, & filio ſimultaneè, ſi Pater ab inteſtato decedat, ipſo jure etiam quoad medietatem Patris ad filium devolvuntur.*

2 *Donatio duobus facta ab illo, quæ nulla donandi neceſſitate afficiebatur, nec debebatur ordo juris in ſuccedendo, pro virili dicitur facta.*

3 *Quod ità ſe habeat probatur ex quo Pater, et filius ſimul donatarii eſſent proprio nomine vocati, diſtinctivè ab aliis ſucceſſivè nominatis ordine collectivo.*

4 *Amplia, ſi præſente Donante, Pater circa ea, quæ exequutionem donationis concernerent, ſe pro filio abſente, uti adminiſtrator geſſiſſet, et quoad ſe liberè.*

5 *Subamplia, ſi Donans unum ex Donatariis nominando dixiſſet* -- Se donare pro ſervitiis ab eo, & Uxore receptis, *quo caſu remuneratoria diceretur, et n. ſeq.*

7 *Obſervantia multum attendenda eſt.*

8 *Donatio fuiſſe duarum perſonarum comprębenſiva ęqualiter probatur ex locationibus utriuſque nomine factis, et ex quibus aliis.*

9 *Ordo Scripturæ quando diſpoſitionis ordinem non portet.*

10 *Ordo Scripturę licet ordinem affectionis ſecumferret, ſatis tamen non eſt ad ſimultaneam ſucceſſionem deſtruendam.*

11 *Relatio ſemper fit ad proxima.*

12 *Donatio, quando æqualiter plures Perſonas comprębendit, quot ſunt perſonæ, tot donationes cenſentur.*

13 *Hæres, et Donatarius in teſtamento, et donatione, etiam in bonis propriis gravari poſſunt.*

14 *Voluntas diſponentis, ſicut, & poteſtas, à quantitate relicti menſuranda eſt.*

15. *Voluntas perſpicua, et ampla donandi, ex quibus verbis proferatur, et ex quibus reſtricta non dicatur.*
16. *Detractiones quando miniſterio legis cum bonis propriis filii incorporatę remaneant.*
17 *Filius declarans ſe velle diſponere de bonis paternis, prout melius judicabit, ſibique placuerit, diverſimode à paterna voluntate diſponere voluiſſe dicitur.*
18 *Filius poteſt de fideicommiſſo à Patre ſui favore inſtituto libere diſponere, ſi legitima, dos materna, & Trebellianica ſibi competentes fideicommiſſarias vires abſorberent.*
19 *Amplia, ſi fideicommiſſum non eſſet abſolutum, ſed dependens ab aliqua conditione.*
20 *Identitas bonorum validè probatur ex deſcriptione in Inventario de eis facta pro obtinenda immiſſione.*

DECISIO DCCCXCVIII.

PRænoſcens Joannes de Leo proclivem animum Pauli filii ad ſerviendum Deo, hæredem illum inſtituit in ultimo, cum quo deceſſit elogio, & quatenus, vel in ætate pupillari moreretur, vel in aliqua Religione profiteretur, ſubſtituit Cæſarem Quintilium: Ita de facto contigit, nam biennio vix elapſo à Patris obitu, Deo ſe mancipavit in Congregatione B. Petri de Piſis, emiſſis tamen antea renunciatione, & donatione, in qua *omnia, & ſingula ejus bona Paterna, Materna, Avita Conſanguineorum, Affinium, & extraneorum quęſita, & quærenda, donavit Cęſari Quintilio, Stephano ejus Patri, aliiſque ejus filiis, & filiabus ordine ſucceſſivo.*

Vigore iſtius donationis poſſeſſionem bonorum acceperunt tàm Cæſar, quàm Stephanus, iſtoque defuncto, Cæſar etiam illam portionem, quam Pater vivens poſſederat, uti ſibi competentem, occupavit, ſed inſurrexit poſtmodum Ioannes ejus frater, & uti ad eandem medietatem per Patris obitum vocatus, Judicium immiſſionis inſtituit cor. R.P.D. Cincio A. C. Locumtenente, & favorabilem ſententiam reportavit, à qua commiſſa mihi fuit ad inſtantiam Cæſaris appellationis cauſa, & ideò propoſui dubium -- *An ſit danda immiſſio* - eamque *dandam eſſe juxta modum inferius exprimendum* DD. reſponderunt.

In primis ſiquidem illam pro medietate omnium bonorum Paternorum, Maternorum, aliorumque in d. donatione compręhenſorum competere cenſuerunt. Hæc enim
1 donatio facta fuit Cæſari Quintilio, Stephano ejus Patri, aliiſque ejus filiis, unde quicquid ſit reſpectu aliorum filiorum, quos ordine ſucceſſivo tantum vocatos fuiſſe non erat controverſia, utique reſpectu Cæſaris, & Stephani Patris facta videtur ſimultaneè, itaut ab ipſo momento exaratæ donationis, bona donata in eoſdem donatarios tranſiverint, & defuncto Stephano, devoluta fuerint ad Joannem alterum Stephani filium, ſub illa ſubſtitutione, *aliiſque ejus filiis*, procul dubio compræhenſum.

Hanc vero ſimultaneam illorum vocationem, pręter ipſius donationis litteram, plura etiam argumenta demonſtrant. Agitur namque de diſpoſitione facta ab eo, in quo nulla conſideratur neceſſitas inſtituendi, & reſpectu cujus non datur in vocatis ordo Juris neceſſarius in ſuccedendo, ut eſt inter Aſ-
2 cendentes, & in hoc caſu regula eſt, quod Invitatis Patre, & filio, vocatio cenſetur ſimultanea, ut diſtinguendo tradunt Doctores *in L. Gallus §. Quinam rectè ff. de liber., et poſth., Peregr. de fideic. art. 17. n. 24., Merlin. contr. 34. n. 27. Cent. 2., de Luc. de donat. diſc. 47. n. 2., Rota dec. 404. n. 7. cor. Merlin., in Romana fideicommiſſi 11. Decembris 1702. §. Ratio vero, et §. Hinc corruit cor. Reverendiſſimo D. Molines Decano, in Auximana Prædii 20. Martii 1705. §. Patefacta cor. bon. me. Omanna, et in Nepeſina donationis 31. Martii 1713. §. Unde ex his cor. Me.*

Accedunt huic Juris regulæ plures, gra-
3 veſque conjecturæ, & ex quibus talem donantis fuiſſe voluntatem plenè colligitur, ut ſimultaneè ad Cæſarem, & Stephanum bona donata pertinerent, & prima eſt, quod Filius, ac Pater vocati ſunt ſub proprio eorum nomine, & cum diſtinctione quoad alios ſucceſſivè vocatos nomine collectivo, quamvis et iſti nati tunc eſſent, & cogniti, *Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 70. n. 17. verſ. hunc caſum, Fuſar de ſubſtit. 416. numero 34., et 35., Marta de ſucceſſ. to. 1. p. 4. qu. 24. art. 1. n. 19.*, ſecunda provenit ex ſti-
4 pulatione, quam præſente, & audiente Donatore diſtinctim fecit Stephanus Pater ſibi proprio, & particulari nomine, & filio abſenti, uti ejus adminiſtrator, ad tradita per *Card. de Luc. de fideicom. diſc. 145. n. 4., et*
5 *Rot. dec. 115. n. 9 p. 14. rec.* tertiam præbet cauſa finalis ibidem expreſſa -- *pro ſervitiis à d. Stephano, et ejus Uxore &c. quotidiè receptis &c.* - Unde cum potius remunerationi, quàm largitati referenda ſit, *de Luc. de legat. diſc. 7. n. 9., de donat. diſc. 30., et 66. n. 10., Rot. dec. 50. n. 3. p. 6. rec.*, utique cenſenda eſt ſimultanea, *Mantic. de conject. lib. 4. tit. 9. n. 253., Peregr. de fideicom. artic. 11. nu. 28., cit. de Luc. de legat. diſc. 18. nu. 16., et 17., et de donat. diſc. 7. nu. 13.*, Nam alias cum Stephanus Pater, cujus merita ad donandum impellebant, ſeniò iàm confectus eſſet, & Cæſar è converſo Puer octo annorum, nihil ille ex donatione conſe-
6 qui potuiſſet, niſi taliter fuiſſet vocatus, quarta demum reſultat ex onere, quod Pater quoque in actu donationis ſuſcepit ſolvendi ex bonis donatis ſummam vitalitiam Donatori reſervatam, quod ſanè opus refertur ad correſpectivum honorem, & etiam iſtum vocatum fuiſſe ſupponit, *de Luca de regal. diſc. 68. nu. 10., et de alienat. diſc. 48. n. 9., Peregr. de fideic. art. 19. n. 13.*, cum aliis relat. in *Auximana Prædii 20. Martii*

tii 1705. *ſub* §. *Neque circa med. coram bon. me. Omanna*.

Coronat hęc omnia immediata, atque in-
7 concuſſa donantis, & donatariorum obſervantia, ſimultaneæ vocationi optimè correſpondens; ſiquidem Stephanus Pater vivente, & ſciente Paulo Antonio Donatore, ſtatim aſſumpſit, & ſucceſſivè continuavit bonorum donatorum poſſeſſionem, univocos Dominii actus gerendo, & duplicem perſonam repræſentando, Condonatarii nimirum actualis ex una, & Patris, ac legitimi adminiſtratoris Cæſaris filii ex altera, mediantibus ſolutione annualitatum, & reportatione quietantiæ, poſſeſſione capta utroque nomine de Domo donata, Conſtitutione Procuratorum ad exigendum, & alienandum fructus provenientes ex bonis donatis, renovatione Domus emphiteuticæ à Dominis directis cum ſolutione Laudemii, ac demum locationibus Domus communis, ex quibus actibus nunquam à Cæſare filio impugnatis, ſed potiùs
8 tacendo, & continuando poſt emancipationem, & poſt Patris obitum approbatis, profecto inducitur obſervantia ſaltem interpretativa ſimultaneæ eorum vocationis, ex animadverſis per *Card. de Luc. de legat. diſc.* 18. *n.* 10., *Rodolphin. allegat.* 39. *n.* 6., *Rota dec.* 452. *n.* 29. *p.* 19. *rec*, *et in Melevitana fideicommiſſi* 22. *Martii* 1715. §. *final. coram Me.*

Neque his obſtat objectum deſumptum ex
9 littera ipſius donationis, in qua prius legitur Cæſar filius, ac deinde Stephanus Pater, quaſi quod ordo litteræ dicat ordinem vocationis. Quoniam quando ſubjecta materia non repugnat etiam in diſpoſitione facta ab extraneo, ordo litteræ, ordinem ſucceſſionis non importat, hic vero ex præmiſſis rectè conſtat, non ſolum omnem abeſſe repugnantiam, ſed potius nihil magis eſſe congruum donantis voluntati, quàm Patrem æqualiter vocare cum filio, attenta maximè donandi cauſa, quæ ſi daretur, admiſſio Patris ſolum poſt filium, effectum remunerationis, & largitatis erga illum, qui beneficia contulit & ſervitium præſtitit, nullo modo produceret. Unde quamvis ordo Scripturæ ordinem
10 diceret charitatis, & affectionis, non tamen auferre deberet ſimultaneam eorum ſucceſſionem, ex latè deduct. per *Marant. de ordin. Judic. p.* 3. *n.* 109., *Fuſar. de ſubſtit. q.* 476. *n.* 31., *et* 33., *præſertim verſ. ſecunda ratio, et Peregr. de fideicom. art.* 17. *ſub n.* 7. *et n.* 12. *verſ. amplia denique, apud quos con-*
11 *cordan.* Verba vero illa -- *ordine ſucceſſivo, et unus poſt alium* -- minimè turbant, quia non intelliguntur de vocatione Cæſaris, & Stephani, ſed de vocatione aliorum filiorum collectivo nomine ſubſtitutorum, ad quam profecto, uti magis proximam veniunt referenda, ad regulam, de qua *text. in L. ſi idem* 11. §. *fin.*, ubi *Gloſſ. verb. eamdem ſententiam ff de juriſdict. omn. Iudic.*, *Rot. dec.* 80. *n.* 11. *cor. Benincaſ.*, *et dec.* 637. *nu.* 8. *p.* 19. *rec. tom.* 2.

His poſitis, conſequens eſt, quod hodiè in portione delata uſque ab initio ad Stephanum Patrem, admittendus ſit Joannes alter ejus Filius, excluſo Ceſare, quia ex ſimul-
12 tanea eorum vocatione cenſentur ab initio factæ duæ portiones, & tot dicuntur donationes, quot ſunt perſonæ in illa contemplatæ, plenè *Peregr. de fideicom. art.* 17. *n.* 38. *et art.* 21. *n.* 31., *et ſeq.*, *Fuſar. de ſubſtit. qu.* 477. *n.* 16., *et qu.* 493. *n.* 4., *et ſeq.*, *Rota cor. Emerix dec.* 1037. *n.* 9., *et* 10., *in Romana donationis, ſeù pecuniaria* 13. *Ianuarii* 1707. §. *Hæc autem cor. Rmo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*, *et in Firmana bonorum, ſeu donationis* 9. *Maii* 1707. §. *Proinde*, *et ſeq. cor. Emo D. Card. Priolo*, itaut propterea immiſſio illi competat pro medietate.

Et quidem medietas iſta intelligi debet de omnibus bonis etiam ab hęreditate Joannis de Leo Patris provenientibus; hæc enim quoque compræhendunt ampliſſima verba, quibus donatio concepta fuit, non obſtante fideicommiſſo ab eodem Joanne condito, cum ſubſtitutione in caſu profeſſionis Pauli Antonii in Religione favore Cæſaris tan-
13 tùm, quia dubium non eſt hæredem, & donatarium gravari poſſe etiam in bonis propriis pro modo emolumenti ſibi relicti, aut reſpectivè donati, ad celebres *Tex. in l. unus ex familia* §. *Sed et ſi fundum*, *l. Imperator* §. *Si certam*, *& l. cum Pater ff. de legat.* 2.,
14 reſidente ſolùm iſto caſu difficultate in voluntate & poteſtate diſponentis, ab ejus relicto commenſuranda, quę tamen utraque in præſenti clarè concurrit.
15 Voluntas, ſanè perſpicua redditur ex donationis littera, ibi -- *omnia, & ſingula eius bona, materna, paterna, avita* -- & rurſus -- *omnia, & ſingula eius bona, iura, credita, & actiones ſibi ſpectantia, & quæ in futurum ſpectabunt, tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato in hęreditate paterna, materna, avita, atque etiam vigore cuiuſvis fideicommiſſi, ſucceſſionis, vel alterius depoſitionis &c.* -- , nec reſtringi poteſt ex dictionibus *ejus*, *ſuis*, *ſibi ſpectan.*, & aliis hujuſmodi particularem pertinentiam, & dominium donantis præſeferentibus, quaſi quod intelligi debeant de detractionibus, & juribus illi competentibus. Talis namque reſtrictio eſt incompatibilis cum amplitudine dd. verborum, ideoque dictiones iſtæ non ſolùm particulare jus diſponentis, ſed generalem pertinentiam, ſaltem reſpectu permiſſionis diſponendi de illis quoque, neceſſariò debent importare, *Rot. in Verulana fideicommiſſi* 10. *Maii* 1690. §. *Nullatenùs cor. clã. me. Card. Caprara*, *& in Illerden. hæreditatis de Gomar.* 27. *Martii* 1700. §. *Altera cor. eodem*, maximè quià tales quotæ
16 detractionum, & jura non verificarentur in illis verbis, *omnia bona paterna*, *materna*, *& avita*, quia amplius dici non poterant talia, ſed potius erant verè & propriè bona ipſius filii juris miniſterio incorporata eiuſ-

dem patrimonio, ex deductis per *Card. de Luc. de dot. diſc.* 189. *n.*10., *Rot. dec.* 467. *n.*2. *& ſeq. p.*8. *rec. tom.*2., *in Spoletana fideicommiſſi* 27. *Januarii* 1702. §. *Secundo cor. R̃mo dell'Olmo, & in Romana Fideicommiſſi, ſeu Pecuniaria* 9. *Junii* 1702. §. *Quoniam in fine cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

Nec reſiſtit, quin imò favet huic ſenſui mentio paternæ diſpoſitionis, animadvertendo, quod Donator non ſe reſtrinxit ad
17 paternam voluntatem ibi enunciatam, ſed ulterius declaravit velle de paternis bonis diſponere, prout melius ſibi videbitur, & placuerit, ex qua decaratione juncta effectiva diverſa diſpoſitione, validiſſimum oritur argumentum, quod noluerit cum voluntate paterna ſe conformare, ſed diverſimodè ab illa diſponere, *Peregr. de fideicom. art.*51. *num.*39. *in fin.*, *Caſtil. lib.*4. *controv. cap.*43. *num.*36. *& ſeq.*, *Card. de Luc. de fideic. diſc.* 119. *ſub n.* 4.

18 Poteſtas autem benè deſumitur ex æquali, imò forſan majori emolumento per Donantem relicto Cæſari, qui ſucceſſit in fideicommiſſo patris. Quoniam illi in bonis Patris, conſtituentibus juxta eorum deſcriptionem in inventario ſcut. 869. circiter, competebant jura Legitimæ, ac Trebellianicę, dos materna, & avita ſucceſſio, quæ prędictam importantiam bonorum Patris longè abſor-
19 bebant. Et ulterius ad corroborandum hanc poteſtatem ponderabant in propoſito Domini, quod fideicommiſſum Patris non erat abſolutum, ſed dependebat à conditione poteſtativa ingreſſus in Religionem Pauli Antonii filii, qui poterat non ingredi, itaut ipſius fideicommiſſi emolumentum delatum fuerit Cæſari non ex ſola providentia gravantis, ſed etiam gravati, & propterea licuerit iſti Patris diſpoſitionem immutare, *Card. de Luc. diſc.* 137. *ſub n.*6. *de fideicom.*, *Torr. de primog. p.*2. *q.*15. *nu.*16., *Rot. dec.* 1158. *n.*23. *cor. Coccin.*, *& dec.*467. *n.*6. *&* 7. *p.*18. *rec. tom.*2.

Stabilita generaliter immiſſione pro medietate ad bona paterna, & materna, cenſuerunt DD. particulariter illam competere
20 ad Domum in Via Serpentum, & Cenſum ceſſum ab Ardelia Nanna anno 1618., cum hæc fuerint deſcripta in inventario, uti provenientia, partim à paterna, & partim à materna hæreditate, & talia comprobentur ex aliis documentis exhibitis in *Summario Joannis n* 7., 17., *&* 21., & in ſequelam ad fructus inexactos, & extantes.

Et juxta hunc modum, utraque Parte &c.

NULLIUS ABBATIÆ S. HYLARII.

Ven. 10. *Maii* 1715.

ARGUMENTUM.

Inveſtitura de bonis Abbatiæ ſubjectis, ſequuta abſque reportatione beneplaciti Apoſtolici in actu alienationis conventi, irrita redditur. Venditor ſi ad reportationem ejuſdem beneplaciti ſe obligaverit, non liberatur ab adimplemento per ſolutionem quanti intereſt.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata efficitur, ſi intra biennium acta non tranſportentur.*
2 *Venditor, qui factum alienum in ſe aſſumpſit, ad illius adimplementum omninò tenetur.*
3 *Obligatus ad adimplementum facti A., non poteſt per æquipollens ſe liberare, offerendo quanti illud intereſt refundere, ſed debet omninò obligationi ſatisfacere, juxta id, quod facere potuit: amplia, ut in* n 4.
5 *Fructus, ſequuta evictione rei fructiferæ, amplius non debentur, ceſſante æquitate legis* Curabit.
6 *Lex* Curabit *obligat Emptorem, qui non ſolvit pretium rei emptæ, ad fructus recompenſativos, ne rem, & pretium retineat.*
7 *Emptor, ex quo rei emptæ pretium non ſolvit, & idcirco ad fructus recompenſativos obligatus, ſi ſequatur evictio ſuper medietate iſtius rei, fructus alterius tantum medietatis non evictæ ſolvere tenetur.*
8 *Conventio obligatione Camerali munita, paratam habet exequutionem.*

DECISIO DCCCXCIX.

Emit Dominicus Baccarinus de anno 1703. ſub unico Inſtrumento à Comitibus de Bentivolis portionem Comitatus Vallis Oppii de directo Dominio Abbatiæ S. Hylarii, ac una ſimul quædam bona allodialia ſita in Territorio Civitellæ cum pluribus animalibus inibi exiſtentibus pro pretio in totum ſcut. decem millium, nempe mille (ut partes in d. Inſtrumento declararunt) pro pretio portionis Comitatus; reliquorum vero 9000. in cauſam aliorum bonorum.

Ex his autem ſcut. 10. m.: juxta aliam ſpecialem conventionem in d. Inſtrumento adjectam, excomputavit idem Baſcarinus emptor ſcut. 200. cum fructibus dicti anni 1703. favore venditorum reſervatis, & deindè ſtatim ac Bentivolis inveſtituram d. portionis Comitatus pro ipſo reportaverunt à clar. mem. Cardinali Sacchetto, tunc temporis Abbate, ſolvit alia ſcut 3600., de reliquis autem ſcut. 6000. reſidualibus integri pretii ſolvit uſque ad annum 1706. fructus recompenſativos conventos in ſumma annuorum ſcut. 200.

Abindè verò citra, cum defuncto prælaudato Cardinali Sachetto, Em̃us D. Cardinalis Fabronus illius ſucceſſor obtinuiſſet ab A. C. declarari nullam, & irritam tam dictam ultimam inveſtituram Baſcarino conceſſam, quàm aliam præcedentem factam favore fratrum de Bentivolis, ex quo in utraque deficere comperuit beneplacitum Apoſtolicum à dictis Bentivolis juxta legem conventionis impetrandum: hinc propterea dictus Baſcarinus à Domino directo judicialiter ejectus de

de poſſeſſione dictæ portionis Comitatus, nedum ſolvere ampliùs recuſavit fructus compenſativos dd ſcut. 6000., ſed inſuper judicium contra Bentivolos Venditores inſtruxit coram R. P. D. meo Cerro tunc A. C. Locumtenente, obtinuitque ab eo licentiam reportandi à prædicto Emo Cardinali Fabrono novam inveſtituram omnibus damnis, ſumptibus, & intereſſe Comitum de Bentivolis, ac inſuper ſententiam definitivam, in qua declaratum fuit exequendum fore, & eſſe contractum venditionis dd. bonorum tam Comitatus Vallis Oppii, quàm allodialium pro ſcut. 10000., neque eſſe locum illius reſciſſioni in parte bonorum Comitatus, in qua evenit evictio, & è converſo Baſcarinum non fuiſſe, nec eſſe recompellendum ad ſolutionem fructuum compenſativorum reſidui pretii d. contractus, niſi ſecuta d. inveſtitura cum Beneplacito Apoſtolico.

Ab hujuſmodi Sententia, quæ ob non transportationem Actorum, auctoritatem quoque rei judicatæ ſuſcepit, commiſſa mihi in ulteriori inſtantia appellationis cauſa, dedi dubium ſub die 2. Junii ſuperioris anni -- *An conſtaret de re iudicata, vel potiùs de credito hinc indè, & pro qua ſumma, itaut eſſet relaxandum mandatum*, ſed dilata tunc reſolutione, demandatum fuit *ut coadiuvarentur probationes circa quantitatem bonorum evictorum*. Eo autem iterum propoſito ſub die 1. Februarii proximè præteriti, nulla pariter ob ſuffragiorum ſciſſuram fuit capta reſolutio, in qua tandem hodie Domini convenientes, reſponderunt *conſtare de re iudicata* juxta tamen modum infra exprimendum.

1 Et quidem res judicata innegabilis viſa eſt, licèt enim Bentivoli à Sententia R. P. D. mei Cerri appellaverint, quia tamen non curarunt intra biennium acta transportare, cauſa ex hoc capite deſerta remanſit, & Sententia tranſitum fecit in judicatum, *Rot. cor. Ottobon. dec. 44. nu. 4., & in Romana redditionis rationis 22. Junii 1715. §. Etenim cor. Emo Priolo*, & ſæpè alibi.

Maximè quia de ejus validitate non fuit controverſia, & juſtitia clariſſimè reſultat ex Inſtrumento venditionis inter Partes celebrato, in quo Bentivoli ſub Camerali obligatione aſſumpſerunt in ſe onus obtinendi favore Emptoris inveſtituram à Cardinali Abbate, & pro ejus validitate Beneplacitum Apoſtolicum, undè cum modernus Eminentiſſimus Abbas ob defectum d. Beneplaciti, bona feudalia, & comitatum evicerit, atque obtinuerit declarari nullam & irritam inveſtituram eorundem à clar. mem. Cardinali Sacchetto ejus anteceſſore Baſcarino conceſ-
2 ſam, tenentur omninò Bentivoli pro adimplemento ſuſceptæ obligationis novam inveſtituram à D. Cardinali moderno Abbate reportare cum beneplacito Apoſtolico eorum ſumptibus, & expenſis, latè *Surd. conſ. 3. n. 5. 38., & 41., & conſ. 157. n. 15. & 16., Conſtant. ad Statut. Vrb. annot. 51. n. 58., Rota dec. 150. n. 3. & 8. p. 11. rec.*

Non obſtat, quod Venditores cogi præciſè nequeant ad. recuperationem dd. bonorum feudalium mediante nova inveſtitura, quam ſine maximo diſpendio obtinere hodie non poſſe aſſerunt, ſed ſolùm condemnari debeant ad emendationem damni per emptorem paſſi cauſa dictæ evictionis, & quanti
3 ejus intereſt Comitatum evictum fuiſſe. Etenim cum prælaudatus D. Cardinalis paratus ſit concedere novam inveſtituram cum beneplacito Apſtolico, nullo modo poſſunt Bentivoli offerendo intereſſe ſe eximere à præciſo adimplemento eorum obligationis, & à præſtando facto, ad quod medio juramento ſe ſe obſtrinxerunt, *l. Stipulationes non dividuntur ubi Bart., & Doctores ff. de ver. oblig., Surdus conſ. 52. n. 17., Rot. cor. Seraphin. dec. 805. nu. 3. & 7., & in rec. dec. 451. n. 2. p. 4. tom 1, & dec. 284. n. 31., & ſeq. par. 9.*

4 Eoque certius, quia Baſcarinus ſub unico individuo contractu emit bona allodialia, & prædictam Comitatus portionem, itaut ſine hoc feudo titulum, ac juriſdictionem ſecumferente, cætera bona indifferentia non fuiſſet empturus. In his enim terminis, quemadmodùm videntur partes ad præciſum facti adimplementum, & effectivam inveſtituræ conſequutionem reſpexiſſe, ita promiſſor non liberatur, quatenùs loco facti, intereſſe præſtare velit, ſed ad illud cogi debet etiam per pignorum captionem, *l. 4. § Si intra diem ff. de damn. infect., Rot. cor. Bich dec. 266. n. 17., & cor. Cerro dec. 363. n. 4. & ſeqq.*

5 Et hic quoque planè reſultat juſtitia ejuſdem Sententiæ pro alia parte abſolvente Baſcarinum à ſolutione fructuum compenſativorum, uſque quo fuerit obtenta d. inveſtitura cum beneplacito Apoſtolico. Nam cum Emptor poſt ſequutam evictionem nullos fructus ex bonis evictis perceperit (quidquid ſit de cæteris bonis) nullos quoque reſtituere, ſive compenſare tenetur, ceſſante in hoc caſu quoad portionem bonorum evictorum tantum æquitate celebris *Text. in l.*
6 *curabit C. de action. empt.*, cogente emptorem ad ſolvendum venditori fructus recompenſativos, quatenùs ipſe non ſoluto pretio rem fructiferam ſibi venditam penes ſe retineat, ut in terminis probat *Cagnol. in d. leg. Curabit n. 38, & ſeqq., Rot. dec. 564. ſub n. 1., & cor. Ludoviſ. dec. 347. n. 1., ibique adden. n. 17. ubi plures cumulant concordantes.*

Quia tamen ex deductis hinc indè à partibus in triplici cauſæ propoſitione, ſtatui nullatenus potuit neque quantitas, neque verum pretium bonorum evictorum, cum ex parte illorum de Bentivolis aſſeratur illud non excedere ſummam ſcutorum mille, juxta declarationem factam in Inſtrumento venditionis; ex parte verò Baſcarini prætendatur ejuſmodi declarationem fuiſſe apparenter appoſitam, minuendi gratia laudemium, ſed pretium revera conſiſtere in ſcutis 5000. juxta quaſdam antecedentes locationes ab ipſis Bentivolis factas, & novas fides nuper exhibitas

bitas trium Colonorum, & cujuſdam actualis miniſtri eorundem de Bentivolis mediatoris
7 ac Sacerdotis; hinc DD. utrique parti providè conſulendo, & liquidum ab illiquido ſeparando, modum reſolutioni addiderunt, ac relictis in ſuſpenſo fructibus pro rata dd. ſcutorum trium millium, ad quæ Baſcarinus aſcendere prætendit pretium bonorum evictorum, quouſque mediante proceſſu remiſſoriali, certa ſuper his haberi valeat probatio, cenſuerunt interim non eſſe retardandam ſolutionem aliorum fructuū recompenſativorum pro alia rata ſcut. trium millium, ſuper qua Baſcarinus nihil opponere valet, cum à ſumma ſcutor. ſex millium nunquam hactenùs ab eo perſolutorum, ſubducto pretio bonorum evictorum, etiam juxta ejus prætenſionem in ſcut. 3000., adhuc ipſe pro ſimili ſumma aliorum ſcut. trium millium liquidus debitor remaneat Comitum de Bentivolis, ac proindè erga ipſos obligatus ad fructus recōpenſativos, juxta formam conventionis inter
8 eos initæ, quæ cum ſit obligatione Camerali munita, omninò exequi debet, *Rot. dec.* 90. *n.*4. *p.*13., *& dec.* 387. *n.*5. *p.*17., *& dec.*572. *n.*4. *p.*19.

Et juxta hunc modum, utraque Parte informante reſolutum fuit.

NULLIUS ABBATIÆ S. HYLARII.

Veneris 10. *Maii* 1715.

ARGUMENTUM.

Remiſſoria in materia prophana ſemper conceditur, maximè quando Actor ſententiam aliquam favorabilem reportaſſet.

SUMMARIUM.

1 *Remiſſoria pro probanda quantitate bonorum non poteſt denegari in materia prophana, præſertim ſi eam poſtulans, ſententiam in prima inſtantia reportaſſet.*
2 *Amplia, etiamſi in inſtrumento quantitas fuiſſet individuata, quando adeſſet fumus probationis, quod id proceſſiſſet ad effectum minorandi Laudemium.*
3 *Teſtes Coloni, & adminiculati ex antiquis locationibus, quantitatem bonorum probant.*
4 *Remiſſoria, quando tendit ad probandam evictionem medietatis rei emptæ, conceditur, non retardata tamen ſolutione alterius medietatis, de qua quæſtio non ſit.*

DECISIO DCCCCX.

AD probandum valorem bonorum fæudalium ab Eminentiſſimo Abbate S. Hylarii Domino directo evictorum, exhibitis pluribus articulis pro parte Baſcarini, qui illa, una cum aliis allodialibus ſub unico Inſtrumento emerat à Bentivolis pro pretio in totum ſcut. 10. mil., ſubſcripſi dubium -- *An eſſet danda remiſſoria*, eoque hodie contemporaneè propoſito, cum alio concernente negocium principale, reſponſum accepi, *dandum eſſe juxta modum.*

1 Etenim cum verſemur in cauſa prophana, & materia articulata ſit relevans, ac præterea Baſcarinus, qui articulos exhibet, ſententiam ſibi favorabilem in præcedenti inſtantia reportaverit, quæ tranſitum quoque fecit in rem judicatam, nullo jure remiſſoria eidem denegari potuit, *Rot. dec.*66. *nu.*2., *& ferè per tot.par.*17., *dec.*217. *nu.*6., *& ſeqq. p.*18., *dec.*378. *n.*3. *p.*19. cum aliis *in Leodien. Juriſdictionis* 22. *Aprilis* 1701. §. *fin. cor. Me.*

Non obſtante, quod in Inſtrumento venditionis declaratum fuerit pretium dd. bonorum fæudalium in ſut. mille; nam cum mediante depoſitione unius Teſtis mediatoris, & Sacerdotis, ac ipſorum de Bentivolis actua-
2 lis Miniſtri, Baſcarinus det ſufficientem fumum, quod ita ſimulate expreſſum fuerit ad effectum regulandi, ac minuendi quantitatem Laudemii, quodque re vera pretium dictorum bonorum à Partibus ſtabilitum aſcendat ad ſummam ſcut. 3000., idque etiam comprobare intendat ex antecedentibus locationibus, & examine Colonorum, viſa eſt ex his omnibus ceſſare quæcumque calumniæ
3 ſuſpicio, cum per Teſtes optimè probari valeat quid verè inter partes actum fuerit, *Rot. cor. Mantica dec.*6. *n.*9. *&* 10., *& cor. Burattо dec.*775. *n.*3., *& ſeqq.*, *& dec.*449. *n.*2. *cor. Emerix junior.*

Quoniam verò, etiam quatenus Baſcarinus probaverit mediante hujuſmodi remiſſoria, & examine favorabili teſtium, verum pretium bonorum evictorum aſcendere ad ſum-
4 mam ſcut. 3000., adhuc ipſe remanet debitor illorum de Bentivolis ex cauſa ejuſdem contractus, & pro reſiduali pretio bonorum allodialium non evictorum in aliis ſcutis tribus millibus, pro quibus promiſit ſe ſoluturum quot annis fructus compenſativos, ut dictum fuit in alia mea contemporanea deciſione §. *finali*, ideò Domini eandem remiſſoriam non aliter concedendam eſse cenſuerunt, quam juxta hunc modum, videlicet non retardata ſolutione dd. fructuum pro rata ſcut. 3000., pro quibus Baſcarinus eſt liquidus debitor, juxta praxim, quam ad evitandum quodlibet præjudicium partium ſervare ſolet Sacrum Tribunal, ut in *dec.*898. *n.*3. *cor. Dunozet. iunior.*, *& cor. Bich. deciſ.*53. *n.*18., *& dec.*52. *nu.*5. *cor. bon. mem. Beninсaſa.*

Et ita utraque &c.

ALBANEN. IMMISSIONIS.

Lunæ 13. *Maii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 4. Maii 1714. Statutum Albanenſe coarctat teſtamenti factionem intra quartum gradum quoad bona in emphitheuſim conceſſa ab illius Barone ad effectum excludendi eundem

dem à ſucceſſione, ſecùs quoad alios caſus, quia cum ſit Juris comunis correctorium, ſtrictè interpetrandum eſt,

SUMMARIUM

1 *Statutum, quod ſit correctorium Iuris communis, & odioſum, nec non libertatem teſtandi auferens non attenditur, limita*, ut in num.3.

2 *Voluntas Teſtatoris in actu teſtandi libera eſſe debet, nec ab alieno arbitrio pendere.*

3 *In ſtatutis correctoriis non ſit extenſio de caſu ad caſum & ſtrictè eſt interpetrandum.*

4 *Teſtamenti factio coarctatur per Statutũ ad certos gradus, ad effectum excludendi Cameram Baronalem à ſucceſſione, non coarctari poteſt in caſu, quo ſucceſſio dicta Cameræ non poſſit evenire*, & num.10.

5 *Nullitas teſtamenti ex hoc capite deſumpta, non eſt à Tertio allegabilis, ſed ſolum à Camera, de cujus præjudicio ageretur*, & num.9.

6 *Statutum Albanenſe coarctans teſtamenti factionem intrà quartum gradum reſpicit bona de directo dominio Cameræ Baronalis tantum, & quæ in embythenſim à Barone ſunt conceſſa*, & num.7., & 10.

8 *Statutum Iuris communis correctorium, quod beneplacito Apoſtolico caret, non attenditur.*

11 *Succeſſor fideicommiſſarius tenetur ad detractiones favore legitimariorum.*

12 *Melioramenta ſuper bonis fideicommiſſariis facta, jure detractionum gaudent, & retentionem melioranti tribuunt.*

13 *Scriptura in actis producta, ſi amplius in eis non reperiatur, Actori non præjudicat, quando ſuper ea res judicata emanaſſet.*

14 *Res judicata omnem Iuris præſumptionem pro ſe habet & de nigro album conſtituit.*

DECISIO DCCCCXI.

Conſtare de re judicata DD. reſponderunt 4.Maii 1714. coram Me favore Veronicę hæredis inſtitutæ à Dominico Fortino ejus viro, denegando conſequenter immiſſionem, quam ab bona hæreditaria in illius excluſionem expoſtulabant Petrus, & Joannes Baptiſta ejuſdem viri fratres, & ſucceſſores ab inteſtato cum ſuppoſito, quod vigore Statutarię diſpoſitionis *Alban. rubr.*14. *de ſucceſſ.* coarctantis teſtamẽtorum factiones ad aſcendentes, & collaterales in quarto gradu, ultimum d: Dominici elogium non ſubſtineretur. Conceſſa adverſus deciſione tunc edita nova audientia, & propoſito hodie conſueto dubio, DD. perſtiterunt in eodem ſenſu, reſcribentes *in deciſis*.

1 Nullatenus enim hic applicari poſſe viſum eſt prædictum Statutum, ideoque deficiebat aſſerta nullitas Teſtamenti à Dominico conditi cum inſtitutione univerſalis hæredis in perſonam Veronicæ ejus uxoris, ſuper qua tota vertebatur defenſio in preſenti aſſumpta à fratribus de Fortinis, & ad hunc effectum DD. præmittebant, quod agitur de Statuto maximopere odioſo, & correctorio juris communis, juxta quod in ultimis elogiis exponendis, condendiſque teſtamentis ſummam

2 libertatem, & plenè integram hominibus eſſe docet *l.*1. *C. Sacroſ. Eccleſ.*, itaut ſupremæ eorum voluntates alieno nunquam coarctentur arbitrio, quaſi hæc unica libertas in humanitatis ſolatium relicta fuerit, ad terminos *text. in l. illa inſtitutio*, & *in l. ſi quis Sempronium, ubi gloſſa*, & *DD. ff. de hæred. inſtit.* cum aliis in propoſito allegatis *per Rot. dec.*368. *num.*3.*par.*18. *rec.* Hinc

3 propterea deſumebant, quod niſi verificarentur omnes termini illius diſpoſitionis, operari non valeret, cum ſtrictè eſſet interpretandum, neque de caſu ad caſum extendi poſſet, *Surd. conſ.*4. *num.*49., *Rota coram Dunoz. Iun. dec.*643. *num.*7., & *dec.*169. *n.* 13., & 14. *par.*17., & *dec.*436. *num.*26. *par.* 19. *rec. tom.*2.

Hujuſmodi autem verificatio deerat in præſenti, tam reſpectu perſonarum, quam reſpectu bonorũ, reſpectu ſanè bonor ũ, quia illud juxta verba *relat. in deciſ.*439. *in princ. cor. Priolo*, nullitatem Teſtamentorum con-

4 ditorum extrà perſonas ibi deſignatas inducit, non favore earundem perſonarum, ſed reſtrictivè favore Curiæ, & Cameræ Baronalis, cujus præjudicia reparanda, & intereſſe præſervandum circa laudemium, aliaque ejus jura, illius conditores unicè ponderarunt, ita ſuadentibus illis verbis ibi -- *quoad præjudicium Cameræ,& Curiæ noſtrę tantum*, -- quæ ratione hujus taxativæ dictionis *tantum* ſtrictam expreſſorum incluſionem, & cæterorum omnium excluſionem important, ex regula, de qua *Text. in l. qui aliena* §. *libertas ff. de negoc. geſt.*, *Rota dec.* 256. *num.*2. *par.*16., & *dec.*624. *num.*16. *par.* 19. *rec. cum aliis in Romana Immiſſionis* 3. *Decembris*1714. §. *Quoniam coram Me*, quo

5 circa non poſſet hujuſmodi nullitatis exceptio à Fortinis allegari, ſed ab ipſa ſolum Camera, cujus reſpicit favorem, & intereſſe *Rota dec.*503. *n. fin. par.*19. *rec. tom.*2. *cum aliis in dec. quæ revidetur* §. *Quoad cor. Me.*

Nec relevat, quod Fortini jura Cameræ poſſint proponere tanquam illius ceſſionarii, quoniã talis ceſſio nunquã fuit exhibita, neque à Camera obtenta, & acta facta in Congregatione Camerali, poſtquam ſentetia ab Emo Card. Origo lata in Tribunali A.C. rei judicatæ auctoritatem aſſumpſerat, fuerunt ab R.P.D. Auditore Signaturæ Juſtitiæ circumſcripta, unde totaliter difficultas removetur ex facto.

Idem eſt quoad bona, quoniam ejuſdem

6 Statuti diſpoſitio unicè reſpicit ea, quæ ſunt ſub directo dominio Camerę in emphiteuſim conceſſa à Principe illius loci Domino cum ſubiectione eidem Statuto, idque in ſpecie probant deciſiones in noſtro Tribunali editæ coram bo.me. Bevilacqua, & Priolo in Albanen. devolutionis, in quibus ratio principalis

palis admittendi devolutionẽ favore Cameræ Baronalis certorum bonorum, quæ ex teſtamento relicta fuerant extrà perſonas à Statuto præſcriptas, fuit inveſtitura, quam Teſtator obtinuerat à Principe cum pactis, condictionibus, & oneribus Statuti Albanenſis, ut demonſtrant eædem deciſiones impreſſæ *par.16. rec. dec.159., & cor. Priolo dec.423., & 432 per tot.*

Hoc ipſum ad evidentiam oſtendit Apoſtolica confirmatio, quam Julius Sabellus Albani Princeps anno 1665. reportavit à Sa. me. Alexandro VII., ſiquidem reſtricta eſt ad bona ibi -- *ne quali vi ſarà la conceſſione, ò inveſtitura colli ſuddetti patti, e conditioni à che li ſottopone lo Statuto di Albano*
7 ac propterea illa bona, quæ conceſſa non ſunt, neque inveſtita, ſed libera, & cujuſcumque privati dominii non comprehendit, ita ut Statutum, quatenus etiam iſta reſpiceret, remaneret in hac parte ſine confirmatione ſupremi Principis, alioquin omnino neceſſa-
8 ria, cum, ut ſupra dictum eſt, ſit correctorium Juris, & nullo modo eſſet attendenda, ad *tex. in l. omnes populi ff. de Juſt., & Jur., Card. de Luc. de Teſtam. diſc.30. num.9., Rota dec. 267. num. 16. par.16., & dec.150. num.3. par. 18. rec.*, & paſſim alibi. Poſita autem hac ſtatutariæ diſpoſitionis iterpretatione, etiam ſi de iſta neceſſaria bonorum qualitate conſtaret, adhuc exceptio remaneret inefficax,
9 cum non proponatur, ut dictum eſt, à R.Camera.

Rejecta ex his teſtamenti nullitate, corruebant & ceteræ exceptiones, quæ in illius ſequelam à Fortinis deducebantur adverſus detractiones in deciſione, quæ revidetur admiſſas favore Veronicæ ex perſona ejus Viri ſuper hæreditate Vincentii fideicommittentis, nec ſanè ampliùs opponi poterat, quod ex dicta Statuti diſpoſitione Perſonis in illo vocatis daretur regreſſus ad omnia bona abſque onere detractionum, & ſine ulla penitus diminutione, quoniam jam vidimus ſta-
10 tutariam diſpoſitionem nullatenus iiſdem Perſonis favere poſſe pro obtinendo pretenſo regreſſu, ſeu devolutione, ſed unicè illam ad favorem Cameræ reſtrictam eſſe, unde ſi ſolũ ſupereſt Fortinis pro vindicanda aliqua
11 parte bonorum hæreditariorum Dominici, titulus fideicommiſſi per Vincentium ejus Patrem conditi, debent eo taliter uti, ut etiam ſubeant onus detractionum contra idem fideicommiſſum competentium eidem Dominico, & Veronicæ ejus hæredi;
12 Et Jure merito fuerunt inter iſtas repoſita melioramenta facta in Domo fideicommiſſaria, quia cum fuiſſent plenè liquidata in proceſſu remiſſoriali Judicis de partibus ad hunc præciſè effectum ſubdelegati, utique illis competebat retentio, ut in deciſione quæ revidetur § *Tranſeundo*, non obſtante quod idem proceſſus amplius hodiè non inveniatur, quia cum certo conſtet de illius in actis pro-
13 ductione, quicquid in poſterum de illo contigerit, non eſt imputandum culpæ Veronicæ, neque ad ejus præjudicium referri debet, præſertim poſt rem judicatam, contra quam Fortinire clamantes, tenetur probatio-
14 nes concludentiſſimas adducere, cum alioquin omnem pro ſe præſumptionem habeat, & de nigro album conſtituat, ad *Text. in l. res judicata ff. de regul. Juris cum aliis vulgar.*

Quoad reliquas detractiones Dotium, legitimæ, & Trebellanicæ, tranſierunt DD. cum deductis in eadem deciſione quæ revidetur, cum nihil adverſus illa novum, aut relevans proponeretur, cui ibidem reſponſum non fuerit.

Et ita utraque parte &c.

VERCELLEN. FIDEICOMMISSI

Lunæ 13. Maii 1715.

ARGUMENTUM.

Subſtitutio concepta cum conditione -- *Si ſine filiis* -- primi inſtituti expirat per ſuperexiſtentiam fæminarum ex illo, licet in ſecundo ſubſtitutionis gradu filios maſculos expreſsè Teſtator vocaſſet, cum cenſeatur id potiùs conſulto feciſſe, ut pateret in quo gradu maſculos tantum, & in quo etiam fæminas vocaſſet, per quarum exiſtentiam ejus mens adimpleta remaneret.

SUMMARIUM.

1 *Subſtitutio concepta ſub conditione obitus Inſtituti ſinè filiis, illo decedente cum filiis, ſivè maſculis, ſivè fæminis expirat &* num.3.

2 *Fæminæ in ultima voluntate ſub nomine filiorum comprehenduntur, amplia* ut in num.13.

4 *Teſtator, ut dicatur, quod ſub nomine filiorum maſculos tantum intellexerit, urgentiſſimæ conjecturæ maſculinitatem denotantes requiruntur.*

5 *Teſtator præſumitur vocaſſe tàm maſculos, quam fæminas ex primo Inſtituto, ſub nomine filiorum, licèt ad ſecundum ſubſtitutionis gradum deſcendendo, filios cum additione maſculinitatis vocaſſet.*

6 *Amplia, ut ſemper præſumatur, quod ubi voluit maſculos, iſtos expreſſiſſet, & ubi noluerit, eos excluſiſſet.*

7 *Subamplia, ſi expreſſio maſculinitatis ſubſequuta fuiſſet diſpoſitionem, in qua Teſtator ſolum nomine filiorum in genere uſus eſſet.*

8 *Dictio* -- Come ſopra -- *appoſita in ſecunda ſubſtitutione, ubi maſculi expreſsè nominati ſint, non facit præſumere, quod Teſtator in prima inſtitutione vocando filios tantum, fæminas excludere intellexerit, cùm referatur ad ſimplicem qualitatem legitimatis in primis requiſitæ.*

9 *Filiæ jam natæ non dicuntur excluſæ, ex quo Teſtator vocaſſet filios naſcituros in genere, adeòut præſumendum eſſet, quod maſculos tantum vocaſſet, & vide rationem* in num. ſeq.

10 *Ul-*

10 *Ultima voluntas, ut interpretetur, non conſiderandum eſt tempus conditi teſtamenti, ſed apertæ ſucceſſionis.*

11 *Statutum Meſſerani excludit patruos propter nepotes, jubendo, quod cum eis conviviant.*

12 *Statutum Meſſerani operatur in caſu, quo concurrant perſonæ, de quibus illud loquitur, in materia ſucceſſionis.*

14 *Fæminæ, ut dicantur vocatæ, ſat eſt, quod in teſtamento adſit verbum eorum ſexus complexivum, ſcilicet* -- Deſcendentes -- Familia, *& ſimilia, &c.*

15 *Non dicuntur incluſæ per hoc, quod Teſtator filios in genere vocando, impoſuiſſet ſuum ferre cognomen, quando verba teſtatoris acceſſoriè, & correſpectivè ſe haberent ad eum ſolum caſum, in quo maſculos præcisè vocaſſet.*

16 *Amplia, ſi Teſtatoris voluntas adminicularetur ex altero teſtamento, quod condidiſſet ex poſt perſona illa, quæ prius unà cum ipſo alterum ſupremum elogium condidiſſet cum reciproca ſubſtitutione.*

17 *Subamplia, ſi obſervantia fæminis faveret, quæ ad ſubſtitutorum excluſionem fuiſſent admiſſæ, mediante Judicis approbatione.*

18 *Fideicommiſſum in defectu filiorum primò inſtituti conditum expirat, quando adſunt fæminę de illo deſcendentes, quæ vocarentur.*

DECISIO DCCCCII.

FRaterno amore ſeſe proſequentes Jo: Baptiſta Confallonerius, & Catherina ejus ſoror, Teſtamentum inſimùl condiderunt de anno 1608., in eoque ſe reciprocè hęredes inſtituerunt, & poſt ipſorum ultimò morientis obitum ità diſpoſuerunt -- *E doppo la loro vita naturale, e di ciaſcuno di eſſi hanno iſtituito in loro erede univerſale &c. il Sign. Gio: Battiſta Conſallonieri Giuniore loro nipote, figlio del fù Gio: Giacomo loro fratello, e li ſuoi figli legitimi ſe ne averà. Et eſſo Sig. Gio: Battiſta Giuniore mancando ſenza figli legitimi, e naturali, e di legitimo matrimonio procreati in qualſivoglia tempo, hanno iſtituito in loro erede, come ſopra Franceſco Bernardino &c. E mancando eſſo Sig. Franceſco Bernardino ſecondo erede ſenza figli maſchi legitimi, e naturali, come ſopra, in tal caſo &c. hanno inſtituito, & à quello ſoſtituito &c. li figli legitimi, e naturali di Gio: Giacomo Secchia figlio del Sig. Gio: Filippo loro fratello, con che abbiano à portare il nome di Secchia, e Conſalonieri proibendo &c.*

Superſtes fuit Jo: Baptiſtę fratri Catherina, quæ aliud ſucceſſivè Teſtamentum condidit anno 1612. in aliqua ſui parte primi correctorium, in quo ita ad hęredis inſtitutione devenit -- *di nuovo hà inſtituito, & inſtituiſce ſuo erede univerſale il Sig. Gio: Battiſta figliuolo del fù Sig. Gio: Giacomo Conſallonieri fratello d'eſſa Teſtatrice ſuo nipote iſtituito nell' altro Teſtamento &c., e doppo di lui li ſuoi figliuoli, e figliole, e mancando eſſo ſenza figlioli, e figliole, &c. ſoſtituiſce Franceſco Bernardino altro ſuo nipote &c.*

Poſt Catharinæ obitum, Jo: Baptiſta Junior primus hæres inſtitutus, omnium bonorum hæreditariorum poſſeſſionem cæpit, & preſertim Molendini *del Faſolo*, Terrarumque illi annexarum, eoque ſubindè mortuo, relictis poſt ſe duabus filiabus, Margharita, & Iſabella, iſtæ d. poſſeſſionem pacificè continuarunt. Inſurrexit verò anno 1642. Rocchus Secchia, & prætendens ad ſe, tanquam filium Jo: Jacobi filii Jo: Philippi, ob deceſſum Jo: Baptiſtę de Confalloneriis Junioris abſque filiis maſculis, d. Molendinum, aliaque bona annexa ſpectare debere vigore fideicommiſſi in recenſito Teſtamento anno 1608. conſtituti, Judicium inſtruxit in partibus, ſed geminis ſententiis rejectus fuit, quibus diù acquievit, donec anno 1668. nulla reportata in integrum reſtitutione, ab iis reclamavit, & aliam ſententiam revocatoriam reportavit, confirmatam ſucceſſivè ab alio Judice.

Quia tamen pendente hoc Judicio, Rocchus jura ſibi competentia ſuper Molendino, aliiſque bonis in D. Principiſſam Maſſerani tranſtulit, & iſta, expulſis à poſſeſſione Fratribus de Badinis cauſam habentibus à Sororibus de Confalloneriis, illa occupavit, meliùs dicti Fratres conſultum ſibi putarunt inſtruendo Judicium reintegrationis, & de facto non ſolùm in Partibus, ſed etiam in hoc Sac. Auditorio coram R. P. D. Falconerio, & coram Me victores in eo fuerunt, uſque ad obtinendam condemnationem ejuſdem Principiſſę ad reſtitutionem omnium fructuum à die commiſſi ſpolii perceptorum, & expenſarum refectionem, ut ex deciſione ultimo loco edita coram Me 26. Februarii 1714., itaut iſta ad Tranſactionem deveniendo, liti ceſſerit.

In hoc reintegrationis Judicio plures oppoſitum fuit à Principiſſa nullum jus Fratribus de Badinis competere, itaut laceſſitis, ſed non comparentibus etiam illis de Secchia, neceſſarium fuerit deguſtare aliquid de exiſtentia, vel expiratione aſſerti fideicommiſſi, ut ſignanter videre eſt in deciſione 3. Julii 1711. coram R. P. D. meo Falconerio, in qua plenè illud expiraſſe firmatur. Nihilominùs particularem hodiè ſuper eo controverſiam renovantibus iiſdem de Secchia, propoſui dubium -- *An, & ad cujus favorem conſtet de fideicommiſſo Jo: Baptiſtæ ſenioris, & ſuper quibus bonis* -- & Domini *negativè in omnibus* reſponderunt.

1 Subſtitutio enim Jo: Jacobi, à quo illi jus deſumunt, erat concepta ſub conditione obitus Jo: Baptiſtę primi hæredis inſtituti *ſine filiis*, undè cum iſte deceſſerit, relictis poſt ſe Margherita, & Iſabella filiabus, utique hæc conditio purificata non fuit, & fideicommiſſum ad favorem ſucceſſivè vocatorum, atque omnis alia ſubſtitutio expiravit, ad

ad celebre *Oldradi conſ.* 21. communitèr receptum, *ut in dec.*89. *num.*1. & *dec.*239. *nu.* 2.& 3. *par.*19. *rec.*, & *in Eugubina fideicommiſſi* 9. *Maii* 1707. §. *Etenim coram Me*, & præcisè examinando præſentem controverſiam in *dec. hujus Cauſæ Vercellen. reintegrationis* 3. *Iulii* 1711. §. *Superfluum coram R. P. D. Falconerio*. Neque dubium eſt, quod defectum hujus conditionis importare potuerit exiſtentia dd. filiarum fœminarum:
2 quia regulare eſt in ultimis voluntatibus ſub nomine filiorum venire tam maſculos, quam fœminas, ad *Text.in l. ſi ità ſcriptum* 46. *ff. de legat.*2., & *leg quiſquis ff. de verb. ſignif.*, & præſertim in parte conditionali, ut latè probant *Fuſar.conſ.*101.*per tot.*, *Peregrin.de fideicomm. art.*25. *num.*44., *de Luc. de fideic. diſc.*47.*num.*5., *Rota in Sabinen. cenſus* 10. *Ianuarii* 1698. §. *Eoque magis coram bo:me: Muto*, & conſequenter illarum quoque exi-
3 ſtentiam fideicommiſſi expirationem operari, plenè in *Romana fideicommiſſi de Palazzolis* 18. *Aprilis* 1704. §. *Purificatio coram eodem bo.me. Muto*, & cum aliis in citata *Vercellen. reintegrationis* 3. *Julii* 1711. §. *Et licèt coram R.P.D. meo Falconerio.*

Nec ſubſiſtit, Teſtatores in hypotheſi intellexiſſe de filiis maſculis in excluſionem fœminarum, hoc deducendo ex pluribus
4 conjecturis, nam iſtæ nullo modo concludunt, quando tamen, ut à præmiſſa regula recedatur, deberent eſſe graves, & id neceſſariò perſtringentes.

Et quidem non refert, quod in ſubſtitutione Franciſci Bernardini poſuerint in condi-
5 tione filios maſculos, ibi -- *E mancando eſſo Franceſco Bernardino ſecondo erede da queſta vita ſenza figli maſchi legitimi, e naturali come ſopra &c.* -- Hoc enim potiùs retorquetur, dùm quatenùs voluiſſent qualitatem maſculinitatis etiam in filiis Jo:Baptiſtæ, illam expreſſiſſent, prout expreſſerunt in filiis Franciſci Bernardini, quod cum non fece-
6 rint, conſultò omiſiſſe dicendum eſt, ad *Tex. in leg. unic.* §. *Sin autem C. de caduc.tollen.*, *Rot. dec.*274. *nu.*4. *par.*18. *rec.tom.*1., & aliis adductis in citata *Vercellen. reintegrationis* §. *Multoque minùs cor. R. P. D. meo Falconerio*.

7 Ultrà quod maſculinitatis expreſſio in præſenti ſubſequitur, & non antecedit conditionem, de qua res eſt, & appoſita legitur in diverſa ſubſtitutione, diverſis quoque perſonis; undè extranea remanet quæcumque præſumpta repetitio, ut de prima circumſtantia firmat *Rot.dec.*67.*num.*5., & 6. & *dec.* 166. *nu.*4. & 5. *par.*18. *rec.*, & de ſecunda plenè *Rodulphin. alleg.* 71. *num.* 5. & *alleg.* 119. *num.*4., *Rot. cor. ſun. mem. Alex. VIII. dec.*252. *num.*7., & *dec.* 119. *nu.*17. *poſt Conſtant. ad Stat. Urb.*

8 Abſque eo quod deduci valeat implicitè à dictione relativa, *come ſopra*. Hæc namque juxtà præcedentem diſpoſitionem, non poteſt qualitatem maſculinitatis nunquam antè expreſſam repetere, ſed ad ſimplicem qualitem legitimitatis antecedenter requiſitam referri debet, ut in puncto ait *Rota dec.*67. *num.*5., & *dec.*166. *nu.*4. & 5. *par.*18. *rec.* & proſequitur *deciſ. R.P.D. mei Falconerii* §. *Neque expræſſa.*

Minuſque relevat, quod Margherita, una ex filiabus Jo: Baptiſtæ de tempore conditi Teſtamenti nata jam eſſet, ideoq; Teſtatores vocando filios legitimos, & naturales, *ſe ne haverà*, non potuiſſe intelligere de fœminis, quas jam certò extare ſciebat. Etenim omiſſo, quod non benè demonſtratur in facto exiſtentia præfatæ fœminæ de illo tempore, difficultas removetur, animadvertendo, quod
9 non per hoc, quod vocentur filii in futurum exiſtentes, excluſi dici poſſunt illi, qui adſunt de præſenti, quatenùs etiam exiſtant de futuro, cum pro interprætandis ultimis vo-
10 luntatibus, non debeat conſiderari tempus conditi Teſtamenti, ſed ſolum tempus apertæ ſucceſſionis, ut optimè in propoſito docet *Valenz. conſ.*23. *nu.*101. *lib.*1., & *Torr. de primogen. Ital.cap.*36. §.16. *num.* 212. *par.*1. *ubi concordan.*

Neque pariter ad rem facit, quod adſit in loco Meſſerani Satutum excluſivum fœminarum, & cum eo cenſeantur Teſtatores conformare ſe voluiſſe. Quoniam præterquam quod valdè dubitari poteſt, quod excluſio fœminarum fuerit volita propter dotem, non pro-
11 pter maſculos, hoc unum certum eſt, quod Statutum illam unicè voluit favore Patruorum, cum expræſſione tamen, quod in communi vivant cum neptibus. Quamobrem cum nullus ex his talem habens qualitatem concurrat, fruſtrà recurritur ad præſumptam
12 conformationem cum eodem Statuto, quæ dumtaxat operari poteſt in caſu, quo concurrant perſonæ, de quibus loquitur idem Statutum, *Rot.dec.*533. *nu.*2. *coram Gregor.*, *dec.*111. *nu.*30.& 31. *coram Otthobon.*, *dec.* 118. *num.*14. *poſt Conſtantin.ad Stat. Urb.*, & *in Romana fideicommiſſi de Palazzolis* 4. *Julii* 1704. §. *Quo verò cor. bon.mem. Muto*,
13 præterea concurrit, quod fœminarum vocatio in præſenti deducitur non à parte tantùm diſpoſitiva, ſed etiam conditionali, in qua
14 hujuſmodi argumentum, & conjectura non admittitur, quando verbum in ea legitur, quod ſit aptum fœminas quoque compræhendere, *Peregrin. de fideic. art.* 25. *num.*44. *de Luca diſc.*47. *n.*5. *eodem tit.*, *Rot. dec.*166. *num.*12. *par.* 18. *rec.*, & in citata *Romana fideicommiſſi de Palazzolis* 8. *Aprilis* 1704. §. *Quarta ex eo coram bon. mem. Muto.*

15 Nullius demum momenti ſunt onus aſſumendi cognomen datum ultimis Subſtitutis, & prohibitio alienationis Molendini, de quo agitur, cum ratione, illud perpetuò conſervandi in Familia Secchia, & Confalloneria. Evidenter namque ex tenore diſpoſitionis convincitur, hæc omnia non fuiſſe abſolutè volita, ſed acceſſoriè, & correſpectivè, quatenùs nempè purificaretur ſubſtitutio favore Jo: Jacobi per obitum Jo: Baptiſtæ *ſine filiis*, ut præcisè pluribus adductis firmatum fuit in

in dicta *Vercellen. reintegrationis* 3. *Julii* 1711. §. *Neque demùm coram R. P. D. meo Falconerio.*

16 Fortiùs procedunt hæc omnia, ex quo Catharina in ejus ſecundo Teſtamento explicando conditionem in ſubſtitutione Jo: Baptiſtæ in altera diſpoſitione appoſitam, expreſsè declaravit, illum ſibi hæredem fore, ejuſque *filios, & filias*, & in eorum defectum alios antecedenter ſubſtitutos. Hoc verò Teſtamentum, quatenùs ſaltem in linea interpretationis, & declarationis accipietur, plurimùm attendi debet, cum iſta ex actu nullo, ex non facto, & multò fortius, ex particulari diſpoſitione poſſit deduci, ex notatis per *gloſ. in leg. ille à quo* §. *Si de teſtamento verb. verba ff. ad Trebell.*, *Mantic. de coniectur. lib.* 8. *tit.* 13., *et ſeqq.*, *Rota coram*

17 *Merlin. dec.*456. *num.*2. & paſſim; juncta ſucceſſiva obſervantia, juxtà quam fœminæ fuerunt admiſſæ, & quidem ad excluſionem ſubſtitutorum cum judiciali canonizatione earum jurium ſuper bonis, quæ ad iſtos devoluta prætendebantur; quam quidem obſervantiam in hac quoque re validum præſtare argumentum pluries dixit *Rota*, & ſignanter *deciſ.*451. *num.* 7. *coram Gregorio, deciſ.* 452. *num.*24. *par.*19. *rec.*, *& in Melevitana fideicommiſſi* 22. *Martii mox elapſi* §. *finali coram Me*.

Quibus poſitis, ſuperfluum Dominis viſum eſt examen retentionis, quę Badinis competeret pro dote Caſſandrę, & portione proveniente à Catharina altera ex Teſtatoribus,

18 quę, ut dictum eſt, aliud poſteà exaravit elogium cum innegabili fęminarum vocatione, dum ex iis ſatis conſtabilita eſt expiratio fideicommiſſi, & ceſſat omne jus illorum de Secchia.

Et ita utraque parte audita, & ſuffragantibus omnibus Dominis, fuit reſolutum &c.

NULLIUS, SEU, MONTIS CASSINEN. MANUTENTIONIS, SEU PROCESSIONUM.

Lunę 3. *Iunii* 1715.

ARGUMENTUM

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Proceſſiones, aliæque Sacræ functiones duarum Eccleſiarum, an una ſimul ab utraque Eccleſia peragendę ſint, ſivè diſtunctivè, probatur ex inventariis utriuſque, quæ cum interventu Miniſtrorum hinc inde confecta fuiſſent.*

2 *Ratio eadem ubi militat, Iuris etiam eadem militat diſpoſitio.*

DECISIO DCCCCIII.

Dictum fuit in deciſione edita 27. Jun. 1714. coram Me, Proceſſiones, & Seſſiones unitim fieri ſolitas ab Archipræsbytero, & Clero S. Mariæ Majoris Terræ Cerbarii, & Parocho, & Clero S. Pauli eſſe illas deſcriptas in Inventariis Eccleſiarum S. Mariæ de Piternis, S. Sebaſtiani, S. Antonii de Padua, & S. Martini confectis cum interventu Parochi S. Pauli de annis 1696., & 1697.,

1 omiſſis iis, quæ deſcriptæ erant in Inventario Eccleſiæ SSmæ Virginis Annunciatæ, quia non juſtificabatur illud fuiſſe confectū, ut alia; cum prę ſentia, & conſenſu d. Parochi.

Hodiè vero petens Archipræsbyter expeditionem, plenè probavit eadem methodo, qua reliqua, etiam iſtud factum fuiſſe, ideoque DD. cenſuerunt *etiam Proceſſiones, et Seſſiones in eo deſcriptas eſſe unitim faciendas, et cauſam eſſe expediendam* extenſa hac brevi deciſione, & quidem ſummo jure,

2 quia ubi militat eadem ratio, eadem juris eſſe debet diſpoſitio.

Et ità &c.

FIRMANA BENEFICIORUM.

Lunę 3. *Iunii* 1715.

ARGUMENTUM.

Præſentatus à Patrono, qui ultimum pro ſe ſtatum habeat, in aliorum concurſu eſt inſtituendus, nec exceptio turbida de expiratione juris præſentandi ultimum ſtatum deſtruit.

Renunciatio de bonis paternis, & maternis nunquam Juſpatronatus compræhendit, cum iſtud non ſit de illis, quæ ſunt contra perſonas exercibilia.

SUMMARIUM.

1 *Prę ſentatus à majori parte Patronorum vocem habentium, in inſtitutione cæteris eſt prę ferendus.*

2 *Ultimus ſtatus attenditur inter Compatronos circà jus præſentandi, & ad inſtitutiones regulandas, præſertim ſi lis ſit inter Præſentatos*, & n. 11.

3 *Renunciatio facta ſuper omnibus bonis, & juribus paternis, & maternis, juſpatronatus non comprehendit*, & n. 15., *& facta à Patrono non turbat ultimum ſtatum ſibi favorabilem in præſentando*, & n. 6.

4 *Amplia, ſi vis renunciationis altiorem requireret indaginem ſupra hoc, et titulum clarum non haberet, præſentationem non retardat.*

5 *Renunciatio facta à Muliere, ſi deſit inſinuatio, corruit.*

7 *Dictiones* -- In, & Super -- *particularem præſeferunt reſtrictionem ad Jura realia ſuper bonis: maximè ſi in earum altera Jurium qualitas declaretur.*

8 *Juſpatronatus contra perſonas non eſt exercibile*, & vide caſum.

9 *Juſpatronatus, ut dicatur in renunciatione facta non comprahenſum, multum deſertur obſervantia detentæ in vacationibus, maxime ſi in his renuncians præſentaſſet.*

10 *Amplia, ſi renunciatarius omnium Jurium, ultra quod non præſentaſſet, affixis etiam edictis, non reclamaſſet.*

12 *Deciſiones Rotales inter Præſentatos emanatæ non faciant ſtatum reſpectu Patroni, ſi in illis exceptiones, et Jura iſti competentia non fuiſſent deducta.*

13 *Jus, quod unus non habeat, per renunciationem in renunciatarium non transmittitur.*

14 *Exceptio, quæ contra utrumque litigantem militat, à neutro poteſt allegari.*

16 *Poſſeſſio Juriſpatronatus mediante præſentatione acquiritur.*

17 *Vincens vincentem alium, multò fortiùs iſtum alium vincit.*

DECISIO DCCCCIV.

TRes in hac Cauſa coram Me prodierunt deciſiones favore Mattheucci ſub diebus 3. *Iunii* 1709., *ſexta Iunii* 1710., *et* 19. *Ianuarii* 1711. decernentes illi inſtitutionem ad controverſa Beneficia, & illarum geminæ ſecumferebant excluſionem Morroni compræſentati. Altera vero excluſionem Primicerii Calvuccii, qui pariter fuerat nominatus. Quia tamen poſtmodum idem Calvuccius clarius Jura ſua deduxit contra Mattheuccium, obtinuit *ſub die* 11. *Ianuarii* proximè præteriti receſſum à dictis primis Deciſionibus; conceſſa in hoc reſolutionum conflictu nova Audientia, cum hoc, quod citaretur etiam Morronus alter collitigans, rediit hodiè *pro quinta vice* ad trutinam præſens Cauſa, & informantibus dumtaxat Calvuccio, & Mattheuccio, Morrono autem, licèt pluries monito, adhuc non comparente, reſcriptum prodiit, *ſtandum eſſe in ultimo loco deciſis*.

Quandoquidem reſtricta iterum difficulta-
1 te ad pluritatem vocum Patronorum, qui jus habent præſentandi ad controverſa Beneficia, hæc Dominis viſa eſt aſſiſtere præfato Calvuccio, itaut propterea in inſtitutione conſequenda, aliis foret præferendus, juxtà plenè firmata in *Bononien. Beneficiorum de Caſtello* 9. *Junii* 1713. §. *Perſpicuè coram R. P. D. meo Anſaldo, et præter adductos in dec., quæ revidetur* §. *Ex his, dictum fuit in Faventina Parrochialis* 6. *Maii hujus anni* §. *final. cor. Me*.

Et ſanè attento ultimo ſtatu anni 1689.
2 conſtat, quod ex Patronis cauſam habentibus ab Honuphrio, ad quem ex tribus vocibus, in quibus ab initio jus præſentandi diviſum fuerat, pertinebat una integra vox, & dimidia pars alterius vocis, non comparuerunt ad præſentandum Philippum de Nobilibus eo tunc ad hæc Beneficia inſtitutum, niſi Clarix, & Catarina illius hæredes mediante perſona Comitiſſæ earum Matris, & Ioannes Antonius hæres, quoque mediante perſona Nicoloſæ Matris ejuſdem Honuphrii, ut latius deducitur in dicta ultima mea deciſione. Undè cum iſtimet modò Primicerium Calvuccium præſentaverint, quidquid ſit de aliis vocibus aliunde provenientibus, & inter alios compræſentatos diviſis, utique patet, quod juxta ultimum ſtatum ex nota diſpoſitione *cap. Conſultationibus de jurepatronatus*, omnino attendendum, pluralitas vocum aſſiſtit eidem Calvuccio.

Nec obſtat, quod Jura prædicti Honu-
3 phrii delata fuerint, ex renunciationibus à dd. Clarice, & Chaterina emiſſis, ad Julium Cæſarem Mattheuccium, itaut ex iis conſtet de titulo abſorbente poſſeſſionem, cum qua procedit diſpoſitio d. *Text.*, & de pluralitate vocum favore Præſentati ab eodem Iulio Cæſare. Etenim renunciationes non apparuerunt tales, quales ad impediendam vim ultimi ſtatus eſſe deberent, dum recurrebant adverſus illas *omnes eæ exceptiones* fuſius deductæ in deciſione, quæ confirmatur §. *Tales*, cum ſeqq., quæ ſanè licet earum in validitatem à Patronis in Judicio petitorio diſcutiendam forſan non præſeferrent, maximam tamen turbiditatem, & altioris
4 indaginis quæſtiones involvebant, ut pro effectu ad quem adducebantur, inutiles remanerent, cum cæteroquin titulus clarus, & limpidus, & ſine ulla dubietate à Doctoribus præſcribatur, ut præter adductos in d. mea deciſione §. *Neque dicatur*, probat *Rota in Placentina Parochialis* 22. *Martii* 1715. §. *In conſpectu cor. R.P.D. meo Cerro*.

Porro præter defectum inſinuationis ex
5 jure municipali Firmanæ Civitatis, & Ægidiana Conſtitutione neceſſariæ, aliaſque exceptiones ibidem adductas, præcæteris omni-
6 bus apud Dominos non modicam dubitandi rationem præbebat motivũ non compræhenſionis juriſpatronatus in iiſdem renunciationibus. Quamvis enim loquantur etiam de juribus, quæ fæminis renunciantibus competebant, non tamen adeo certum eſt, ut de jure etiam nominandi ad controverſa Beneficia intelligantur: Altera enim de Juribus loquitur competẽtibus ſuper bonis Paternis, Maternis &c.: Altera de Juribus in bonis Pa-
7 ternis, Maternis &c., quæ ſanè dictiones *in*, & *ſuper* quandã præſeferre videntur reſtrictionem particulariter ad ea Jura realia, quæ potuiſſent competere in aſſequendis portionibus hæreditariis, aliiſque Juribus inherentibus ſuper ipſis bonis, & rebus renunciatis, ſicut cum *Bartol. in l. cum Pater §. Hæreditatem ff. de legat.* 2., videtur concludere *Rota in allegata per Mattheuccium dec.* 351. *in fine cor. Put. lib.* 2. *in antiquis*. Præſertim quia in earum altera habetur declaratio qualitatis iſtorum Jurium competentium, ſcilicet directè, vel indirectè contra quoſcumque etiam Fratres, & Patrem ipſum: Jus au-
8 tem patronatus contrà perſonas non eſt exercibile, & hæc declaratio multum eſt attendenda, ut firmatum fuit in *d. poſtrema dec.* §. *Verum*.

Augetur verò plurimum dubitandi ratio,
9 ex ſubſecuta, & quidem proxima renunciantium, & renunciatariorum obſervantia, quæ de eo, quod in contractu compræhendere Partes intellexerunt, optimam ſemper interpretationem præbuit, *ad tex. in l. ſed*, & 9.

§. *Proin-*

§. *Proinde ff. ad Macedon.*, *et l. ſi de interpretat. ff. de legib.* cum aliis relatis *in deciſ. 749. n. 7. p. 18.*, *et dec. 416. n. 4. p. 19. recen. tom 2.*, & hæc rectè elicitur à prędicto ultimo ſtatu anni 1689., in quo quantumvis renunciationes præceſſiſſent, cum fuerint factæ de anno 1678., adhuc Anna Clarix, & Catherina fuerunt ad præſentandum admiſ-
10 ſę, & è contra renunciatarii non præſentarunt, imò affixis de more edictis non comparuerunt, aut in poſterum reclamarunt, itaut Pręſentato à fęminis beneficia fuerint adiudicata, ſignum evidens, quod in dd. renunciationibus juſpatronatus comprahenſum non fuerit, *Rota in Auguſtana jurispatronatus 17. Februarii 1698. §. Eoque facilius cor. R̃mo dell'Olmo, cum concordantibus in deciſione, quę confirmatur §. Accedente.*

Húc propterea redit vis, & efficacia ulti-
11 mi ſtatus, cujus vigore, per hanc pręſentationem effectum ſortitam mediante ſubſecuta inſtitutione, fuit prædictis mulieribus, non obſtantibus renunciationibus, quæſita quaſi poſſeſſio præſentandi, adeout (attento potiſſimum, quod hic lis eſt inter præſentatos ſimpliciter) quemadmodum eisdem fæminis ità poſſidentibus competere poſſet manutentio, ſic etiam Præſentato ab illis competat inſtitutio, prout benè arguendo firmavit *Rot. in Caſertana Beneficii 27. Martii 1715. §. Docuit enim cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore.*

Neque obſtare Domini cenſuerunt firmata in deciſione *Firmana Beneficiorum 19. Junii 1693 cor. bo. mem. Manuel.*, edita occaſione controverſiæ in ultimo quoque ſtatu agitatæ. Etenim rectè perpenſo illius tenore, nullatenus poni viſę ſunt in diſcrimen præſentationes peractę à dd. Catherina, & Clarice, tamquam mediatis hæredibus Honuphrii, ſed ſolum quia oppoſitum fuerat illas præſentare non potuiſſe ratione Statuti Firmani fæminarum excluſivi, quando cæteroquin ſufficiebat Philippo Antonio de Nobilibus præſentatio Ioannis Antonii Calvucci,
12 prætermiſſæ fuerunt exceptiones contra illas deductæ, & reſpectivè earum reſponſiones, ex quo ſanè præjudicium ipſis in poſſeſſione præſentandi illatum fuiſſe dici non poteſt, ex deductis in *Comen. Cappellanię 31. Martii 1702. §. Fruſtraque cor. Eminentiſſimo D. Cardinali de la Tremoille*, *et in confirmatoria 7. Martii 1704. §. final. cor. R̃mo Kaunitz.*

Hodiè verò ſupervacaneum totaliter eſt prædictæ excluſionis examen reaſſumere; Quoniam ſi fæminæ jure præſentandi ex Statuto Firmano illarum excluſivo privatę re-
13 manerent, hoc ipſum contra Mattheuccium retorqueretur, dum nullatenus potuiſſet ab ipſis renunciari, & in hujus Auctores tranſmitti, obſtante regula *text. in l. nemo plus Iur. cum aliis notiſſimis*, cum itaque quatenus
14 ſubſiſteret iſta exceptio, ęquè contra utrumque collitigantem militaret, à neutro poteſt allegari, *Rot. dec. 664. n. 6. p. 19. rec. to. 2.*, *et in Romana immiſſionis 18. Februarii currentis anni §. Et demum cor. Me.*

Nullius denique eſt efficaciæ argumentum deſumptum à poſſeſſione bonorum delata ad renunciatarios, quaſi quod illæ etiam
15 jus præſentandi acquiſiverint. Quandoquidem ſtrictè in hac materia proceditur, neque à poſſeſſione bonorum, aliiſque quibuſvis actibus inferri poteſt ad poſſeſſionem jurispatronatus, quę ſolum à præſentando cum
16 effectiva admiſſione obtinetur, ut egregiè docent *Roman. conſ. 368. in ſecundo reſponſo*, *Lambert. de Iurepatr. lib. 2. p. 1. qu. 3. art. 20. per tot.*, *Vivian. eodem tract. p. 1. lib. 5. cap. 4. n. 62.*; præſertim quando, prout hic, adeſt aliquis in ſpecifica, & actuali poſſeſſione præſentandi, ut proſequitur *Vivian. loco cit. ſub eodem n. 62.*

Omiſſis igitur aliis obiectis, quibus jàm reſponſum fuit in deciſione, quæ confirmatur, in conſequentiam venit excluſio Mattheuccij, cum pręfatæ voces ad illius favorem antea admiſſæ, hodiè ad favorem Primicerii Calvuccii numerentur, & ab excluſione Mattheuccii provenit etiam excluſio Morroni minus jus habentis, & de facto in duplici cauſæ propoſitione ab eodem Mattheuccio excluſi: Regula enim trita Juris eſt, quod
17 *ſi Vinco Vincentem te, multo fortius vincam te*, *ad Text. in l. de acceſſion. verſ. namque ff. de diverſ.*, *et tempor. præſcript.* *cum aliis relatis deciſ. 284. n. 25. p. 18. rec.*, & paſſim alibi.

Et ità Calvuccio, & Mattheuccio informantibus, ac Morrono diu expectato fuit reſolutum &c.

ROMANA DOTIS.

Lunæ 3. Junii 1715.

ARGUMENTUM.

Dos quando ſoluta præſumitur, Mulier non acquirit hypothecam ſuper bonis, quę utrum ad virum pertineant res dubia ſit, qua de cauſa vir ad lites reſecandas ſuper eis bona fide poteſt tranſigere, quæ tranſactio uxorem ligat.

SUMMARIUM.

1 *Dos ſoluta præſumitur, ſi adſit promiſſio ante Numptias, necnon concurrat confeſſio de recepto conſtante matrimonio à viro exarata, una cum alimentorum ſubminiſtratione abſque querela à viro favore uxoris ſervata.*

2 *Mulier adverſus viri fratres dotis reſtitutionem petere prohibetur.*

3 *Amplia, ut neque contra bona hereditaria Soceri, ex quibus diſtrahi deberet quota ad virum ſpectans, quoties ſuper illis vir una cum fratribus tranſactionem iniiſſet, ſuam ratam recepiſſet, & reliquam renunciaſſet.*

4 *Regreſſus ad jura ſemel renanciata numquam datur.*

5 *Creditor adverſus debitorem debitoris majus non habit jus, quam ipſe debitor.*

6 *Inoſſicioſi querelam multo minus opponere poteſt mulier ob ſua jura dotalia adverſus Socerum, quando de ea vir penitus ſilviſſet.*

7 *Tranſactio non præſumitur fraudolenta, ſi cum Iuris peritorum conſilio emanaſſet.*

8 *Facta ad reſecandas lites dubias, involutas, & diſpendioſas bona fide, ad quoſcumque effectus eſt attendenda,*

9 *Amplia, ut etiam tranſigentium creditores afficiat, quia ex jure dubio ſuper re contentioſa nulla hypotheca contrahitur*, vide num. 10. & 12.

10 *Aditio ab inteſtato facta corruit, ſi adſit teſtamentum, quod à Iudice ſit approbatum.*

11 *Tranſactio habet vim rei judicatæ.*

12 *Amplia, ſi ſit facta bona fide, quo caſu afficit etiam creditores,*

13 *Semel hæres, ſemper hæres, cum cauſa ſucceſſionis adita hæreditate, numquam mutari poſſit, etiamſi titulo ab inteſtato hæres exegiſſet, quod fraudi tantum tribueretur.*

DECISIO DCCCCV.

OBtinuit Victoria Vidua relicta quondam Antonii Tramazzæ à Curia R.P.D mei Urbis Gubernatoris mandatum exequutivum pro reſtitutione ſuæ Dotis contra Bona hæreditaria Blaſii illius Patris ab Innocentio, & aliis fratribus de Tramazza poſſeſſa, ſed illud poſtea in ſecunda Inſtantia revocatum fuit. Quamobrem interpoſita per ipſam appellatione, Cauſaque mihi commiſſa, conſului hodie Dominos ſuper congruo dubio, & reſponſum fuit -- *non eſſe relaxandum, neque exequendum contra Bona hæreditaria Blaſii*.

Quamquam enim ſatis conſtiterit de cre-
1 dito dictæ Dotis ex cupulativo concurſu antecedentis promiſſionis factæ in tabulis nuptialibus, ac ſubſequentis confeſſionis de recepto emiſſæ ab Antonio Viro per publicum Inſtrumentum, nec non alimentorum matrimonio durante abſque ulla reclamatione Mulieri præſtitorum, ut alias firmavit *Rota cor. Dunozetto jun. dec.844. n.4., & coram Ottbob. dec 167. num.5., & ſeq., & in Fulginaten. Dotis 2. Iunii 1710. §. Fruſtra coram bo. me. Caſſarello.*

Pro ejus tamen ſolutione Domini cenſuerunt, conveniri quidem poſſe hæreditatem Antonii Viri, qui dotem recepit, quique ſpeciali pacto ad ejus reſtitutionem ſe ob-
2 ſtrinxit, minimè vero Innocentium, & alios fratres de Tramazza, neque de jure, neque ex aliqua conventione reſtituere obligatos, *l. ſi cum dotem §. Si Mulier ff. ſoluto matrimonio, & Romana Dotis., ſeù lucri Dotalis 26. Februarii 1698. §. Clarè enim coram clar. mem. Cardinali Caprara.*

Non turbante objecto, ad quod ſumma totius controverſiæ reducebatur, quod nem-
3 pè in hæreditate præmemorati Antonii computari debeat quinta pars Bonorum hæreditariorum Blaſii Patris eidem, tanquam uni ex filiis ab inteſtato delata, & ab aliis fratribus hodie reis conventis poſſeſſa.

Illud enim minoris ponderis compertũ fuit propter ſolemnem tranſactionem ſuper dicta paterna hæreditate inter fratres celebratam, qua mediante Antonius, acceptis in eam cauſam ſcutis tercentum, aliiſque in majori ſumma compenſatis, certiſque alimentis ſibi, & ejus Uxori pro quibuſdam deſignatis caſibus ſpecialiter conventis, à jam inſtructa dictæ hæreditatis petitione receſſit, judicioque paterno, quod ex cauſa prætenſæ præteritionis contra tabulare cæperat, tandem acquieſcens, juribus omnibus, & prætentionibus, quæ ſibi ſuper dicta hæreditate quoquomodo competere poſſent, expreſsè renunciavit. Undè ſicuti ipſe poſt hujuſmodi tranſactionem nullum Jus ſuper dicta hæreditate prætendere potuiſſet, cum ad
4 jura renunciata nullus detur regreſſus, ut in terminis eſt *Textus in l. Papinianus 6. §: Si quis poſt rem ff. de inoſſicioſo Teſtam.* ibi -- *Si quis poſt rem inoſſicioſi ordinatam litem dereliquerit, poſteà non audietur*, ita, &
5 longè minus Jus aliquod prætendere poteſt Victoria, quæ tanquam creditrix, plus juris habere nequit, quam ipſi Viro debitori competeret, *Rota dec.210. num.10., & 11. par.16., & dec.484. num.1. par.18., & in Ferrarien. alimentorum, & Dotium ſuper quantitate detractionum 16. Ianuarii 1713. §. Diſtinguendo coram R. P. D. meo Scotto*, Neque enim iuris ratio ſinit, ut ſemel omiſſa à filio in officioſi querela, per Uxo-
6 rem eo defuncto inſtauretur, juxtà *Text. expreſſum in l. Nam, & ſi 14. §. Hæredi ff. de inoſſicioſo Teſtamento, l. cum mota Cod. de tranſact., Pedroch. conſil. 15. num. 28., & ſeq., Rota coram Bich. dec.292. nu.18., & in Urbevetana fideicommiſſi 23. Ianuar. 1692. §. Quibus ſic poſitis coram bo. me. Pio.*

Quin iuſto aliquo colore prælaudata fra-
7 trum tranſactio fraudis, aut malæ fidei redargui poſſit. Omnem namque doli ſuſpicionem penitus avertit nedum legis præſumptio, de qua *Urceol. de tranſact. quæſt.50 nu. 11., Rota dec.553. num 11. par. 19.*, atque adhibitum utrinque Peritorum in jure conſilium, ut alias ponderavit *Rota pluribus adductis in Romana Pecuniaria, ſeù Tranſactionis 20. Ianuarii 1702. §. Adverſus coram R.P. D. meo Anſaldo.* Verum, & multo certius
8 pendentia acerrimæ litis jam diù inter ipſos tranſigentes ſuper hac ſucceſſione vertentis, cujus profectò reſolutio maximas involuebat controverſias, tùm ſuper capite legalitatis Teſtamenti paterni, dum illud à cæteris fratribus ſubſtineri poſſe prætendebatur, ſi non ad formam Juris Civilis ob publici Tabellionis defectum, ſal-

tem

tem juxta præſcriptum *Textus in cap. cum eſſes de Teſtamentis*, tùm quoque ſuper alio articulo præteritionis, circa quod iidem fratres aſſerebant, præteritum videri non poſſe Antonium, cui defunctus Pater nominatim *pro ſua legitima Portione* certam pecuniarum ſummam reliquerat, ex Juribus latè congeſtis per *Merlin. de legitim. lib.5. tit.1. quæſt.10. num5.* In re enim adeo dubia, & ſuboſcura, quemadmodum valdè incertus erat litis exitus, ita optimo conſilio, & cum ſumma bona fide litigium omne mutuo conſenſu diremptum fuit, *Rota coram Ottbobon. dec.198 num.9., & in dicta Romana Pecuniaria, ſeù transactionis §. Et in rei veritate, coram R.P.D. Anſaldo, & in confirmatoria 15. Decembris 1702. §. Quandoquidem coram Reverendiſ. P. D. Scotto.*

Atque hinc corruit etiam aliud objectum,
9 quod nempè ejuſdem poſterior tranſactio nullum irrogare potuerit præjudicium juribus, & hypothecæ dotali Victoriæ jam antea juris miniſterio ſuper dicta portione hæreditatis infixæ, ſtatim, ac illa poſt obitum Blaſii Antonio Viro delata, & ab eo per Judicialem petitionem agnita fuit.

Nàm cum ex ſupra deductis reſpectu memorati Antonii jus legitimæ ſucceſſionis adeo incertum foret, & in ancipiti ſub Judice conſtitutum, nullam actionem, ſive hypothecam ſuper dicta portione acquirere poterat mulier, niſi ſub incerta conditione, quatenus contratabulato Blaſii Teſtamento, Antonius ejus Vir legitimus Patris hæres pro ſua virili extitiſſet. Cum itaque ex oppoſito paternum Teſtamentum ſolemni tranſactione confirmatum fuerit, ceſſavit illicò quælibet actio; & hypotheca Victoriæ.
10 Quemadmodum enim ſi protracta uſque ad exitum lite, randem à Judice declaratum fuiſſet, Teſtamentum Blaſii ſubſtineri, aditio facta ab Antonio de hæreditate paterna, tanquam ab inteſtato, nulla, & irrita remanſiſſet, perindè, ac ſi nunquam facta fuiſſet, per *Text. expreſſum in l. ſi is ad quem 22. ff. de acquir. hered., Rot. cor. Durano dec.347. num.15., & in recent. dec.522 num.2., & ſeq. par.9., & in Sabinen. fideicommiſſi 26. Iunii 1697. §. Clarius coram bon. me. Muto*; ità pariter nulla, irrita, & pro non facta ejus aditio remanſit, ſtatim ac mediante traſactione paternum judicium approbatum
11 fuit, cum apud omnes conſtet, non minorem eſſe tranſactionis, quàm ſententiæ, ac rei judicatæ auctoritatem, *l. non minorem 20. Cod. de tranſact.*, latè *Urceol. de tranſaction. quæſt. 4. num.51., & ſeq., Rota deciſ.125. num.8., & ſeq. par.5.*, etiam ad effe-
12 ctum, ut alios afficiat, quorum Jus à tranſigentibus nullo modo pendet, dummodo traſactio bona fide facta fuerit, *Card. de Luca de fideicom. diſc.94 ſub num.3., Urceol. de tranſact. quæſt 50. nu.7., Rota dec.553. num.10. par.19.* ubi concordantes.

Haud relevante replicatione, quod etiam poſt tranſactionem fratres hodie conventi, pro hæredibus ab inteſtato ſe geſſerint, eoque nomine pecunias hæreditarias exegerint in Sacra Pietatis Æde depoſitas. Inde enim benè argui poteſt, quod parum ſincerè, & fideliter ad faciliorem ſibi reddendam earumdem pecuniarum exactionem, verita-
13 tem ſubticuerint, nequaquam verò, quod mutata fuerit cauſa ſucceſſionis, quę mutari non poterat, dum ſemel adita ab ipſis hęreditate paterna ex Teſtamento, quęlibet inteſtati cauſa ceſſàverat, juxta notiſſimum Juris principium, de quo eſt *Text. in l. quamdiù ff. de acquir. hæred., Rota dec.510. n.10. par.19., & in Tridentina Bonorum, ſeù Immiſſionis ſuper legato Urſulæ 12 Martii 1706 §. Quod bene cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Urb. Guber.*

Et ita utraque &c.

PERUSINA IMMISSIONIS.

Veneris 7. Junii 1715.

ARGUMENTUM.

Pater conſtituendo dotem filiabus, tàm de bonis ſuis, quàm maternis, ſemper cenſetur de ſua tantum ſubſtantia id feciſſe; dummodò tamen de tempore ejusdem conſtitutionis eſſet in bonis, & dotes non conſpicuæ, nec ſui patrimonii viribus impares.

SUMMARIUM.

1 *Hæreditas Matris ab inteſtato defunctæ ad filios, et maſculos, & fœminas pro virili devolvitur.*
2 *Dos eſt onus Patri, et non Matri inhærens.*
3 *Dos, licet à Patre conſtituta ſit de bonis ſuis et maternis, ſemper cenſetur tota de Patris ſubſtantia detracta.*
4 *Limita, ſi Pater tempore Conſtitutionis fuiſſet miſer ære alieno præſſus, quod tamen probandum eſſet.*
5 *Paupertas non præſumitur in Patre, nec quod de bonis maternis dotaverit per hoc, quod primæ filiæ exiguam tradiderit dotem, et ſecundæ conſpicuam, quando inter unam, et alteram dotem ſtatus mutatio non interceſſiſſet*, & vide caſum.
6 *Pater, ſi exegiſſet legatum à conſanguineo relictum pro dote ſuarum filiarum, dos diceretur profectitia, et non Paterna, amplia ut* in n. 11.
7 *Statutum Peruſinum fert, ut dos à Patre conſtituta cenſeatur pro medietate de bonis Paternis, et pro medietate de maternis, etiamſi talis expreſſio in dotatione fuiſſet reticita.*
8 *Limita, ſi adeſſet poſitiva ſcientia, de quibus bonis ex iſtis fuiſſet detracta.*
9 *Sublimita, ſi tempore conſtitutionis Mater fuiſſet præmortua, quo caſu jura ſucceſſionis jàm ad filias fuiſſent devoluta.*
10 *Pater præſumitur dotaſſe tàm de bonis ſuis, quàm maternis, ſi dos eſſet conſpicua.*

12 *Pro*

12 *Propoſitio in jure admiſſa difficiliter limitationem admittit.*

13 *Fructus dotales, ſoluto Matrimonio per obitum mulieris ab iſta die, una cum proprietate ad illius hæredes devolvuntur.*

DECISIO DCCCCVI.

A Sententia A.C. confirmatoria alterius Gubernatoris Peruſii, & concedente Venerabili Monaſterio Sanctæ Julianæ d. Civitatis nomine Sor Hyacinthæ immiſſionem ad unam ex novem partibus dotis hæreditariæ Vincentiæ illius Matris, una cum fructibus à die obitus Sfortiæ Patris pro rata bonorum ſtabilium eamdem dotem conſtituentium, commiſſa Sac. Tribunali appellationis cauſa, reſponſum fuit ſub die 25. Iunii ſuperioris anni *Conſtare de re judicata*, ut ex deciſione R. P. D. mei Anſaldi tunc edita. Hodiè autem in gradu ulterioris appellationis à Paulo Æmilio reo convento interpoſitæ, dato per me dubio -- *An ſit procedendum ad legitimam executionem rei judicatæ*, DD. *procedendum eſſe* reſcripſerunt, quia de jure ad
1 hæreditatem Matris ab inteſtato defunctæ, omnes filii æqualiter admitti debent, ſublata quacumque ſexus differentia, juxtà *text. in §. Si quis igitur Auth. de hæred. ab inteſt. venien. §. Inteſtatorum inſtitut. de hæred. ab inteſt. defer., l. Maximum vitium Cod. de liber. præt.* cum notiſſimis concordantibus.

Quæ ſanè Iuris diſpoſitio minimè evitari poteſt ex eo, quod poſt obitum memoratæ Vincentiæ, cum d. Soror Hyacintha in prælaudato Monaſterio Deo, ac Religioni nomen daret, portionem bonorum maternorum ſibi obtingentium conſecuta jam fuerit in dote illi à Patre conſtituta tàm de bonis maternis, quàm paternis.

Quandoquidem cum onus, & Officium
2 ipſam dotandi Sfortiæ Patri omnino incumberet, *leg. qui liberos ff. de ritu nupt.*, cum
3 aliis vulgaribus, quanquam ipſe effuſo ſermone dixerit, ſe dotem pro filia tradere, etiam de bonis maternis, nihilominus de propria ejus ſubſtantia tota dos conſtituta cenſetur, dum vaga ejuſmodi Patris aſſertione poſthabita, ita præſumendum eſſe diſertis verbis jubet Imperator *in l. finali C. de dotis promiſſione*, quam bene reaſſumit *Jaſon. in leg. 1. ff. ſolut. Matr. n. 24., Amat. reſol. 23. n. 10. lib. 1.*, & aliis pluribus congeſtis deciſio præcedentis inſtantiæ §. *Minoris in fin. cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

Et licet ex mente ejuſdem legis etiam ab
4 hac præſumptione recedatur, ſi paternam ſubſtantiam de tempore conſtitutæ dotis ejus oneri omnino imparem, vel ſaltem pro tanta quantitate minus idoneam fuiſſe conſtet, ut explicando prælaudatum Textum, egregiè reſpondit *Rot. in Peruſina dotis 15. Junii 1703. §. Veruntamen, et ſeq. cor. bo. me. Caffarello*. Limitatio tamen iſta obtineri in præſenti non potuit, quia ex deductis pro parte Pauli Æmilii, probata minime fuit tàm magna tenuitas paterni Patrimonii, quodque deducto ære alieno, quo tunc Sfortia gravabatur, non ſupereſſet in ejus bonis, unde conſtituere modicam dotem pro filia in ſcutis 250., prout ad effectum, de quo agitur concludentiſſimè demonſtrari debuiſſet, *Mantic. de tacit. lib. 12. tit. 19. n. 8., & ſequen.*, *Rota dec. 112. n. 3. p. 15. rec.*

Quinimò ex oppoſito conſtitit ipſum tunc temporis poſſediſſe pingue fideicommiſſum à Julio Monteſperellio ejus Avo paterno inſtitutum, & nedum antea, ſcilicet anno 1635. pro Maria altera filia dotem de proprio in ſcutis mille conſtituiſſe, & in aliis mille de bonis maternis; verum etiam ex poſt anno 1659. ſimilem ſummam pariter de proprio pro Matrimonio Lauræ alterius filiæ eroga-
5 ſſe, ut proindè vix intelligi poſſit, quomodo de anno 1645. pro dote Hyacinthæ tenuis ſumma ſcut. 250 ex ejus patrimonio deduci nequiverit, quando nulla ſuperventa ſtatus mutatione, tam ante, quam poſt, ſcuta bis mille in dotem aliarum filiarum de proprio impendit, ut benè animadverſum fuit *in d. dec. R. P. D. Anſaldi §. Tantum autem.* & aliàs dixit *Rota d. dec. 112. n. 10., & 11 p. 15. rec.*

Sed omnem, ſi quæ ſupereſt, omnino removet difficultatem ea notabilis facti cir-
6 cumſtantia, quod nominatim in cauſam hujuſce dotis pro Hyacintha Monaſterio tradendæ, memoratus Sfortia Pater uſque ſub anno 1637. legatum exegerat à Fulvio Monteſperellio ejus Conſanguineo relictum pro duodecim puellis ſibi attinentibus, quæ in Domino nubere vellent; proptereaque adeo alienum à veritate redditur, quod pro conſtitutione d. dotis, aliiſque parandis, quæ pro dictis nuptiis ſpiritualibus de more paranda erant, materna hæreditas abſumpta fuerit, ut vix, & ne vix quidem paternum patrimonium tangi opportuerit, cum dos illa potius à Fulvio, quàm ab ipſo Patre profecta videri poſſit, *ad text. in l. profectitia §. Si quis certam ff. de jure dotium*, & in his terminis notavit *Rota d. dec. 112. n. 16., & ſeqq. p. 15. rec.*

Atque hinc fruſtra pro deciſione præſentis controverſiæ à Paulo Æmilio allegabatur Sta-
7 tutum Peruſinum, *ſub rubr. 45. §. Item ſi quis*, cujus meminit *Rota dec. 690. n 4. p. 1. rec.*, ubi recedendo à diſpoſitione juris communis cavetur, quod etiamſi Pater dotem pro filia dare ſimpliciter profeſſus fuerit de bonis paternis, & maternis nulla facta eorum ſpeciali diſtinctione, nihilominus dos in bonis paternis pro dimidia, & pro altera dimidia ex maternis conſtituta intelligatur.

8 Ultra quod enim ex prædictæ legis municipalis diſpoſitione obtinere non poſſe videtur, quoties, prout in præſenti certii eſt ex quibus bonis dos conſtituta fuerit: Placuit inſuper reſponſio, quod cum Statutum in ea parte loquatur de Patre, qui ſub ea ſimplici, & vaga aſſertione dotem pro filia dederit, adhuc ipſa Matre vivente, in quibus terminis eſt quoque *dec. 690. p. 1.*, prout plenè conſtat

ex

ex alia ſubſequenti deciſione in eadem cau-
ſa edita, & impreſſa in ipſa *p. prima* in ordi-
9 ne *la* 651. trahi, aut extendi minimè poteſt
ad caſum, in quo Matre præmortua, jus legi-
timæ ſucceſſionis quoad ejus bona jam fuerit
filiæ perfectè quæſitum, ut in puncto hujus
Statuti reſpondit *Rota dec.* 326. *n.*15., & 16.
& dec. 351. *in princ.* §. *Nec obſtat cor. Du-
nozet. Jun., et toties d. dec.* 112. *n.* 21., & 22.
p. 15. *rec.*

Quemadmodùm nec applicari poſſe viſa
fuit deciſio aliàs edita favore ejuſdem Pauli
Æmilii, hodie rei conventi *in Peruſina dotis*
15. *Junii* 1703. *cor bo. me. Caſſarello*, qua
denegata fuit immiſſio ad ſimilem quotam
dotis hæreditariæ Vincentiæ, quam tunc pe-
tebant filii, & hæredes Lauræ, & Mariæ pa-
10 riter illius filiarum. Siquidem cum earum
reſpectu dos à Patre conſtituta ad ſcuta bis
mille pro qualibet aſcenderet, jure merito
Sac. Tribunal ejuſdem Patris aſſertioni fi-
dem adhibuit, quod dos conſtituta foret,
etiam de bonis maternis, nam veriſimile ſa-
tis erat tantam dotis quantitatem de ſola ip-
ſius ſubſtantia conſtitui nequiviſſe. At verò
cum pro Hyacinta longè minor dos Mona-
ſterio tradita fuerit, cum inſuper pro hac ea-
11 dem tenui dote ipſi conſtituenda, Sfortia Pa-
ter legatum à Conſanguineo in eam cauſam
relictum exegerit, nulla ratione ſuaderi po-
teſt, quod etiam materna hæreditas abſum-
pta fuerit, ſed potius ex hiſce peculiaribus
facti circumſtantiis augeri, & confirmari vi-
detur præſumptio *d. legis finalis Cod. de do-*
12 *tis promiſſ.*, à qua de cætero tamquam in
jure ſcripta, non ita de facili recedere licet,
ad ea, quæ tradit *Fontanell. de pact. nupt.
clauſ.* 9. *gloſſ. un. p.* 1. *nu.* 9., *& ſeqq. cum
aliis in Tridentina bonorum, ſeù immiſſionis
ſuper legato Urſulæ* 12. *Martii* 1706. §. *Sed
ubi cor. R. P. D. meo Scotto Urbis Guberna-
tore*.

Hactenus quoad Capitale, quo verò ad
13 fructus pro rata bonorum ſtabilium dota-
lium ejuſdem Vincentiæ conceſſos ab A. C.
Monaſterio à die obitus Sfortiæ, quo ceſſa-
vit legalis uſusfructus eidem tamquam Patri
debitus in bonis filiæ, cum nulla eſſet hodiè
inter Partes diſſenſio, DD. relativè ſe habue-
runt ad deciſionem præcedentis inſtantiæ
coram R. P. D. meo Anſaldo.

Et ita utraque &c.

FULGINATEN. LAUDI.

Veneris 7. Junii 1715.

ARGUMENTUM.

Statutum Fulginei mandat fieri compromiſſum in caſu litium inter conſanguineos.

Filia gravata à Patre onere reſtituendi hæreditatem ſuis fratribus, & patruis reſpectivè in caſu deceſſus ſine filiis, iſto eveniente, legitimam tantùm liberè ad ſuos hæredes tranſmittit; reliqua ſecum fert ſequens

SUMMARIUM.

1 *Diverſitas caſuum, actionum diverſitatem parit.*
2 *Subſtitutio habet locum vix purificata conditione à teſtatore expreſſa, nec quærendum eſt, quid de jure eſſet ante caſum ejuſdem ſubſtitutionis.*
3 *Legitima, ſi unus ſit filius, eſt triens.*
4 *Legitima, non obſtante fideicommiſſo, debetur libera.*
5 *Factum proprii Auctoris nemo poteſt impugnare.*
6 *Legitima ex qualibet gleba detrahenda eſt.*
7 *Hæres non habet ius inquirendi ſuper validitate, ſeu invaliditate actus, quem ſuus Auctor approbaſſet.*
8 *Legitima retardari non poteſt ab hærede fideicommiſſario ſub prætextu læſionis circa liquidationem, quam de ipſa ſuus Auctor feciſſet.*
9 *Quietantia facta à Procuratore ſpecialiter conſtituto, habetur, ac ſi à conſtituente emanaſſet.*
10 *Loca montium, ad quem pertinuerint, ex tenore mandati de transferendo probatur.*
11 *Identitas rei, quando agitur de illius recuperatione eſt ab Actore probanda.*
12 *Sententia à Partibus acceptata, & in iudicatum tranſacta ſtatum facit.*
13 *Debitum poteſt compenſari cum mobilibus debitoris à creditore retentis.*
14 *Legata pia ex reliquo axis hæreditarii detrahenda ſunt, non verò legitimam minuere poſſunt.*

DECISIO DCCCCVII.

Controverſias occaſione ſucceſſionis in bonis Horatii Vitelleſchi, qui ſcripta hærede Tarquinia filia, & prælegatis quibuſdam bonis Octavio fratri deceſſerat, inter eandem Tarquiniam, & filios Petri alterius fratris dicti Horatii exortas, compromiſerunt Partes ad formam patrii Fulginatenſis Statuti, ita inter conſanguineos fieri demandantis, in duos Arbitros, qui, re maturè diſcuſſa, laudum ediderunt, in eoque declararunt ex bonis hæreditariis Hieronymi, & Tarquiniæ ſenioris de Vitelleſchis prius per dictum Horatium, poſtea verò per eandem Tarquiniam juniorem ejus filiam uſque tunc pro indiviſo poſſeſſis cum prædictis filiis Petri, faciendas eſſe quinque partes, quarum tres ſpectarent ad filios Petri, altera ad Clementinam Petri ſororem, & altera ad præfatam Tarquiniam filiam Horatii.

Vix exequutioni demandari cæperat hoc laudum, quando Tarquinia ab humanis, nulla relicta prole erepta eſt, & propterea factus locus ſubſtitutioni in Teſtamento Horatii ejus Patris ſcriptæ favore Juſtiniani, & aliorum filiorum Petri, idque novæ liti Anſam præbuit, quoniam inſurrexit Julia de Silveſtris dictæ Tarquiniæ Mater, petiitque coram A. C. ratione legitimæ debitæ Tarquiniæ in bonis Patris immiſſionem in poſſeſſionem tertiæ partis bonorum hæreditario-

rum

rum ejuſdem Horatii conſiſtentium in præfata quinta parte per Arbitros aſſignata eidem Tarquiniæ, & nedum petitam immiſſionem, verum etiam dictos filios condemnari obtinuit ad ſibi ſolvendum tertiam partem valoris bonorum per eundem Horatium prælegatorum Octavio fratri.

In ſequelam hujus ſententiæ Julia conſequuta fuit ſatisfactionem dictæ ratæ rerum prælegatarum, nec non poſſeſſionem præfatæ alterius tertiæ partis adepta eſt pro indiviſo cum Juſtiniano juniore, & aliis fratribus de Vitelleſchis, cum quibus deindè ad tranſactionem devenit, in qua pro dirimendis aliis controverſiis, quæ oriri potuiſſent in liquidatione reſpectu ſtabilium, hæc bona pro pretio ſcut. 1239. 88. eiſdem vendidit cum promiſſione, quod ſi de jure debitum eſſet Amadeo Scaphalio, olim Viro Tarquiniæ, quartum dotale, ipſa Julia ad illius ſolutionem teneretur, quodque perpetuò à quibuſcunque moleſtiis in bonis venditis fortaſſe ſuperventuris liberaret emptores.

Propoſuerunt de facto in judicio Jo. Baptiſta, aliique filii mox d. Amadei de Scaphalibus petitionem quarti dotalis coram A. C. Anſideo, tam contra D. Juſtinianum unicum ſuperſtitem ex prædictis fratribus de Vitelleſchis, quàm contra DD. Co. de Montecatinis filios ex ſecundis nuptiis, & hæredes Juliæ; hinc contemporaneè Juſtinianus juxta conventa in prænarrato Inſtrumento, petiit à Montecatinis liberationem ab his moleſtiis, & è converſò Montecatini per viam reconventionis petierunt à Vitelleſcho conſequutionem plurium Creditorum, quæ vigore laudi, de quo ſupra ad ſe ſpectare contendebant. Prodiit verò judicatum cum relaxatione mandati exequutivi favore illorum de Scaphalibus contra bona hæreditaria Tarquiniæ, & Juliæ, necnon in ſubſidium de immittendo ad portionem quartæ partis bonorum, quæ Julia vendiderat Vitelleſchis, & reſpectivè pro liberatione à moleſtiis favore Juſtiniani contra Montecatinos: non deciſa tamen cauſa ſuper reconventione ab iis propoſita in vim dd. creditorum à laudo promanantium; unde obtenta à prædictis mandatis in Signatura Juſtitiæ commiſſione mihi directa cum clauſula *Si Q. E.*, in ſequelam devoluta ad me fuit etiam d. reconventionis cognitio, ſuper qua propoſui hodie dubium -- *An, & de cuius credito conſtet vigore laudi, & pro qua ſumma in exequutionem d. laudi ſit relaxandum mandatum* -- eique Domini *negativè in omnibus* reſcripſerunt.

Procedentes ſiquidem, ut par eſt, cum diſtinctione temporum, & perſonarum, ponderabant, quod, ſi viveret Tarquinia, eaque peteret ſuper omnibus bonis communibus ſibi decerni, & aſſignari quintam partem in exequutionem laudi, rectè forſan procederent omnia ea, quæ inſequendo tenorem ejuſdem laudi conglomerantur ex parte Co-
1 mitum de Montecatinis, hodie verò ſumus in caſu totaliter diverſo, propterea diverſo jure decidendo.

Quoniam licèt Judices Compromiſſarii de bonis hæreditariis Hieronymi, & Tarquiniæ ſen. de Vitelleſchis ab Horatio poſſeſſis, pro indiviſo cum aliis ejus fratribus, adjudicaverint Tarquiniæ jun.: tum in humanis exiſtenti quintam partem, quæ pertinebat ad Horatium eius Patrem prædefunctum, quia
2 tamen iſte in ultimo, cum quo deceſſit elogio, gravavit illam, quatenùs obiret ſine filiis, hæreditatem ſuam in d. quinta parte conſiſtentem reſtituere ipſius Teſtatoris fratribus, eorumque filiis, & deſcendentibus, utique cum de facto poſt pronunciationem d. laudi obierit eadem Tarquinia ſine filiis, purificata conditione, factus eſt locus fratrum ſucceſſioni, & in eorum defectu ſucceſſioni filiorum eorundem fratrum, inter quos eſt Juſtinianus, juxta deducta in *Aven.*, *ſeu Vaſionen. Primogenituræ* 28. *Januar.* 1695. §. *Validitas cor. bon. mem. Muto*, & *in Æſina ſucceſſionis* 11. *Junii* 1714. §. *Quandoquidem cor. R. P. D. meo Cerro*, itaut amplius modo quærendum non ſit à Montecatinis de ſucceſſione in hæreditate Horatii, prout eo quærebatur tempore, ſed de ſucceſſione legali in hæreditate Tarquiniæ.

3 Hæc autem Tarquiniæ hæreditas, non poteſt in alio ſtabiliri, quam in Triente jure legitimæ illi debito in bonis Horatii Patris,
4 quia pro rata hujus Trientis, non obſtante fideicommiſſo ab hoc inſtituto, bona ad ipſum delata, remanſerant libera, & nullo ſubjecta gravamini juxta naturam, & effectum ipſius legitimæ cuiuſcumque ſemper oneris rejectivam, ad *Tex. in leg. quoniam in Prior. ff. de inoff. teſtam.*, *Rot. dec.* 95. *n.* 18. *coram Benincaſa, dec.* 10. *n.* 40., & *dec.* 77. *n.* 19. *cor. R. P. D. meo Anſaldo*, & propterea non potuit ex ejus perſona in Juliam Actricem Comitum de Montecatinis tranſire, niſi tertia pars d. quintæ partis, quæ fuerat Tarquiniæ ab arbitris aſſignata in bonis, eo tunc communibus, & indiviſis.

Optimè id agnovit ipſamet Julia, quæ tam in judicio coram Eminentiſſimo Panciatico, tunc A. C. Locumtenente de anno 1682. defuncta Tarquinia introducto, egit dumtaxat pro dicta legitima, non verò pro quinta parte bonorum Horatii, quàm etiam in Inſtrumento tranſactionis, ſeu venditionis anni 1674., in quo nihil aliud deduxit quàm eandem tertiam partem ratione legitimæ, ſibi, & Tarquiniæ ejus Auctrici competentem, & prævia Peritorum æſtimatione tertiam partem ſtabilium de jure ſibi debitam vendidit Juſtiniano de Vitelleſchis, enarrando præciſè ſæpedictæ quintæ partis reductionem ad ſolam tertiam portionem ex cauſa fideicommiſſi ab Horatio voliti in caſu obi-
5 tus Tarquiniæ ſine filiis. Hos verò actus Comites de Montecatinis ex ejus perſona venientes impugnare non poſſunt, reſiſtente cenſura *Tex. in leg. cum à Matre Cod. de rei vindic. cum aliis vulgaribus.*

Et

Et quatenùs etiam ad hanc tertiam partem
eorum petitio reſtringatur, ne quidem ullo
modo eorum favore laudum poteſt aliquod
6 creditum conſtituere; quoniam etiam ſi jus
habeant hanc legitimam detrahendi ex qua-
libet gleba hæreditaris, per *Tex. in l. lineam
Margaritarum* 26., *& l. Plautius* 49. *ff. ad*
7 *l. Falcidiam*, tamen in facto conſtat id jam
ſatis expletum fuiſſe ab eademmet Tarquinia
vivente, aut poſt eius obitum à Com. Julia,
in modum, ut non poſſit ab iſtarum ſucceſſo-
ribus amplius hodie proponi, ad deducta per
*Rot. dec.*459. *n.*15 *cor. Merlin.*, *& dec.* 346.
*n.*10. *cor. Benincaſa*, & paſſim.

Etenim (omiſſis ſtabilibus in prænarrata
tranſactione receptis, & venditis, circa quæ
unica deducebatur exceptio leſionis, nequa-
8 quam tamen in facto ſubſiſtens, & ad omne
peius huic Judicio, & queſtioni nullatenus
9 competens) quo ad mobilia, & fructus hæ-
reditarios tunc extantes receptio pariter eſt
innegabilis, quia exhibentur quietantiæ per
Procuratorem eiuſdem Tarquiniç particula-
riter ad id conſtitutum exaratę, ut in *Sum-
mario Juſtiniani n.* 5. *&* 6., quæ in hac re
plenam probationem faciunt, *Rot. dec.* 212.
*n.*11. *cor. Dunoz. iun.*, *& cum aliis dec.* 88.
*n.*10. *cor R. P. D. meo Anſaldo.*

Quoad loca montium, res pariter eſt plana,
10 cum de illorum conſequutione conſtet ex
mandato de transferendo per eamdem Ju-
liam obtento ab A.C. in quantitate locorum
8. cum centeſ. 27., ut in *cit. ſumm. num.* 11.
Quo verò ad cenſus, duplici animadverſione
omnis removetur difficultas, & prima eſt,
quod de illorum præexiſtentia in communi
axe Hieronymi, & Tarquiniæ ſen. nulla
affertur legitima juſtificatio, ex qua poſſit il-
lorum quantitas determinari, & tamen hoc
11 onus ipſis Comitibus de Montecatinis Acto-
ribus incumberet, ex notis principiis, de qui-
bus *Rot. dec.*406. *n.*6. *&* 7. *p.*18., *& dec.*558.
*n.*8. *& ſeq. par.* 19. *rec.*, ſecunda, quod illi, ſi
qui adfuiſſent, quoad ratam, quæ quoque
modo pertinere potuiſſet ad Horatium, fue-
runt per ſententiam prædicti Eminentiſſimi
Panciatici favore filiorum Petri, Juſtiniani
ſcilicet, & aliorum de Vitelleſchis, relaxati
pro creditis, quæ illi contra Comitiſſam Ju-
liam, & hereditatem Tarquiniæ ejus filię
12 acquiſiverunt, & hæc ſententia cum fecerit
tranſitum in rem judicatam, & à Partibus
fuerit acceptata, nequit in præſenti amplius
impugnari, *Rot. dec.*337. *n.*7. *coram Emer.
jun.*, *dec* 11. *n.*7. *&* 375. *n.*33. *cor. Benincaſa*,
& pluribus cumulatis *in Romana fideicom-
miſſi de Avila ſuper noviter reſervat.* 19. *Ju-
nii* 1713. *§. Maximè cor. R. P. D. meo An-
ſaldo.*

Quemadmodum ex his non ſubſiſtunt cre-
dita prætenſa, & deducta ex parte Comitum
de Montecatinis, ita neque conſtat de aliis
13 prętenſis ex parte Vitelleſchi. Reſpectu
enim primi ſcut. 22. viſum eſt compenſari poſ-
ſe cum nonnullis Horatii mobilibus, quæ
14 adhuc ab illo retinentur. Reſpectu verò al-
terius pro dotibus ab Horatio legatis paupe-
ribus puellis, & de proprio ſolutis à filiis
Petri, placuit reſponſio, quod nequiverunt
iſtæ legitimam in integra tertia bonorum
parte Tarquiniæ debitam diminuere, ſed à
reliquo legantis axe ſunt detrahendæ, plenè
*Merlin. de legit. lib.*2. *tit.*1. *q.*10. *n.*2., *Rot.
cor Priol. dec.* 96. *nu.*3., & egregiè *R. P. D.
meus Anſaldus in annot. ad ejus dec.*84. *num.*
76. *& ſeq.*, reliqua demùm in laudo rectè
compoſita apparuerunt, itaut neque pro una,
neque pro altera parte creditum ullum erui
exindè poſſe viſum ſit.

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI R. P. D. DE ALVERIS.

Veneris 14. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Donatio etiam ad Donatarii deſcendentes progreſſiva, tàm maſculos, quam fœminas ſub nomine *deſcendentium* compræhendit. Donans, poſtquam donavit, poteſt bona fide tranſigere, ad repellendas lites arduas ſuper ſua donatione exortas, quoad illius ſubſtantiam, numquam tamen à ſe vocatos excludere, quia quod ſemel placuit, diſplicere amplius non poteſt.

SUMMARIUM.

1 *Productio inſtrumenti non eſt neceſſaria de tempore editæ deciſionis in Rota, cum ſit iſta actus extrajudicialis, ſed ſat eſt, quod ante ſententiam producatur.*

2 *Donans, qui vocavit fratrem, ejuſque deſcendentes in infinitum, comprahendiſſe intelligitur omnes in genere deſcendentes de illo.*

3 *Donatio, quæ agnationis non ſit contemplativa, tam maſculos, quam fæminas comprehendit.*

4 *Donans poteſt diſpoſitionem variare, quando in ſecunda diſpoſitione donatarius ſua preſentia conſenſum præſtitiſſet.*

5 *Fæminæ veniunt ſub nomine* deſcendentium, *& ſub tali nomine in donatione cenſentur vocatæ.*

6 *Donans, ſi in prima donatione vocaſſet deſcendentes, non poteſt in ſecunda vocare maſculos tantum, & revocare jus quæſitum fæminis.*

7 *Donator, ſi ſuper ſubſtantia rei donatæ lis verteret, bona fide poteſt tranſigere, ſecus verò excludere perſonas in donatione nominatas.*

9 *Donator numquam præſumitur per actum poſteriorem voluiſſe deſtruere primum, maxime ſi iſtum ratificaſſet.*

9 *Actus ſecundus declarativus primi dici nequit, ſi ille non eſſet cum iſto conciliabilis, & ſi de declaratione primi in ſecundo mentio facta non fuiſſet.*

10 *Amplia, ſi ſecundus actus primum totaliter deſtrue-*

deſtrueret, quo tranſmutata omnino voluntas diceretur.

11 *Donatio non poteſt dici onoroſa, ſi onera in eo contenta cadant ſuper ipſius donantis ſubſtantia.*

12 *Acceptans fideicommiſſum à Patre ordinatum, cenſetur illi ſubiicere voluiſſe omnia jura, quæ ſibi ex axe paterno provenirent, non vero illa, quæ ex alio titulo ad ſe delata fuiſſent,*

13 *Deſcendentes ex propria perſona in donatione vocati, veniunt independenter à Patre.*

DECISIO DCCCCVIII.

A Geminis ſententiis favore D. Antonii latis in prima inſtantia ab R. P. D. meo Criſpo, & in ſecunda ab R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore ſuper adjudicatione, & pertinentia omnium, & ſingulorum bonorum, ac jurium R. P. D. Pauli Alveri vigore donationis, & vocationis in ea contentæ Jo. Baptiſtæ Alveri, & ejus filiorum legitimorum, & naturalium *uſque in infinitum*, reclamarunt D. Coſmus Acciajolus, & litis &c. ad Signaturam Juſtitiæ, & Cauſam mihi delegari obtinuerunt cum clauſula *conſtito de duabus* -- ad cujus reſcripti normam propoſui hodie congruum dubium, habuique reſponſum -- *conſtare de duabus*.

Concurrere enim viſa eſt earumdem ſententiarum validitas, & Juſtitia: Et ſane fruſtra validitas impugnabatur, ex quo cum non fuiſſet productum Inſtrumentum donationis, & non impetrata Commiſſio, quæ facultatem noſtro Tribunali tribueret cognoſcendi de fideicommiſſo Pauli, diverſum exigente judicium ab alio inſtructo ſuper fideicommiſſo Gundiſalvi, late dicerentur ſinè actis, & ſinè juriſdictione. Quo namque ad commiſſionem, illa fuit exhibita *Sum. reſponſionis Antonii n. unico*. Quo vero ad productionem Inſtrumenti, ea facta fuit ante pro-
1 lationem ſententiæ, quod ſatis eſt, nec requiritur productio de tempore editæ deciſionis in Cauſa, cum hujuſmodi actus ſint merè extrajudiciales, ut millies peteſtata fuit eadem Rota, & præſertim *dec.* 237. *nu.* 35. *par.* 19. *rec.*

Juſtitia autem plenè apparuit conſtabilita in deciſionibus, quæ ſententias Rotales de more precefferunt. Etenim dictus R.P.D. Paulus donavit jura ſibi competentia in hæreditate Materna, & inpoſterum competitura pro legitima in bonis Paternis Joanni Baptiſtæ fratri, ejuſque *filiis ſucceſſivè uſquè in infinitum*, ſub hac verò vocatione, cer-
2 tum eſt, quod veniunt omnes ulteriores à dicto Joan. Baptiſta deſcendentes, uſquequo durat ejus linea, & ſic etiam Antonius unicus in illa ſuperſtes, quemadmodum plenè firmatum fuit in prima deciſione diei 11. Maii 1714. §. *Quandoquidem* coram R.P.D. meo Criſpo, & *in alia 7. Decembris ejuſdem anni §. Incontroverſa coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore.*

Abſque eo quod obicem faciat exiſtentia de medio D. Mariæ Lauræ Alveræ ejus Matris. Aut enim exindè deduci vult, quod ad iſtam ſpectet ſucceſſio, & tunc dubium non eſt, quod poteſt abſtinere, itaut ipſa nolente, vel deficiente, fiat locus admiſſioni ejus filii ſucceſſivè vocati, juxtà deducta in *dec.* 868. *num.* 9. *coram Emerix Iun.*, *& in Romana Immiſſionis* 30. *Januarii* 1702 §. *In omnem cor. R. P. D. meo Anſaldo*, aut vero deducitur ad oſtendendum, quod non poſſit Antonius ſuccedere tanquam deſcendens ex fœmina, & tunc removent difficultatem re-
3 cenſita verba donationis, quæ ſepoſita agnationis contemplatione æquè maſculorum ac fœminarum deſcendentes compræhendunt ut egregiè probat aliis adductis allegata deciſio 11. Maii 1714. §. *Extraneo coram R.P. D. meo Criſpo.*

Neque contraria voluntas Pauli vocandi maſculos tantùm ex maſculis argui poteſt ex aliis donationum Inſtrumentis antecedenter & ſubſequenter exaratis, quaſi ex his actus intermedius quodammodo declaretur, & conſenſus exindè Pauli deprahendatur ſubiiciendi ejus bona fideicommiſſo Paterno, à quo fuit jamdudum ex judicio Sacri hujus Auditorii excluſus Antonius.

Maturo enim examini iterùm ſubjecti hujuſmodi actus, neque in linea diverſarum declarationis alterius intermedii, vim ullam facere viſi ſunt. Diſtinctè ſiquidè procedendo, donatio illa antecedenter exarata 5. Auguſti 1575. favore hæredis inſtituendi à Gundiſalvo, non potuit ullius impedimenti eſſe,
4 quin ſucceſſivè Paulus diverſo modo diſponeret, quando in hac alia diſpoſitione, ejuſdem Gundiſalvi, interveniebat præſentia, & conſenſus: ſicut namque revera Gundiſalvus met diei debebat Donatarius, cum ſolus ipſe illius vigore de re donata poſſet diſponere, & nullus alius poſſet jus habere, niſi qui ex ejus facto, & voluntate veniret, ut per *tex. in Lumum ex Familia §. Si fundum ff. de legat.* 2., *Rota deciſ.* 64. *n.* 12. *lib.* 10. *in collect. ad ornatum. Card. de Luca tom.* 2., *firmat deciſio* 7. *Decembris* 1714. §. *Porro cor. R. P. D. meo Scotto*, itá ſanè eodem conſentiente, & acceptante, recedi potuit ab antecedenti diſpoſitione, & bona donata diverſo ſubiici valuerunt fideicommiſſo, ad *Text. in leg.* 1. *cod. quand. lic. ab emp. diſ.*, *Manſ. conſult.* 20. *n.* 45. *tom.* 1., *& cum aliis in dicta deciſ. R. P. D. mei Scotti* 7. *Decembris* 1714. §. *Levioris*, *& ſeq.*

Altera vero poſterior expleta de anno 1583., nullum pariter præbebat obſtaculum, cum namque, ut dictum eſt, ex verborum in
5 alia intermedia expreſſorum ſignificatione æquè venire poſſint omnes Joannis Baptiſtæ deſcendentes, uſque ad ultimum, ſivè maſculi ex maſculis, ſive maſculi ex fœminis, imo, & ipſæ fœminæ, dum nullum in ea Donans adhibuit connotatum maſculinitatis, & ſolum voluit omnes deſcendentes, ſeu quod idem eſt õnes *filios ſucceſſivè, uſque in infinitum*,

tum, ex deductis penes *Peregrin. de fideicomm. art.*22. *num.*51., *Fuſar. de ſubſtitut. quæſt.*320. *num.*20., *Rota deciſ.* 1162. *num.*3. *coram Coccino*, & *in Aven. Primogenituræ* 20. *Januarii* 1701. §. *Nec in dubium coram clar. mem. Card. Caprara*, quælibet poſte-
6 rior donatio, quæ vocationem hujuſmodi ad maſculos tantum ex maſculis reſtringeret, non eſſet attendenda, cum Donanti licitum non ſit, diſpoſitionem jàm perfectam revocare, aut vocationem eorum, quibus per indefinitam ſubſtitutionem in præcedenti donatione factam, jus quæſitum fuerat, quoquo modo alterare, vel immutare, plene *Rota in Firmana Primogenituræ* 19. *Februarii* 1712 *Verùm proinde coram R.P.D. meo Falconerio*, & 26. *Junii* 1713. §. *Primogenituræ coram R.P.D. meo Criſpo*, cum aliis lato calamo adductis in præcedentibus hujus cauſæ deciſionibus, & præcipuè in prima §. *Hoc inquam*, & *ſeq. coram eodem*.

Nec vim addit huic actui circumſtantia, quod prodierit per viam Tranſactionis ad compeſcendas lites inter Gundiſalvum, & Paulum exortas. Controverſiæ ſiquidem in hac nova donatione, ſive tranſactione enunciatæ, nullatenùs reſpiciebant vocationem Jo. Baptiſtæ ejuſque filiorum, ſed principaliter præſtationem alimentorum expromiſſam R. P.D. Paulo, & ſolutionem illius debitorum, unde vanum eſt dicere, quod præbuerint anſam præjudicandi deſcendentibus Jo. Baptiſtæ in illa compræhenſis, cum Donator
7 poſſit quidem quoad ſubſtantiam rei donatæ, ſuper qua lis vertitur, bona fide tranſigere, non vero quoad Perſonas ex prima vocatione jus habentes illas excludendo, ut cum cæteris in citata deciſione allegatis, dictum fuit in *Valentina Beneficii* 22. *Junii* 1703. §. *Talis*, & *in Aſten. Prioratus ſuper pertinentia* 11. *Junii* 1708. §. *At omnem coram Me*.

Maximè quando, prout hic, Donantis, ſeu Tranſigentis voluntas eſt in contrarium;
8 Paulus enim in hoc poſteriori actu, præcedētem donationem factam favore Jo. Baptiſtæ, ejuſque filiorum expreſsè ratificavit, quod ſanè totaliter repugnat reſtrictioni vocationis ad ſolos maſculos ex maſculis, quæ non ratificationem, ſed deſtructionem primæ vocationis importaret, nullatenus præſumendam. *Rota in Camerinen. fideicommiſſi* 19. *Junii* 1712. §. *Haud in dubium*, & §. *Præſertim coram R. P. D. meo Falconerio*, cum aliis in prima deciſione hujus caſæ §. *Sed objecti coram R.P.D. meo Criſpo*.

His ità poſitis, neque poteſt ſumi poſterior iſta donatio pro declaratione antecedentis, non ſolum quia minimè illi ſunt applicabiles termini declarationis, quoties R.
9 P.D. Paulus neque cogitavit, neque verbum protulit de declaranda præcedenti donatione, ſed ſolum proceſſit, ut dictum eſt, per viam ratificationis, ut tollerentur differentiæ inter ipſum, & Patrem exortæ, ità ut effectus diverſus ab ejus voluntate trahi exindè non queat, juxtà deducta per *R.P.D. meum Auſald. in addit. ad ejus deciſ.*34. *nu.*26., *Rot. dec.*2. *nu.*9. *inter impreſſ. ad ornat. Card. de Luca lib.*14. *tom.*2. Verum etiam
10 quia poſita vigore antecedentis vocatione indefinita omnium deſcendentium à Joanne Baptiſta abſque ulla contemplatione agnationis, aut reſtrictione maſculinitatis, non declarata, ſed totaliter immutata, & vulnerata remaneret præcedens, *Cutell. de donat. diſc.*1. *ſpecial.*7. *num.*26., *de Marin. quotid. reſolut. cap.*165. *num.*4. *lib.*2., *Rota dec.*616. *num.*11. *par.*18. & *dec.*355. *num.*7., & *ſeqq. par.*19. *recent.*

Inutile demum fuit confugere ad qualitatem bonorum donatorum, & ipſius donationis, ità ut demonſtrando, quod eſſet profecticia ratione legitimæ, & dotis maternæ, & reſpectivè onerosa, inferri exinde poſſet Joannem Baptiſtam, ejuſque deſcendentes vocatos fuiſſe non ex propria perſona, ſed uti hæredes Gundiſalvi Patris, ideòque potuiſſe compræhendi ſub illius fideicommiſſo, à quo bona, & jura donata ducebant originem, attento potiſſimum Joannis Baptiſtæ Donatarii facto, qui eadem die expletæ à Paulo donationis, paternum acceptavit teſtamentum. Etenim quod donatio fuerit
11 onerosa, nullatenus dici poteſt, dum ut probè expendunt præcedentes deciſiones, onera in ea contenta, vel cadunt ſuper ipſius Donantis ſubſtantia, vel reſpiciunt obligationem Patris præciſivè ab ipſa donatione, ut ſunt alimenta filio præſtanda, vel deniquè non ſunt appoſita in illa, de qua agitur, ſed in alia poſteriori anni 1583., nullatenùs cum antecedenti commiſcenda, & multominus ad effectum, de quo agitur, attendenda.
12 Acceptatio verò à Joanne Baptiſta contemporaneè facta de Gundiſalvi Patris diſpoſitione, illud fideicōmiſſum præſeferente, à quo jam fuit excluſus Antonius, potuit quidem operari, quod ſub fideicommiſſo Patris, jura, & bona Joannis Baptiſtæ competentia ex propria perſona, vel ex perſona ipſius Gundiſalvi compræhenderentur, non autem jura, & bona illi donata à Paulo fratre cum expreſſa vocatione ejus deſcenden-
13 tium uſque in infinitum in præjudicium eorum, qui ex tali vocatione jus acquiſiverant, & ex propria perſona venire poterant, ex deductis per *Surd. deciſ.*93. *num.*7., *Rot. deciſ.* 224. *num.*1. *par.*18., *deciſ.*656. *num.*12. *par.* 19. *tom.*2. *rec.* & *in Romana fideicommiſſi de Pinis* 4. *Maii* 1699. §. & *quidem coram Reverendiſſimo D. meo Molines Decano*.

Hæc erant ea, ſuper quibus hodierna colluctatio potiſſimum verſabatur, relictis aliis, quibus plenè in præcedentibus deciſionibus ſatisfactum fuit, ad quas, quatenùs opus, remiſſivè ſe Domini habuerunt, præſertim in parte concernente retentionem domus fideicommiſſariæ ab Antonio poſſeſſæ.

Et ita Partibus auditis fuit reſolutum &c.

ROMA-

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 14. Junij 1715.

ARGUMENTUM.

Teſtator ſi prohibeat hæredi quodlibet fidejuſſionum genus etiam favore proprii filii ſub certa, & deſignata pœna, iſta omninò eſt ab herede in caſu contraventionis luenda, nec ulla admittitur excuſatio.

Dolus, & colluſio in debitore ære alieno præſſo de facili præſumuntur, & ſcripturę ab eo exaratę, ex quibus extrinſecis defectibus in ſubſtantia, colluſivę, & fraudolentis judicandæ veniant.

SUMMARIUM.

1 *Actus colluſivus, & de falſitate ſuſpectus eſt inexequibilis.*

2 *Contraveniens præcepto Teſtatoris, pœnam ab eo comminatam ſubire debet, & n. 11.*

3 *Colluſio in debitore oberrato ſemper prǫſumitur.*

4 *Debitor oberratus habens cambium activum, de facili præſumitur illud in faciem tertii deſcripſiſſe ad arcendos creditores.*

5 *Amplia, ſi iſte tertius ab illius debitore nec ſortem, nec fructus unquam poſtulaſſet.*

6 *Subamplia, ſi debitor in libris propriis in ſui faciem iſtud cambium adnotaſſet, & non in faciem illius tertii.*

7 *Apoca habens defectus extrinſecos in corpore ſcripturę (quæ jam de cætero doloſa prǫſumeretur) defectus intrinſecos præſumere facit.*

8 *Defectus extrinſeci denotantes intrinſecos, qui ſint.*

9 *Scriptura eo magis dicitur colluſiva in debitore oberrato, ſi creditor in ea fictè appoſitus, diù de caracteris recognitione negligens fuiſſet, eamque de tempore obitus debitoris procuraſſet.*

10 *Amplia, ſi recognitionem affectate procuraſſet, ſcilicet recognoſci feciſſet etiam caracter ipſius Notarii, qui debitoris caracter recognoviſſet.*

12 *Nepos non prǫſumitur ignorare teſtamentum ſui favore factum à Patruo, ſi iſte in teſtamento dixiſſet, ſe cum illius conſenſu ſic, & ſic diſpoſuiſſe.*

13 *Amplia, ſi Nepos rogatus ad fidejubendum excepiſſet de prohibitionibus appoſitis in dicto teſtamento.*

14 *Hæres adheundo hæreditatem, omnia in teſtamento contenta ſcire præſumitur.*

15 *Dolus præſumitur in hærede, ſi teſtamentum proprii Auctoris violet.*

16 *Amplia, ſi traſgreſſio non conſiſteret in omittendo, ſed in committendo.*

17 *Recognitio bonę fidei eſt attendenda, & non contractus ſub ſimulato nomine geſtus.*

18 *Pœna à Teſtatore in tabulis hæredi comminata in caſu traſgreſſionis omninò lui debet, etiam ſi traſgreſſio tenderet ad commodum filii ipſius hæredis.*

DECISIO DCCCCIX.

STuduit Hieronymus Palazzeſchius in ultimo, cum quo deceſſit elogio, diuturnæ ejus bonorum conſervationi proſpicere, idcircò Hyacinto ejus Nepoti, quem hæredem inſtituit, ſtrictiſſima prohibitione præ cæteris vetuit, ne quandocumque fidejuberet, ſivè per cedulas Bancharias, ſivè per Schedulas Pagarò, ſivè alio quovis modo, etiam pro propriis filiis, ac etiam recepto pignore, & præventivè habita relevatione, utque illum ad obſervantiam hujus præcepti fortiùs aſtringeret, adjecit caſibus contraventionis certas pœnas, & voluit, quod prima vice ſolvere teneretur ſcuta 500. monetæ Ven. Hoſpitio Mendicantium Urbis, ſecunda vice duplum, tertia triplum, & ſic de ſingulis, addita quoque eidem Hoſpitio prohibitione cujuſcumque compoſitionis ſub pœna incurrendæ caducitatis favore Ven. Archiconfraternitatis Confalonis pro redemptione Fidelium Captivorum.

Prętendit Ven. Hoſpitium bis Hyacinthum huic præcepto contraveniſſe, fidejubendo nempè anno 1703. favore Cæſaris Almon, & Cædulam Bancariam exponendo anno 1710. in emptione Caſtri Galeræ pro Joſepho Salvono. vocavit propterea illius hæredem, & Creditores in judicium coram A.C. Anſideo, & ſententiam condemnatoriam pro utraque contraventione ad pœnam ſolutionis ſcutorum 1500. reportavit, à qua interpoſita ad Sacrum Tribunal appellatione, propoſui dubium -- *An conſtet de contraventionibus, itaùt pœna debeatur, & pro qua ſumma* -- habuique à Dominis reſponſum -- *Conſtare de unica contraventione, & deberi pœnam in ſcutis 500., & in reliquis negativè.*

Diſpari huic reſolutioni motivum præbuit diverſitas prædictorum actuum, quibus eædem juris regulæ adaptari non potuerunt.

1 Primus enim anni 1703. nullius, pro effectu de quo agitur, relevantiæ compertus eſt, ex quo eſſet colluſivus inter Hyacinthi uxorem, & Cæſarem Almon, ac valdè ſuſpectus de falſitate, & propterea inexequibilis, & nullo modo habendus pro contractu à Teſtatore prohibito, imò neque in rerum natura numerandus, ut ait *Rot. deciſ. 13. num. 21. par. 19. recent.* E contra verò ſubſiſtens in linea actus

2 à Teſtatore vetiti, & expreſſam contraventionem importans viſus eſt alter anni 1710., itaùt pro iſto, pœna ab illo volita omninò eſſet ſolvenda, ſed in ſola ſumma ſcutorum 500., quia dempto alio prędicto actu, iſte remanebat unicus, & primus, & unicam conſequenter pœnam exigebat in dicta quantitate, ex illius voluntate taxatam.

3 Examen itaque primi aſſumendo, poſita in uxore hærede colludendi cauſa ob imminentes Creditorum moleſtias, plures Domini conjecturas, & argumenta ponderabant, quę dictæ colluſionis, & falſitatis ſuſpicionem ingerebant, quoniam ad illius probationem adductum fuit folium declarationem continens, quod Apoca Cambii ſcutorum 22. mil. con-

confecta favore Ignatii Paſſerini, & girata pro rata ſcutorum 7333. Hieronymo Palazzeſchio, ſpectabat ad Cæſarem Almon, quodque iſtius favore Hyacinthus fidejuſſerat;

4 Hęc autem omnia plures involuunt inveriſimilitudines, non ſolum quia ab anno 1703., uſque ad obitum Hyacinthi ſequutum anno 1711. nunquam dictus Almon periit fructus, minuſque reſtitutionem ſortis dicti Cambii, ſed imò tam fructus, quam partem ſortis exegit uſque ad 1710. idem Hyacinthus, quod

5 ſi cambium ſpectaſſet ad Almon, fieri certè non potuiſſet, dum hæc omnia ad illum pertinuiſſent uti verum Creditorem, & Giratarium, ut benè notat *Menoch. lib. 5. de præſumpt. præſumpt. 20. num. 37., & 56., & præſumpt. 122. nu. 110., & ſeqq., Genua deſcript. priv. lib. 1. fol. 51. num. 50.* Verùm etiam quia poſt dictum annum 1703, adhùc Hyacinthus dictum cambium in ſui faciem, & creditum

6 in propriis libris adnotatum retinuit, & conficiendo paulò ante obitum ſtatum ejus Creditorum, inter ea enumeravit reſidualem ſummam dicti Cambii, quod paritèr non feciſſet, ſi ad aliam perſonam, quam ad ſe ipſum ſpectaſſet, ut individualiter de ſimili credito dictum fuit in *Romana Cambii 7. Maii 1714. §. Eamdemque coram R. P. D. meo Anſaldo.*

7 Omnem denique fidem ademit prædicto folio declarationis, ſeu fideiuſſionis ocularis ejus inſpectio, & recognitio plurium extrinſecorum defectuum, qui alios intrinſecos præcedenter expenſos in eadem linea colluſionis, & ſuſpicionis de falſo, valdè corroborant, itaùt quicquid ſit in criminalibus, in preſenti judicio civili ſatis haberi poſſit pro falſo, ad *Text. in l. ſcriptura verſ. quædam C. de fide Inſtrum., Rot. in Aven. ſucceſſionis 14. Junii 1709. §. final coram R. P. D. meo Falconerio, & in Faventina Immiſſionis 11. Martii 1710. §. Præmiſſo coram Me.*

Ex viſura ſiquidem illius apparuit, quod

8 in iis locis, ubi fuit ſuperadditum nomen *Cęſaris Almon*, relicta fuerant ſpatia, quę deindè repleta fuerunt diſſimili atramento, & magis albo, quod ſit aliud corporis ejuſdem ſcripturæ, item dicta verba *Cæſaris Almon* caracthere ſcripta ſunt magis ſtricto, & contracto, ut poſſent in ſpatio ibi exiſtente contineri, rursùs ubi adſunt dicta verba, adhuc apparent puncti precedenter facti in albo ibi relicto; & demùm tota ſcriptura inæqualiter nimis ſcripta eſt, dum in principio latiori exarata eſt caracthere cum aliquali ſpatio inter unam, & alteram lineam, quando in reliquo corpore, & lineæ, & verba ſunt ſtrictiora, quæ ſanè omnia dubitari poteſt fuiſſe facta, ut remanerent alia verba, quæ poſſent vacuum exiſtens à tergo, uſque ad ſubſcriptionem implere, & ſufficientem falſitatis probationem inducunt, ut de diverſitate atramenti per *Text. in Auth. de fid. Inſtrum. poſt princip. col. 6., & gloſſ. in Canon. in memoriam verb. falſum diſtinct. 19., Farinac. de falſit. quæſt. 153. par. 11. num. 155., Rot. in Bononien. Relevationis indemnitatis ſuper manutentione 15. Martii 1709. §. Denique coram R. P. D meo Falconerio*, & de inęquali ſpatio inter lineas, & verſus, *Farinac. loc. cit. num. 178., Rot. in allegata Aven. ſucceſſionis §. Inſlammam coram eodem R. P. D. Falconerio, & in confirmatoria 9. Decembr. ejuſdem anni § Nec deſtrui cor. Rmo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*

9 Neque ad has removendas ſuſpiciones juvat recognitio ſubſcriptionis facta ab eodem Hyacintho, imò potiùs retorquetur, dum fuit procurata tempore quo jacebat in lecto moriturus de anno 1711, quando Almon ſuppoſitus creditor illam neglexerat per novem circiter annos, itaùt ex hac etiam inveriſimilitudine, alia colluſionis conjectura promanet, ad *Text. in l. quid ſub conditione ff. de condit. inſtit., Card. de Luc. de teſtam. diſc. 6. num. 9.*, & cum aliis, *Rota in Aven. ſucceſſionis 9. Martii 1708. §. Vel quia coram Me.*

10 Fortius quia dicta recognitio nimis affectata dignoſcitur, dum non ſolum facta fuit per Notarium, ſed etiam per Teſtes habentes notam manum cum legalitate Populi Romani; inſolita autē cauthela geminatæ hujus recognitionis, & legalitatis, prędictas multum auget ſuſpiciones, ut tradunt *Menoch. conſil. 199. num. 6., Maſcard. de probat. lib. 2. concluſ. 74. num. 35., & Farinac. de falſitat. qu. 153 par. 11. num. 16 ubi concordan.*

Sepoſito itaque primo actu contraventionis, remanebat alter, & iſte apud Dominos pro incurrenda pœna à Teſtatore inflicta hæredi fideiubenti, vel cædulas bancarias ex-

11 ponenti ſufficiens viſus eſt. Quandoquidem reſpectu iſtius fundatam Hoſpitale habebat intentionem in littera teſtamenti, ſimiles actus expreſsè prohibentis, & in cædula Bancaria à Hyacinto conſcripta per quam purificata conditione, ſolutioni pœnæ locus fuit, ad *Text. in Auth. hoc amplius C. de fideic., & in §. Si quis autem Auth. de hæred., & falcid., Peregrin. conſ. 47. nu. 5. lib. 3. Fuſar. de ſubſtitut. quęſt. 687. nu. 3., Card. de Luca de Teſtam. diſc. 82. num. 4. & ſeqq.*

Et quamvis ad eam evitandam plures deducerentur exceptiones, adhuc tamen nulla

12 relevans, & ſubſiſtens comperta eſt. Reſpectu namque ſcientię Teſtamentariæ diſpoſitionis ejus Patrui in Hyacintho, quę requirebatur ad pœnam incurrendam, ex pluribus convincebatur; non ſolum enim Teſtator ipſe aſſeruit, ſe prius ità cum illo conveniſſe, & reportaſſe conſenſum ſuper impoſita prohibitione, & pœna, quæ aſſertio non poteſt à Hyacintho hærede, aliiſque ab eo cauſam habentibus impugnari, *Rot. dec. 799. nu. 3. cor. Buratt., decif. 64. num. 5. cor. ſan. mem. Alexandro VIII., & deciſ. 396. num. 12. coram*

13 *Benincaſ.*; verùm etiam de illa Teſtimonium reliquit idemmet Hyacinthus, dum rogatus ſuſcipere Depoſitariam Montis Odeſcalchi, quæ expoſitionem Cædulæ pro ſecuritate Montiſtarum requirebat, declaravit in ſcriptis id ſibi permiſſum non eſſe, reſiſtente

te Teſtamento Hieronymi Patrui, & urgente formidine pœnæ per eum comminatæ;
14 ultrà quod ſi ex Teſtamento hæreditatem adiit, credibilis non eſt ignorantia eorum, quæ in illo continentur, & præſertim legis qualificantis ipſam inſtitutionem, ut ponderat *Rot dec.* 170. *num.* 10. *par.* 18., *in Carpentoraten. fideicommiſſi* 26. *Junii* 1709. §. *Et eo libentiùs cor. bon. mem. Caſſarello*, *& in Romana Primogenituræ de Cardellis* 16. *Martii* 1711. §. *Scientia cum ſeq. coram R. P. D. meo Criſpo.*
15 Dolus verò in contraventione non deficit, cum ſatis re ipſa deducatur ex poſitiva violatione præcepti jam antecedenter cogniti, *Rot. allegata deciſ.* 170. *num.* 9. *par.* 18. *rec.*, *in dicta Carpentoraten. fideicommiſſi coram bo. mem. Caſſarello*, *Romana Primogenituræ de Cardellis* §. *Attamen*, *& in Romana legati de Caraſis* 13. *Maii* 1712. §. *Ex his igitur coram eodem R. P. D. meo Criſpo*, quan-
16 do præſertim, ut hic, tranſgreſſio non conſiſtit in omiſſione, ſed in formali commiſſione, ut diſtinguunt *Bald. in l. unica num.* 54. *Cod. de his quæ pœn. nom.*, *Ciarlin. controv. for. lib.* 2. *cap.* 126. *num.* 27., *& ſeq.*, *Saminiat. contr.* 43. *à num.* 3. *ad ſeq. ubi concord.*

Quod denique Caſtrum Galeræ fuerit deliberatum favore Salvoni pro perſona nominanda, & nominatus fuerit Joannes Baptiſta Palazzeſchus ejuſdem Hyacinti filius, itaut Cædula non ſuper alieno, ſed ſuper proprio verſaretur negocio, pariter non ſubſiſtit, quia
17 veritas facti ea eſt, quod emptio dicti Caſtri ſpectabat ad clar. me. Ducem Odeſcalcum, quemadmodum ſatis explicat Apoca, quam Joannes Baptiſta, & Hyacinthus, priusquam ſequeretur nominatio Salvoni ipſorum favore fecerant in recognitionem præventivam bonæ fidei pro eodem D. Duce, & confirmat decretum Congregationis Baronum, quo declaratum fuit emptionem pertinuiſſe ad prædictum Ducem, ſicut etiam continuata poſſeſſio in hujus hæredibus.

Quin recurri valeat ad retentionem tituli Marchionis, & adminiſtrationem dicti Feudi eidem Joanni Baptiſtę permiſſam ex præfati Principis benignitate. Quoniam, aliis omiſſis reſponſionibus, etiam ſi exindè poſſet argui expoſitionem talis cedulę ceſſiſſe in intereſſe,
18 & commodum filii, adhuc urgebat præceptum Teſtatoris litteraliter id prohibens *etiam prò propriis filiis*, & etiamſi certam præcedenter obtinuiſſet indemnitatem, itaut tali quoque caſu pœna ab illo comminata locum habeat, ex allegatis ſuperiori §. *Sepoſito*.

Et ità utrique parti informanti reſponſum fuit &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE AVILIA SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 17. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Valor verus, & juſtus Vinearum deſumendus non eſt de antiqua æſtimatione illarum ultrà ſexaginta annos, maximè ſi in æſtimatione antiqua comprahenſus fuiſſet valor quoque mobilium, quæ poſt tanti temporis lapſum attrita, ſicut etiam ipſæ Vineæ, quæ ſemper deteriores fieri præſumuntur. In concurſu peritiarum recentium, & antiquorum, Judicis arbitrium operari debet.

SUMMARIUM.

1 *Æſtimatio Vineę, ſive prædii in actu ſerio, & proportionato diviſionis inter fratres facta, ac etiam ab auctoribus Collitigantium acceptata, præſumitur juſta.*
2 *Periti judicialiter referentes in pertinentibus ad eorum artem, concludentiſſimè probant.*
3 *Valor Vineę ex antiquis locationibus ultrà ſexaginta annos non probatur.*
4 *Valor ſtabilium, & mobilium poſt lapſum longi temporis diminutus pręſumitur*, & num. ſequ.
6 *Identitas ſituum ex Canonum ſolutionibus non probatur, cum ſimilia gravamina in Urbe ſint frequentia.*
7 *Illatio non fit de una ad aliam rem diverſam.*
8 *Venditio rei coactè facta, viliori pretio ſemper præſumitur.*
9 *Limita, ſi iſta vendendi coactio intra annum temporis reſtringatur, quia commodè emptores poſſunt inveniri.*
10 *Valor Vineæ ex quibus adauctus dicatur.*
11 *Bona in Creditorum concurſu minoris extimantur de ſtylo.*
12 *Amplia, ſi ęſtimatio fiat occaſione ſubaſtationis.*
13 *Periti, æſtimantes mobilia in præſenti, non pręſumuntur habere rationem, & regulam ſumere ob extimationibus antiquitus de illis factis.*
14 *Mobilia poſt minorem etiam lapſum ſexaginta annorum conſumpta pręſumuntur.*
15 *In materia æſtimationis mobilium intrat arbitrium Judicis.*
16 *Rota de ſtylo, ut partes poſt longum litigium acquieſcant, circa magis, & minus ſolet arbitrari.*
17 *Inveſtimentum de jure fieri debet intra bimeſtre.*
18 *Limita, ſi faciendum ſit de fructibus locorum Montium, in quibus quadrimeſtre conceditur, & hic habes rationem.*
19 *Proxeneta habet jus pro ſua mercede in inveſtimento locorum Montium, & idem ſe habet circa exactores*; amplia ut in num. ſequenti.
20 *Teſtator, qui jura inveſtimenti faciendi hæredi commiſit, intelligitur quoad ſupra intendentium, numquam autem, ut opera Proxenetæ probibita dicatur.*

DECISIO DCCCCX.

Poſtquam vario inter ſe conflictu Domini Lucas Antonius Cicciaporcius ex una, & Joannes Baptiſta Altovitus ex altera coram me in pluribus cauſæ hujus propoſitionibus con-

contenderant ſuper valore Vineæ ab hereditate R. P. D. Hieronymi de Avila provenientis, & ex cujus pretio conficiendum erat multiplicum ad commodum filiorum Jacobi ejus hæredis, editis tandem quatuor deciſionibus ſub diebus 16. Maii 1707., 13. Januarii 1708., 10. Februarii 1710., & 11. Maii 1711., factoque acceſſu per Dominos tunc ſuffragantes, ſententiam tuli, in qua firmatus fuit idem valor in ſcut. 4200.. Interpoſita per Cicciaporcium appellatione ab hoc judicato, cauſaque commiſſa R. P. D. meo Anſaldo, agnoſcentes Domini, quod fundamentum liquidationis in dicta mea ſententia factæ plurimùm innitebatur Peritię, & ęſtimationi peractę ab Architecto de anno 1670., & ſic poſt annos 60. à die obitus Teſtatoris, quodque propterea ſi in illa fuerant comprahenſa mobilia, eorum æſtimatio non poterat æquare verum illorum valorem, cum per lapſum diuturni temporis, vel penitùs conſumpta, vel maximoperè attrita remanſerint, quando tamen poſt Teſtatoris obitum una cum Vinea, etiam iſta vendi debuiſſent pro augendo dicto multiplico; hinc iterum ſubjecta eorum inſpectioni per novum acceſſum, & Vinea, & domo, ut indè recognoſcerent prætenſam comprahenſionem in relata Peritia, & probabilem dd. mobilium quantitatem, non dubitarunt liquidationi, per meam ſententiam factę, alia ſcuta 600. addere, ut ex deciſione diei 17. Aprilis anni elapſi coram eodem R.P.D. Anſaldo, ad cujus formam alia ſucceſſivè ſententia lata fuit, à qua cum iterum cauſa mihi fuerit delegata, & ſuper illius viribus congruum hodiè dubium propoſuiſſem - *Confirmandam eſſe juxta modum* inferius exprimendum Domini reſponderunt.

Rurſus enim poſthabitis tot partium argumentis, quæ ad augendum, & reſpectivè minuendum valorem Vineę deducebantur ex aliarum adjacentium Vinearum exemplo, qualitate temporis, quo facienda erat venditio, locationibus, & affictibus, & pluribus denique peritiis ſuper eo exaratis, placuit liquidatio illa, quam tanta procedens maturitate Sacrum Tribunal in præceden-
1 tibus inſtantiis amplexum fuit. Illa namque promanabat ex Periti æſtimatione facta in actu ſerio, & proportionato diviſionis initæ inter fratres de Avila, & ab eis, à quibus habent cauſam Collitigantes, acceptata, junctis etiam aliis pluribus circumſtantiis, & ſignanter extrajudiciali relatione alterius Periti in acceſſu à Dominis auditi, & oculari ipſorummet Dominorum inſpectione, quæ cuicumq; contrariæ probationi ſemper præferri ſolet, ut cum aliis adductis in *dec. R. P. D. mei Anſaldi* §. *Nihilominus*, *fuit dictum in Romana Expurgationis foveì* 18. *Martii hujus anni* §. *Quod verò*, *& in Romana*, *ſeu Sutrina Confinium* 1. *Aprilis pariter currentis Anni* §. *Præter hanc cor. Me*.

Quibus omnibus attentis, amplius dictam liquidationem non impugnabat Cicciapor-
2 cius, quamvis pro illius augumento non modicas haberet demonſtrationes, & pręcipuè peritias aſcendentes uſque ad ſcuta 10210, & quidem editas à Peritis judicialiter ad inſtantiam Altoviti electis ab hoc Sacro Tribunali, quæ juxta deducta in *deciſ.* 6 2. *num.* 2. *par.* 19. *rec.*, *& in Fulginaten. ſucceſſionis*, *& dotium* 21. *Martii* 1707. §. *præſertim coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urb. Gubernatore*, alibique paſſim, non exiguas ſanè potuiſſent excitare difficultates.

Atque hinc nullius relevantię apparuerunt ea, quæ in contrarium pro diminuenda dicta
3 liquidatione valoris deducebantur. Locationes enim factæ poſt 70. annos à tempore faciendæ venditionis non erant attendendæ,
4 tam ratione lapſus dicti temporis mutationem inducentis, ad firmata in *deciſ.* 548. *n.* 40. *par.* 19. *rec. to.* 2., *& in Ariminen. Legitimæ* 8. *Junii* 1714. §. *abſque eo quod coram Me*, tum quia major pars Villæ conſiſtebat in Vi-
5 nea, quæ poſt lapſum adeò longi temporis deterior effecta præſumitur, *Poſth. reſol.* 17. *num.* 52., *Pacion. de locat. & Conduct. cap.* 19. *num.* 161., *Rmus Zaulus ad Stat. Fuvent. lib.* 5. *rubr* 6. *n.* 23.

Sicut etiam nec eſt habenda ratio de venditionibus finitimorum bonorum, eorumque affictibus, quia conquaſſantur ab aliis adductis pro parte Cicciaporcii, & conſtituentibus ſummam valdè majorem illa, cum qua in
6 præſenti proceſſum fuit, ultra quod neſcitur, an ejuſdem fuerint finitima bona qualitatis, & ratione ſitus, & ratione gravaminum, Canonum, & Livellorum, quę adeò frequentia ſunt in hac Urbe, itaut, tanquam à diverſis,
7 illatio fieri non valeat, juxta regulam *text. in l. Papinianus ff. de minor.*, *de qua in Anconitana Pecuniaria* 16. *Junii* 1698. §. *nec pro ſuadendo cor. Rmo P. D. Molines Decano*, *& paſſim*.

8 Minuſq; quod venditio facienda eſſet coactè ex præcepto Teſtatoris, quo caſu viliori pretio res venduntur; placuit enim reſpon-
9 ſio, quod non erat intra certam, & determinatam diem explenda ſed cum aliquo temporis intervallo, quod ex judicio Sacri hujus Auditorii ad annum uſq; cum dimidio ad vendendum, & ad alios ſex menſes ad inveſtiendum pretium extenſum fuit, juxta quod potuiſſet emptor pro juſto pretio reperiri.

Quibus, & aliis in præcedentibus quoque deciſionibus poſthabitis, non obſtabant inſtrumenta particularium acquiſitionum, quas fecit R.P.D. Hieronymus ad Vineæ controverſæ ampliationem, noviter ab Altovito deducta. Quoniam ſi ex illis conſtat quinque petias gravatas annuo Canone cadorum quinque muſti emptas fuiſſe in Creditorum concurſu pretio ſcut. 950., & ſic ad rationem ſcut. 190. pro qualibet petia, & alias petias quatuor gravatas Canone Cadorum trium cum dimidio emptas fuiſſe pretio ſcut. 150., aliaque ſucceſſivè ſcut. 400. Teſtatorem impendiſſe pro iis à Canone liberandis, utique
10 durum non eſt, quod unitis dictis petiis no-

novem, cum aliis quinque ad Conſtitutionem unius tantummodò Vineę, & de novo poſtmodum excaſſatæ, ac recentioribus vitibus, & arboribus ditatæ, imò pluribus oblectamentis, Palatiolo, aliaque inferiori domo ornatæ, ac etiam muris circumdatæ, in totum æſtima-
11 tæ ſint in ſcut. 4200., attento præſertim, quod prima dictarum acquiſitionum accidit in concurſu Creditorum, in quo bona ob defectum relevationis in caſu evictionis minoris ęſtimantur, *de Luc. de empt. diſc. 24. n. 5. & diſc. 25. n. 2., Rota poſt Poſth. de ſubhaſt. dec.*
12 *44. num. 9., & dec. 297. n. 19. par 19. rec.*, & ſecunda facta fuit per viam ſubhaſtationis, in qua, ut plurimum, viliori pretio res diſtrahuntur, *Rot. cor. Burat. dec. 538. nu. 17., & in Peruſina Cauthelæ Angeli prima Junii 1703. §. Et licèt cor. R. P. D. meo Scotto.*

Mobilium quoque augumentum ſubſiſtere Dominis videbatur, juxtà deducta in deci-
13 ſione præcedentis inſtantiæ, quia cum Peritia, ex qua regula deſumpta eſt pro præmiſſa liquidatione, prodierit anno 1670., profectò non poterat comprehendere mobilia exiſtentia longè antea de anno 1610., vel ſi etiam comprehenderat, in illo tantùm ſtatu, id potuit facere, in quo de tempore ejuſdem Peritiæ reperiebantur, non verò de eo tempore admodum anteriore, quo facienda erat
14 venditio pro multiplico. Suadebat enim hic ſexaginta annorum decurſus, quo dicta mobilia, vel amplius non extarent, vel in majori parte attrita eſſent, & conſumpta, ut de jure ex minori etiam tempore præſumitur, *Rot. deciſ. 215. nu. 2., & ſeq. par 19 rec., & coràm Benincaſ. dec 296. num. 7.*, cum aliis *in dec. antecedentis inſtantiæ §. Et ſanè.*

Nihilominus verò mitius hodiè proceden-
15 tes in hac materia, in qua Judicis arbitrium maximoperè locum habet, juxta deducta *dec. 70. num. 5. par. 15. rec., in Romana fornacis ſuper manut. 5. Februar. 1714. §. l. quidatio coram R. P. D. meo Criſpo*, & cum aliis *in dicta dec. hujus cauſæ §. Verum quia cor. R. P. D. meo Anſaldo*, minuendum cenſuerunt valorem dictorum mobilium in ſcutis centum, illum ita reducendo ad ſcuta 50., exiſtimantes hoc modo Partium à tot annis contendentium acquieſcentiæ contribue-
16 re, cui ſummoperè incumbere conſuevit Sacri hujus Tribunalis pietas, & vigilantia, & hic fuit modus, quem pręſenti adjecerunt reſolutioni.

In reliquis totaliter proceſſerunt cum antecedenti ſententia, illam confirmandam abſolutè reſpondentes, tàm quoad tempus quatuor menſium pro faciendo inveſtimento, quam quoad expenſas pro eo neceſſarias.
17 Quo enim ad tempus, licet bimeſtre à jure conceſſum videretur, per *Tex. in l. Tutor qui repertoriam §. poſt depoſitionem ff. de adminiſtr. Tutor*, adhuc tamen ex natura rei op-
18 portuna viſa eſt extenſio ad aliud bimeſtre, & ſic ad quatuor menſes, quia cum fieri deberet inveſtimentum ex fructibus locorum Montium, qui poſticipatè ſemper per duos menſes exiguntur, jam non bimeſtre à jure indultum ſatis erat, ſed aliud quoque ex retardata exactione fructuum proveniens erat admittendum, ut plenè habetur in *mea dec. 11. Maii 1711. §. Cæterum, & ſeqq.*

Quo denique ad expenſas Proxenetæ, & exactoris pariter favore Altoviti bonificatas,
19 eę omnino neceſſariæ viſæ ſunt, cum nemo, præſertim, ſi ejus ſit conditionis, ut propria quoque negocia miniſterio aliarum perſonarum commiſſa retineat, hujuſmodi munera pro explendo inveſtimento ſibi commiſſo ſubire teneatur, ut frequens in hac Urbe de-
20 monſtrat experientia. Non attento, quod Teſtator dixerit *in eam Curam* Jacobum hęredem potiſſimum incumbere debere: Hæc namque verba minimè valent illum obligare ad perſonale ſervitium, & actuale, atque immediatum miniſterium, ſed potius quandam ſuperintendentiam, & aſſiſtentiam in adimplenda ejus voluntate reſpiciunt.

Et ità juxta modum ſupra expoſitum, fuit utraque parte audita reſolutum &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE AVILA SUPER NOVITER RESERVATIS.

Lunę 17. Iunii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæres ſi petat immiſſionem ad eum fundum, (qui de cætero vendi debuiſſet de mandato teſtatoris, ejuſque pretium reinveſtiendum, nec non fructus talis inveſtimenti fuiſſent ulterius multiplicandi ad commodum ipſius hęredis) ſi in illius poſſeſſionem ingrediatur, non prohibetur adversùs illum, qui tenebatur ad inveſtimentum, ſimulque ad multiplici confectionem petere fructus ipſius multiplici non facti loco damnorum, & intereſſe, cum ex poſſeſſione fundi, fructus tantum illius pretii non reinveſtiti excomputare teneatur, non verò illos, qui ex multiplico, tamquam ex diverſo, & diſtincto capitali fuiſſent exorituri.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus ad inveſtimentum, ſi de eo negle-xiſſet, tenetur ad eos fructus loco damnorum, & intereſſe qui ex illo promanaſſent.*
2 *Amplia, etiam ſi ille, cujus favore fieri debuiſſet multiplicum, illammet fundum poſſideret, cujus pretium fuiſſet reinveſtiendum, & ſimul multiplicandum, quoties de tali teſtamento notitiam non habuiſſet*, & vide caſum.
3 *Obligatus ad inveſtimentum non ſit debitor pecuniarius, ſed ſpeciei inveſtiendæ.*
4 *Fructus debentur pro multiplico non facto in eademmet ſumma, ad quam aſcendiſſent, ſi factum fuiſſet.*
5 *Creditor pecuniarius, ut fructiferum reddat ſuum creditum, tenetur debitori interpellare requiſita Pauli de Caſtro.*
6 *Limita, ſi ageretur de fructibus debitis, ob non*

non factum multiplicum de re ſuaptè natura fructifera.

7 *Fructus inveſtimenti, quod de pretio fundi faciendum fuiſſet, & non factum ſit, excomputandi veniunt cum fructibus ex ipſomet fundo perceptis, & n. 12.*

8 *Fructus provenientes ex multiplico, diverſi ſunt ab illis, qui ex reinveſtimento de pretio fundi faciendo retrahi debuiſſent, & de quibus fructibus multiplicum fieri debuiſſet, tanquam ex diverſo capitali promanantes.*

9 *Fructus unius capitalis non excomputantur cum iis ex altero æque fructifero, & diſtincto provenientibus.*

10 *Fructus bonificandi ſunt in ea rata, quam ex poſſeſſione rei fructiferæ quis percepiſſet, & non ultra.*

11 *Creditor fructuum, quos ex multiplico non facto percipere non potuit, poteſt petere immiſſionem ad fundum, de cujus pretio multiplicum confici debuiſſet poſt factum reinveſtimentum.*

DECISIO DCCCCXI.

Inter cęteras exceptiones, quas in judicio liquidationis proponebat Altovitus adverſus Cicciaporcium petentem reintegrari de fructibus inveſtimenti, & multiplici conficiendorum ex præcepto R. P. D. Hieronymi de Avila favore filiorum Jacobi ejus hęredis; non modicæ difficultatis fuit illa, quod poſt annum 1669., quo deceſſit prędictus Jacobus, ampliùs fructus non deberentur, cum eo tunc Vinea, ex cujus pretio afformandum erat Capitale multiplicandum poſſideri cœperit à Didaco ejuſdem Jacobi filio, in eaque per binas vices coram Me obtinuit ipſe Altovitus ſub diebus ſcilicet 10. Februarii 1710., & 30. Januarii 1712. In repropoſitione verò Cauſæ habita die 15. Maii ejuſdem anni DD. non extiterunt concordes, undè talem inſpectionem peculiari reſervarunt inſpectioni cum ſuffragio omnium Dominorum.

Novo igitur examini propoſita fuit hæc quæſtio in audientia diei 19. Junii 1713. à R. P. D. meo Anſaldo, ad quem interim cum reliquis harum Partium controverſiis, ea quoque fuerat devoluta, fuitque reſolutum, recedendo ab antecedenter deciſis coram Me, hæreditatem Jacobi etiam poſt dictum annum 1669. teneri ad fructus, non ſolùm illius primi inveſtimenti pretii Vineę, & mobilium, ſed etiam ad fructus multiplici, quod erat faciendum ex fructibus ejuſdem inveſtimenti, uſquequo filii Jacobi ad ætatem annorum 20. pervenerint, compenſatis tamen, & excomputatis fructibus, quos vel Cicciaporcius, vel Didacus ejus Auctor ex Vinea ipſa fuiſſet aſſecutus, ut ex luculenta deciſione tunc edita, ad cujus ſucceſſivè formam Rotalis Sententia emanavit abſolutoria ab exceptionibus contra executionem rei judicatæ reſpectu eorundem fructuum promotis. Cùm autem reclamante ab hac Sententia Altovito, fuerit rurſus hujuſmodi Cauſa mihi commiſſa, propoſui dubium, *An eſſet confirmanda, vel infirmanda*, & reſponſum à Dominis accepi *pro confirmatione*.

Siquidem de validitate non erat quæſtio; juſtitia verò ex fundamentis in d. deciſione R. P. D. mei Anſaldi firmiter conſtabilitis evidens, & inconcuſſa videbatur.

1 Quemadmodum enim ſi Jacobus hæres parendo mandatis Hieronymi Teſtatoris ex pretio Vineę, & mobilium in contemporanea mea deciſione firmato in ſcut. 4700., inveſtimentum confeciſſet, & ex fructibus ejuſdem inveſtimenti multiplicum, uſquequo filii 20. annos compleviſſent, indubitatum eſt, quod iidem filii legatarii obtinuiſſent Capitale fructiferum conſiſtens non ſolum in d. primo inveſtimento pretii Vineæ, & mobilium, ſed etiam multiplici confecti ex illius fructibus, & ex utroque Capitali, defuncto Jacobo valuiſſent fructus percipere; ita cum ex culpa ejuſdem Jacobi utrumque facere negligentis, inveſtimentum ſcilicet, & multiplicum, non potuerint filii legatarii eoſdem fructus habere, conſequens eſt, quod pro reparatione damnorum, & intereſſe debiti ſint Didaco uni ex dd. filiis, ſive Cicciaporcio ab eo cauſam habenti, omnes fructus, qui ex inveſtimento, & ex multiplico percipi potuiſſent, quatenùs juxta præſcripta à Teſtatore, fuiſſent, ut par erat, expleta, ut paſſim firmavit *Rota*, & præſertim *dec. 168. n. 2. p. 18. rec., in Romana, ſeu Crotonen. Pecuniaria ſuper fructibus* 18. *Aprilis* 1704. §. *Fundamentum cor. R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore, & in Baren. Cenſuum, ſeu legati* 20. *Januarii* 1710. §. *finali cor. Emo Priolo.*

Inutiliter contra hęc fundamenta inſurgebat Altovitus cum exceptionibus aliàs deduc-
2 tis, quod Lucas Antonius, ſive ejus Auctor poſſidendo Vineam remiſerit jus petendi prædictos fructus; quod ſi deberentur etiam ex multiplico faciendo ex fructibus inveſtimenti Vineæ, & mobilium, incurreretur quędam ſpecies reprobati à iure anathociſmi; quodque demum ad omne peius neceſſaria fuiſſet aliqua interpellatio, quæ in Jacobo moram committente in adimplendo Teſtatoris præcepto, obligationem pro illis induceret.

Quoniam ſatis ſuperque his omnibus in præcedenti deciſione R. P. D. mei Anſaldi ſatisfactum fuit, itaut relativè ad illam ſe habere ſufficeret; repetebant nihilominus Domini, quod poſſeſſio Vineæ aſſ. remiſſionem nullo modo poterat importare, dum poſſidentes ſcientiam non habebant Teſtamenti R. P. D. Hieronymi, diverſum ipſis ius tribuentis, ut plene in eadem deciſione §. *Diximus, & ſeqq.; & in alia deciſione ſuper reſtitutione in integrum* 23. *Junii* 1713. §. *Non retentum, & per tot. cor. eo-*
3 *dem.* Item quod obligatio iniuncta Jacobo cōficiendi inveſtimentum, & reſpectivè multiplicum, non importabat creditum pecuniarium, ſed creditum ſpeciei inveſtiendæ, & multi-

multiplicandę, & de iure in odium negli-
gentis commiſſum ſibi inveſtimentum, &
multiplicum facere, ad finem pariendi fru-
ctus, habetur pro facto, & quidem in ea
ſpecie, in qua fieri debuiſſet, plenè *Rota in
ſupra allegata Romana, ſeu Crotonen. pecu-
niaria ſuper fructibus §. Fundamentum cor.
R. P. D. meo Scotto, & in Lauretana lega-
ti 26. Junii 1711. §. Concurrente cor. Me,
cum concordan. in d. deciſione R. P. D. mei
Anſaldi §. Dilucidè cum ſeq.* Et denique
5 quod interpellatio fuiſſet fortaſſe neceſſaria,
ſi ageretur de fructibus ratione moræ com-
miſſæ in prſtando aliquā pecunię ſummam,
tunc cum interpellatione debuiſſent quoque
concurrere cætera requiſita Pauli de Caſtro,
6 hic verò agitur de fructibus provenientibus
ex non facto multiplico, quod utpotè res fru-
ctifera, novos fructus peperiſſet, ſicut cæte-
ris relatis reſpondet eadem deciſio præce-
dentis inſtantię §. *Et ob id cum ſeqq. coram
R. P. D. meo Anſaldo.*

Neque vim faciebat acriter hodie inculca-
ta perceptio fructuum ex Vinea, quaſi quod
ii adęquarent fructus ex d. multiplico re-
trahendos, & iis perceptis alios prætendere
7 Cicciaporcius non poſſet; non ſolùm enim
ille conſequi debet ab Altovito fructus in-
veſtimenti pretii Vineæ, cum quibus ex-
computari poſſunt fructus ipſius Vineę ab
eodem, vel ejus Auctore percepti, ſed de-
bet ulterius obtinere etiam fructus multipli-
8 ci, quod erat conficiendum ex fructibus pre-
dicti inveſtimenti pretii Vineę, uſquequo Di-
dacus, & Hieronymus ad ętatem 20. anno-
rum pervenerunt, & iſti porrò fructus ſunt
omninò diverſi, & promanant ex Capitali
diverſo ab illo primi inveſtimenti Vineæ; &
9 mobilium, undè ſoli fructus Vineę cedere
non poſſunt in extinctionem duplicis debiti
diſtincti, & in excomputationem fructuum à
duplici diſtincto Capitali provenientium,
contra notoria iuris principia, de quibus *Ro-
ta dec. 123. n. 3., & dec. 168. n. 7. poſt Cenc. de
Cenſ., cor. Dunoz. ſen. dec. 143. nu. 1., & in
rec. dec. 436. n. 16. p. 9., & paſſim alibi.*

Ponderando etiam reſpectu fructum Vi-
neæ excomputandorum cum fructibus inve-
ſtimenti faciendi ex ipſa Vinea, quod fru-
ctus Vineæ fuerunt à Cicciaporcio percepti
pro medietate tantùm, quando in vim legati
paterni ab anno 1669., uſque ad annum 1701.
pro tribus ex quatuor partibus ipſi debeban-
tur fructus inveſtimenti, quodque poſt an-
num 1701., quo habita notitia talis legati im-
10 miſſionem obtinuit ad Vineam pro tribus ex
quatuor partibus, non tenetur, niſi ad excom-
putationem fructuum ex dd. tribus partibus
11 retractorum, de eo quippe tempore, quo
immiſſionem petiit, res non erat amplius in
ſtatu, quod fieri poſſet ejuſdem Vineæ, &
mobilium jam conſumptorum venditio, & ex
pretio inveſtimentum pro multiplico; ideo-
que ſibi non præjudicavit, petendo immiſ-
ſionem, quem etiam fructus loco damnorum,
& intereſſe ob non factum d. inveſtimentum,
& multiplicum, poſſet prætendere. Quod ſa-
ne adeò verum eſt, ut eo met tempore, quo
immiſſionem obtinuit ad Vineam, obtinuerit
quoque condemnari hæreditatem Jacobi ad
hujuſmodi damna, & intereſſe, ut ex *dec.
editis cor. bo. mem. Pio 13. Febr. 1696., & 2.
Maii 1698.,* confirmat 9. *Decembris 1701.
cor. clar. mem. Card. Caprara.*

Igitur benè Conſtabilitum Domini cenſue-
runt, quod Altovitus ad prælatos fructus in-
12 veſtimenti & multiplici teneatur, quodque
pro rata ejus poſſeſſionis debeat Cicciapor-
cius fructus ex Vinea perceptos cum fructi-
bus inveſtimenti excomputare, itaut Senten-
tia Rotalis omnimodam promereatur con-
firmationem.

Et ita ſuffragantibus omnibus Dominis, &
partibus auditis, reſponſum fuit &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE AVILA SUPER RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Veneris 21. Junii 1715.

ARGUMENTUM:

Reſtitutio in integrum ſine injuſtitia notoria, & clara non conceditur.

Judex poteſt in exequutionem rei judicatæ ad expenſarum taxationem devenire, licèt fuiſſet reſervata aliqua liquidatio fructuum, quos tamen in genere deberi fuiſſet per eandem rem judicatam canonizatum.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum non conceditur, niſi de clara injuſtitia conſtiterit.*
2 *Obligatus ad inveſtiendum pretium fundi, ejuſque fructus multiplicandos, ſi de hoc neglexiſſet, ad eoſmet fructus tenetur, qui ex eodem inveſtimento, & multiplico fuiſſent exorituri.*
3 *Taxatio expenſarum eſt rei judicatæ conſumptio.*
4 *Judex procedere poteſt per taxationem expenſarum ſimul ſuper re judicata pronunciando.*
5 *Reſervatio jurium in iis, quæ ſunt ſeparabilia à negocio principali, ſolet ferè à Judicibus concedi in ſententia.*
6 *Petens compenſationem, debitum fatetur.*
7 *Compenſatio de liquido ad illiquidum non conceditur.*

DECISIO DCCCCXII.

Rem judicatam à geminis ſubortam ſenten-
tiis latis à bo. me. Pio, & clar. me. Card.
Caprara, quibus Petrus Paulus Avila acquie-
verat, & præſeferentem condemnationem
ejuſdem Petri Pauli favore Didaci Auctoris
D. Cicciaporcii ad fructus, ſeu damna, & in-
tereſſe pro inveſtimento, & multiplico non
confecto à Jacobo juxta præceptum ſibi in-
junctum à R.P.D. de Avila, impugnare ſtu-
duit Dominus Altovitus dicti Petri Pauli
ſucceſſor,

ſucceſſor; quapropter impetrata à Signatura Juſtitię commiſſione cum clauſula -- *de cauſis reſtitutionis in integrum pro* 20. *annis tantùm ſine præjudicio rei judicatę* -- proponi à me curavit ſuper illius viribus duo diſtincta dubia; primum reſpiciens in genere ipſam rem judicatam, & reſtitutionem reſpectivè fructuum, cui reſponſum fuit 15. Maii 1711. *Conſtare de re judicata juxta modum*, alterum verò plura complectens particularia in judicio liquidationis, in quo cum diſtinctione temporum concluſum fuit, fructus eſſe reſtituendos uſque ad ętatem 20. annorum Didaci, & Hieronymi, & abindè, uſque ad obitum Jacobi, compenſatis tamen alimentis, & relictis in ſuſpenſo fructibus ab obitu dicti Jacobi, uſque ad præſentem diem decurſis, ſuper quo Domini non fuerunt concordes, ut ex alia deciſione contemporaneè tunc edita pariter coram Me.

Cum autem interim ageretur coram Me etiam de valore Vineæ, ex quo conficiendum erat d. inveſtimentum, & ſuper eo pronunciaverim, devoluta fuit in hoc rerum ſtatu tota harum litium conſeries ad R. P.D. meum Anſaldum, qui repropoſitis 23. Junii 1713. dubiis concernentibus eamdem rem judicatam, & compenſationem fructuum cum alimentis prætenſam ab Altovito, licèt reſpectu hujus nulla fuerit capta reſolutio, reſponſum habuit quoad aliud *Standum eſſe in deciſis coram Me*, & in ſequelam hujus reſolutionis devenit ſucceſſivè ad Cauſę expeditionem, taxando expenſas, & reſervando ſibi, vel cui de jure cognitionem ſuper dicta compenſatione.

Ab hoc decreto commiſſa iterum mihi fuit Cauſa cum reſcripto -- *Alteri qui ad legitimam* -- à Signatura Juſtitiæ, undè rediit hodie ad examen præfata res iudicata ſub congruo dubio, cui Domini -- *eſſe procedendum ad legitimam* -- reſponderunt.

Nulla enim reſpectu præmiſſæ rei iudicatæ conſiderari in præſenti poterat læſio aut circa iuſtitiam, aut circa validitatem ſenten-
1 tiarum, ex quibus illa promanat, ſine qua locus eſſe non poteſt in integrum reſtitutioni, ut præter allegata *in Deciſione* 15. *Maii* 1711. §. *Reſpectu cor. Me*, dictum fuit *in Albanen. immiſſionis* 14. *Maii* 1714. §. *Illa ſiquidem pariter coram Me*, & impedimentum oriri, quin ad legitimam eius executionem procedi poſſit.

Juſtitia ſanè originariè reſultat ex Teſtamento bo. me. R. P. D. Hieronymi de Avila
2 præcipientis fieri ex pretio Vineæ, & mobilium inveſtimentum pro filiis Jacobi eius hęredis, & ex fructibus inveſtimenti multiplicum, uſque quo dicti filii ad ętatem 20. annorum pervenirent, quo certè per Jacobum neglecto, orta eſt favore dictorum filiorum, & Cauſam ab eis habentium, actio dictos fructus à negligente petendi, & loco fructuum quanti intereſt inveſtimentum, & multiplicum non fuiſse confecta, iuxta deducta in mea deciſione pręteritæ audientiæ ſuper noviter reſervatis §. *Quemadmodum*, & *per tot*, & in aliis ſuper hac quæſtione editis coram bo. me. Pio, & clar. me. Card. Caprara, & poſtea coram Me, & R.P.D. meo Anſaldo, in quibus poſtremis pleniùs conſtabilita extitit, & obiectis contra illam deductis ſatisfactum fuit.

Validitas verò nequaquam obumbrari potuit ex iis, quæ toto conatu hodie ſolùm deducebat D. Altovitus contra ultimum Judicatum R.P.D. mei Anſaldi, opponendo, quod iſte non potuerit cauſam expedire cum ta-
3 xatione expenſarum, quæ eſt conſumatio, & perfectio rei iudicatę, quando ſuſpenſa adhuc remanebat compenſatio alimentorum, & in deciſa ſeries temporum faciendæ reſtitutionis, & reſpectivè imputationis fructuum inter Partes.

Quoniam hæc omnia rem iudicatam nullo modo reſpiciebant de per ſe ſtantem quoad debitum fructuum inveſtimenti, & multiplici, ſed ſolum cadebant ſuper liquidatione debiti per eandem rem iudicatam Canonizati, & illius executione, *Rot. dec.* 341. *num.*9. *p.*11., *dec.*391. *n.*11. & *ſeqq. p.*13.*rec.*, *coram Priol dec.*339. *n.*12., & *ſeq.*, & *cum aliis dec.* 377. *n.*2., & *ſeq. cor. bo. me. Benincaſ.*; ideo-
4 que impedimento eſse non poterant, quin pronunciando ſuper re ipſa iudicata, per taxationem expenſarum procederetur iuxta notoriam praxim.

Fortiùs quia de facto prætenſę compenſationi, aliiſque deductis in diminutionem crediti eorundem fructuum per pronunciationem reſpectu rei iudicatæ ſequutam, nullum præiudicium irrogatum fuit, dum eodem tempore, quo taxavit expenſas, reſervavit R.P.D. meus Anſaldus ſibi, vel cui de iure
5 eorum omnium cognitionem, quæ ex dubietate iuris in iis, quæ ſunt ſeparabilia, & ſtare ſine alio poſsunt, continuò practicari conſuevit, ut ſunt frequentiſſima non ſolùm noſtri, ſed omnium tribunalium exempla, & quæ de ſui natura eorum tantùm coceſſionem important, quæ ſub exceptione, & ipſa reſervatione non cadunt, *l. nam quod liquidæ ff. de pan. leg.*, *Rot. dec.*61. *n.*11. *cor. Benincaſ.*

Quinimò eadem iura in pronunciatione
6 reſervata, quatenùs reſpiciunt compenſationem, executioni ipſius rei iudicatæ pręſidium faciebant, dum eam allegans debitum fatetur, *Poſt. reſol.* 100. *n.*9., *Berſan. de compenſ. cap.*2. *q.*24. *nn.*8., *Rot. dec.* 33. *n.*2. *p.*5.
7 *rec.*, alia, verò reſpicientia diſtinctionem temporum pro imputatione fructuum, ſummam continebant illiquiditatem, & propterea illam retardare non poterant, per *Tex. in l. fin. C. de Compenſ.*, *Rot. cor. Burat. dec.* 805. *n.*9., & *dec.*236. *n.*21. *p.*10. *rec.*, alibique paſſim.

Et ita utraque &c.

ROMANA FIDEICOMMISSI DE AVILA SUPER RESERVATIS.

Veneris 21. Junii 1715.

ARGUMENTUM.

Pater non tenetur alere filium unde vivere habentem, ſecus ſi iſte non habeat, & quando affirmativè, & Pater filii bona adminiſtrando, fructus eorumdem percipjat, ſimulque filium alat, cenſetur alimoniam præſtare animo excomputandi cum eisdem fructibus, nec ad illorum reſtitutionem tenetur ſavore filii.

SUMMARIUM.

1 *Compenſatio crediti liquidi admittitur cum credito æquè liquido.*
2 *Creditum per rem judicatam canonizatum, ulteriori probatione non indiget.*
3 *Pater de jure tenetur alere filium.*
4 *Limita, ſi ex propriis redditibus filius unde vivere habeat, & n. 10., & 14.*
5 *Multiplicum ex hæredis negligentia non factum, fructus parit de jure, ac ſi factum fuiſſet.*
6 *Pater, ſi alat filium unde vivere habentem, ſimulque ejus bona adminiſtret præſumitur de eisdem bonis alimoniam filio præſtitiſſe, & non de proprio*, amplia, ut in n. 11.
7 *Pater de bonis filii à ſe adminiſtratis præſumitur expendidiſſe etiam pro dignitatibus à filio acquirendis.*
8 *Expenſæ pro adeunda dignitate alimentis æquiparantur.*
9 *Mater non tenetur alere filium unde vivere habentem.*
11 *Pater adminiſtrans bona filii, quem alere non teneatur, ſi pro filio expenſas faciat, præſumitur animo compenſandi cum alimentis, quæ illi præſtet, & non animo donandi*, amplia, ut in nn. 13., & 15.
12 *Pater procurans carcerationem filii, ut à malis moribus reſipiſcat, eum diligere non præſumitur, et multo minus ei donare voluiſſe.*
13 *Amplia, ut neque egeat proteſtatione, ne dicatur donaſſe*, & n. 11.

DECISIO DCCCCXIII.

REdiit ad me cum cæteris controverſiis inter DD. Altovitum, & Cicciaporciũ vertentibus etiam illa, quæ compenſationem reſpicit alimentorum præſtitorum à Jacobo Patre Didaco de Avila ejus filio, cum fructibus, quos loco damnorum, & intereſſe, ob neglectam confectionem Inveſtimenti, & multiplici demandatur in teſtamento R.P.D. Hieronymi, præſtare debere eidem Didaco, & Cicciaporcio Succeſſori, condemnatus fuit ex Judicio Sac. hujus Auditorii Altovitus d. Jacobi Perſonam in parte repræſentans; hæc ſanè quæſtio deciſa fuerat favore ejusdem Altoviti coram Me ſub die 18. Maii 1711., & ab inde citra devoluta cum aliis ad R.P.D. meum Anſaldum, repropoſita fuit die 23. Junii 1713. Sed cum DD. eo tunc dubitaſſent obſtare diſcuſſioni hujus articuli firmata in deciſionibus in cauſa editis cor. bon. me. Pio, & cla. me Card. Caprara, ad quarum formam binæ Sententiæ in judicatum prolapſæ emanaverant, reſcripſerunt *dilata, & interim impetretur Commiſſio reſtitutionis in integrum*, prout factum extitit; hodiè igitur dubium à me novo examini propoſitum concernebat perſiſtentiam, vel receſſum ab alias deciſis pariter coram Me, eique reſponſum fuit, *ſtandum eſſe in deciſis juxtà modum* inferius exprimendum.

Conſtabat enim de credito hinc inde li-
1 quido, itaut procul dubio locum haberet compenſatio, ad *text. in l. prima ff. de compens.*

Et quidem ſuppoſito Didaci credito proveniente ex fructibus multiplici ejus favore, ut ſupra conficiendi à Jacobo, utpote quia per rem judicatam ad taxationem uſque ex-
2 penſarum perductam, plenè jam conſtabilitum eſt, quemadmodum habetur in *dec. contemporaneè edita ſuper reſtitutione in integrum*, creditum Jacobi Patris optimè deducebatur ex præſtatione alimentorum dicto filio.

Abſque eo quod referri iſta poſſet ad obli-
3 gationem de jure inſitam Patri alendi Filios, & ad præſumptam iſtius donationem, itaut deficerent in Jacobo poteſtas, & voluntas compenſandi, copulative ad hunc effectum
4 requiſitæ, Patris quippe obligatio non eſt admodum generalis, & abſoluta, dum quotieſcumque Filius ex propriis redditibus ali poteſt, ſicuti ceſſat ea per naturam inſitæ pietatis ratio, quæ Patrem obligat ad alimenta Filio præſtanda, ita ceſſat in Patre talis obligatio, ut *per text. in l. ſi quis à liberis §. Sed ſi filius ff. de liber. agnoſc.*, firmat *Surd. de alim. tit. 6 qu. 15. n. 11.*, *Gratian. diſcept. 120. n. 10.*, *Michalor. de fratr. p. 2. cap. 38. num. 37.*

Hic vero dubium non eſt, quin Didacus aliunde haberet alimoniam, dum ad ipſum pertinebat multiplicum illud demandatum à R.P.D. Hieronymo Teſtatore, quod-
5 que & ſi ex negligentia Jacobi Patris confectum non fuerit, pro confecto tamen ex mente Iuris exiſtimatur, ſicuti ad effectum pariendi fructus, plene firmatum fuit *in dec. præteritæ Audientiæ ſuper noviter reſervatis §. Quemadmodum, & ſeq.*

Et his poſitis, cum obligatio alendi Filium
6 amplius non reſideret in Patre, & iſte met debitor illiùs eſſet pro fructibus à d. multiplico retrahendis, alimenta porrò ab hoc præſtita, non ad præmiſſam obligationem, quæ deficit, referenda ſunt, ſed cenſeri potius debet Patrem illa præſtitiſſe ex iis redditibus jure proprio ad Filium pertinentibus, & ab ipſo adminiſtratis, *ut ſunt text. in l. fin. ff. de petit. hæred.*, qui licet loquatur de ex-
7 penſis erogatis pro Senatoria dignitate à Filio obeunda, juſtè tamen extendi valet ad ali-
8 menta, cum plerique Doctores ex talibus

ex-

expenſis pariſicent, & in *l. Neſennius 36. ff. de negoc. geſt.* qui pariter, & ſi loquatur in Matre, adaptatur tamen ejus diſpoſitio etiam Patri, cum & ipſe non teneatur alere
9 filium, ſicut Mater, ſi aliunde valeat ſibi de
10 alimentis providere. Et de facto propoſita hac differentia, quam extollit *Ger. Spin. in contrarium adductus*, communis traditio ſtat ampliativè ad Patrem, in cujus terminis ità tenet *Bartol. in d. l. Neſennius n. 1., et Bald. n. 5., Paul. de Caſtr. conſ. 415. n. 2. lib. 2., Ruin. conſ. 85. n. 9. lib. 5., Decius conſ. 616. n. 4., Menoch. de præſumpt. lib. 6. præſum. 71. n. 3., Surd. de alimentis tit. 6. qu. 8. numero 46., et qu. 15. n. primo, et ſeqq., Gratian. diſcept. 252. n. 35., Maſcard. de probat concluſ. 813. n. 4., Eſcobar, de ratiocin. cap. 22. n. 27., et 28., et n. 37., Conciol. alleg. 42 n. 62., et 63., Cancer. var. reſol. p. prima cap. 26. n. 30., Boſſ. de alim. oblig. cap. 16. §. 6. n. 915. circa fin.*

Potiſſimum quia bona filii, ex quibus alimenta ſibi parare debuiſſet, erant apud Patrem; unde quidquid ſit in caſu, quo ipſe filius penes ſe bona retineret, hoc unum
11 certum eſt in præſenti, quod impenſum à Patre credi poteſt de peculio filii, & quidem cum animo proportionabiliter compenſandi debitum propriæ adminiſtrationis, itaut etiam alter adſit titulus, ad quem præter donationem, actus ipſe, & agentis intentio referatur, ut in puncto notavit *Bartol. in d. l. Neſennius n. 1., Boſſ. loco ſup. citat. numero 915., Cyriac. controv. 510. n. 18., Rot. dec. 724. n. 3, et num. 9. p. 1. diverſ.* In his enim terminis agitur potius de ſolvendo, quam de donando, itaut prius de juſta debiti ſatisfactione, ſuique ipſius exoneratione Patrem cogitaſſe præſumi debeat, quam de voluntariæ, & gratuitæ liberalitatis, *Mangil. de imput. qu. 32. n. 7., Menoch. de arbitrar. caſ. 88. n. 4., et ſeqq., Frogoſ. de regim. Reip. Chriſtian. p. 3. lib. 2. n. 77., Mantic. de tacit lib. 13. tit. 12. n. 12., et ſeq.*, & benè proſequitur *Boſſ. loc. ſupra citat. dicto n. 815. circa medium.*

Juncta etiam altera facti circumſtantia,
12 quod ad inſtantiam Jacobi Patris fuerat Didacus carceribus mancipatus, ut à malis moribus reſipiſceret, ex quibus odium potius, & inviſio, quam amor, & affectio conciliari poterat, aut ſaltem præſumi debet, eumdem amorem valde imminutum fuiſse, itaut tanto magis ceſſet donationis erga illum præſumptio, ut fuit animadverſum in deciſione, quæ revidetur §. *finali cor. Me.*

Neque hic repetere fas eſt objecta ex eo
13 deducta, quod non adſit Patris proteſtatio de facienda compenſatione, quodque poſt vigeſimum annum multiplici fructus libere ad Didacum ſpectare debuiſſent ex præcepto Teſtatoris. Utrique enim in præcedenti mea deciſione ſatisfactum fuit, ad quam ſe referre DD. ſatis exiſtimarunt, unum hoc ſuperaddentes, quod ſi concurreret per proteſtationem declaratio voluntatis Jacobi Patris, res eſſet extra judicium, nec opus eſſet inquirere juris præſumptionem, quodque libera, & abſoluta pertinentia relicti ad filios, valuit impedimentò eſſe Patri, quin ac-
14 quireret ejus uſumfructum, non autem facultatem impedire ſe eximendi à præſtatione alimentorum amplius non debitorum iis, qui ea habent aliunde, juxta firmata in ſuperiori §. *Abſque eo quod.*

Rectè hæc omnia procedere DD. animadvernentes poſt vigeſimum annum ætatis Didaci, quo perfectum eſſe debebatur multiplicium, & in ſtatu pariendi alios fructus eidem debitos, non autem quoad aliud tempus ante d. ætatem, quo fructus erant faciendo multiplico reſervati, *modum* adiiciendum cenſuerunt reſolutioni, qui in declarationem cederet meæ deciſionis, quæ revidetur, & hic fuit, quod præmiſſa compenſatio intret
15 tantum poſt completam d. ætatem annorum viginti ea ratione moti, quod cum uſque ad d. annum fructus omnes eſſent multiplicandi, proinde filius non habebat unde ſe aleret, remanebatque in Patre juris obligatio ad illa de proprio ſubminiſtranda, & ceſſabat per conſequens ſuperius ponderata præſumptio, quod alimenta præſtita eſſent ex fructibus ad filium pertinentibus.

Et juxta hunc modum quinto, & ſexto Dominorum ſuffragantibus, utrique Parti jura ſua deducenti reſponſum fuit &c.

FAVENTINA FIDEICOMMISSI SUPER PRÆDIO.

Mercurii 26. Iunii 1715.

ARGUMENTUM.

Immiſſio ſuper bonis fideicommiſſariis hæredi fideicommiſſario denegatur, ſi ex juribus legitimæ, & dotis maternæ illa bona ab hæredibus prædeceſſoribus alienata reperirentur.

Cæſſionarius ad effectum retinendi tantum, poteſt ſe conferre in poſſeſſione rei ceſſæ etiam pro rata non ſoluta, quæ ei fuiſſet ab eodem cedente condonata.

SUMMARIUM

1 *Immiſſio denegatur hæredi fideicommiſſario ſuper prædio, quod ex juribus legittimæ Gravatis debita, ex fideicommiſſi nexibus libere extiſſet.*

2 *Amplia in bonis etiam, quæ in gravatorum dominium tranſierunt ex titulo crediti adverſus fideicommiſſum.*

3 *Authentica Res quę operatur, ut deficientibus bonis liberis viri pro reſtitutione dotis diſtrahi poſſint bona fideicommiſſaria, ab ejus auctore relicta.*

4 *Solutio majoris partis debiti, accedente temporis lapſu, ſolutionem reſidui præſumere facit.*

5 *Ceſſio ſuffragatur cæſſionario etiam pro ſumma à cedente ei condonata ad effectum tamen retinendi*, & num. 7.

6 *Am-*

6 *Authentica Res quæ operatur etiam pro reſtitutione dotis materna favore gravatorum adverſus fideicommiſſum.*

8 *Dos ſpiritualis, deficientibus bonis liberis, ex aſcendetali fideicommiſſo detrahitur.*

9 *Creditor hæredis gravati poteſt adverſus fideicommiſſum allegare titulum legitimæ, quæ ſuo debitori libere competeret.*

10 *Immiſſio non datur ſuper bonis fideicommiſſariis, quæ pro legitima ab hærede gravato fuiſſe: diſtracta.*

DECISIO DCCCCIV.

PER Sententiam latam à R. P. D. meo Anſaldo fuit Petro Juniori de Diverſis denegata immiſſio petita ad Prædium *Pradiæ*, tanquàm permutatum à Hieronymo, & Paulo hæredibus gravatis de anno 1651. cum alio *Albarede* ſubjecto antiquo fideicommiſſo Petri Sen. ejus aſcendentis, atque hodiè poſſeſſum à PP. S. Auguſtini. Propoſito autem per Me Dubio in gradu appellationis, an dicta Sententia eſſet confirmanda, vel infirmanda, DD. *confirmandam eſſe* reſcripſerunt.

Ex duobus autèm fundamentis, quæ pro deneganda immiſſione hodie repetebant Scribentes pro PP., & jam ſemel à Sac: Tribunali approbata fuerant coram R.P.D. Aldrovando, ut ex ejus *dec.* 13. *Februarii* 1713. §. *Ex duplici cum ſeqq.*, altero nempè, quod memoratum Prædium *Albarede* jampridem ante dictam permutationem exiviſſet à nexu fideicommiſſi ex juribus legitimæ Camilli, à
1 quo illud prima vice venditum fuerat favore Joannis Evangeliſtæ fratris, & altero, quod liberè etiam, & abſque ulla ſubrogatione alterius Prædii *di Pradia* cum ejus parte permutari, & ſucceſſivè alienari potuerit à Hieronymo, & Paulo vigore detractionum quantitativarum, ipſis ex propria Perſona competentium. DD. primo ad partes poſito, ex quo conſtitit Hieronymum, & Paulum auctores Patrum, dicti Joannis Evangeliſtæ eorum Patris hæreditatem repudiaſſe, rationem reſolutionis in ſecundo dumtaxat repoſuerunt
2 exiſtimantes, quod pretium ex venditione *Albaredæ* retractum, Prædiumque ipſum *Pradiæ* in diminutionem illius ab Emptoribus pro ſoluto traditum, ceſſerit in liberū dominium eorumdem hæredum gravatorum pro ſatisfactione eorum crediti, itaut immiſſio à Fideicommiſſario petita, omninò ex hoc capite denegari debuerit, ut alias in his terminis reſpondit *Rota dec.*360. *num.*25., *& ſeqq. part.*5., *& deciſ.*910. *num.*2., *&* 4. *cor. Dunoz. lun.*, & in aliis fusè deductis in *dicta prima dec præcedentis inſtantiæ* 13. *Februarii* 1713. §. *Si igitur coram R.P.D. Aldrovando, & in alia ſubſequenti R.P.D. mei Anſaldi in abſentis Collegæ locum ſubrogati* 23. *Aprilis* 1714. §. *Verùm cum ſeqq.*

Neque profectò dubitari poterat de competentia earumdem detractionum, & quidem in ſumma æquante valorem memorati Prædii *Albaredæ*. Eo namque conſtabilito in libris 23400. quanti ipſum diſtractum fuiſſe à Hieronymo, & Paulo, Partes hinc indè conveniebant, junctis, & computatis ſimul datione in ſolutum certæ partis ejuſdem facta de anno 1629. pro libris 5. mil. in partialem ſatisfactionem dotis Urſinæ Sevarolæ, & dicta venditione integri reſidui facta de an. 1651. pro libris 18400. favore illorum de Salecchiis, ad tantam, quoque imò majorem ſummam detractiones prædictas aſcendere compertum eſt.

Primo enim loco ad creditum Hieronymi & Pauli viſa fuit poni debere detractio librarum 7. mil. pro dote memoratæ Urſinæ Seva-
3 rolæ primæ Uxoris Joannis Evangeliſtæ ab ipſis reſtituta Franciſcæ ejuſdem Urſinæ filiæ, & hæredi, pro qua cum deficerent Bona libera Viri debitoris, dubium non eſt, quin diſtrahi potuerint bona ſubjecta fideicommiſſo Petri Senioris dicti Joannis Evangeliſtæ Patris, juxta vulgatam cenſuram *Text. in Autenth. res quæ Cod. comm. deleg.*, *de qua Rota in Romana*, *ſeù Ceſenaten. fideicommiſſi ſuper fructibus* 10. *Iunii* 1705. §. *Non attenta coram Me*, *& in Rom. Dotis* 4. *Decembris* 1713. §. *Idemque cor. bon. me. Barbadico*, & ſæpè alibi.

Nihil turbante, quod de dictis libris 7. mil., ſolutæ tantùm fuerint quinque mille mediante datione in ſolutum dictæ partis Prædii *Albaredæ*; reliquarum verò librarum bis mille, mille fuerint Hieronymo &, Fratribus à memorata Franciſca remiſſæ, & condonatæ, de aliis autem mille non probetur ſolutio, niſi pro rata libr. 650.. Etenim cum ex hac poſtrema rata librarum mille, quàm Hieronymus intra certam diem ſolvere promiſerat, conſtet ſucceſſivè majorem partem ſolutam fuiſſe, nempe libras 650., neque poſt
4 lapſum adeò longi temporis Franciſcam, aut ejus Virum, cui reſiduum ex ſolvendum erat unquam reclamaſſe, reliqua quoque pars ſoluta præſumitur, *Rota dec.*22. *num.*9. *par.*7., *& dec.*152. *num.*4. *part.*9., *& dec.*314. *nu.*1. *par.*18. Quo vero ad alias mille libras, cùm
5 iſtæ à dicta Franciſca creditrice ceſſæ, & renunciatæ fuerint ad favorem, & commodum Hieronymi, rectè poteſt ex ejus Perſona à PP. allegari detractio integræ Dotis ad effectum retinendi, *Rota dec* 360. *ex num.*13. *ad* 18. *part.*19. *recent.*, cum pluribus *in Reatina Immiſſionis* 10. *Maii* 1706. §. *Quo vero*, *& ſeqq. cor. R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore*.

6 Ex eadem diſpoſitione prælaudatæ *Auth. res quæ*, debita quoque erat eiſdem Paulo, ac Hieronymo detractio alterius Dotis Fauſtinæ de Sellaris eorum Matris, & ſecundæ Uxoris dicti Joanni Evangeliſtæ in ſimili ſumma librarum ſeptem millium, quæ quidem hodie neque ab Actore ampliùs controvertebatur, neque jure impugnari poterat, ex rationibus fusè deductis in *dicta dec. R.P.D. Aldrovandi* à §. *Quoniam*, *& in alia R.P.D mei Anſaldi* à §. *In linea*.

Fruſtrà autem idem Actor minuere ſatagebat

bat aliam detractionem Dotium conſtitutarum pro Maria, & Urſina filiabus Joannis Evangeliſtæ, & reſpectivè Sororibus Pauli, Hieronymi in ſumma lib. 6250. ſub fundamento, quod illa Urſinæ, licèt conſtituta fuerit in libr. 3750., ſoluta nihilominùs appareat in ſolis libris mille. Etenim cùm creditum reſidui dictæ Dotis ob ſuperventam poſt illius conſtitutionem Urſinæ hæreditatem, ceſſum ab ea Hieronymo, ac renunciatum fuerit, illudque per Patres hodie adducatur ad effectum retinendi etiam pro ſumma non ſoluta, eiſdē ſuffragari debet ex auctoritatibus ſupra allegatis quoad Dotem Seve-
7 rolæ, & aliàs in Cauſa quoad hanc ipſam dotem reſpondit *Rota coram bo.me. Urſino 26. Iunii 1697. §. Et quamvis cum ſeq.*

Tribus hiſce detractionibus addi quoque debet alia librar. 500. pro Cenſu impoſito occaſione ingreſſus in Religionem d. Petri alterius filii Joannis Evangeliſtæ, prout reſultat ex Inſtrumento publico extinctionis illius,
8 quod ſanè debitum, tanquàm pro dote ſpirituali contractum, dubium non eſt, quin, deficientibus bonis liberis, à fideicōmiſſo aſcendentali eſſet ducendum, *Avendan. conſ. 17. num. 4., Sanch. de Matrim. lib. 4. diſput. 26. num. 7 tom. 1.*

Sicuti paritèr addenda eſt alia detractio librarum 3208. pro ſorte, & fructibus alterius Cenſus uſque de anno 1606. à Joanne Evangeliſta impoſiti, & à Hieronymo ſucceſſivè redempti, & acquiſiti, cum ceſſione, ac translatione jurium ad ejus favorem. Quan-
9 doquidem cum pro hujuſmodi ſumma PP. S. Auguſtini ex perſona ejuſdem Hieronymi Ceſſionarii gerant figuram Creditoris dicti Joannis Evangeliſtæ, rectè, riteque poſſunt allegare adverſus fideicommiſſum detractionem legitimæ, quæ ipſi Evangeliſtæ Debitori competebat, *Peregrin. de fideic. art. 39. num. 4., Cyriac. contr. 5. num. 26., Rota poſt Merlin. de legitima dec. 111. num. 25, & in Recent. dec. 277. num. 4., & 9. par. 13.*

Haud relevante, quod Cenſus prædictus fuerit ab eo impoſitus, poſtquàm de anno 1601., & 1603. jam duo Prædia fideicommiſſaria alienaverat. Nàm cùm ipſe ultra legitimam ſibi ex propria perſona competentem, acquiſiviſſet quoque illam Camilli fratris mediante emptione ejuſdem Prædii *Albaredæ* à dicto Camillo ſibi venditi, non potuit ſanè utraque portio aſcendens juxta Periti relationem ad ſummam librar. 16252. ex prædictis duabus alienationibus abſorberi, cùm illæ ſimul junctæ, ſummam longè inferiorem minimè excedant.

Atque ex his ducto calculo quinque prædictarum detractionum Paulo, & Hieronymo auctoribus Patrum competentium, jàm liquido conſtat omnes ſimul ſumptas valorem integri Prædii *Albaredæ* in libris 23400., ut ſupra conſtitutum, nedum æquare, ſed inſuper ſuper excedere in ſumma librarum ferè ſexcentum, ut proindè jure, & titulo ipſa-
10 rum, omninò Actor à petita immiſſione repelli debeat, cùm tàm Prædium *Prada* cum ejus parte commutatum, quàm reſiduum pretii ab ejus venditione retracti liberè eſſerint in dominium eorumdem Pauli, & Hieronymi, ad ea, quæ tradit *Rota dec. 88. num. 30. & ſeq. par. 6., & in Romana fideicommiſſi de Panthera 10. Martii 1810.* Conſiſtit cor. R.P.D. meo Criſpo.

Et ita utraque &c.

FAVENTINA FIDEICOMMISSI SUPER DOMO.

Mercurii 26. Iunii 1715.

ARGUMENTUM.

Immiſſio hæredi fideicommiſſario de neceſſariis extremis edocenti ſemper conceditur non obſtante exceptione detractionum quando eſſent turbidæ.

Poſſeſſio bonorum ad aditionem hæreditatis non eſt referibilis, quando adeſt alter titulus poſſidendi.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio hæredi fideicommiſſario, probatis extremis, ſcilicet fideicommiſſo, purificatione illius, & bonorum identitate, ſemper conceditur.*

2 *Immiſſio non retardatur per exceptionem detractionum turbidam, ob defectum inventarii.*

3 *Amplia, ſi conſtaret de alienationibus à legitimario factis de bonis fideicommiſſariis.*

4 *Detractiones conſumptę præſumuntur ex quo legitimarius alienando domum fideicommiſſariam, coactus fuiſſet emptori prætium reſtituere, nec ex titulo detractionum talem venditionem adversùs fideicommiſſarium hæredem ſuſtinere non potuiſſet.*

5 *Exceptio de Jure tertii à nemine eſt allegabilis.*

6 *Qualitas hæreditaria induci nequit ex poſſeſſione bonorum, ſi illa fuiſſet repudiata, & poſſeſſio ad alium titulum referri poſſet, & n ſequenti.*

8 *Subſtitutio non habet locum, nec dicitur purificata, quoties non probetur primo inſtitutum obiiſſe.*

DECISIO DCCCCXV.

IMmiſſionem ad Domum fideicommiſſariam quondam Petri ſenioris de Diverſis, quam præviis tribus Deciſionibus in præcedenti inſtantia obtinuerat Petrus Junior tamquam vocatus ex reciproco fideicommiſſo ab illo inſtituto, quanquam hodiè ex capite plurium detractionum in gradu appellationis validè impugnarent Patres S. Auguſtini Rei conventi, nihilominùs pari ſorte ſuccumbere coacti ſunt, dum Domini ſuper congruo dubio à me requiſiti, reſponderunt, *Sententiam Rotalem eſſe confirmandam.*

Enim vero cum de fideicommiſſo, ejuſque

1 que purificatione, & controverſæ Domus
identitate nulla eſſet inter Partes diſſenſio,
nulla etiam ratione poterat remedium peti-
tæ Immiſſionis actori denegari; ut in ſimili-
bus terminis ſæpè reſpondit *Rota*, *& præ-
ſertim dec.*386. *num* 1. *par.*23., *& in Auxi-
mana*, *ſeù Cammerinen. fideicommiſſorum
prima Iulii* 1709. §. *Reſpectu verò coram R.
P. D. meo Criſpo*, *& in Peruſina fideicom-
miſſi* 18. *Iunii* 1714. §. *Concurrebant coram
R. P. D. meo Scotto Almę Vrb. Guber.*

Quin obſtare poſſe viſa fuerit exceptio
detractionum à Patribus deductarum ex
perſona Joannis Evangeliſtę, atque Octavii
filiorum ipſius fideicommittentis, inter quos
memorata Domus anno poſt illius obitum
2 æqualiter diviſa fuit. Ultra quod enim de-
tractiones prędictę, vel omnino conſumptæ
videri poſſunt, vel ſaltem valdè turbidę
redduntur ex ommiſſione Inventarii, & con-
3 curſu plurium alienationum, tam reſpectu
Joannis Evangeliſtę, qui duo Prędia fidei-
commiſſaria diſtraxit, Cenſumque impoſuit
jam Patribus ipſis ex perſona Hieronymi
Creditoris bonificatum in alia mea contem-
poranea deciſione ſuper Prędio §. *Sicuti pa-
riter*, *& ſeq.*, quam etiam reſpectu Octavii,
cujus filii aliud Prędium in vocabulo *della
Curtina*, pariter fideicommiſſarium aliena-
runt pretio librarum 16555., juxtà deducta
per *Rotam dec.*735. *num.*30., *&* 31. *par.*18.
recent., *& in Romana fideicommiſſi* 9. *Maii*
1710. §. *Dicebat coram R. P. D. meo An-
ſaldo*, *& in Eugubina fideicommiſſi ſuper
detractionibus*, *& melioramentis* 16 *Mar-
tii* 1711. §. *Secus autem coram R. P. D. meo
Scotto Vrb. Guber.*

Et maximè quia hanc ipſam conſumptio-
nem paternarum detractionum, iidem filii
Octavii videntur ſucceſſivè recognoviſſe,
4 dùm vendita ab ipſis hac eadem Domo, de
qua res eſt tamquam libera, & comperto
poſtmodum ab Emptore, quod obnoxia
erat fideicommiſſo Petri ſenioris, judiciali-
ter coacti fuerunt acceptum pretium re-
ſtituere, & contractum pænitus reſcinde-
re, ut bene animadverſum fuit in omnibus
deciſionibus precedentis Inſtantię, & prę-
ſertim in ultima R. P. D. mei Anſaldi 23.
Aprilis 1714. §. *Ex his autem*.

Ceſſat pręterea quęlibet difficultas, quia
ſi quę etiam Joanni, Evangeliſtę, & Octavio
detractiones competerent, nihilominus cum
5 Patres nullam ab iis cauſam habeant, illas
in pręſenti pro ſe allegare minimè poſſunt,
cum Juris ratio neminem de Jure tertii ſinat
excipere, ut fusè probatum fuit *in Deciſio-
ne R. P. D. Aldrovandi* 6. *Iunii* 1712. §.
Neutiquam, *& ſeq.*, *& in dicta confirma-
toria R. P. D. Anſaldi in locum illius ſuffe-
cti* 23. *Aprilis* 1714. §. *Ab alia autem*.

Haud relevante, quod Patres rei con-
venti cauſam, & Jus ſuum dimetiantur à
Hieronymo, & Petro dicti Joannis Evan-
geliſtæ filiis, qui bona eadem retinendo,
quæ ab eorum Patre quamdiù vixit poſſeſſa
fuerant, pro ejus hæredibus ſe geſſiſſe vi-
dentur.

Quoniam neque eos à memorato Petro
cauſam habere ſatis conſtat, dum nunquam
actenus ab iis probatum fuit illum in eorum
Religione profeſſum fuiſſe, prout quatenus
verum eſſet ex codicibus ipſius Religionis
facile oſtendere potuiſſent. Ac prætereà qua-
tenus ab eo cauſam haberent (quemadmo-
modum ſine dubio habent ſaltem mediantè à
Hieronymo); nihilominus cum tàm Hie-
ronymus ipſe nomine proprio, quàm Fau-
ſtina Mater nomine Petri tunc pupilli hære-
6 ditatem Joannis Evangeliſtæ Patris expreſſe
repudiaverint, dicta ſubſequens Bonorum
poſſeſſio apta minimè fuit qualitatem hære-
ditariam inducere, ac receſſum à præce-
denti repudiatione, cum præſertim citra
Jus, & nomen hęredis ad titulum aviti fidei-
commiſſi, dotiſque maternæ commodè
7 referri poſſent, *Rota dec.*143. *nu.*21. *p.*15.,
*& dec.*142. *num.*16. *par.*19., *& in Peruſina
Salviani* 19. *Januarii* 1705. §. *Abſque eo
quod coram R. P. D. meo Scotto*, & alibi
ſæpè.

Prout etiam fruſtra mediante perſona di-
cti Hieronymi contendunt iidem Patres cau-
ſam ducere ab Octavio altero fideicommit-
tentis filio. Quamquam enim Jacobus ejuſ-
8 dem Octavii filius, germano fratri, quem
hæredem ex aſſe ſcripſit Bernardum Gal-
berta ſubſtituerit, atque huic, ſi ſine liberis
decederet, toties memoratum Hieronymum
ejus patruelem, cum tamen hactenùs pro-
batum non fuerit Bernardum primo loco
ſubſtitutum defunctum eſſe, quemadmodum
dici nequit, quod reſpectu Hieronymi con-
ditio fideicommiſſi, & vocationis extiterit,
ita fideicommiſſum, & vocatio ipſa perindè
habetur, ac ſi facta non fuiſſet, ut communi-
ter tradunt *Scribentes in l. Centurio ff. de
vulgar.*, *& pupillar*, *Rota dec.*206. *num.*3.
*par.*3., *& dec.*8. *num.*55. *cor. clar. me. Card.
Cerro*.

Et ita utraque &c.

TREVIREN. PAROCHIALIS.

Mercurii 26. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Collatio Beneficii vacantis in menſe Septem-
bris ſpectat ad Sanctam Sedem, & quando
Papa intra trimeſtre à die vacationis favo-
re Proviſi ſupplicationem ſignavit, dicitur
affectum S. Sedi evaſiſſe per appoſitionem
manus, & ablata facultas Ordinario de illud
conferendo.

SVMMARIVM.

1 *Literæ Apoſtolicæ verifi ate exequendæ
ſunt*, *& verificatio ex quibus probetur.*
2 *Menſis Septembris eſt de S. Sedi reſervatis
juxta concordata Germaniæ.*
3 *Collatio Beneficii non devolvitur ad Ordi-
narium*

narium, ſi intra trimeſtre Papa manus appoſuiſſet, per quod S. Sedi remanet affectum.

4 *Amplia, etiamſi, elapſo trimeſtre, literas Apoſtolicas Proviſus exhibuiſſet coram Ordinario, quando tamen intra trimeſtre fuiſſent reportatæ.*

5 *Gratia Apoſtolica in his terminis non irritatur, etiamſi intra tres menſes in Partibus Proviſus non notificaret literarum reportationem.*

6 *Appoſitio manus Papæ per quam dicitur Beneficium S. Sedi affectum, initium deſumit à die ſignatæ ſupplicationis, non expeditionis literarum.*

DECISIO DCCCCXVI.

PArochialem Eccleſiam Sancti Martini de Ryoll, quam uti vacatam in menſe reſervato Matthias à Sanctiſſimo obtinuerat ſub datum quinto idus Novembris anni 1713., Abbas S. Matthiæ Ordinis Benedictinorum apud Trevires jure devoluto ſucceſſivè contulit Petro Mentges ſub die 13. Januarii ſubſequentis anni, ad cujus inſtantiam commiſſa mihi ex integro per Signaturam Juſtitię Cauſa, dedi dubium, an literæ Apoſtolicæ eſſent exequendæ. *Et exequendas eſſe*, DD. reſcripſerunt, quia plenè conſtitit
1 de illarum juſtificatione, tum quoad Clericatum ex approbatione ab eodem in concurſu reportata coram Examinatoribus, tum quoque quoad reſervationem, ex quo vacatio contigit de menſe Septembris, qui San-
2 ctæ Sedi Apoſtolicæ reſervatus eſt, ut patet ex tenore Bullæ, quam vocant Concordatorum Germanię Nicolai Papæ V., & dixit *Rota dec.522. num.6. par.19., & in Monaſterien. Decanatus* 26. *Aprilis* 1709. §. *Juſtificatio cor. bo. me. Caſſarello*.

Non obſtat, quod jam elapſis tribus menſibus à die notæ vacationis in loco Beneficii, cum nemo comparuiſſet à S. Sede Apoſtolica proviſus, rite recteque potuerit Abbas S. Matthiæ Ordinarius Collator ad formam eorumdem Concordatorum dictam Parochialem Eccleſiam jure devoluto coferre.

Quoniam cum Sanctiſſimus uſque ſub die 9.
3 Novembris 1713., atque ideo duobus nondum effluxis Menſibus à die vacationis, & obitus ultimi poſſeſſoris ſuper hoc beneficio manus appoſuiſſet, illudque Matthiæ contuliſſet, nemo ſubinde potuit ſive Epiſcopus, ſive alius quicumque Ordinarius Collator de eodem beneficio tamquam devoluto diſponere, quia illud poſt ejuſmodi manus appoſitionem, ſtatim remanſerat diſpoſitioni Papæ ſpecialiter affectum, ad *Text. in Extravag. Romani Pontificis* §. *Romani quoque de præben., Lotter. de re benec. lib.2. quæſt.25. num.35., & ſeq., Rota dec.*112. 237., *& ſeq.*, *& dec.*333. *num.*8. *par.*16., cum aliis *in Gerunden. Canonicatus* 25. *Iunii* 1714. §. *conſiſtit cor. Me.*

Atque ex hac ratione nihil urget, quod
4 Matthias non prius, quam ſub die 8. Februarii 1714. jam lapſo d. trimeſtri literas ſuæ proviſionis in partibus exhibuerit: Nam etiam hoc caſu propter obſtaculum dictæ affectionis, & præventionis non poſſe Ordinarium diſponere de beneficio jam alteri intra d. Trimeſtre à Papa collato declaravit noſtrum Sacr. Tribunal 13. Februarii 1559. coram Fabio Accorambono, cujus interpretationem, tamquam juri, & æquitati minimè conformem, vim legis habere ſubindè juſſit ſa. mem. Gregorius XIII., ſpeciali in id edita Conſtitutione *impreſſ. in Bullar. nov. tom.2. inter ſuas la* 41., ut pręcisè reſpondendo huic objecto, dictum fuit *in una Colonien. coram Comitulo, quæ eſt deciſio* 69. *penès Poſth: de manut. num.*4.

Quemadmodum neque pariter ex hoc capite gratia Apoſtolica ab eodem Matthia obtenta nulla, aut irrita remanſit, quia ta-
5 metſi in prælaudata Gregorii Conſtitutione ad excitandam diligentiam eorum, quibus à Sanct. Sede beneficia conferri contingat, ſtatutum ſit, ut intra prædictos tres menſes ſignificatio aliqua obtentæ proviſionis in partibus fieri debeat, nullitatis tamen pœna incuſſa non legitur, ut benè obſervat *Nicolarts poſt eamdem Conſtitutionem ad concordata Germaniæ tit. de reſervatis num.2., Kochier. ad regulas Cancell. reg.* 8. *Gloſs.* 10. *num.*4., *&* 5. & reſpondit *Rota dicta dec.*69. *penès Poſth. n.*5.

Abſque eo quod replicare juvet, quod literæ Proviſionis Apoſtolicæ expeditę fuerint à Mathia ſub die 19. Januarii 1714., adeoque poſt collationem Ordinarii factam uſque ſub die 13. ejuſdem menſis, nam cum
6 ſupplicatio illius nomine Sanctiſſimo porrecta, longè ante ſignata fuerit, nempe ſub die 9. Novembris 1713., ab hac die dicitur Papa manus appoſuiſſe, & impedivit collationem cujuſcumque alterius inferioris, ut diſerte cavetur in laudata Conſtitutione Gregorii, cujus diſpoſitio in hac quoque parte maximè convenit cum Jure communi, juxta quod unicè attenditur tempus datæ literarum, licet ipſæ longe poſt expeditæ fuerint, *Wammes de Jur. Pontific. tom.*1. *conſ.*1. *num.*5., *Gonzal. ad regul.* 8. *Gloſs.*12. *ſub n.*45., *Corrad. in praxi beneſ. lib.*3. *cap.*8. *num.*2.; *Rota coram Merlin. dec.*281. *n.*13. *& in Colonien. Canonicatus primæ gratiæ* 13. *Decembris* 1709. §. *Ea verò cor. Me.*

Et ita utraque &c.

FULGINATEN. QUARTI DOTALIS.

Veneris 28. *Junii* 1715.

ARGUMENTUM.

Uxor licet omnia bona à ſe poſſeſſa tùm libera, cum fideicommiſſaria poſt ſui obitum reſtituenda, in dotem viro conſtituiſſe præſumatur, (quoties dè præciſa dotis quantitate non conſtet) nihilominus, ſi Vir prædecedat, Quartū ejus favore regulatur ad ratam bonorum liberorum tantum.

Fructus quarti dotalis ex juris diſpoſitione venientes debentur à die obitus alterius ex Coniugibus, ſecus in judiciis poſſeſſoriis, qui à die motę litis currere incipiunt.

SVMMARIVM.

1 *Maritus per prædeceſſum Vxoris ex Statuto Fulginatenſi quartum ſuperlucratur.*
2 *Dotis conſtitutio, deficiente inſtrumento, per coniecturas probari poteſt.*
3 *Mulier omnia ſua bona præſumitur in dotem Viro conſtituiſſe, niſi de quantitate conſtitutionis conſtiterit, juxta idem Statutum.*
4 *Coniuges in conſtitutione dotis præſumuntur ſeſe Statuto loci voluiſſe conformare.*
5 *Matrimonia ſine dote ſtare poſſunt.*
6 *Matrimonia ſine dote ſtabilita non præſumuntur.*
7 *Statutum, ſi fuiſſet ſubtractum, ut amplius non reperiretur, circa probationem diſpoſitorum in eo, ſtandum eſt aſſertioni Doctorum Loci.*
8 *Dos præſumitur conſtituta, ſi uterque Coniux in compromiſſo per eos facto de ea mentionem feciſſent.*
9 *Solemnitates Statutariæ in conſtitutione dotium non ſunt neceſſariæ, etiamſi inter minores ageretur, & vide caſum.*
10 *Quartum debetur Viro ſuperſtiti de bonis liberis tantum Vxoris, non vero de fideicommiſſariis, ac de iis, quæ illa poſt obitum reſtituere teneatur.*
11 *Dos, ſi conſtituta ſit abſque expreſſione quantitatis, non comprehendit bona fideicommiſſaria mulieris, de quibus uſumfructum tantum haberet, ſed cum ſuo onere præſumitur conſtituta, nec eadem bona fideicommiſſaria quartum augent favore Viri.*
12 *Dos congruitatem deſumere poteſt ex uſufructu, quod de bonis fideicommiſſariis Vxor uſque ad obitum gaudere deberet.*
13 *Amplia, ut etiam ex ſpe filiis gaudendi, qui in fideicommiſſo pingui forent ſucceſſuri.*
14 *Quartum debetur Viro ſolum de bonis liberis ab Vxore poſſeſſis, non de fideicommiſſariis, maxime ſi Scientiam de fideicommiſſo habuiſſet.*
15 *Fructus debentur ex quarto, eo modo, quo debentur ex dote à die ſoluti Matrimonii.*
16 *Amplia, ſi ſuperſtes ex coniugibus vix ſequuto obitu alterius, ejus hæredes interpellaſſet.*
17 *Interpellatio oritur ex monitorio.*
18 *Vir ſi petat manutentionem in bonis dotalibus Vxoris prædefunctæ, id præſumitur feciſſe pro detrahendo liberè quarto tantum ſuperlucrato.*
19 *Mala fides in eo, qui fructus proprii debiti non ſolvit, ut inducatur, non requiritur, quod ſcientia illius ex productione jurium actoris recipiat, ſed ſat eſt, quod eam aliundè habeat.*
20 *Fructus quarti dotalis de bonis liberis Vxoris defunctę à Viro ſuperlucrati, donec illud non tradatur, ab hæredibus omninò debentur.*
21 *Fructus debiti ex diſpoſitione municipali veniunt ſtatim purificato caſu.*
22 *Fructus debentur à die motæ litis in Judiciis poſſeſſoriis ſuper bonis fructiferis.*
23 *Acquieſcentia in non petendo fructus non eſt conſiderabilis in minoribus, & agere prohibitis.*
24 *Aquieſcentia non prȩjudicat ſcienti ſuum jus ſalvum fore.*

DECISIO DCCCCXVII.

Reaſſumentes antiquam litem ab eorum Patre jamdiù introductam coram Eminentiſſimo Panciatico, tunc in Subſelliis A. C. jus dicente, petierunt Jo. Baptiſta, aliique de Scaſalibus coram A. C. Anſideo ſolutionem Quarti dotalis d. ipſorum Patri debiti ob prędeceſſum Tarquiniæ Vitelleſchę, cui primum nupſerat, ſine filiis, citatis Comitibus de Montecatinis hęredibus dictæ Tarquiniæ (mediante perſona Juliæ eorum Matris) & fratribus de Vitelleſchis poſſeſſoribus bonorum olim ad eandem Tarquiniam pertinentium, & prodiit ſententia, in qua declaratum fuit, Quartum deberi ſuper omnibus bonis liberis pro nunc ſine præjudicio majoris ſummæ in ſcutis 517. 75., fructus verò deberi à die obitus Tarquiniæ.

Commiſſa mihi appellationis Cauſa ab hoc Iudicato, dubium propoſui, *An, & in qua ſumma, & reſpectivè à quo tempore debeantur Quartum dotale, illiuſque fructus,* -- & DD. reſponderunt -- *Quartum dotale, & fructus deberi à tempore motæ litis, & pro ſumma in præſenti deciſione exprimenda.*

Creditum ſiquidem ejuſdem lucri dotalis in genere promanabat ex Statutaria diſpoſitione Fulginei, juxta quam Maritus ſuper-
1 ſtes per prædeceſſum Uxoris ſuperlucratur quartam partem omnium bonorum, quæ habebat Uxor prædefuncta, quoties, prout hic, dos in certa quantitate conſtituta non reperitur, ut in Rubrica de Muliere decedente ab inteſtato, & Quarta dotis applicanda Marito relat. per *Cirocch. Civem, & Doctorem Fulginaten. diſcept. 35. n. 1., & per tot.*

Non obſtat, quod deficiat in pręſenti Dotis conſtitutio, ideoque deſit ſubiectum ejus conſtitutivum, ex quo deduci poſſit quarta pars. Quoniam trita eſt regula, quod etiam
2 deficiente inſtrumento promiſſionis aliundè probari poteſt dotis conſtitutio etiam per præſumptiones, & coniecturas, latè *Poſth. reſol. 81. n. 23., Rota cor. Dunoz. jun. dec. 682. n. 3., & dec. 69. nu. 8. p. 15. rec..* Hic verò in primis ſeſe offert Statutum, per eumdem *Cirocchum* relatum, diſponens *ſub tit.*
3 *qualiter omnia bona Mulierum &c.*, quod Mulier omnia ſua bona in dotem dediſſe cenſeatur, quoties non conſtat eam in quan-
4 titate ſibi conſtituiſſe; hæc autem diſpoſitio procul dubio motivum præbet arguendi, quod Contrahentes cum illa ſe voluerint uniformare, *Rota cor. Emerix jun. dec. 57. n. 3. & in*

& in rec. dec. 39. *n.* 24. *p.* 18., ſtante præ-
5 ſertim alia generali juris præſumptione, quod licet ſine dote ſtare optimè poſſint,
6 non tamen ſine illa, ex recepto uſu, Matrimonia ſtabilita cenſeantur, de qua paſſim, & præſertim *dec.* 131. *n.* 4. *cor. Bich.*, *dec.* 293. *n.* 13., *& dec.* 426. *n.* 5. *p.* 9. *rec.*

Quin relevet dictum Statutum in aliorum codice factis diligentiis hodierno tempore reperiri non potuiſſe. Quia cum illud ex malignantium opere ſubtractum fuerit, ut ſunt verba modernioris Statuti in alia *Rubrica* 44. *ſupra relat.*, *& exhibit.*, *Summ. Scafalium n.* 12., non utique parum eſt, quod ejus ſubſtantiam referat *Cirocch. allegat. diſcept.* 35. *ſub n.* 21. Nequaquam enim credi
7 poteſt, quod Iuriſconſultus iſte ejus Loci Civis hanc diſpoſitionem ex integro voluerit effingere, & ſuper illa principalem definiendi articuli rationem conſtituere, minuſque quod Cives Fulginatenſes eam conſultationem imprimi permiſiſſent, vel ſaltem impreſſam aliquando non impugnaſſent, quatenus verè non adfuiſſet, adeout ejus teſtimonio ſuper illius exiſtentia omnino ſtandum ſit, ut in ſimilibus terminis probat *Rota dec.* 125. *n.* 7. *cor. Card. Celſo*, *& cor. Rojas dec.* 316. *n.* 6., & præſentem expendendo controverſiam clar. mem. Card. Taya olim hujus noſtri Tribunalis meritiſſimus Auditor, & Iudex compromiſſarius electus poſt introductam litem coram A. C. Panciatico in voto tunc edito §. *Primo quia, cum ſeqq.*

Accedit, ubi etiam prædicta aliquam difficultatem pateretur factum poſitivum utriuſque Coniugis ſuper controverſa dotatione, quamcumque removens quæſtionem.
8 Etenim in compromiſſo per eos una ſimul cum Dominis de Vitelleſchis peracto anno 1669., appoſita fuit conditio, quod Amadei Viri obligatio locum haberet -- *durante il Matrimonio con detta Signora Tarquinia*, *& anco mentre i beni*, *e dote della medeſima Signora direttamente*, *o indirettamente reſtaranno à d. Signor Amadeo &c.* -- Coniuges namque non fuiſſent de dote loquuti, minuſque cum hac conditione Tarquinia ſtipulata fuiſset, niſi dos reveua conſtituta extitiſſet, ut in puncto animadvertit *Surd. conſ.* 94 *ſub n.* 24. Hoc autem pacto dotem Viro aſſignatam fuiſſe confeſſa eſt, proindeque melior non poteſt aſſignari probatio, ut in his terminis ait *Ccocein. Sen. conſ.* 8. *n.* 19., *Surd. conſ.* 94. *nu.* 25., *Rota cor. Put. deciſ.* 409. *lib.* 1. *in antiq.*, & innuit idem votum Card. Taya §. *Ex facto*, & generaliter in *Cavallicen. Dominii ſuper manutentione* 23. *Junii* 1713. §. *Poſſeſſio*, *& in Tarentina Quindenniorum* 25. *Junii* 1714. §. *Dominium coram Me*.

Abſque eo quod quærendum ſit de ſolemnitatibus in contractu mulieris, & minoris
9 neceſsariis; quia ut egregiè reſponſum fuit in memorato voto Cardinalis Tayę §. *Unum adhuc*, *& ſeqq.* earum defectus contractum neceſſarium, prout eſt congrua dotis conſtitutio, minimè vitiat, *Soccin. jun. conſ.* 8. *nu.* 23., *& ſeq. lib.* 2, *Ciriac. controv.* 29. *a.* 47. *cum ſeq.*, *& Merlin. de pignor. lib.* 3. *tit.* 2. *qu.* 83. *n.* 7., *&* 18.

Difficultas itaque in hoc rerum ſtatu reſtringebatur ad quantitatem, contendentibus illis de Scafalibus in dotem intelligi debere aſſignata ea omnia bona, quę tunc temporis à Muliere poſſidebantur tam libera, quam fideicommiſſaria, itaut habito reſpectu ad univerſam eorum quantitatem Quartum ipſis debitum commenſurandum eſſet. Sed
10 DD. illud deberi ex bonis tantummodo liberis cenſuerunt, quæ quidem bona libera conſiſtebant in legitima Tarquinię debita in bonis Horatii Patris, & ex facto Juliæ ejus hæredis ęſtimata, & vendita pro ſcut. 2191. 12., itaut debitum Quarti correſponderet taxationi factæ per ſententiam A. C. in ſcutis 547. 75.

Neque pro hujuſmodi effectu opus eſſe crediderunt aſſumere inſpectionem, an etiã dd. bona fideicommiſſaria in dotem aſſignata cenſerentur, quia ejus definitio nihil pro-
11 ficeret ad intentum, dum ſemper ceſſante, prout hìc, expreſſione quantitatis, portio fideicommiſſo ſubiecta, intelligeretur data cum ſua cauſa, & ſic cum eodem vinculo, cui reperiuntur obnoxia, juxta firmata *dec.* 40. *n.* 2. *poſt Merlin. de legitim.*, *deciſ.* 836. *n.* 14. *cor. Dunoz. jun.*, *dec.* 271. *n. eodem p.* 9. *& dec.* 271. *n.* 9. *cor. bo. me. Benincaſa*. Non attento an bona libera ſufficiant nec ne pro congrua mulieris dote, quia ad congruita-
12 tem commenſurandam habetur etiam ratio de pingui uſufructu bonorum fideicommiſſa-
13 riorum ad vitam Uxoris duraturo, & de ſpe ſuſcipiendi liberos, per defectum conditionis, ſub qua Mulier eſt gravata, poſtmodum ſucceſſuros, optimè *Rota dec.* 233. *numero* 21. *cor. Benincaſa*.

Inaniſque pęnitùs evadebat hæc exceptio, dum etiamſi dos conſtitiſſet partim in bonis liberis, & partim in fideicommiſſariis, con-
14 currente tamen ſcientia fideicommiſſi in Amadeo viro ex lite tunc vertente ſuper eodem fideicommiſſo, aliiſque ejus actibus inducta, & de facto à Scafalibus non impugnata, adhùc Quartum deberetur ex ſolis bonis liberis, nullatenùs facta fideicommiſſariorum computatione, ex plenè adductis per *Vrceol. conſult.* 10. *à num.* 24., *& n.* 47., *Card. de Luca de dot. diſc.* 173. *à num.* 4., *Rot. dec.* 592. *num.* 11., *& dec.* 639. *num.* 4. *cor. Card. Cerro*, *& dec.* 371. *per tot. cor. Card. Celſo*.

Quibus ità poſitis, deſcendentes Domini ad poſtremam inſpectionem fructuum, illos
15 pro dicta rata ſcut. 547. 75. deberi omninò cenſuerunt, quia ſunt acceſſorii, & ſicuti deberentur ex dote, ità etiam debentur ex lucro, *Rota dec.* 600. *num.* 4. *p.* 19. *rec.*; et quidem à die, qua ſoluto per obitum Tarquiniæ Matrimonio ejuſdem Lucri præſtationi factus eſt locus: Bona namque libera, ex quibus illud detrahi debet, ſunt in fructu, quodque plus

16 plus eſt Amadeus ſtatim ſequuto Uxoris obitu pro traditione, ſeu ſeparatione Quarti ejus hæredes interpellavit, undè abindè citrà abſque ulla hæſitatione debentur, ex deductis per *Conſtan ad Stat. Vrbis annot. 33. num.48., Rot poſt eundem dec. 92. nu.2., & in Romana dotis 17. Iunii 1712. §. Et nedum coram R. P. D. meo Scotto Almæ Vrbis Gubernatore*.

17 Et hęc porrò interpellatio eſt innegabilis, attento Monitorio ad inſtantiam ejuſdem Viri executo, uſque de anno 1671. ſuper manutentionę in poſſeſſione bonorum dotalium,
18 quæ ad alium titulum non erat referibilis, quam ad jus detrahendi dictum Quartum, idque Partes ipſæ agnoverunt, dum in lite coram A.C. Panciatico agitata, ſemper citarunt eundem Amadeum, & clarius quoque præſefert acceptatio per illum facta ſententię ejuſdem Judicis, dum præſervativam continet Jurium pro eodem Quarto competentium.

Neque ad inducendam malam fidem in Debitoribus requirebatur productio jurium. Tum quia idem Quartum non debebatur ex pacto, quod indigeret exhibitione, & productione, ſed promanabat ex Statutaria diſpoſitione, quæ de per ſe ad canonizandum illius debitum loquebatur. Tùm quia partes ipſæ idem debitum recognoverunt, dum Tranſigentes de lucro prædicto, rationem habuerunt, & Comitiſſa Montecatina illius onus
19 in ſe aſſumpſit. Satis autem eſt, ut mala fides pro reſtitutione fructuum incurratur, quod ſcientia jurium aliundè etiam habeatur, quam ab illorum productione, ex recepta opinione, de qua *dec. 3.6. num. 12. cor. Bich., dec.246. num.5. & ſeq. cor. Priol., dec. 258. nu.8. par.17. rec., & in Romana reſtitutionis fructuum 11. Iunii 1708. §. Nam cum hæc, & ſeq. coram R.P.D. meo Anſaldo*, & in fortioribus terminis *in Senogallien. Immiſſionis 14. Maii 1714. §. Ea convincente coram Me.*

Minuſque juvat dubietas ejus pertinentiæ,
20 & longæva Scafalium acquieſcentia. Quantum enim attinet ad dubietatem, ſatisfacit reſponſio, quod reſpectu bonorum liberorum, ea nullo modo eſt allegabilis, & cum pro hac rata tantum fructus hodiè decernantur, in hac parte prætextus iſte totaliter corruit, ut diſtinguit *Card. de Luca diſc. 128.*
21 *num.11. circa med. de dote.* Quodque non agitur hìc de fructibus ratione ſimplicis moræ debitis, ſed ratione dominii, quod ſtatim ex diſpoſitione municipali pro rata lucri tranſit in Virum, juxtà illius verba *Summ.*
22 *Scafalium num.12.* Undè cum verſemur in Judicio poſſeſſorio, & bona, ut diximus, ſint fructifera, per inceptionem litis incurritur mala fides, & obligatio ad fructus, *Rot. cor. Emererix Iun. dec.371. num.3., & dec.1107. num.1., cor. Benincaſa dec.31. nu. 1., & par. 19. rec. dec.614. num.7. & 8.*
23 Acquieſcentia verò non potuit præjudicare, quia fratres de Scafalibus hactenùs in pupillari, aut minori fuerunt ætate, & agere
24 propterea nequiverunt; Amadeus autem eorum Pater ſi litem proſequi diſtulit, jus ſuum durare ſciebat, *Paulut. diſſert. 36. artic.1. num.35., Palm. Nep. alleg.69. num.19.*, & alii paſſim.

Et ità omnibus Collitigantibus auditis fuit reſolutum &c.

FULGINATEN. LIBERATIONIS A MOLESTIIS.

Ven. 28. Iunii 1715.

ARGUMENTUM.

Moleſtię vel ſint juſtæ, vel injuſtæ, à venditore ſunt aſſumendæ, ſi ſe ab illis emptorem liberare obligaſſet, & etiam ſi venditor de illorum ſupervenientia profutura ante contractum aliquam ſcientiam habuiſſet.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus in actu venditionis ad aſſumendas ſibi moleſtias infixas ſuper re vendita favore emptoris, vix incepta lite, iſtum liberare tenetur.*

2 *Amplia, ut ſufficiat, quod quoquomodo moleſtiæ inferantur, etiam per actum extrajudicialem.*

3 *Subamplia, quod moleſtatus non tenetur recognoſcere, an ſint juſtę, vel injuſtæ.*

4 *Obligatus, ut ſuprà, ſi in judicio liberationis à moleſtiis pulſetur, ſed nomine proprio tantum, & ad propriam defenſionem compareat, non ſe liberat ab obligatione ſibi aſſumendi moleſtias.*

5 *Scientia, quam habeat emptor de anteriori hypotheca ſuper re empta, non prodeſt venditori, ne teneatur moleſtias ſibi ſumere, quando ad eas eſſet obligatus ex lege contractus.*

DECISIO DCCCCXVIII.

Occurrere ſatagens Dominus Juſtinianus Vitelleſchius Evictioni, quam ſibi imminere pręvidebat ex Judicio inſtaurato ad inſtantiam fratrum de Scaphalibus coram A.C. Aufideo pro conſequutione lucri Dotalis in Bonis Tarquiniæ Uxoris Amadei eorum Auctoris prædefunctæ, quæ bona eidem Juſtiniano, in Tranſactione cum Julia dictæ Tarquinię Matre ſtipulata, vendita fuerant, ut plenius expoſitum fuit *in alia mea deciſ. Fulginaten. laudi 7. labentis Menſis §. In ſequelam, & ſeq.*, vocavit Dominos Comites de Montecatinis ad idem Judicium, petiitque ab eis uti hæredibus ejuſdem Juliæ, quod juxta obligationem in tranſactione ab iſta ſuſceptam, moleſtias ipſi illatas in ſe aſſumerent, cumque condemnationem reſpectu Scaphalium paſſus fuerit, Mandatum ad factum, & illius loco exequutivum contra bona hæreditaria dictæ Juliæ obtinuit, à quo commiſſa mihi per Signaturam juſtitiæ appellationis cauſa cum reſcripto *S. Q. E.*, propoſui co-

congruum dubium, habuique reſponſum -- *Mandatum ad factum eſſe exequendum.*

Quandoquidem æque validum, ac juſtum compertum eſt, & quidem validitate non controverſa, Juſtitia optimè deſumebatur ex
1 obligatione per Comitiſſam Juliam emiſſam in relata tranſactione ſuſcipiendi in ſe quaſcumque lites, & liberandi Emptores à quibuſvis moleſtiis unquam ſuperventuris; quo circa cum moleſtiæ ſupervenerint ex judicio per Scaphalios moto, quin immò etiam emanaverit ſententia Immiſſionis ſuper dictis bonis, confirmata, *in contemporanea dec. Fulginaten. quarti Dotalis coram Me*, utique commiſſa dicitur ſtipulatio, & locum habet favore Emptoris Mandatum ad factum, *ad Text. in l. ſive in libertatem 12., ibique Bald. & Salic. Cod. de Evict., Rota poſt Conſtant. ad Stat. Urb deciſ. 59. num. 7., coram R. P. D. meo Anſaldo deciſ. 42. num. eodem, in Civitatis Vetulæ liberationis à moleſtiis 26. Juni 1705. §. Juſtitia*, & latiùs *in Bononien. Bonorum ſuper relaxatione mandati 22. Iunii 1712. §. Cum namque, & ſeq. coram R. P. D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore.*

Neq; potuit evitari ex pluribus exceptionibus ad hunc effectum propoſitis, quia earum ſingulæ irrelevantes apparuerunt. Et quidem non obſtat quod Evictio pro quarto Dotali à Scaphalibus petito, adhùc ſequu-
2 ta non fuerit. Etenim in hoc Judicio non petit Vitelleſchius emendationem imminentis Evictionis, ſed liberationem à moleſtiis, ad quam promovendam neceſſe non eſt, quod actualis adſit Evictio, ſed ſufficit, quod moleſtiæ quoquo modo illatæ ſint etiam per actum extrajudicialem, *ut cum Gloſ. in l. qui rem 3. Verbo convenire Cod de Evict., diſtinguit Rot. deciſ. 266. num. 2., & 3., coram Bichio deciſ. 112. num. 11. coram Duran., & in Reatina Salviani 13. Martii 1711. §. Cenſuerunt, ubi concordan. cor. Eminentiſſi-*
3 *mo Cardinali Priolo*. Nullatenus etiam attento an juſtæ ſint, vel injuſtæ, cum id examinandum ſit à Venditore aſſumpta lite adverſus eos, qui illas intulerunt, *Bartol. in leg. Lucius §. Tres hæredes num. 1. ff. ad Senat. Conſul. Trebell., Rota deciſ. 231. num. 2. par. 3., deciſ. 143. num. 14. par. 6., dec. 239. n. 8. coram Peutinger.*

Minuſque obicem fecit, quod jam Montecatini litem in ſe ſuſceperint comparendo contra Scaphalios, tam coram A. C., quam in hoc Sacr. Tribunali in diſputatione dubii
4 contemporaneè propoſiti. Ultra enim quod id geſtum non fuit in adimplementum obligationis pro liberatione à moleſtiis, ſed in defenſionem propriam, quia in judicium, uti hæredes Juliæ ipſi quoque vocati fuerant, ceſſat difficultas, ex quo actus contrarios aſſumptioni Moleſtiarum fecerunt, expreſsè in actis proteſtando locum illi non eſſe, niſi præcederet ſententia condemnatoria in bonis venditis.

Nec denique relevans fuit alterum obiectum, quod ſciret Vitelleſchius Emptor debitum lucri dotalis pro quo moleſtiæ illatæ ſunt, ideoque locum ſibi non vindicet actio pro liberatione, *ad Tex. in l. ſi fundum ſciens Cod. de Evict.* Scientia namque Emptoris ſatis non eſt, ut quis ad Evictionem, ſeù liberationem non teneatur, quoties, prout hic, adeſt expreſſa in inſtrumento promiſſio, tunc enim perempta actione ex empto, ſubintrat actio ex ſtipulatu, ut litteralitèr diſponit idem *Text., & ibi notant DD., cum quibus Menoeb. conſ. 87. nu. 97., Larr. dec. Granat. 74. num. 19., Rota deciſ. 100. num. 6., & ſeq. par. 18. recent, & in Romana liberationis à moleſtiis 12. Maii 1710. §. Reſpectu ſiquidem coram Me.*

Et ita utraque &c.

GERUNDEN. JURISPATRONATUS
Lunæ 1. Iulii 1715.

ARGUMENTUM.

Præſentatus ad Beneficium, qui ſit de ſanguine Fundatoris, & ideò vocatus, in concurſu cæteris præferendus eſt. Teſtator nominans ſuos deſcendentes, ſemper præſumitur illos de ſanguine prædilexiſſe.

Gratioſa ſubrogatio non habet locum, ſi alter Competitor eſſet in cauſa; imò tali caſu preſentatio calumnioſa diceretur.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus ab eo, qui habet tale jus preſentandi, inſtituendus eſt.*

2 *Patronus alternativam cum altero compatrono in præſentando habens, poſt quam præſentaſſet, impedire non poteſt vocem iſti in vacatione futura*, & num. 5. & 7.

3 *Præſentatus debet eſſe de genere eorum à fundatore volito.*

4 *Deſcendentia probatur per publica inſtrumenta, fides baptiſmatum, & ſimilia &c.*

6 *Vocatus à Fundatore ad beneficium, Patronorum nominatione non indiget; & aliis præferendus eſt.*

8 *Præſentatus non habens requiſita à teſtatore volita, inſtituendus non eſt.*

9 *Beneficium non eſt Sacerdotale, ſi Fundator etiam minores, & pueros de ſua familia ad illud abilitaſſet.*

10 *Verba* hæredes, & ſucceſſores *in ore teſtatoris in dubio ſonant favore illorum de ſanguine.*

11 *In ambiguis illa dari debet interpretatio, quæ teſtatoris menti ſit magis favorabilior.*

12 *Subrogatio gratioſa non ſuffragatur, ſi adeſſet alter collitigans, imò lis ab impetrante promota calumnioſa diceretur.*

13 *Iura perſonalia, & ſanguinis neque per ſubrogationem, neque per aliud pactum ſunt in alteram perſonam transferibilia.*

DECISIO DCCCCXIX.

Fundamenta deciſionis editæ coram Me ad favorem Calixti ſub die quarta præteriti Fe-

ti Februarii in contumaciam Joannis plurieſ moniti, & nunquam comparentis, cum hodie quoque eodem audito benè ſubſiſtere viſa fuerint, Domini non dubitarunt *in deciſis* permanere.

Subſiſtit ſanè primum, quod Calixtus præ-
1 ſentatus fuerit ab eo, ad quem in præſenti vacatione jus præſentandi pertinebat: Nam cum in tranſactione uſque ſub anno 1654. inter Mariam Annam de Sitiar, & Roccha, atque Stephanum de Nigra inita ad componendas tunc exortas controverſias, conventum fuerit, ut abinde citra præſentatio per ipſos, & eorum hæredes alternis vicibus expleretur, planè conſequitur in occurrenti vacatione Jus nominandi ad memoratum Stephanum pertinuiſſe, qui Calixtum præ-
2 ſentavit, cum in proxima præcedenti anni 1698. Franciſcus Roccha dictæ Mariæ Annæ filius pacificè, & cum effectu præſentando, vicem, & jus ſuum conſumpſerit, juxta celebrem *Tex. in Clement. plures de Iurepatron. cum concordan.*, de quibus *Vrceol. de tranſact. queſt.* 27 *num.* 4. *& ſeqq.*, *Rot. coram Bich dec.* 82. *num.* 28, *& coram Ottbobon. deciſ.* 65. *num.* 10., *& coram Dunoz. dec.* 706. *num.* 1.

Benè etiam ſubſiſtit alterum fundamen-
3 tum, quod videlicet Calixtus ſit de genere eorum, quos Petrus Bordila fundator juſſit in jurepatronatus paſſivo cæteris omnibus nedum extraneis, verum quoque de ejus ſan-
4 guine, & familia præferri: Ipſe enim per gradus diſtinctos concludenter probat ſe deſcendere ab Ermeſenda memorati Fundatoris ſorore per publica documenta Teſtamentorum, ac donationum, depoſitiones Teſtium, ac fides Baptiſmatum, ex quibus deſcendentiam probari, præſertim in concurſu extranei, latè firmat *Rot. in Baren. Immiſſionis* 3. *Iunii* 1709. §. *Siquidem*, *& ſeq. cor. R. P. D. Aldrovando*, *& in Aſten. Beneficii* 10. *Decembris* 1714. §. *Quod autem coram R. P. D. meo Anſaldo, & ſepè alibi.*

5 Sicut igitur ex utroque capite debetur Calixto Inſtitutio, quia nempè præſentatus fuit ab eo, ad quem hac vice jus præſentandi pertinebat, *Rot. deciſ.* 118. *num.* 1. *par.* 18. *rec.*, *& in Vvormatien. Canonicatus* 2. *Decembris* 1705. §. *Cum enim coram R. P. D. meo Scotto*, *&* 14. *Martii* 1707. §. *Ratio*
6 *coram R. P. D. Anſaldo*. Et quia ex lege fundationis tanquam deſcendens ab Ermeſenda etiam ſine ulla Patronorum nominatione omnibus præferri debuerat, *Rot. cor. Bich. deciſ.* 661. *num.* 13., *&* 14., *& in Hortana Beneficii prima Junii* 1708. §. *Verificata coram Eminentiſſimo Cardinali Priolo*,
7 ita ex oppoſito utroque capite excluditur Joannes, tum quia nimirum præſentatus fuit à Franciſco, qui pro hac vice jure præſentandi carebat, *Rot. coram Emerix dec.* 1352. *nu.* 9., *& in Civitatis Caſtelli Canonicatus* 12. *Martii* 1714. §. *Ratio fuit coram R. P. D.*
8 *meo Scotto Vrbis Gubernatore*. Tum etiam quia non eſt de ſanguine, neque de familia fundatoris, ſed merè extraneus, atque ideo concurrere nequit cum Calixto Conſanguineo, & inſuper de linea inter cæteras prædilecta, *Rot. in Barchinonen. Beneficii* 2. *Decembris* 1701. §. *Etenim*, *&* 24. *Martii* 1702. §. *Ejuſdem coram clar. me. Card. Caprara*, *& in Tuſculana Cappellaniæ* 15. *Martii proximè preteriti coram R. P. D meo Anſaldo.*

Non obſtat, quod Calixtus deſtitutus ſit qualitate Sacerdotali à Fundatore requiſita etiam in Clerico de ſanguine ſaltem infra annum à die præſentationis, atque ideò in ejus concurſu præferri debeat Joannes, qui licèt
9 extraneus, eſt tamen Sacerdos. Ceſſat enim obiectum ex facto, quia quamvis fundator in extraneis, & in cæteris quoque de ejus ſanguine hanc qualitatem, ut ſupra requiſiverit, ab ea tamen lege nominatim excepit deſcendentes à Franciſco fratre, & Ermeſenda ſorore, qualis eſt Calixtus, dum eos ad hoc beneficium eligi poſſe conſtituit etiam pueros, & minores, non obſtante quocumque ætatis defectu, ad tradita per *Barboſ. de Iur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. *ſub num.* 32., *Rot. poſt Vivian. de jur. patron. dec.* 19. *num.* 7., cum aliis *in Rhegien. Iuriſpatronatus* 16. *Ianuarii* 1708. §. *Hancque cor. Reverendiſſ. mo Decano.*

Minimè relevante replicatione, quod ejuſmodi prærogativa reſtricta ſit ad ſolos filios, & nepotes Ermeſendæ, ejuſque hæredum, & ſucceſſorum, undè illa ſuffragari nequeat Calixto, qui non probat ejus Avum, vel Patrem fuiſſe heredem memoratæ Ermeſendæ;
10 ut enim reſponſum fuit in præcedenti Deciſione, ex toto contextu Inſtrumenti fundationis, dicta verba *hæredes, & ſucceſſores* non alias intelligi poſſunt, quam de heredibus, & ſucceſſoribus ſanguinis, quibus & non extraneis veriſimile magis eſt hoc Privilegium à
11 fundatore conferri voluiſſe, *Rot. dec.* 46. *num.* 28., *& deciſ.* 59. *num.* 19. *coram Priol.*, *& in rec deciſ.* 662. *num.* 10. *par.* 19. *tom.* 2.

Nullius autem momenti eſt aliud obiectum, quod nempè Joannes obtinuerit literas gratioſæ ſubrogationis in juribus Fauſti, qui tanquam filius Franciſci Rocca nedum erat de gente prædilecta, ſed inſuper juxta legem præmemoratæ tranſactionis præſentari omninò debuerat à Stephano Nigra, dum ille liberis carebat, quos ad hoc beneficium nominare poſſet. Quidquid enim ſit reſpectu Fauſti, qui poſtquam ſententiam in
12 partibus obtinuerat, liti ceſſit; quod attinet ad Joannem, nihil penitùs eidem ſuffragari poteſt dicta gratioſa ſubrogatio in illius juribus, tùm quia aderat alter præſentatus, & collitigans, & inſuper ipſe nominatus fuerat à Franciſco, qui pro ea vice nullum Jus nominandi habebat, undè ejus reſpectu lis penitùs calumnioſa videtur, ut pluribus adductis dixit *Rot. dec.* 427. *num.* 7. *& ſeqq. par.* 18. *recen.* Tum & fortiùs, quia Jura perſona-
13 lia Fauſti, & qualitas ſanguinis, neque ſubrogatione, neque ullo alio pacto in ipſum tranſire poterunt, ut in his terminis alias reſpondit *Rot. coram Cavaler. deciſ.* 588. *n.* 6.

& in

& in rec. dec. 684. num.5. par.4. to.3. & dec. 177. num.5., & ſeq. par. 12., & benè etiam *deciſ. quæ confirmatur §. finali.*

Et ità utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 1. Julii 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria duarum præcedentium, ſcilicet ſub diebus 3. Decembris 1714., & 18. Februarii 1715.

Renunciatio facta à filia propter dotem favore Patris, non impedit, quin ipſa numerum faciat pro augendo legitimam favore maſculi, nec iſtud majus augumentum poteſt à Patre gravari fideicommiſſo, tamquam de re non ſua.

Fructus debentur à die interpellationis, & non à die productionis jurium, quando agitur de jure claro, ſecus ſi de jure incognito.

SUMMARIUM.

1 *Renunciatio facta à puella ſuper bonis paternis ob ingreſſum in Monaſterium ad bona fraterna non extenditur.*

2 *Renunciatio genericè facta, quæ tollit jus ſuccedendi in juribus renunciatis operatur indiſtinctè, & ad quoſcumque effectus.*

3 *Renunciatio propter dotem eſt diverſa ab illa, quæ gratuitò facta ſit, quia per illam declaratur renuncians ſuccedere quodammodo in ea portione, quæ ei dotis titulo obvenit.*

4 *Soror cohæres cum aliis ſororibus ab inteſtato in bonis fratris defuncti acquirit illarum portiones, quibus præventivè in actu ingreſſus in Monaſterium renunciaſſent*, & vide caſum.

5 *Portio fæminarum, quæ illis auferretur à Statuto, maſculis accreſcit, & as paternum pinguiùs efficit, atque etiam fideicommiſſum, ſi tamen favore maſculorum à Patre fuiſſet ordinatum; ſecùs verò ſi favore extraneorum, quo caſu legitima filiorum pinguior evaderet.*

6 *Dotes fæminis à Statuto propter maſculos excluſis conſtitutæ, in legitimam illis debitam imputantur, quando faciunt numerum ad regulandam maſculorum legitimam.*

7 *Filiæ dotatæ in vita à Patre illud plus quod eis deberetur uſque ad legitimam, ad paternum fideicommiſſum favore maſculorum tranſmittunt.*

7 *Legitima quando debetur in ſemiſſe.*

9 *Trebellianica ex fideicommiſſo detrahitur, quando non adſit prohibitio conditionis fideicommiſſi, ſive tacita, ſive expreſſa.*

10 *Tacita prohibitio detrahendi trebellianicam non deducitur ex ſubſtitutione facta filio per verba* -- In quello ſi trovarà in tempo della di lui morte.

11 *Detractio, quæ fit ex diſpoſitione legis, dicitur neceſſaria.*

12 *Limita, ſi teſtator dediſſet facultatem alienandi reſtrictivè, & cum expreſſa limitatione ad certam quotam.*

13 *Jus deducendi trebellianicam à gravato non agnitam, poteſt ab iſto ad proprios hæredes tranſmitti.*

14 *Renunciatio facta ſuper bonis paternis, & maternis non eſt comprahenſiva Jurium provenientium ex hæreditate fratris.*

15 *Interpellatio ſatis eſt, ut à die, qua facta fuit, fructus debeantur, ſi agatur de jure cognito, & claro.*

16 *Limita, ſi ageretur de jure incognito interpellantis, quod ſecum ferret obligationem deducendi ſcripturas in actis.*

17 *Interpellatio ſatis eſt ad inducendam malam fidem in debitore fructuum.*

DECISIO DCCCCXX.

Quamvis in hac cauſa geminæ coram Me prodiiſſent deciſiones ſub diebus 3. Decembris 1714., & 18. Februarii currentis anni favore Ven. Monaſterii Sanctiſſimæ Transfigurationis Montis Rotundi venientis ex perſona Annæ Victoriæ Caranza ad æqualem conſucceſſionem in hæreditate Alexandri fratris ab inteſtato defuncti cum illis de Capiciis perſonam Angelæ Margheritæ alterius Sororis repræſentantibus, cum tamen iſti poſtmodum exhibuerint aliarum Sororum renunciationes, ex quibus partem in præfata hæreditate ſibi debitam accreſcere inferebant, & circa fructus, novas excitaverint quęſtiones, iterùm à Dominis audiri meruerunt; undè propoſito per Me in hac audientia congruo dubio, *ſtandum eſſe in deciſis juxta modum*, infra exprimendum, *& fructus deberi à die interpellationis*, reſponſum fuit.

Porrò quoad eos juris articulos, qui fuerunt in antecedentibus Deciſionibus conſtabiliti, tam reſpectu renunciationis Annæ Victoriæ non comprahendentis bona Fraterna, quàm reſpectu legitimæ Alexandro debitæ in bonis Patris, dotis maternæ, & dotis Magdalenæ de Blanchis, de quibus actum fuit in illa edita 3. Decembris 1714., quàm denique reſpectu fideicommiſſi à Scipione conditi, & excluſionis ab illo augumenti de legitimæ provenientis ab exiſtentia fæminarum facientium numerum favore maſculi, de quo in alia diei 18. Februarii hujus anni, ſatis Domini cenſuerunt eſſe ibidem deducta, abſque eo quod inutilis fieret repetitio. 1

Strictè propterea ad ea deſcendentes, circa quæ verſabantur jura noviter à Capiciis cumulata, in primis aſſumpſerunt examen renunciationum occaſione ingreſſus in Monaſteria factarum ab aliis tribus ſororibus, Ideſt Felice Maria, Candida Innocentia, & Clara Maria, poſitaque ad partes illa, quæ facta fuit ab hac ultima etiam favore Alexandri, ejuſque hæredum, cum ideò promiſcuè utrique parti faveret, nec propterea eſſet attendenda, quoad alios diverſos ponderabant effectus, quos indè deducebant Capicii. 2

Quatenùs igitur exindè inferebatur, quod mediantibus his renunciationibus ita dictæ Moniales ſe de medio ſubſtulerint, ut reputarentur tanquam mortuæ, nec poſſent calculari in numero liberorum pro effectu augendi legitimam debitam Alexandro in bonis
3 Patris, placuit reſponſio, quod tunc renunciationes in vita Patris emiſsæ, hujuſmodi operantur effectum, quando ſunt ſimpliciter refutativæ, & aſsenſivæ gratuito factæ, & ex mera renunciantium voluntate, ſecùs verò quando factæ ſunt propter dotem, hoc enim caſu videntur quodammodò ſucceſsiſse in portione ſibi in dotem tradita; & proinde ad effectum, de quo agitur, numerantur, ut plenè docent *Bellon. de Jur. accreſc. cap.6. p.14. à n.13. ad 23.*, *Torr. de majorat. Ital. p.6. q.60. n. 1. & 2.*, *& var. Jur. quæſt. to.2. tit.7. q.6. n.51.*, *& in Tractat. de pact. futur. ſucceſs. lib.2. cap.41. nu.21. 25. & ſeq.*, apud quos concordantes.

Quatenùs verò deducebantur ad effectum augendi jura Angelæ Margaritę Auctricis illorum de Capiciis; admittendæ ita viſæ ſunt,
4 ut illi ex perſona ejuſdem Angelæ Margaritæ, non unam tantummodò portionem conſequi debeant in hęreditate fraterna ex propria perſona, ſed & alias duas partes ex perſona prętatarum duarum ſororum renunciantium, & ſic immiſſio decreta favore Monaſterii in ſemiſſe, reſtringenda ſit ad Triuncium, ideſt quartam partem, ut ex parte eius concordatur.

5 Non tamen utpote emiſsæ favore Patris operari poterant, quod augumentum illud, de quo in deciſione 18. Februarii elapſi, accreſcens propter earum exiſtentiam maſculo, caderet ſub fideicommiſso inſtituto ab eodem Patre renunciatario, & ita diverſimodè operari reſtrictionem legitimę dicti maſculi. Id enim procederet, ſi renunciatio translativè facta favore Patris, eſset illa, quæ virtute ſua tantùm filiam excluderet à legitima, quia tunc ſanè dicta portio acquireretur Patri renunciatario cum facultate de illa diſponendi, ſecùs verò eſt, quando filia non excluditur ſola operatione renunciationis, quam emiſit, ſed virtute, atque operatione Statuti faventis Maſculis Agnatis, ut eſt illud huius Urbis cap. 141. inſpiciendo namque in his terminis favorem maſculorū à Statuto volitum, illa portio, quæ accreſcit per exiſtentiam fæminæ, ipſi maſculo eſt applicanda, *Torr. de Maiorat. Ital. p.2. cap.60. n.13.*, *Bellon. de Jur. accreſc. lib.1. cap.6. q.15. à n.44. ad 49.*, & facultas Patris de ea diſponendi, regulari debet ad limites dicti Statuti, & intra illos eſt reſtringenda poteſtas condendi fideicommiſsum in modum, ut ſi tendat in præiudicium maſculi, retineat ſuam naturam reiiciendi quodcumque gravamen, & vinculum, iuxta plenè firmata in *dec.147. n.5. p.13. rec.*, *& in ult. huius cauſæ dec. §. Aut enim eſt per tot.*

Succedebat alia inſpectio, & quidem non modicè intricata, utrum poſita calculatione legitimæ Alexandri in bonis Patris in ſemiſſe, dotes fęminarum ab eodem Patre ſolutæ deducendæ eſsent ab eodem ſemiſse, ne alias hæreditas paterna duplicem pateretur diminutionem, ſemiſſis pro legitima, & oneris earundem dotium.

Sed in hoc quoque facilem ſolutionem articuli prębebat ultronea acquieſcentia Mo-
6 naſterii, quod eædem dotes ab ipſa legitima fęminis debita detraherentur, & in eandem imputarentur, ut fieri de jure debet, quando, prout hic, filiæ computantur in numero, & faciunt partem ad commodum maſculorum, ut diſtinguendo plures caſus, tradit *cit. Bellon. de Jur. accreſcen tom.1. cap.6. q.15. ſub n.60. verſ. Cęterum uſque ad n.63.*, & concordat *Rot. dec.309. n.12. p.17. rec.*

Modus verò reducendi ad praxim huiuſmodi detractionem, & imputationem ille
7 eſt, ut quoties dd. dotes, quemadmodum accidit in pręſenti, fuerunt ſolutę in vita Patris, quia adaugent ſtatum paternum, aggregandæ ſunt illius hæreditati, itaut ex ipſis augeatur eadem hæreditas, & conſtituatur unicum patrimonium, & earum collatio fiat; non ſecùs ac ſi tam maſculi, quàm fæminę Pa-
8 tri ab inteſtato ſuccederent. Collatis verò dotibus in augumentum aſſis paterni, iiſque computatis, ſuper toto eodem aſse calculetur legitima in ſemiſse, & hanc praxim approbarunt *Altimar. Rovit. conſ.70. n.4. & 5. vol 1.*, *Fontanell. de pact. nupt. tom.2. Clauſ. 7. gloſ. unic. p.2. nu.36.*, *Montan. contr.38.*, *Roſ. Conſul.29 nu 8.* *de Francb. dec.549. per tot.*, ibique *Car. Ant. de Luc. n.3.*, *& Rot. dec.33. n.5. poſt Card. de Luc. lib.9. tom.3.*

Sicut verò admittebat in præmiſſis Monaſterium diminutiones quotæ ſibi aliàs attributæ, ita etiam novam proponebat additionem faciendam hæreditati Alexandri, in qua pariter pro rata parte immiſſionem ſibi
9 concedendam petebat, & hoc ratione Trebellianicæ, juxta *Text. in l. quanquam 10. ff. ad l. falcid*, eamque competere Domini cenſuerunt, cum nulla in teſtamento Scipionis, aut tacita, aut expreſſa haberetur prohibitio.

10 Nec ſanè tacitam importabat ſubſtitutio filio facta *in quello ſi troverà nell' eredità in tempo della di lei morte &c.*, quia ſicut ex his non eſſent vetitæ filio voluntariæ alienationes, multò minùs dicendum eſt fuiſſe ve-
11 titam legalem detractionem, quæ cum fiat ex diſpoſitione legis, dicitur neceſſaria, ut reſpondit *Rot. dec. 142. nu 9. p.16.*, *dec. 547. n.16. p.19. rec. to.2.*, *& in Albanen. immiſſionis 4. Maii 1714. §. Nec juvat cor. Me.* Con-
12 trariis procedentibus, quando facultas alienandi data à Teſtatore eſſet reſtrictivè, & cum expreſſa limitatione ad certam quotam, ut benè diſtinxit *Rot. in Peruſina fideicommiſſi de Floribus cor. bo. me. Urſin. impreſſ. dec. 83. n.5. & 6. poſt Card de Luc. lib.10. tom.2.*

Minuſque ad effectum, ut illa connumeranda ſit in hæreditate Alexandri, erat ne-
13 ceſſaria illius agnitio. Jus enim illam deducendi, quamvis à Gravato in vita non agnita ad

ad quoſcumque ejus hæredes etiam extraneos tranſmittitur, *Altog. conſ.31. num.34. lib.1., Grat. diſcept.723. nu.2., Cancer. var. reſol. p.3. cap.2. nu.204., Vrceol. conſult.38. n.4., Maſin. de confiſcat. p.30. n.1. & 2., Fontanell. de Pact. Clauſ. 4. gloſſ.9. p.5. n.116.*, quod ſufficit Monaſterio, quia eo ipſo, quod erat tranſmiſſibile judicatur uti fraternum,
14 nec fuit comprehenſum in renunciatione emiſſa à Moniali de bonis paternis, & maternis *tantum*, ut in puncto probat *Salgad. in Laber. Credit. p.2. cap.25. num.94. 113. & 115., & Rot. dec.166. ſub n.1.2. & 6. poſt Torr. de pact. futur. ſucceſſ.*

Remanet juxta ſecundam partem hodierno dubio ſuperadditam agendum de fructi-
15 bus, quos *deberi à die interpellationis*, reſ-
16 ponſum fuit, abſque eo quod neceſſaria foret formalis expeditio monitorii, & effectiva jurium productio, quia non agitur hìc de jure interpellantis incognito, de quo propterea neceſſe eſſet, ut per exhibitionem ſcripturarum, & jurium inſtrueretur, ſed de ſucceſſione ab inteſtato, quæ Sorori, de cujus exiſtentia nequidem poterat dubitari,
17 de jure debebatur, itaut dicta interpellatio ſufficeret ad malam fidem, etiam ſine ſcripturarum productione inducendam, ut etiam nuperrimè animadverſum fuit *in Fulginaten. quarti dotalis preteritę audientię §. Neque ad cor. Me*, & fuit firmatum *in Senogallien. immiſſionis* 11. *Decembris* 1713. *§. Et quidem cum ſeq. cor. R.P.D. meo Criſpo, &* 14. *Maii* 1714. *§. Ea convincente pariter coram Me.*

Et ita juxta hunc modum fuit reſolutum utraque &c.

CONSTANTIEN. CANONICATUS SUPER REMISSORIA.

Lunæ 1. *Julii* 1715.

ARGUMENTUM.

Relevantia novarum probationum operatur, ut remiſſoria concedi debeat, licèt de cauſis beneficialibus ageretur, quæ celeriter ſunt de jure terminandæ, qua de re tamen concedi ſolet cum clauſula -- *Non retardata proſequutione Cauſæ.*

Gratia Apoſtolica, ſi à Proviſo non publicetur (cum publicatio ſit pars illius) irritatur.

SUMMARIUM.

1 *Remiſſoria conceditur, ſi Cauſę articulus ſit relevans, & adſit fumus materiæ probandæ etiam in materia beneficiali.*
2 *Amplia, ſi iſte fumus eruatur ex depoſitionibus teſtium, quæ in hac materia ſufficiunt, etiam ſi eſſent ad perpetuam exaratæ.*
3 *Gratia Apoſtolica irritatur, ſi literæ à Proviſo reportatæ non publicantur juxta Gregorianam Conſtitutionem, & Beneficium redditur vacans.*
4 *Negativa etiam per teſtes probari poteſt.*
5 *Publicatio non requiritur, ſi Beneficium eſſet in manibus Papæ reſignatum, & non in manibus certæ perſonæ.*
6 *Papa de ſtylo Datariæ liberè ſemper confert, ſique ex libera reſignatione conferat, utitur termino* -- dimiſſionis -.
7 *Literę remanent ſubreptitiæ, ſi impetrator Beneficii narraſſet aliquibus gaudere qualitatibus, quas de cætero, ſe habere non probaret.*
8 *Remiſſoria conceditur, ſi adſit probabilis relevantia facti meliùs diſcutiendi in nova Cauſæ repropoſitione.*
9 *Examen teſtium de novo admittitur etiam poſt didicita teſtificata, ſi poſt remiſſionem Cauſa* -- ex integro -- *ad Rotam fuiſſet à Signatura circumſcriptum.*
10 *Remiſſoria ſolet concedi cum clauſula* -- Non retardato curſu cauſæ -- *in materia beneficiali celeriter expedienda.*
11 *Cauſę beneficiales ſunt ea majori, qua poteſt, celeritate terminandæ.*
12 *Cauſæ beneficiales, exequutivis, & ſummariis æquiparantur.*

DECISIO DCCCCXXI.

Canonicatum vavantem per reſignationem factam à Reverendiſſimo Epiſcopo Auguſtano, obtinuit à S. Sede uſque ab anno 1705. Marquardus, prætendens verò Jo. Albertus non fuiſſe ab illo factam publicationem dictę Gratiæ juxta formam præſcriptam in notoria Conſtitutione Gregor. XIII. *Bullar. nov. tom.2. la* 85., eumdem Canonicatum pariter à S. Sede impetravit anno 1713.

Diù ſuper exequutione harum literarum actum fuit coram Exequutoribus in iis delegatis, donec cauſa *ex integro* à Signatura Juſtitię remiſſa fuit ad Sac. Rotam, mihique commiſſa, coram quo ad parandas probationes ſibi neceſſarias, curavit Jo. Albertus obtinere remiſſoriam cum conſueta ſubdelegatione Judicis in partibus ad effectum examinandi Teſtes ſuper non facta ſupradicta publicatione, unde propoſui in hodierna Audientia congruum Dubium, cui reſponſum fuit -- *concedendam eſſe remiſſoriam, non retardato curſu Cauſæ.*

1 Motivum conceſſioni præbuit articulorum relevantia, & fumus materiæ probandæ, quibus concurrentibus etiam in Cauſis Beneficialibus remiſſoria denegari non ſolet, juxta ſtylum Sac. Tribunalis, de quo *Mandoſ. in prax. commiſſ. form.* 19. *verbo remiſſoriam verſ. non autem, Rot. cor. Merlin. dec.15. nu.1. dec.318. n.1., & dec.866 num. pariter 1. coram Card. Cerro, & dec.217. n.5. p.18. rec.*

2 Et quidem fumus ſufficienter reſultat ex Teſtium depoſitionibus exhibitis *in Summario Jo. Alberti num.3.*, quorum depoſitiones etiam ad perpetuam, pro effectu de quo agitur attenduntur, *Rot. cor. Greg. dec.562. ibique Adden. litt. B., & dicta dec.318. num.3.*
3 *cor. Cerro.* Relevantia verò oritur, ex quo Gratia Jo. Alberti fundatur in defectu publicationis literarum Apoſtolicarum reſigna-

 tionis,

tionis, quas obtinuit Marquardus, qui porrò defectus ex Conſtitutione Gregoriana irritat quaſcumque proviſiones, & vacationem inducit Beneficii, ut latè tradit *Pariſ. de reſign. tom 2. lib. 11. in præfat fol.* 194., *Rot. cor. Cerro dec.* 400. *n.* 3., *cor. Emerix dec.* 1031. *n.* 2., *& dec.* 606. *n*, 9. *p.* 19. *rec.*

Quin valeat impugnari relevantia ex eo, quod ad probandum defectum dictæ publicationis aliæ requirantur probationes, quam dicta Teſtium, confeſſio nempe Partis, vel non expeditio literarum in tempore faciendæ publicationis præfixo juxta Doctores ad id allegat. Contrarium namque tenuerunt *Pariſ. de reſignat. Benefic. lib.* 11. *tom.* 2. *q.* 14., ubi *in n.* 60 refert modos probandi talem negativam, *Kocbier. ad regul. Cancell. in Comment. regul.* 34. *de publican. reſignat. nu.* 34., *Roſ. de exequut. litt. Apoſtolic. p.* 1.
4 *cap.* 7 *n.* 16., eumdemque modum probandi negativam per Teſtes alias admiſit *Rot. dec.* 400. *n.* 7. *cor. Cerro.*
5 Minuſque refert, quod hic agatur de reſignatione liberè facta in manibus Papæ, non autem ad favorem certæ perſonę, in quibus terminis publicatio non requiratur, neque intret diſpoſitio Gregoriana juxta auctoritates ad id allatas; quia (quicquid ſit in jure) motivum removetur ex facto, dum ex mandato Procuræ Reſignantis, patet illam fuiſſe factam favore Marquardi, licèt in Bul-
6 la id expreſſum non fuerit, cum Papa ſemper ſoleat ex ſtylo Datariæ liberè conferre, & ſi contuliſſet per liberam reſignationem, diverſo termino *dimiſſionis* uſus fuiſſet.

Sicut ad rem præſentem non facit, quod
7 Joannes Albertus Impetrator, aliquas in ſe qualitates concurrere narraverit, quas non poteſt juſtificare, itaut ejus literæ remaneant ſubreptitiæ. Hoc enim non eſt præſentis inſpectionis, ſed videndum erit in diſputatione dubii ſuper exequutione ejus literarum, nec interim præcludi illi debet via faciendi pro-
8 bationes per remiſſoriam, ad quam concedendam ſufficit probabilis relevantia meliùs diſcutienda in propoſitione Cauſæ, *Rot. dec* 351. *n.* 1., *& dec.* 557 *n.* 3. *cor. Cerro.*

Poſtremum denique objectum, quod poſt
9 didicita teſtificata, & publicata in Partibus dicta teſtium non ſit admittendum novum examen, facilè removetur, quia examen factum in partibus coram Exequutoribus, fuit à Signatura remittente cauſam ad *Rotam ex integro* circumſcriptum, itaut pro nunquam facto habeatur ex vi dicti reſcripti, de quo *Rot. dec.* 41. *n.* 1., *& dec.* 392. *num.* 4. *cor. Benincaſ.*

Quamvis hæc Dominos retrahere non potuerint à conceſſione remiſſoriæ, valuerunt tamen operari, ut animadvertentes promptum eſſe Marquardum plura deducere in excluſionem Jo. Alberti, impugnando ejus litera-
10 rum juſtificationem, noluerint exindè impedimentum præſtare proſequutioni Cauſæ; ideoque ſuperaddiderunt reſolutioni Clauſulam -- *Non retardato curſu Cauſæ* -- atten-
11 to potiſſimum, quod agitur de Cauſa Beneficiali, cujus definitio diù protrahi non debet, ſed celeriter terminari, ut pluries ait *Rot.*, *& præſertim dec.* 1998. *n.* 31. *cor. Coccin.*, *dec.* 86. *n.* 4. *cor. Bich.*, *& dec.* 333. *n.* 4. *cor.*
12 *Benincaſ.*, & quæ propterea cauſis executivis, & Summariis æquiparatur, in quibus remiſſoria ſine retardatione conceditur, ut videre eſt *dec.* 664. *n.* 5. *&* 6., *& dec.* 1052. *n.* 3. *cor. Emerix jun.*, & paſſim alibi.

Et ita utraque &c.

ROMANA CAMBII.

Lunę prima Julii 1715.

ARGUMENTUM.

Creditum cambii adſcribendum eſt hęreditati veri illius creditoris, licet in faciem tertii fuiſſe contractum reperiretur, quando id fuiſſe ſimulatè factum ex urgentiſſimis conjecturis probaretur. Simulatio in his contractibus ex pluribus conjecturis deſumitur, & leviores ſufficiunt, quę vero ſint iſtæ declarat ſequens.

SUMMARIUM.

1 *Statutum de duabus intrat, quando concurrunt duo conformes, & agitur inter Cives, & Incolas.*
2 *Incolatus ex quibus, & quomodo contrahatur.*
3 *Incola ad inſtar Romani Civis ſubiacet Statuto de duabus.*
4 *Simulatio in contractibus operatur, ut actio veræ perſonę acquiratur, & non fictę*, & n. 20.
5 *Simulatio, cum à jure non ſit probibita, levioribus argumentis, & conjecturis probatur.*
6 *Simulatio de facili pręſumitur in cambio activo, quod in faciem tertii à vero Creditore ſit creatum, ſi ex altero paſſivo iſte à contra debitor eſſet illius met perſonæ, cum qua pecunias cambiaſſet ad evitandam compenſationem.*
7 *Compenſatio opponi nequit contra perſonam à creditore diſtinctam.*
8 *Creditor ante diem ſolutionis adverſus debitorem agere probibetur.*
9 *Creditor penes ſe debet retinere ſcripturam ſui crediti, ſique penes tertium reperiatur, oritur ſimulationis præſumptio.*
10 *Scriptura crediti, quod ad Miniſtrum pertineat inveriſimile eſt, ut penes iſtius dominium exiſtat.*
11 *Scriptura crediti, quod ad dominum ſpectat, veriſimile eſt, ut apud Miniſtrum illius exiſtat.*
12 *Actus ſecundus præſumitur ſimulatus, ſi ab infecta proveniat origine primi ſimulatè pariter facti.*
13 *Cambium, ut ſimulatè arguatur contractum in faciem Titii, quando pecuniæ ſpectaſſent ad Sejum, multum defertur ſolutioni proxenetæ, quod Sejus verus creditor feciſſet.*

14 *Am-*

14 *Amplia, ſi probaretur, quod Titius fructus illius, quos exegiſſet, brevi manu Sejo reſtituiſſet, ſeque de illo creditorem nunquam declaraſſet.*

15 *Subamplia, ſi minuta inſtrumenti contractus ſcripta fuiſſet de caractere Seij veri Creditoris, & vide rationem etiam ampliatam in* n. ſequenti.

16 *Creditum, ad quem pertineat, multum defertur hujus coniecturæ; nempè, quod appareat ſcriptum in domeſticis libris veri creditoris.*

17 *Cambium præſumitur ſpectare ad Dominum, licet cantet in faciem Præfecti Domus, maximè ſi iſte pauper eſſet.*

18 *Teſtes inter ſe contrarii reiiciuntur.*

19 *Declaratio mulieris, quod cambium activum in hæreditate viri repertum ad tertium, & non ad illam pertineat, non attenditur, ſi antea illud eſſe viri hæreditarium judicialiter declaraſſet.*

DECISIO DCCCCXXII.

POST geminas ſententias conformes, alteram in Tribunali A.C. à R.P.D. meo Cerro, & alteram in hoc noſtro à R.P.D. meo Anſaldo latas, in quibus pronunciatum fuit cambium nundinale ſc. 500. auri in auro ſub nomine Balthaſſaris Savorelli contractum cum omnibus acceſſionibus, & recambiis ad Hyacinthi hęreditatem pertinere, commiſſa Mihi ad inſtantiam ejuſdem Savorelli in ulteriori gradu appellationis cauſa, dedi dubium -- *An ſit locus Statuto de duabus, ſeù potius ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda, & cui pecuniæ ſint conſignandæ* -- Et quoad primam ejus partem DD. *Statuto eſſe locum*, quo vero ad ſecundã, *pecunias Creditoribus Hyacinthi conſignandas eſſe* reſponderunt.

Quod Statuto locus eſset, cum duæ con-
1 currant ſententiæ conformes, controverti non poterat, ut ſępe aliàs dixit *Rota*, & præſertim *dec.* 598. *n.* 1. *p.* 18., & *dec.* 494. *p.* 19. *to.* 2. *pariter n.* 1.. Non obſtante, quod Savorellus collitigans non ſit Civis, quia cum à longo tempore moram in Urbe trahat, negocia gerat, cambiumque ipſum nundinale, de quo agitur, pariter hic in Urbe ſub
2 ejus nomine celebratum fuerit, incolatum
3 contraxiſse dicitur, cujus virtute perindè, ac Civis Statutis Urbis ligatur, & pręſertim illo de duabus, quod nominatim complectitur tam Cives, quam Incolas, *Rota dec.* 137. *n.* 10. *p.* 15., & *poſt Conſtant. ad Stat. Urbis dec.* 181. *n.* 8., & *in Romana dotis de Salviatis* 26. *Novembris* 1708. §. *Neque ab hujuſmodi cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

Maximè quia præmemoratas ſententias ex revolutione actorum undique validas eſse
4 conſtat, & juſtitia earumdem plenè reſultat ex deductis in deciſione R.P.D. mei Anſaldi edita ſub die 7. Maii ſuperioris anni, quæ ſententiam Rotalem de more pręceſſit; ut enim in ea fusè probatum fuit, quamquam tenor Apocæ Cambii nundinalis, de quo res eſt expreſsè, & ad literam præſeferat illud à Savorellio cum propriis pecuniis, & ad ſui comodum ſtipulatum fuiſse; re tamen vera ejus perſona, atque nomen nonniſi fictè, & ſimulatè interpoſitum, cambiumque ipſum non ex pecuniis illius, ſed Hyacinthi creatum fuit, ut proindè ad Hyacinthi & non ad Savorelli favorem omne jus, & comodum à d. contractu proveniens cedere de-
5 buerit, juxta naturam ſimulationis de perſona ad perſonam, quæ operatur, ut actio quæratur illi, pro quo verè contrahitur, non etiam perſonæ, quæ ſimulatè interponitur, ut per *text. in l.* 3. *C. plus valere quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur* reſpondit *Rota dec.* 80. *nu.* 22. *cùm ſeq. p.* 10., & *in Romana cambii* 22. *Junii* 1708. §. *Cambium enim cor. R. P. D. meo Scotto Urbis Gubernatore.*

Contractum autem memorati cambii ita fictè, & ſimulatè conceptum fuiſſe plenè probari viſum fuit ex concurſu cauſæ, & quamplurium valdè urgentium coniecturarum, cum tamen in hoc genere ſimulationis, quod habet veritatem in actu, & à jure non impro-
6 batur, leviora quoque argumenta ſufficiant, *Rota cor. Merlin. dec.* 714. *n.* 5., & 6., & *dec.* 198. *n.* 3. *p.* 14., & *in Romana, ſeu Portugallien. Pecuniaria* 5. *Martii* 1706. §. *E converſo*, & *in Romana cambii* 22. *Junii* 1708. §. *Cumque agatur*, & *ſeq. cor. R.P.D. meo Scotto Urbis Gubernatore.*

Ac primum concurrit cauſa ſimulandi, quę magis veriſimilis eſſe nequit; Hyacintus enim de tempore, quo d. cambium activum ſcutorum 500. auri per nundinas contraxit cum Claudio Jaquet, ſeù verius cum Livia Moretta, ad cujus comodum, & utilitatem d. pecunia verſa fuit, ut ipſa poſtmodum recognoſcendo bonam fidem, medio juramento penes acta declaravit, debitor erat ejuſdem Liviæ ex cauſa alterius Cambii limitati in ſumma ſc. 3500. Cum autem exindè timeret,
7 ne ex parte Liviæ compenſatio unius cum altero cambio opponeretur, atque ità amitteret uberiores fructus, ſive uſuras, quas ex activo, tanquam nundinali, & minimè limitato percipiebat, ideò nomen Savorelli ejus Miniſtri, & familiaris ſimulatè ſuppoſuit, cui tamquam perſonæ diverſæ compenſatio ejuſmodi opponi nequibat, ut aliàs pro cauſa ſimulandi in ſimili caſu ponderavit *Rota in Romana Domus ad curſum* 23. *Februarii* 1711. §. *Quoad cambia cor. Rmo Kaunitz*, & aliis deductis bene advertit dicta deciſio R.P.D. mei Anſaldi §. *Primò enim.*

Minimè ſubſiſtente, quod quatenus Livia dictæ pecuniarum ſummę verè indiguiſſet, potuiſſet urgere Hyacinthum ad reſtitutionem Cambii ſc. 3500., abſque eo quod opus haberet aliud cambium paſſivum cum eius debitore, vel cum alio contrahere per nundinas ſub longè gravioribus uſuris; obiectum enim ceſſat ex facto, quia de tempore, quo
8 cambium nundinale creatum fuit, vix elapſi erant duo ex ſeptem annis, ad quos aliud

cam-

cambium limitatum ex lege conventionis durare debebat, unde ad illius reſtitutionem, cum præſtitutus dies adhuc non ceſſiſſet, Hyacinthus à Livia urgeri nequaquam poterat, *l. pecuniam*, *& ibi Jaſon. nu.* 10. *ff. ſi cert. petat.*, *Rota cor. Cavaler. dec.* 653. *n.* 5., *&* 6., *& cor. Bich. dec.* 942. *n.* 29

Ultra cauſam adeo veriſimilem, & Mercatoris ingenio valdè congruam, concur-
9 runt quoque plures magni ponderis conjecturæ, quarum prima ex eo elicitur, quod apoca originalis Cambii ſemper manſit penes Hyacinthum, interque ejus Sripturas poſt ejus obitum reperta fuit; inde enim bene argui poſſe videtur ad eum revera cambium ſpectaſse, penes quem fides, & documentum illius aſſervabatur; non verò ad Savorellum, quem veriſimile non eſt, dictæ apocæ recuperationem adeò oſcitanter neglexiſse, ſi verè ad ipſum jus, & commodum illius pertinuiſſet, *Rota cor. Royas dec.* 12. *nu.* 6., *& cor Bich. dec.* 49. *n.* 19., *& ſeqq.*, *& in d. Romana Domus ad curſum* 27. *Junii* 1710. §. *His autem cor Reverendiſſimo Kaunitz*, ubi concordantes.

Haud relevante, quod apocæ ſubſequentium renovationum ejuſdem cambii in manibus Savorelli remanſerint; tum quia ſubſtantia crediti in prima reſidebat, quæ penès Hyacinthum reperta eſt; tùm & certiùs quia,
10 tametſi inveriſimile ſit, quod apoca crediti ad Miniſtrum pertinentis penès Dominum
11 reperiatur; ex oppoſito tamen non eſt novum, quod penès Miniſtrum ſcripturæ Domini remaneant, & frequens docet experientia: Ultra quod tàm renovationes, quàm
12 avvallationes ſucceſſivè factæ, cum proveniant ab infecta origine, pari modo ſimulatæ dici poſſunt, ut magis pertinentia cambii occultaretur.

Præbet aliam valdè urgentem ſimulatio-
13 nis conjecturam ſolutio proxeneticorum facta pro hoc eodem cambio, ejuſque renovationibus Hieronymo Torretto mediatori ex pecuniis Hyacinthi, qui ſanè, ſicuti credi non poteſt, quod debitum ejus Miniſtri ſolvere voluerit, ejuſque negocium gerere, ita pro creditore d. cambii habendus eſt, dum tamquam talis pro eo proxenetica ſolvit, ut benè advertit deciſio præcedentis inſtantiæ cor. R. P. D. meo Anſaldo §. *Ulteriùs.*

His accedit, quod quouſque Hyacinthus
14 in humanis fuit, nunquam Savorellus pro Domino cambii ſe aſſeruit; quinimmo ex oppoſito quoties fructus ejuſdem, ſivè cambia à debitore exegit, ſtatim illa Hyacintho ejus Domino brevi manu reſtituit, ut probat deciſio R. P. D. Anſaldi §. *Superaccedebat*, *& ſeq.*, quamobrem vix in dubium revocari poſſe videtur, quod cambium prædictum vere ad Hyacinthum pertinuerit, poſtquam Savorellus fructus ejuſdem ad illum pertinere proprio facto declaravit, ut ultra auctoritates in d. deciſione laudatas, ponderat *Rota in Peruſina cenſus.* 26. *Junii* 1697. §. *Et eo certiùs cor. Emo Priolo*, *& in Romanā cambii* 22. *Junii* 1708. §. *Pro ſecunda cor. R. P. D. meo Scotto*.

Præterea, & illud quoque non levem fa-
15 cit ſimulationis conjecturam, quod Hyacinthus minutam extinctionis hujus cambii, quæ alteram ex renovationibus præceſſit, proprio caracthere confeciſſe reperitur, quam quidem curam in re aliena, immò in negocio ſui Miniſtri, & Præfecti Domus ſumere ſibi voluiſſe nimis à veroſimili alienum
16 eſt; prout etiam percipi vix poteſt, qua tandem ratione ſi cambium prædictum ad alium ſpectaſſet, voluerit idem Hyacinthus paulò ante ejus obitum in foliis continentibus ſtatum activum, & paſſivum Domus ſuæ, quæ ad propriam inſtructionem, & memoriæ gratia propria manu privatim exaravit, etiam hoc cambium cum aperto mendacio ad ſui creditum deſcribere, ut bene advertit deciſio præcedentis inſtantiæ §. *Eamdemque*.

Concurrentibus itaque una cum cauſa, adeò urgentibus ſimulationis argumentis, quæ
17 graviora etiam redduntur attenta conditione toties memorati Savorelli, qui erat Præfectus Domus, & Miniſter Hyacinthi, pecuniaſque, quas in cauſam d. cambii commodè erogare poſſet minime habebat, ut probat d. deciſio §. *finali.* Attendi nequaquam poſſe DD. cenſuerunt depoſitiones Torretti proxenetę, & Claudii Jacquet debitoris; tùm quia cum ſimulatio omnis in eum finem directa fuerit, ut eorum uterque ſimulato nomine Savorelli deciperetur, mirum non eſt, quod vere decepti fuerint, & cambium cum Savorellio contractum fuiſſe crediderint,
18 prout facies apocæ pręſeferebat; tum & fortiùs quia parum ſibi cohærent, dum Torrettus mediator proxenetica à Hyacintho recepit; Claudius verò prima vice depoſuit Cambium revera ad Hyacinthum pertinere, unde in hac facti, dictorumque contrarietate digni non videntur, quibus fides ulla adhibeatur, *Rota dec.* 89. *n.* 1. *p.* 7., *& dec* 53. *n.* 14. *p.* 18., *& in Romana fideicommiſſi* 20. *Junii* 1712. §. *Quod idcircò cor. R. P. D. meo Anſaldo*.

Quemadmodum nulla pariter fides adhi-
19 beri poteſt Mariæ Victoriæ, poſtquam enim ipſa cambium controverſum inter bona hęreditaria defuncti Viri deſcripſit, poſtquam illud tamquam hæreditarium Creditori ejuſdem Viri ceſſit, & aſſignavit, & denique poſtquam in Judicio diù ſtetit, illudque ad hæreditatem Viri pertinere ad ejus inſtantiam declaratum fuit, audiri amplius non meretur, dum per ultroneam depoſitionem ſibi contradicit, *l. nullus C. de teſtam.*, *Rot. dec.* 548. *nu.* 34. *p.* 1., *& in Beneventana nullitatis Teſtamenti* 11. *Decembris* 1702. §. *Nec attendi coram Reverendiſsimo Kaunitz.*

Neglectis itaque ejuſmodi emendicatis depoſitionibus, cum firmum maneat cambium, de quo agitur ad Hyacintum revera pertinuiſſe, plene conſequitur Creditoribus ejuſdem

dem pecunias per debitorem cambii depoſitas conſignandas eſſe in beneficium hæreditatis ipſius, iuxta alteram dubii partem.

Et ita utraque &c.

PERUSINA FIDEICOMMISSI, SEU SALVIANI SUPER EXPENSIS.

Luna 1. Julii 1715.

AGUMENTUM.

Hæc eſt alterius confirmatoria ſub die 31. Januarii 1707. emanatæ.

Expenſas in judicio Salviani factas ex ære proprio in Cauſa ſuccumbens reficere tenetur, & numquam ex fructibus illius met prædii, ad quod immiſſionem paſſus fuiſſet.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum abſque læſione non datur.*

2 *Sententia non poteſt dici laſiva, ex quo condemnaſſet ſuccumbentem ad refectionem expenſarum in pecunia, & non ex fructibus prædii, de quo fuiſſet expoliatus.*

3 *Sententia condemnatoria in expenſis, & in auctoritatem rei judicatæ tranſacta amplius refricari nequit.*

4 *Refectio expenſarum fieri debet favore victoris in emendationem damni, quod injuſte is paſſus eſt.*

5 *Subſtentatio injuſta litis operatur, ut damnum ex ea proveniens à ſuccumbente reficiatur ære proprio favore victoris, cum quo, mediante litis ſubſtentatione dicitur contraxiſſe.*

6 *Sententia declarans prædium ſpectare ad Titium, & non ad Seium operatur, ut fructus ab iſto percepti illo ſint reſtituendi, nec ex iſtis debet Titius pro expenſis litis ſe reintegrare, ſed ex ære Seii, qui temere litigavit.*

7 *Taxatio expenſarum fieri poteſt proportionabiliter ad illam partem Cauſæ jam terminatam, licet quoad alteram reſervata eſſet ulterior cognitio.*

DECISIO DCCCCXXIII.

Fuerat jamdiù reſolutum coram Me ſub die 31. Januarii 1707. conſtare de re judicata quoad taxationem expenſarum factam ab Emo D. Card. Priolo tum Sacri hujus Tribunalis meritiſſimo Auditore in ſcut. 194. adverſus Criſpoltos, qui in Judicio Salviani per fratres de Valentinis acto ad prædium nuncupatum *del Preſſo* in duplici inſtantia ſuccubuerant. Nec dubitarunt Domini ſuper viribus dictæ deciſionis hodie congruo dubio requiſiti *in deciſis* permanere.

1 Etenim ad ſubmovendam rem judicatam inductam ab omiſſa appellatione à d. Decreto taxationis expenſarum, nulla afferebatur læſio, undè petitæ in integrum reſtitutioni locus fieret, ut præter *allegat. in deciſ. quæ revidetur §. Clara*, *dictum fuit in Albanen. Immiſſionis* 14. *Maii* 1714. *§. Illa Siquidem, & in Romana Fideicommiſſi de Avila ſuper reſtitutione in integrum* 21. *Iunii currentis anni §. Nulla enim coram Me, & paſſim alibi.*

2 Nec ſanè ad læſionem comprobandam allegari merebatur exceſſus ejuſdem taxationis, eo quod cum ageretur de Judicio utilis Salviani pro ſatisfactione crediti, ex fructibus, deberent eos expreſſè conſequi ex fructibus non vero abſolutè pro iis relaxari poſſet mandatum contra Criſpoltos ſuccumbentes, præſertim pro prima inſtantia coram R. P. D. meo Scotto.

Pluribus enim æquè validis reſponſionibus tollebatur objectum, & primo quod 3 ipſa met Sententia ejuſdem R. P. D. Scotti ſuper Judicio Salviani lata litteraliter, & expreſsè Criſpoltos condemnat ad expenſarum refectionem, itaut, cum ſucceſſivè confirmata tranſitum fecerit in Judicatum, amplius refricari nequeat quæſtio expenſarum, quam etiam comprehændit res judicata ab illis approbata, & omnino ſupponenda, juxta deducta in *Reatina fideicommiſſi ſuper fructibus* 2. *Iulii* 1714. *§. quamobrem, & ſeq. coram R. P. D. meo Falconerio.*

Secundo, quod cum expenſę reficiantur Vi- 4 ctori, ad hoc, ut tali pacto damnum reficiat ei, qui illud injuſte paſſus eſt ex lite, ad *text. in l. qui ſolidum §. Etiam ff. de legat.* 2., utique dum Criſpolti noluerunt poſſeſſionem dimittere, & litem ſubſtinuerunt, dicuntur Cauſam ceſſiſſe damno paſſo per Valentinum auctorem, & tenentur de ſuo illud reficere, *per Text. in l. 1. ibique DD. ff. Si quoad paup. fec. &c. l. unic. §. Si Procurator. ff. ſi quis jur dicenti non obtemperaverit*, potiſſimum 5 attenta regula, quod in Judiciis quaſi contrahitur, unde ſubſtinendo litem, obligationem contraxerint Criſpolti in bonis propriis reficiendi victori litis expenſas, ut in puncto docuit *Bald. conſ.* 73. *nu.* 3 *dec. conſ.* 240. *n.* 3. *& Pacific. de Salvian. inſpect.* 4. *Cap.* 1. *nu.* 104., *& ſeq.*, & conſtituendo differentiam inter expenſas, & fructus, dictum fuit in deciſione, quæ confirmatur §. *Siquidem & ſeq.*

Tertio demum, quod poſt abſolutum judicium Salviani lata fuit ab eodem R. P. D. 6 Scotto alia ſententia declarans prædium *del Preſſo* eſſe fideicommiſſarium, & pertinere ad Valentinum ex remedio *l. fin.*, addito per caput ſeparatum, quod à die motæ litis fructus ad eundem Valentinum liberè ſpectarent, unde non debet iſte cum iiſdem fructibus, tanquam propriis, expenſas in lite factas ex computare, ſed ad eas tenentur rei conventi, ac ſi dicti fructus non in ſatisfactionem Crediti percepti fuiſſent, ſed tanquam in dominio fideicommiſſarii exiſtentes.

7 Minuſque relevat, quod expenſæ non potuerint taxari, dum tota cauſa non erat terminata ob relictam in ſuſpenſo deciſionem Immiſſionis ad Palatium, & Molendinum eodem tempore petitæ, lis namque reſpectu

prædii

predil *del Preſſo* etiam jam totaliter terminata per ſecundum Judicatum Emi Prioli, à quo Criſpolti non reclamarunt, nec Signatura cauſam ulterioris appellationis delegavit, dum commiſſio reſtricta fuerit ad exceſſivam ſolum taxationem expenſarum, undè potuit earundem expenſarum taxatio proportionabiliter fieri, non obſtante reſervatione cognitionis aliarum rerum in Judicium deductarum, cum incertum alterius litis ſuper his faciendæ in alio Judicio, illiuſque rem judicatam expectare non tenentur, ut latè firmavit *Rota in Romana Immiſſionis ſuper expenſis* 7. *Decembris* 1705. *per tot. cor. R.P.D meo Anſaldo cum cæteris adduct. in deciſ. quæ revidetur* §. *Abſque eo* quod, in qua his objectis plenius reſponſum fuit.

Et ita omnibus Dominis ſuffragium ferentibus, & Valentino tantum informante, Criſpoltis verò plurièS monitis &c.

ROMANA DOMUS AD CURSUM.

Lunę 25. *Novembris* 1715.

ARGUMENTUM.

Actionem executivam, & directam Creditor non amittit, ſi poſt introductam litem Debitor in fraudem illius res penes tertium diſtraxiſſet, idemque tertius poſſeſſor privilegio gaudere prohibetur ob tranſitum rei in ſui dominium cum vitio litigioſi.

SUMMARIUM.

1 *Dominium domus à re judicata canonizatum, domino tribuit actionem petendi recognitionem ab Inquilinis, & ſolutionem penſionum.*

2 *Contractus factus cum vitio litigioſi facit, ut acquirens illegitimus poſſeſſor evadat, nec uti tertius conſideretur, imo ſubjacet ipſimet mandato, quod contra diſtrahentem relaxatum fuiſſet.*

3 *Amplia, etiamſi diſtrahens favorabilem ſententiam in poſſeſſorio reportaſſet, quandò tamen petitorium fuiſſet introductum antè diſtractionem, ſemper cum vitio litigioſi res pertranſit.*

4 *Subamplia, ſi dicta ſententia in poſſeſſorio fuiſſet appellatum.*

5 *Jus acceptoris, reſoluto jure datoris evaneſcit.*

6 *Inquilinus ſi per concordiam approbaſſet dominium de novo adeptum à tertio ſuper domo inhabitata, non poteſt excipere de aliquo primævo jure ſibi competenti ad effectum non ſolvendi penſiones.*

7 *Contrà propriam confeſſionem nemini venire licet.*

DECISIO DCCCCXXIV.

Diuturna lis agitata ſuper pertinentia controverſæ Domus cum Agnete Stanghellina, & in qua plures prodierunt hujus Sacri Auditorii Deciſiones coram Reverendiſſimo Kaunitz Epiſcopo Labacen., & R.P.D. meo Scotto Almæ Urbis Gubernatore favore illorum de Griffonibus, extincta tandem fuit mediante renunciatione dictæ Agnetis, & ſubſequta concordia; verùm quià medio tempore, & uſque de anno 1704. Domitilla ejus Soror reportaverat ab iſta locationem duraturam ad ſui vitam cum penſionum condonatione, quatenus omnes lites, tàm motas, quam movendas ſuper eadem domo propriis ſumptibus ſuſtineret, curavit ſe in eadem poſſeſſione confovere, recuſavitque penſiones perſolvere. Opus propterea fuit, ut eam vocarent in Judicium coram A. C. Anſideo, à quo mandatum de evacuando, & executivum pro penſionibus decurſis poſt factam intimationem ſupradictæ concordiæ reportarunt, confirmatum à R.P.D. Tanara, cui in ſecunda Inſtantia cauſa commiſſa fuit cum clauſula -- *ſi quid exequendum*.

Sed quia adhuc cum Domitilla non acquieſcente, fuit ulterior appellatio mihi delegata cum reſcripto Signaturæ Juſtitiæ -- *Alteri, qui ad legitimam*, propoſui hodiè congruum dubium, & illa fruſtrà dilationem petente *eſſe procedendum ad legitimam*, Domini reſponderunt.

1 Poſita ſiquidem pertinentia Domus ad illos de Griſonibus inconcuſsè reſultante à re judicata hujus Sacri Tribunalis, & concordia ſubſequenter inita cum Agnete, clara eſt eorum actio, tam pro evacuatione Domus, quam pro ſolutione penſionum obtinenda.

Abſque eo quod poſſit Domitilla ad continuandam poſſeſſionem allegare aſſertam locationem vitalitiam ſibi ab Agnete Sorore factam cum remiſſione penſionum, ut ſupra dictum eſt; quoniam iſte contractus ad effe-

2 ctum de quo agitur, nullius eſſe roboris ex pluribus convincitur, & ſignanter ex quo initus fuit pendète cum Griſonibus lite circa dominium Domus, & ſic cum vitio litigioſi, quo caſu acquirens non evadit tutus, ſed ſubjacet exequutioni ſententiæ in progreſſu litis contra diſtrahentem prolatæ, cum ad ſervandam indemnitatem actoris agentis ad recuperationem rei ſuæ, quæcumque interim alienatio ſit prohibita, juxtà diſpoſitionem *Text. in l. final. Cod. de litig.*, cum qua reſpondit *Rota coram Duran. dec.* 88. *nu*... & *per tot.*, *coram Bich. dec.* 304. *num* 4., & *in rec. deciſ.* 268. *num.*4., & 5. *par.*10., *dec.*296. *n.*9. & 10., & *dec.*229. *num.*8. *par.*9. *rec.*, ac pleniſſimè *in Ferrarien. Primogenituræ prima Julii* 1715. §. *Negocium coram R. P. D meo Anſaldo*.

3 Neque obſtare valet, quod Agnes ſententiam favorabilem reportaverit in poſſeſſorio, tum quia fuerat uſque ab initio introductum à Griſonibus Judicium in petitorio, quod ad inducendum litigioſi vitium ſufficit, etiamſi Reus in poſſeſſorio obtineat, ut nuper dictum fuit in *Bononien. Bonorum ſuper aſſociatione* 27. *Junii* 1715. §. *Parum relevante coram R. P. D. meo Criſpo*, tùm quià fuerat

4 à dicta ſententia appellatum, quod pariter ſatis

ſatis eſt ad d. effectum de quo agitur, ut dixit *Rota coram Carill. dec.268. nu.3. coram Celſ. dec.29. num.6., dec.440 nu.14., & ſeq. par.19. rec., & in citat. Bononien. Bonorum eodem §. Parum cor. R P.D. meo Criſpo*.

5 Non minus corruit aſſertum jus Domitillæ, ſi reſpiciatur, quod locatio illi facta fuit ab Agnete, quæ Jus omne, quod habebat in domo locata per rem judicatam, ac ſubſequutam concordiam amiſit, itaut locum habet regula, quod reſoluto Jure datoris, reſolvitur Jus acceptoris, juxta *Text. in leg. Vectigal. 171. ff. de pignor.*, quem in propoſito ſequuntur *Carocc. de locat., & conduct. par.2. in repetit. l. ſi quis domum quæſt 4. à nu.2. ad 5. Pacion. eodem tractat cap.61. nu. 62., Fontanell. dec.474. nu.10., & ſeqq., Surd dec 102. num.12., Rot. poſt Cenc.de Cenſ. dec 15. num.10., & dec.6. num.1., & ſeq par.14 rec*

Fortius verò, quia ipſamet Domitilla cer-
6 tior facta, quod Agnes ejus Soror Jus ſuum amiſerat, & devenerat ad concordiam cum Griſonibus, eos in dominos recognovit, & ſucceſſivè per diſtinctum actum paratam quoque ſe exhibuit ad conficiendum eorum favore locationis inſtrumentum; quod ſi itaque agnovit vigore locationis ſibi ab Agnete factæ in habitatione controverſæ Domus non poſſe ampliùs permanere, nullo ſanè Jure poteſt deindè allegare primævam illam conceſſionem ad ſe excuſandum à ſolutione penſionum ex poſt decurſarum, & imiſſione Domus
7 à Dominis petita, nè videatur, quod aliàs approbavit, impugnare, & adverſus propriam confeſſionem inſurgere, contra regulas *Text. in cap.1., & 2. de confeſſ., & l. cum precum C. de libert. Cauſ., l. quod ſemel ff. de regul. Jur.*, & *l. cum fidem C. de non numer. pecun.*

Et ita altera tantum &c.

FERRARIEN. SUCCESSIONIS SUPER IMMISSIONE.

Veneris 29. Novembris 1715.

ARGUMENTUM.

Judex pronuncians adverſus exceptionem à Reo oppoſitam, licet non exprimat in cedula quid Actor petierit, attamen tacitè intelligitur petitionem illius admiſiſſe per virtualem ſubintelligentiam, maximè ſi idem Actor ſuæ intentionis fundamentum deduxiſſet.

Subſtitutio ſub conditione ordinata de uno ad alium, & ad tempus mortis ſine filiis eorumdem Subſtitutorum, abſque ulla connotatione fideicommiſſi, compendioſa dicitur, quæ vulgarem, & fideicommiſſariam continet, juxta varias caſuum contingentias, neque ordo à Teſtatore deſignatus, eſt de neceſſitate ſervandus, quando ordinaſſet vulgarem anomalam, quæ eveniente interverſione graduum operatur, ut unus Subſtitutus ſubingrediatur in locum gradus caducati; deficiente ſecundo ſubſtitutionis gradu, quando ſuccedant ſubſtituti in Tertio, & quando etiam fideicommiſſum dicatur alicui nominatim relictum, diſtinctè explicat ſequens.

SUMMARIUM.

1 *Sententia, ut intelligatur quid definierit, non ſunt neceſſaria verba Judicis expreſſa, ſed ſufficiunt tacita, quando ab illa definitum in neceſſariam conſequentiam veniat.*
2 *Judex, ſi pronunciet adverſùs exceptiones in judicio detractionum faciendarum, ſupponere facit, quod Actor eas petierit.*
3 *Quæ ſint extremà probanda in judicio immiſſionis.*
4 *Sententia Judicis ab actis, & petitione Actoris declaratur.*
5 *Vocatus ſub conditione admittitur illa purificata.*
6 *Subſtitutio vulgaris ex quibus verbis exprimatur.*
7 *Vulgaris favore Tertii hæredis evaneſcit, ſi poſt obitum primi Inſtituti Subſtitutus reperiatur vivens.*
8 *Teſtator dicitur non loquutus ſola vulgari ſubſtitutione, ſed fideicommiſſariam adjeciſſe, ſi vocaſſet Tertium Inſtitutum etiam in caſu, quo Subſtitutus poſt aditam hæreditatem ſinè filiis objiſſet.*
9 *Conditio*, Si ſine filiis, *habet locum decedente Inſtituto ſine illis.*
10 *Subſtitutio non cenſetur caduca ad excluſionem Tertii Subſtituti per prædeceſſum ſecundi primo Subſtituto, quando ordinata eſt ſub conditione, & ad tempus mortis ſine filiis, abſque connotatitione fideicommiſſi, & quando ſecus.*
11 *Talis ſubſtitutio ob mentionem mortis indefinitè, eſt compendioſa.*
12 *Compendioſa nedum continet fideicommiſſariam, ſed etiam vulgarem.*
13 *Subſtitutus per vulgarem, caducato primo gradu ſubſtitutionis, ſubintrat in illius locum, ac ſi immediatè eſſet ſubſtitutus hæredi gravato.*
14 *Vulgaris anomala quando locum non habeat.*
15 *Hæc habet locum, quando ſecundus fuit ſubſtitutus primo per fideicommiſſariam dumtaxat, ſecus ſi per vulgarem.*
16 *Vulgaris continetur in compendioſa.*
17 *Hereditas, ut deferatur ad ſecundum Subſtitutum, quando medium primi ſubſtituti requiratur.*
18 *Fideicommiſſum nominatim relictum dicitur, & illud medium non eſt neceſſarium, ſi ultimus Subſtitutus ſit expreſſè vocatus per reaſſumptionem diſpoſitionis ex integro à Teſtatore factam, loquendo de eo.*
19 *Subſtitutionis importantia eſt denotare, quod Teſtator tàm dilexerit primum Subſtitutum, quàm Secundum, & Tertium.*
20 *Ordo à Teſtatore deſignatus non eſt ne-*

ne-

neceſſitate ſervandus, quando ordinaſſet ſubſtitutionem vulgarem anomalam, & n.22.

21 *Vulgaris anomalæ effectus eſt, quod caducato uno gradu ſubſtitutionis, ulteriores ſubintrent.*

23 *Ordo à Teſtatore deſignatus in ſubſtitutionibus non impedit illarum effectus, ſed demonſtrativè ſtare intelligitur ad modum ſuccedendi, nè unus antè alium prius vocatum ſuccedat:*

24 *Conditiones non copulativè appoſitæ, ſed alternativè, & diſjunctim una ab altera, neceſſe non eſt, ut ambo verificentur, ſed ſat eſt, quod vel una, vel altera tantum de illis verificetur.*

25 *Fideicommiſſum, ut interpetretur, multum defertur declarationibus hæredum, maximè ſi in eorum præjudicium factæ eſſent.*

26 *Fideicommiſſi purificatio ab Hærede ſubſtituto ex quibus verbis admiſſa dicatur.*

27 *Reus dicitur admittere petitionem Actoris ſuper immiſſione virtute fideicommiſſi petita, ſi opponat retentionem pro legitima ſibi debita.*

28 *Titulus ab hærede Subſtituto ex inſtrumentis deſumptus, quodlibet probationum genus ſuperat.*

29 *Nemo venire poteſt contra factum proprium.*

DECISIO DCCCCXXV.

Poſtquam in ultimo, cum quo deceſſit, Elogio Laurentius Dondinus, Joannem Baptiſtam filium infantem hæredem inſtituerat, ſuæque ſucceſſioni cum ſubſtitutionibus favore Caroli Aurelii fratris germani, & Livii fratris patruelis, eorumque filiorum præcavere curaverat, converſus ad publicam Patriæ utilitatem ſubſtituit etiam Patres Societatis Jeſu cum onere fundationis Collegii, ad hoc, ut religione, & bonis artibus (ut eorum eſt nunquam ſatis laudabilis Inſtituti) illic Adoleſcentes inſtruerent, ibi -- *Nelli beni della ſua eredità commanda &c. che ſuccedino i RR. PP. Gieſuiti col' obligazione &c. di fondare, ed erigere un Collegio in Cento, coll'inſegnare alla Gioventù &c.*

Deceſſit ex his Jo. Baptiſta, primus hæres inſtitutus, in ætate pupillari, & deinde Livius tertio loco vacatus, ſuperſtite Carolo Aurelio, qui prænoſcens per ſui obitum ſine filiis fieri locum ſucceſſioni in bonis Laurentii fratris favore Patrum Societatis Jeſu, & Collegii erigendi, in teſtamento, cum quo hæredem ſibi ſcripſit Confraternitatem nuncupatam à Sacco, duo prædia legavit pro ejuſdem Operis augumento.

Quia tamen præfata Confraternitas, quamvis propriam obligationem publico Inſtrumento faſſa fuiſſet, in Laurentii hæreditate adhuc ſe confovebat, promotum fuit in partibus coram Eminentiſſimo Ferrariæ Legato Judicium ex parte Adminiſtratorum Collegii erigendi ſuper Immiſſione, ſed Confraternitate opponente, quod competeret Carolo Aurelio ſuo Auctori ex perſona Joannis Baptiſtæ Legitima, hanc detractionem eidem deberi declaratum extitit. Contrarium tamen cenſuit R. P. D. Vice Legatus Judex appellationis per Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri deputatus. Devoluta hinc Cauſa ad R.P.D. Anſideum, pronunciavit iſte, nullam actionem habere prædictam Confraternitatem pro detractione Legitimæ, proptereàque, in confirmationem ſententiæ R. P. D. Vice-Legati, Patres Societatis Jeſu in poſſeſſionem omnium, & ſingulorum bonorum Laurentii immittendos eſſe: Cumque ab his Judicatis ulterior appellatio Mihi fuerit delegata, non diſſimile prodiit Judicium. Nam propoſitis duobus Dubiis, altero ſuper Legitima, de quo in contemporanea Deciſione favore Collegii pariter reſoluto, & altero ſuper Immiſſione ad formam Reſcripti -- *Conſtito de tribus* (de quo hic) *Conſtare de illis*, Domini reſponderunt.

Siquidem validæ, conformes, ac juſtę viſæ ſunt. Et ſanè, validitate non controverſa, fruſtra conformitas impugnabatur ex eo, quod ſententiæ in partibus latæ, immiſſionem Collegio debitam eſſe non ex-
1 primerent. Ut enim in ſententia aliquid definitum intelligatur, neceſſaria non ſunt expreſſa Judicantis verba, ſed tacita ſufficiunt & ſubintellecta, quando id ſuccedit in neceſſariam conſequentiam expreſſi, *Carlenal. de Judic. lib.1. tit.2. diſput.5. num.30.*, *Rota coram Cerro dec.566. num.6.*, *& deciſ. 469. num.47. par.19. rec.* Hic autem habemus in facto, quod, comparentibus Collegii Adminiſtratoribus ad petitionem hæ-
2 reditatis, fuit ex parte Confraternitatis promota exceptio detractionis Legitimæ, & ſuper competentia hujus detractionis pronunciatum extitit. Si itaque Judices interloquuti ſunt ſuper exceptione Rei, neceſſario dicendum eſt, ſuppoſuiſſe pertinentiam immiſſionis pro Actore, maximè quia id primario continebatur in inſtantia, cum qua lis fuit introducta, itaut doctum fuerit in actis de extremis pro conſequenda Immiſ-
3 ſione requiſitis, mediante productione Teſtamentorum Laurentii, & Caroli Aurelii, ac Peritorum Relatione ſuper ſtatu hæreditario Fideicommittentis. Regulare autem
4 eſt, quod ſententiæ Judicum ab actis, & petitione declarantur, *l. ſi ex teſtamento 20. ff. de rei judic.*, *Rota deciſ.349. nu.10. par.12.*, *dec.469. num.6.*, *& dec.34. par.19. rec.*

Juſtitia vero plenè reſultabat ex teſtamento Laurentii Dondini, in quo Joanni Baptiſtæ filio, decedenti ſine filiis, ſubſtituitur Carolus Aurelius, & in defectum Caroli Aurelii ſine filiis ſubſtituitur Livius, & Livio, vel minus honeſte viventi, vel ſine filiis obeunti ſubſtituitur Collegium erigen-
5 dum. Unde, cum omnes prædicti ſine filiis deceſſerint, purificata eſt favore ejuſdem Colle-

Collegii ſubſtitutio, *l. penult. ff. de Impuber.*, *& aliis ſubſtitut.*, *Rota coram Priol. deciſ.* 253. *num.* 1., *& ſeq.*, *dec.* 12. *nu.* 2. *par.* 10. *recent.*, *cum relatis in Reatina fideicommiſſi* 24. *Novembris* 1694. §. *Exiſtentia coram cl. me. Card. Caprara*. Et quamvis hæc ſubſtitutionis purificatio validè impugnaretur, ſingulas teſtamenti partes examinando, nihilominus tamen in ſuo robore illam permanere Domini cenſuerunt favore Collegii.

Quatenus namque opponebatur, Livium
6 non fuiſſe vocatum per fideicommiſſariam, ſed per vulgarem, caſu quo de tempore obitus Jo. Baptiſtæ primi hæredis Carolus Aurelius non exiſteret, juxta ea verba -- *E caſo che al tempo della morte di detto Signor Gio. Battiſta &c. mancando ſenza figli, non foſſe vivo il detto Signor Carlo Aurelio &c. gli ſoſtituiſce il Signor Capitano Livio &c.* --
7 itaut cum vixerit de tempore obitus Jo. Baptiſtæ Carolus Aurelius, immò & controverſam agnoverit hæreditatem, tàm Livii, quàm Collegii ſubſtitutiones evanuerint. Obiec-
8 tum tollebatur ex facto; non enim cum dicta ſola ſubſtitutione Teſtator loquutus eſt, ſed aliam adiecit fideicommiſſariam, in qua vocavit eumdem Livium etiam in caſu, quo Carolus Aurelius poſt aditam hæreditatem defeciſſet ſine filiis, ibi -- *ſiccome anco in caſo, che detto Signor Carlo Aurelio mancaſſe di queſto Mondo, & aveſſe già conſeguita l'eredità &c., vuole, che ſucceda nella ſua eredità il d. Signor Livio &c.* -- De hac autem ſubſtitutione in preſenti habenda eſt ratio,
9 quia prima illa vulgaris non contigit, contigit è converſo ſecunda, quæ dependebat à conditione obitus Caroli Aurelii *ſine filiis*, & verificata fuit, dum ſine illis deceſſit, *Rota dec.* 602. *n.* 5. *cor. Dunozett. jun.*, *dec.* 636. *n.* 2. *verſ. Et cum hic caſus p.* 4., *et dec.* 359. *n.* 1. *p.* 17. *rec.*

Sicut etiam tranſeundo ad ipſam Collegii ſubſtitutionem, fruſtra inculcabatur, quod
10 Livius ſecundus ſubſtitutus, prædeceſſerit Aurelio, ideoque quemadmodum caduca effecta fuit ejuſdem Livii ſubſtitutio, ita etiam caduca cenſenda ſit ſubſtitutio Collegii, conſequutiva, & dependens ab illa Livii. Argumentum namque eo forte caſu procederet, quo poſtrema Collegii ſubſtitutio ad caſum tantum fideicommiſſi eſſet reſtricta, quia tunc corrupto eo ſubſtitutionis gradu, per quem ſucceſſio erat ad Collegium tranſitura, & ſic deficiente medio per Teſtatorem deſignato, hujuſmodi tranſitus ſequi non valuiſset; ſecùs vero eſt, quando ſubſtitutio ordinata legitur ſub conditione, & ad tempus mortis ſine filiis abſque ulla connotatione fideicommiſſi, ut in præſenti ibi -- *E caſo d. Signor Livio mancaſſe ſenza figli maſchi &c. o vero che non viveſſe lontano da que' vizj &c. vuole, che ſuccedino i RR. Padri del Gesù &c.* -- Tunc enim ordinata
11 cenſetur ſubſtitutio compendioſa, *Bart. in l. Centurio n.* 9. *ff. de vulgar.*, *Fuſar. de ſubſtit. qu.* 223. *n.* 7., *& ſeq.*, *Rot. dec.* 17. *n.* 6., *& ſeq.*, *& dec.* 548. *nu.* 6. *cor. Bich.* de cujus natura eſt, ut juxta varias caſuum contingentias, nedum fideicommiſſariam
12 contineat, ſed etiam vulgarem, per quam
13 ſubſtitutio Collegii transfertur ad gradum ſubſtitutionis præcedentis, ſcilicet Livii, iſtiuſque locum ſubingreditur, itaut non attenta hujus caducatione, immediatè adiecta, cenſeatur ad gradum, & caſum primæ ſubſtitutionis Caroli Aurelii, *idem Bart. in lege quamdiù* 68. *n.* 10. *ff. de acquir. hæredit.*, *Fuſar. de ſubſtit. q.* 469. *n.* 78., *Rota d. dec.* 17. *n.* 12. *cor. Bich.*, *dec.* 34. *n.* 11., *& ſeqq. p.* 17. *rec.*, & egregiè *dec.* 255. *n.* 2. *coram Benincaſa*, *& in Bonon. fideicommiſſi* 27. *Junii* 1708. §. *Siquidem*, *& ferè per tot. coram R. P. D. meo Falconerio*.

Et poſita hujuſmodi intelligentia, ceſſat
14 conſecutivè aliud Confraternitatis aſſumptum, quod Teſtator præambulam Livii acquiſitionem cogitaverit, & fideicommiſſum fuerit nominatim relictum ab eo, in cujus perſona ſubſtitutio facta eſt caduca, ideoque vulgaris anomala locum non obtineat, *ad text. in l. Celſus* §. *Quod Alcius ff. de legat.* 2.

Quoniam preterquamquod id procedit,
15 quando ſecundus fuit ſubſtitutus primo nominatim per fideicommiſſariam dumtaxat, at ſecus eſt, ſi per vulgarem quoque promiſ-
16 cuè contentam in compendioſa, egregiè *Paulus de Caſtro in l. ſi Titius n.* 2. *ff. de vulgari, & pupillari*, ubi quod hoc eſt perpetuò menti tenendum, *Amat. reſol.* 40. *nu.* 12., *Fuſar. de ſubſtitut. q.* 469. *ſub n.* 7., *Rota d. dec.* 17. *n.* 15. *cor. Bich.*, *& cum aliis in individuo d. dec.* 255. *num.* 4. *cor. Benincaſa*.

Difficultas ulterius removetur ex facto;
17 animadvertendo, quod tunc poſſet dici in hoc caſu volitum medium ſubſtituti cum prævia acquiſitione hæredi[a]tatis reſtituenda, ac nominatim iniunctum fideicommiſſum, quoties Teſtator ſubſtituto Livio, eum proprio nomine deſignando rogaſſet expreſsè hæreditatem ſuam reſtituere Patribus Societatis Jeſu ſubſequenter vocatis, quod ſanè non conſtat fuiſſe volitum à Laurentio in ſubſtitutione, de qua hìc agitur favore Collegii, dum ibi reaſſumpta ex integro ſerie diſpoſi-
18 tionis, ſine alicujus miniſterio ipſemet decrevit ſucceſſionis tranſitum in eoſdem Patres Societatis Jeſu per ea verba -- *vuole, che ſuccedino li RR. Padri del Giesù* -- quorum vigore illi dicuntur directè vocati à Teſtatore, ut explicando d. *text. in l. Celſus, proſequitur Amat. d. reſol.* 40. *n.* 13., *Rota. dec.* 493. *n.* 7., *& ſeq. p.* 2. *rec.*, & cum aliis in puncto ſimilium verborum allegata *dec.* 255. *n.* 5. *cor. Benincaſa*.

Neque hujuſmodi Teſtatoris voluntas ex eo poteſt deduci, quod Collegium Livio ſubſtituerit, & Livium Carolo Aurelio, &
19 ordinem in ſua ſucceſſione ſervandum deſignaverit. Quo enim attinet ad importantiam ſubſtitutionis, poſtrema Collegii vocatio nihil aliud in propoſito poteſt connotare, quam-

quamquod TeſtatorCarolum Aurelium comparativè ad Livium, & Livium comparativè ad Collegium prædilexerit, nec valet propterea concludere, quod omnino cenſuerit, Livium capere debuiſſe hereditatem, &
20 illam Patribus reſtituere. Ordo verò à Teſtatore deſignatus non debet neceſſario ſervari, quando ipſe in ſuo Teſtamento ordinavit ſubſtitutionem vulgarem anomolam,
21 cujus effectus præcipuus eſt iſta graduum interverſio cum ſubingreſſu taliter ſubſtituti in locum gradus caducati, juxtà Doctores ſuperius adductos, cum quibus concordat *Rota dec.* 472. *n.* 3. *p.* 4., *dec.* 322. *n.*22. *p.* 15., *& dec.* 437. *num.* 5. *p.* 19. *rec. to.* 2. Adeoùt
22 quatenus in interpretandis defunctorum elogiis cum ordine ab ipſis ſcripto procedendum eſſet, nunquam dari poſſet caſus
23 memoratæ ſubſtitutionis, & ideo ordinis ſpecificatio demonſtrativè ſe habet ad modum ſuccedendi, ne unus ante alium prius vocatum ſuccedat, ſed non impedit effectum d. ſubſtitutionis, ut pleniſſimè cum aliis dictum fuit in *Bononien. fideicommiſſi* 27. *Junii* 1708. §. *Pro reſponſione coram R. P. D. meo Falconerio.*

Minuſque apud Dominos promeruit attendi poſtrema Confraternitatis replicatio, quod ſubſtitutio Collegii à duplici penderet conditione, inhoneſtæ ſcilicet vitæ Livii, & eius mortis ſine filiis, itàut unica tantum parte verificata, adhuc deficiat altera, & purificata ideo non ſit eius vocatio. Porro hoc quoque ceſſabat ex litera teſtamenti ſupra
24 tranſcripta in §. *Sicut etiam*, ſecundum quam conditiones iſtæ non unitim, & copulativè volitæ videntur à Teſtatore, ſed disjunctim conceptæ ſunt per clauſulam alternativam, *o vero*; undè ſatis eſt, quod una pars ex alternatis per obitum Livii iam ſit adimpleta, iuxtà notam regulam *text. in cap. in alternativis de regul. jur. in* 6., & in propoſito notata per *Rot. dec.* 562. *n.* 2. *cor. Dunoz. jun.*, *dec.* 49. *n.* 4., *& ſeq. p.* 9. *rec.*, *& in Romana donationum* 4. *Junii* 1700. §. *Nec relevat cor. Reverendiſs. dell'Olmo.*

In confirmationem horum omnium ſucce-
25 dunt declarationes tam Caroli Aurelii, ut ſæpedictum eſt, ſubſtituti, quam ipſius Confraternitatis à Sacco ejus hæredis, quæ ſanè declarationes quantum pro interpretandis fideicommiſſis attendi debeant, quando præſertim, ut hic, in declarantium præjudicium emanarunt, plenè docet *Rota dec.* 120. *n.* 2. *cor. Coccin.*, *deciſ.* 182. *nu.* 6., *et* 18. *coram Priolo*, *dec.* 794. *n.* 5., *et dec* 1265. *no.* 4. *cor. Emerix jun.* Siquidem Carolus Aurelius in
26 ſuo ultimo elogio certò præſuppoſuit fideicommiſſi purificationem per ſui obitū eventuram favore Collegii, immò litteraliter id expreſſit, dum inquit -- *ogni volta, che i PP. Gieſuiti accettaſſero dopo la morte di eſſo Signor Teſtatore l'eredità del già Signor Lorenzo Dondini ſuo fratello, nella quale ſono ſoſtituiti* -- Et hoc caſu pingue pro illius faciliori fundatione legatum fecit. Confraternitas verò, quæ præmiſſa ejus Auctoris declaratione cæteroquin obſtringi poſſet, id propria ulterius confeſſione pluriès comprobavit; prætermiſſo enim, quod in inſtan-
27 tiis factis in partibus tacitè Jus Collegii viſa eſt admittere; ſe reſtringendo ad petitionem legitimę, notabilis eſt tenor duplicis inſtrumenti, quorum primum initum fuit occaſione conſignationis domus fideicommiſſarię à Teſtatore relictæ pro Patrum habitatione, &
28 ſecundū exaratum extitit ſuper conſignatione Prædiorum à Carolo Aurelio legatorum, quia in utroque eadem purificatio ſubſtitutionis favore Collegii admittitur, & approbatur, atque in ſecundo promittitur quoque in ejus executionem reliquorum bonorum traditio, proptereaque contrarium ſubſtinendo, videtur contra propriam confeſſionem venire, quod nemini licitum eſt, juxtà
29 regulas deductas, *dec.* 73. *n.* 21., *et ſeq. p.* 15., *deciſ.* 441. *nu.* 11., *et ſeq. p.* 19. *rec.*, *et cum aliis in Romana Domus ad curſum pro ximæ præcedentis audientię* §. *finali cor am Me.*

Et ita utraque parte &c.

FERRARIEN. SUCCESSIONIS SUPER LEGITIMA.

Veneris 29. *Novembris* 1715.

ARGUMENTUM.

Pater ſi filio in pupillari ætate decedenti ſubſtituiſſet ſuum fratrem, & ille in pupillari ætate deceſſiſſet, à tali ſubſtituto legitima illius non detrahitur. Eadem ſubſtitutio etiam jus legitimæ comprahendit, præſertim ſi eſſet ſubſtituta cauſa pia, cujus favore major militat ratio, ut pinguior evadat, & faciliùs impleatur.

SUMMARIUM

1 *Legitima non poteſt detrahi à primo ſubſtituto ex juribus inſtituti, qui in pupillari ætate deceſſiſſet*, & vide rationem.
2 *Filius in parte teſtatus, & in parte inteſtatus decedere nequit.*
3 *Subſtitutio pupillaris facta à Patre in perſona filii, ex quibus verbis dignoſcatur, & ex quibus compendioſa.*
4 *Dictio* -- Quandocumque -- *ad plures caſus eſt referibilis.*
5 *Subſtitutio facta per verbum directum* -- Subſtituo -- *continet, nedum fideicommiſſariam ſubſtitutionem extra tempus pupillaris ætatis, ſed etiam pupillarem directè.*
6 *Amplia, ſi verbum* -- Inſtituo -- *ſit directum ad perſonam filii infantis, undè ſubſtitutio compendioſa intelligitur pupillaris.*
7 *Subamplia, ſi à Teſtatore fuiſſet facta expreſſa mentio de pupillari ætate.*
8 *Dictio* -- detto -- *eſt repetitiva omnium præcedentium qualitatum*, & vide caſum.

9 *Subſti-*

Subſtitutio pupillaris continetur ſub verbis -- Si in pupillari ætate filius meus deceſſerit, ſubſtituo Titium. --

10 *Amplia, ſi immediatè poſt ſint adjecta verba cujuſcumque ætatis comprehenſiva.*

11 *Diſpoſitio de bonis ſuis expreſſa in teſtamenti prohæmio, ad ſtylum Notariorum referenda eſt.*

12 *Dictio* -- Tutti -- *nullam reſtrictionem admittit.*

13 *Verbum* -- Hæreditas -- *omne jus Teſtatoris, univerſamque ſucceſſionem comprahendit.*

14 *Subſtitutio fit pupillaris, ſi gravatus in tali ætate decedat.*

15 *Filius in ætate pupillari legitimam petere probibetur.*

16 *Inſtitutio, & ſubſtitutio, quando non ſunt factæ in certa re, ſed in univerſa hæreditate, faciunt, ut cum tali titulo jus legitimæ remaneat compenſatum.*

17 *Subſtitutio pupillaris ſemper dicitur prædilectior, & magis volita, præſertim favore piæ cauſæ.*

18 *Subſtitutio facta favore piæ cauſę, ut facilius impleatur, cenſetur, ut etiam legitimam comprehendat.*

19 *Subſtitutio pupillaris in compendioſa continetur.*

20 *Legitima non detrahitur ab hærede filii in bonis Patris, ſi in pupillari ætate decedat.*

21 *Amplia, ut neque Mater poſſit detrahere talem legitimam.*

22 *Subamplia, ſi Pater pinguem uſufructum Matri de ſua hæreditate reliquiſſet.*

23 *Hæres, ſimulque legatarius dari nequit.*

24 *Mater, quæ ſit excluſa à ſucceſſione in bonis filii non prejudicat pupillariter ſubſtituto.*

25 *Frater germanus teſtatoris dicitur de agnatione.*

26 *Subſtitutio facta favore perſonæ Teſtatori conjunctæ ob preſumptam affectionem facit præſumere Matrem à legitima excluſam, & fuiſſe volitam pupillarem.*

DECISIO DCCCCXXVI.

STatim ac ab Adminiſtratoribus Collegii erigendi in Terra Centi, vigore ſubſtitutionis ultimo loco de eo factæ in teſtamento Laurentii Dondini, vocata fuit in judicium Societas à Sacco ejuſdem loci, hæres inſtituta à Carolo Aurelio ultimo ex aliis ſubſtitutis defuncto; oppoſuit illa ex perſona dicti ſui Auctoris, detrahendam eſſe legitimam, quam Jo. Baptiſta filius Teſtatoris, & primus hæres inſtitutus conſequi debuiſſet; & licèt in prima inſtantia coram Eminentiſſimo Ferrarię Legato obtinuerit, in duabus tamen poſterioribus in gradu appellationis coram R. P. D. Juſtiniano ibidem Vicelegato, & coram R. P. D. Anſideo A. C. Locumtenente ſuccubuit, ut etiam expoſui in contemporanea deciſione ſuper immiſſione: undè delata ad ſacrum Auditorium ulteriori hujus quæſtionis diſcuſſione, propoſui hodie unà cum dubio concernente immiſſionem à Collegio petitam, aliud quoque ſuper detractione legitimæ à Societate à Sacco prætenſa, quam *non eſſe detrahendam* Domini reſponderunt.

Eaque moti ſunt ratione, quod Laurentius
1 Teſtator vocavit Carolum Aurelium fratrem
in caſu obitus Jo. Baptiſtę filii infantis per
pupillarem ſubſtitutionem, & hic de facto
in ætate infantili deceſſit, undè nec primo
ſubſtituto illam detrahere licitum eſt, ad
celebres utriuſque Juris *Text. in cap. ſi pater
§. fin. de teſtam. in 6., l. Lucius ff. de vulgari, &
pupill., & l. precibus ubi DD. C. de impub. &
aliis ſubſtit., Merlin. de legit. lib. 3. tit. 2. q. 14.
n. 5. & ſeq., Rot. dec. 307. n. 6. cor. Ubaldo, in
Peruſina fideicommiſſi de Floribus* 10. *Martii* 1690. *§. ſuper portione cor. bo. me. Urſino,
& in Ariminen. bonorum* 17. *Maii* 1692. *cor.
Rmo P. D. meo Molines Decano, impreſſa
dec.* 84. *num.* 3. *ad ornat. Card. de Luca lib.* 10.
2 Aliàs namque Pater non fuiſſet teſtatus pro
Filio, ut in *l. 2. ff. de vulg. & pupill.*, vel Filius
pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus
deceſſiſſet, contra *Text. in l. jus noſtrum ff.
de reg. jur.*, ut benè advertit *Fuſar. de ſubſtit.
q. 248. n. 28. verſ. præterea, & Rot. in Auximana Succeſſionis* 13. *Martii* 1702. *§. Contraria tamen cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

3 Quod autem in præſenti à Laurentio facta
fuerit in perſona filii pupillaris ſubſtitutio,
optime demonſtrat litera Teſtamenti, ubi
poſt factam mentionem infantilis ætatis, ſubditur -- *E mancando d. Sig. Gio: Battiſta figlio
& erede in qualſivoglia età, e tempo* -- quia
cum hæc verba veram formulam compendioſæ ſubſtitutionis importent, ad tradita
per *Bartol. in l. Centurio n. 32. ff. de vulgar., Rot. dec. 201. n. 6. & ſeq. p. 8. rec. poſt Torr. de
pact. futur. ſucceſſ. dec. 137. n. 18., & in p. 7. rec.
dec. 120. nu. 5.*, ubi quod id procedit, etiamſi
non fuerit adiecta dictio *quandocumque, &
in Romana ſeu Nicien. fideicommiſſi* 14. *Decembris* 1703. *§. Quod autem cor. Rmo P. D.
4 Decano*, quæ plura tempora, pluresque caſus complectitur, utique ſub ea compræhenſa eſt etiam pupillaris, non ſolùm tacita, ſed
ſufficienter expreſſa iis verbis generalibus
in qualſivoglia età, ut latè probant *Bartol.
in d. l. Centurio n. 4. & 11., Odd. de compendioſ. p. 3. art. 1. & 3., Peregrin. art. 15. nu. 1., &
art. 33. n. 3. & 14. & ſeq., Rot. dec. 222. n. 21 p. 5.
rec., & in Aquipendien. immiſſionis* 3. *Julii*
1713. *§. Reſpectu, &* 29. *Januar.* 1714. *§. Clara itidem in quibus concordan. coram Me.*

Nec propterea relevat, quod talis ſubſtitutio ſub mentione mortis prolata abſque
expreſſa pupillaris ætatis mentione, ſuaptè
natura importet quidem fideicommiſſariam
verificabilem etiam in caſu, quo filius hæres
5 inſtitutus deceſſiſſet impubes, non verò contineat pupillarem directam, per quam pater
de bonis filii diſpoſuiſſe intelligatur. Nam
cum Teſtator talem ſubſtitutionem expreſſerit per verbum commune, quale eſt illud
ſucceda, quemadmodum hujuſmodi verbum
includit

includit etiam vim, & efficaciam verbi dire-
cti, ita æquè benè convenit nedum ſubſtitu-
tioni fideicommiſſariæ extra tempus pupilla-
ris ætatis, ſed etiam pupillari directè, quan-
do ejus caſus evenerit, *Peregrin. d. art. 34.*
n.24.& ſeq., Manſ. conſul.157. num.8. & 9.,
Surd.d.dec.273. n.7., Rot.in Auximana ſuc-
ceſſionis 13. Martii 1702. §. Pro majori &
ſeq.cor.R.P.D.meo Anſaldo, & aliis relatis
in l. Aquipendien. immiſſionis 29. Januarii
1714. §.Quin relevat. cor.Me.
6 Multòque fortiùs id procedere debet in
præſenti, non ſolùm quia dictum verbum
commune expreſsè refertur ad perſonam fi-
lii infantis inſtituti, itaut vim, & naturam
directi ad pupillarem inducendam faciliùs
ſuſcipiat, *Fuſar.conſ.20.ſub n.12., & de ſub-*
ſtit.q.542.n.96.& 97., Merlin.de legit. lib.3.
tit.2.q.14.n.13., Manſ.conſul.327.n.43., Man-
tic.de conject.lib.5.tit.7.ſub n.16., Rot.in rec.
7 *p.2.dec.373.n.11.*, ſed etiam nulla ulteriùs à
Teſtatore facta fuit expreſſa mentio pupilla-
ris ætatis, ut diximus ibi -- *Il Sig. Gio.Batti-*
ſta ſuo figlio infante; quod quidem licèt in
inſtitutione tantùm legatur, adhuc etiam
repetitum cenſetur in ipſa ſubſtitutione, me-
8 diante dictione *detto*, qua ibi connotatus
fuit, juxta verba ſuperiùs recenſita; ejus quip-
pe virtus eſt, ut omnes qualitates repetat, quæ
in præcedenti oratione fuerunt expreſſæ,
Gabr. conſ.66. num.7. & ſeq. lib.2., cum aliis
apud *Barboſ. dict.87. n.2., Rot. dec.187. n.7.*
p.1.rec. dec.272.n.6., & dec.742.n.8. cor. Bu-
9 *rat.* Iſtaque poſita ætatis demonſtratione
propter illud verbum *Infante*, dici debet ex-
preſſa pupillaris, *Bartol. ubi ſupra num 31.,*
Trentacinq. de ſubſtit.p.4. cap.11. n.13., Fu-
ſar.eod. tract.q.242.nu.24., Menoch. de præ-
ſump. lib.4. præſ.34. n.37., & cum concor-
dantibus, *Manſ. conſul. 327. n.29.*, ac *Rota*
dec.82.n.12. in Mantiſſa ad Card. de Luca de
fideicom., & dec.120.n.11. & ſeq.p.7.rec. Ma-
10 ximè quia immediatè poſt, & continuativè
in ipſamet ſubſtitutione fuerunt adjecta ver-
ba quamcumque ætatem comprehendentia.

Abſque eo quod valeat reſponderi, dictam
ſubſtitutionem operari non poſſe compræ-
henſionem legitimæ filio debitæ in diſpoſitio-
ne paterna, dum conſtat, Patrem ſe reſtrin-
xiſſe ad bona tantum propria, & de bonis
ipſius filii non diſpoſuiſſe, dicendo ſe velle
de bonis ſuis teſtari, & enunciando ſemper
bona *ſua*, & *ſuam* hæreditatem, ibi *In*
tutti poi gli altri ſuoi beni &c., & rursùs ibi
-- *nell'eredità di eſſo Sig. Teſtatore, vuole*
11 *che ſucceda &c.*, quoniam ad hanc reſtri-
ctionem evitandam, DD. ponderabant, quod
expreſſio diſponendi de bonis ſuis, quatenus
eſt in proœmio Teſtamenti, ad ſtylum No-
tarii referenda eſt, ut in *dicta Aquipendien.*
immiſſionis 3. Julii 1713. §. Conſtat cor. Me.
Quatenus tamen alibi legitur, ſegreganda
non eſt ab ab alis verbis contextualiter pro-
12 latis ibi -- *tutti gli altri ſuoi beni*, quæ di-
ctio *tutti* nullam admittit reſtrictionem, *Ro-*
ta dec.65.num.30.& ſeq.cor.Arguel, dec.248.
n.4.& ſeq. p 7., & dec.482.num.17. p.19., rec.
tom.2., & iterum ibi -- *nell'eredità d'eſſo Te-*
13 *ſtatore* -- quod pariter verbum *hæreditas*,
omne jus Teſtatoris, illiuſque univerſam
ſucceſſionem comprehendit, ad *Text. in l.*
hæreditas ff.de regul.jur., *Rot.in Romana*
hæreditatis 1. Februarii 1715. §. Irrelevans
14 *cor.R.P.D.meo Criſpo*, itaut iſto caſu de-
cedente gravato in ætate pupillari, dubio
procul ſubſtitutio naturam pupillaris reti-
neat, ex *Tex.in l.ita ſcriptum §.Qui filio ff.*
de bonor.poſſeſſ.ſecund.tabul. aliiſque relatis
per *Cæphal.conſ.423. n.119. lib.3.*, *Grat. diſ-*
cept.for.cap.528.n.15.& 25., præſertim atten-
ta bonorum origine, quæ proveniebant à
15 Patre, nec filius eo tunc poterat legitimam
petere, & propterea juremeritò Pater dice-
re potuit ſe diſponere de rebus ſuis, ut ſimi-
lia verba expēdendo tenuerunt *Amat.reſol.*
15. n.12.21.& ſeqq., Altograd contr.35 n.20.
& contr.61.à nu.14.ad fin., *Andreol. contr.7.*
n.26., Rot.cor. Coccin. dec.717. nu.31., coram
Ubald. dec.307.n.4., & inter recenter colle-
ctas ad ornatum *Card. de Luc.de fideic. dec.*
84.n.14.

Quibus jungi poſſent plures etiam conje-
cturæ Teſtatoris voluntatem talem fuiſſe
confirmantes, & præ cæteris, quod pupillus
nulla bona propria poſſidebat præter pater-
16 na, quod hic non agitur de inſtitutis, &
ſubſtitutis in re certa, in quibus terminis ſtri-
ctius procedere coſueverunt Doctores, immò
Carolus Aurelius fuit ſubſtitutus in univerſa
hæreditate, quo caſu per inſtitutionis titu-
lum compenſatum videtur illud jus, quod
habere potuiſſet in hæreditate, & legitima
Jo.Baptiſtæ, *Rot.cor.Coccin. d.dec.717.n.26.,*
& in Auximana ſucceſſionis 13. Martii
1702. § Corroborabatur cor. R.P.D.Anſal-
do, quodque idem Teſtator ſubſtituit opus
pium fundationis Collegii pro publico bono
patriæ, ejuſque effectuationem totis viribus
exoptavit; & Auctor ipſe Societatis à Sacco
in ſuo Teſtamento confirmavit, undè favore
17 Cauſæ piæ cenſendum eſt volitam fuiſſe
ſubſtitutionem pupillarem, cum iſta ſemper
prædilecta cenſeatur, *Fuſar. allegat. q.242.*
n.81., Merlin.de legit. lib.3.tit,2. d.q.14.n.61.,
Rot.cor.Coccin.cit. dec.717. nu.27., & coram
Dunoz.jun. dec 424. num.25., & in allegata
Ariminen. bonorum 16. Maii 1692. §.His ac-
cedit cor.R.P.D.meo Molines Decano. Ita-
18 ut etiam legitimam diſpoſitio ejus favore
facta comprehendat propter aliam juris præ-
ſumptionem, quod pro pia cauſa cenſeatur
facta talis proviſio, ut pinguius, & facilius
impleatur, *de Luca de legat.diſc.14. nu.6. &*
12., Rot.dec.117. n.7.& ſeq.p.17., & dec.488.
n.10.& 18. p.19.rec.to.2., & in Viterbien. le-
gati 16. Januar.1702. ſub §. Nullatenus cor.
bo.me. Muto.

Hiſque ita poſitis minimè turbat, quod
exiſteret de medio pupilli Mater, cui non
cenſetur voluiſſe Pater, ac reſpective mari-
tus præjudicare in legitima, ſi filius præde-
19 cederet. Etenim quemadmodum ex pupil-
lari

lari ſubſtitutione, quæ continetur in com-
20 pendioſa privatur hæres filii detractione le-
gitimæ in bonis Patris, ita privatur & Ma-
ter in bonis filii, ut plenè diſtinguendo caſus
tradit *Rot. in d. Auximana ſucceſſionis §. Se-
cundus caſus cum ſeqq. cor. R. P. D. meo An-*
21 *ſaldo*, ac de facto pro excluſione legitimæ
prętenſę à Matre loquuntur pluri mæ ex ſu-
pra allegatis auctoritatibus, & præſertim
*Rot. in Aquipendien. immiſſionis 3. Julii
1713., & 29. Jan. 1714. cor. Me.*

Atque hoc in præſenti facilius locum ha-
bet ex duplici circumſtantia, quarum prima
22 eſt, quod Teſtator legavit Matri pinguem
uſumfructum totius aſſis hæreditarii, dura-
turum etiam poſt obitum pupilli filii, unde
neceſſaria omninò eſt ejus excluſio à filii hę-
23 reditate, ne alias grave admittatur abſur-
dum, quod eadem ſit hæres, & legataria,
*Cyriac. contr. 242. n. 29. & ſeq., Merlin. ſæpe-
allegat q. 14. n. 2., Rot. dec. 373. nn. 9. p. 2., & in
d. Aquipendien. immiſſionis 3. Julii 1713. §.
Concurrunt, & in confirmatoria §. Abſque eo
quod cor. Me.* Secunda verò eſt, quod Mater
24 à ſucceſſione in bonis filii jam erat excluſa
ex lege municipali, ideoque ejus exiſtentia
de medio officere non poterat pupillari, ut
communiter firmant *Menoch. conſ. 144. n. 23.,
& de prȩſump. lib. 4. præſump. 56. n. 23., Pere-
grin. de fideic. art. 34. n. 12 in fine, Fuſar. de
ſubſtit. q. 242. num. 40. et ſeq., Cavalcan. dec. 4.
n. 13., et ſeq. p. 3.*

Replicatio autem, quod id procedat fa-
vore Agnatorum tantum, quale non poteſt
dici Collegium, ceſſat ex facto, quia fuit fi-
25 lio ſubſtitutus Carolus Aurelius, qui, uti
frater germanus Teſtatoris, erat procul du-
bio de agnatione, & hæc ſubſtitutio (quid-
quid ſucceſſivè contigerit favore Collegii)
pro effectu, de quo agitur, eſt attendenda,
itaut doctrina *Oddi de compendioſ. p. 5. art 3.
concluſ. 11.* in contrarium allegata, retor-
queatur, & habeat è converſo locum alia
26 concluſio, quod facta ſubſtitutione favore
perſonæ Teſtatori conjunctæ ratione præ-
ſumptæ erga eam affectionis, Mater à legiti-
ma excluſa cenſeatur, & volita pupillaris,
circa quam *Oddus* neminem contrarium vi-
diſse profitetur *conſ. 58. n. 22.*, eamque cum
aliis firmant *Bartol. in leg. precibus n. 13. Cod.
de impuber., et aliis ſubſtit., Menoch. d. prȩ-
ſump. 56. n. 17., Amat. reſol. 25. n. 18., Merlin.
cit. q. 14. num. 24., Peregr. art. 34. n. 40., Fuſar.
q. 242. n. 75., et Cavalcan. d. dec. 4. n. 16. et ſeq.
par. 3.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DOTIS, ET LUCRI DOTALIS.

Lunæ 2. Decembris 1715.

ARGUMENTUM.

Debitum certum, & liquidum nequit compen-
ſari in credito, cujus cognitio ſub Judice ſtet
Scientia, & patientia ſicut inducunt conſenſum
ejus, qui reclamare potuiſſet, ob id filia
nupta, ſi cum Matre, & vitrico in una ea-
demque menſa, & domo cum viro ſuo con-
vixerit, & fructus legati ad ſe ſpectantes
paſſa ſit à Matre, & vitrico exigi, præſum-
ptio eſt, vel quod eos remiſerit, vel quod in
ejus magis conſpicuam manutentionem fue-
rint erogati.

SUMMARIUM.

1 *Actio fundata in publico inſtrumento habet exequutionem paratam, nec retardatur per exceptiones altioris indaginis.*

2 *Filia habens legatum alimentorum ſui favore à Patre ſcriptum, ſi maternæ domi alita ſit, illud tenetur compenſare.*

3 *Exceptio redditionis rationis non retardat exequutionem obligationis Cameralis ex inſtrumento claro exorientem, amplia ut* in num. ſequenti.

5 *Subamplia, quando ſuper eadem redditione rationis adhuc lis verteret.*

6 *Ad imparia judicandum non eſt.*

7 *Compenſatio debiti certi, & liquidi fieri nequit cum uno credito, de quo Creditor numquam mentionem feciſſet, imo permiſiſſet, ut à ſuo debitore exigeretur, & vide caſum.*

8 *Amplia, ut intret præſumptio, quod vel idem creditum fuerit retroceſſum ipſi creditori à debitore, cum quo convixiſſet, vel quod per iſtum in illius utilitatem ſit erogatum.*

9 *Aſſignamentum mulieri factum* -- per le ſpille -- *præſumitur ſolutum, quando probaretur, quod ſemper bene ornata inceſſiſſet, nec umquam fuiſſet conqueſta.*

10 *Mulier non poteſt petere fructus legati, quos ejus vitricus bona fide, ipſaque ſciente, & patiente, in domeſticos uſus convertiſſet, idemque procedit etiam favore viri.*

11 *Amplia, ſi filia ejuſque vir una cum Matre, & Vitico in una eademque menſa, ac domo convixiſſent, & vitricus fuiſſet deputatus curator ipſo viro.*

12 *Scientia, & patientia conſenſum ejus, qui potuiſſet reclamare, inducunt.*

13 *Eadem juris diſpoſitio ſervanda eſt, ubi eadem militet ratio.*

14 *Defectus ſolemnitatum non eſt allegabilis, ubi ſolutionis intret præſumptio, quæ ſine illis fieri non potuiſſet.*

15 *Remiſſio de legato annuo facta à filia favore matris deducitur, ex quo, licet illud ſibi filia liberè reſervaſſet pro ejus libero uſu, attamen à matre exigi abſque ulla quærela permiſiſſet.*

16 *Amplia ſi mater illud erogaſſet in onorificationem filiæ ſubſtitutionem.*

17 *Solemnitates non requiruntur, quando pecuniæ mulieris in rebus illi neceſſariis erogantur, vel utilibus.*

18 *Fides ancillarum favore Dominę non probant.*

19 *Creditum cujus cognitio adhuc pendeat ſub Judice compenſari nequit cum credito claro, & liquido.*

20 *Am-*

26 *Amplia, ut neque illud, cujus ſolutionis dies adhuc non ceſſiſſet.*

DECISIO DCCCCXXVII.

Contractis ab Anna Maria Acquaviva vid. rel. Alexandri Cucchii ſecundis nuptiis cum Comite Philippo de Marſciano, prævia ejuſdem Dotis aſſigniatione, quam primo Viro conſtituerat, quamque ex Bonis, tam Alexandri, quàm Joannis Angeli Cucchii recuperare debebat una cum Quarto per obitum Viri ſuperlucrato, nupta etiam fuit Franciſca Juſtina unica ejus filia ex primo Matrimonio ſuſcepta, quæ pinguem ſecumferebat Patris, & Avi hæreditatem, Co Joſepho dicti Philippi Nepoti; cum verò iſte paulò poſt ſine filiis deceſſiſſet, tranſivit eadem Franciſca Juſtina ad ſecunda vota cum Equite Dionyſio de Mariſcottis. Hinc variæ inter has Partes inſurrexerunt controverſiæ: nàm Anna Maria ejus Mater, iſtiuſque Vir Comes Philippus Judicium promoverunt cor. cl. me. Car. Tauruſio, tunc A.C. Locumtenente pro reſtitutione Dotis, ſolutione Quarti, ac fructibus debitis eidē Annæ Mariæ in bonis prædictorum Alexandri, & Joannis Angeli; & è contra prævio Monitorio coram eodem Judice petiit Franciſca Juſtina ab ejus Matre redditionem rationis de adminiſtratione ejus bonorum per ipſam poſt Patris obitum diù exercitam, ſed relicto penitus indeciſo Judicio redditionis rationis, obtinuerunt Comes Philippus, & Anna Maria pro omnibus prædictis Mandatum exequutivum.

Commiſſa ab hoc mandato per Signaturam Juſtitiæ appellationis Cauſa clar. mem. Card. Caprara cum reſcripto, *Si quid exequendum*, propoſuit iſtæ in audientia dei 26. Februarii 1698. congruum Dubium, fuitque reſponſum, *Mandatum eſſe exequendum quoad Dotem, & Quartum, quo verò ad Interuſuriâ particulariter videatur*, & ſucceſſivè contra hujuſmodi reſolutionem reclamantibus illis de Mariſcottis, opponendo præſertim exceptionem redditionis rationis, quam hoc medio tempore ſeparata Commiſſione eidem cla. mem. Card. Capraræ delegari curarunt, Cauſa fuit duplici Dubio repropoſita die 30. Aprilis 1701., ac reſcriptum -- *Dilata, & eligatur Peritus* -- Electo in ſequelam Perito, editaque illius relatione, fuit ſubrogatus in locum prædicti Cardinalis R. P. D. meus Anſaldus, à quo propoſitis iterum ſub die 11. Martii 1714 iiſdem dubiis, fuit etiam tunc *dilata* reſolutio *quoad redditionem rationis*; reſpectu verò Crediti dotis reſponſum prodiit prò perſiſtentia *in deciſis* cum ſubſequenti decreto pro expeditione mandati A.C. in ſcut. 3725. reſidualibus, quamvis illi de Mariſcottis adversùs poſtremam deciſionem acriter inſiſterent ſuper compenſatione, quam videbatur pati poſſe Creditum Dotis cum quibuſdam partitis redditionis rationis, quæ repropoſita interim Cauſa diebus 3. & 7. decembris ejuſdem anni, & abſolutis in cæteris partitis illis de Marſciano, remanſerant indeciſæ.

Fuit ab hoc ultimo Rotali Decreto commiſſa mihi reſpectu Dotis, & Quarti appellatio cum Reſcripto Signaturæ Juſtitiæ - *Alteri qui ad legitimam* -- aliaque commiſſione per Mariſcottos obtenta, fuit mihi pariter delegata controverſia redditionis rationis, ideo propoſui in hodierna audientia dubia concernentia petitionem Co. de Marſciano, unum nempè reſpectu fructuum -- *An Mandatum A. C. ſit exequendum, & novum ſit relaxandum pro fructibus Dotis, & Lucri* -- cui reſponſum fuit *dilata*, & aliud conformē dicto Reſcripto, quod *pro legitima executione* reſolutum fuit.

1 Fundata ſiquidem eſt eorum actio in clara obligatione, quam in Inſtrumento dotali ſuſceperunt Alexander Annæ Mariæ Vir, & Joannes Angelus d. Alexandri Pater de reſtituendo illius Dotem in ſc. 5000. receptam, atque inveſtitam in tot locis montium in creditum ejuſdem Alexandri atque in ejus hæreditate repertis una cum Quarto Mulieri debito, ſi ſuperviveret, qua poſita juſtum quoque eſt mandatum contra eorum bona relaxatum, ac ſubſequens hujus Sac. Auditorii Exequatur, itaùt ad legitimam procedi etiam debeat executionem.

2 Neque retardari poteſt iis exceptionibus, quas iterum proponunt Mareſcotti, reſpicientibus præfatam redditionem rationis, & annuam præſtationem ſcut. 400., quam conſequi debebat Franciſca Juſtina, dùm permanſit durante Matrimonio Co. Joſephi penès Matrem, & Com. Philippum hujus ſecundum Virum.

3 Quandoquidem exceptio redditionis rationis ſeparato Monitorio ab initio introducta, & diſtincta Commiſſione ſubinde proſequuta non poteſt confundi cum petitione Crediti dotalis, & Quarti ab Anna Maria, & Co. Philippo promota vigore publici Inſtrumenti roborati obligatione Camerali, quæ rem claram conſtituit, & manifeſtam, ac ſemper paratam habet executionem ex notis regulis; quando è contra redditio rationis dependens à Peritorum relatione, & plurium partitarum inſpectione altiorem requirit indaginem, ac propterea ad retardandam claram, & limpidam actionem non meretur allegari, ex plenè deductis per *Rotam deciſ. 527. num. 15. par. 19. Rec., in Veliterna donationis ſuper mandato 26. Januarii 1714. §. Verum, & in Foroliviен. Legitimæ 13. Aprilis ejuſdem anni §. Innegabile cor. Me.*

4 Maximè quià propoſitis jam in hoc Sacro Auditorio Dubiis eam concernentibus, fuit, exceptis duabus tantùm partitis, in quibus Domini non fuerunt concordes, in cæteris omnibus reſolutum pro ſufficienti redditione rationis favore Com. de Marſciano, ut ex *deciſ. edit. à R. P. D. meo Anſaldo ſub diebus 3., & 7. Decembris 1715.*, quod porro earumdem partitarum turbiditatem non modicè videtur augere, dum ad talem effectum

5 ſatis quoque eſt, quod adhuc ſuper iis pendeat coram Judice controverſia, *Zacch. de*

Abſque

Oblig. Camer. quæſt.17. num.95., Rota deciſ. 1427. nu.3. cor. Coccin., & dec.179. nu.6., & ſeq. par.19. Rec., prout, & hodie pendet coram Me.

Abſque eo, quod ad demonſtrandam parem Crediti dotalis turbiditatem, & connexionem utriuſque Judicii mereatur allegari deciſ edit. in alio Judicio Immiſſionis vigore fideicommiſſi obtentæ ab iiſdem de Mariſcottis ſub titulo *Romana Fideicommiſſi* 23. *Junii* 1713. *coram eodem R.P.D. meo Anſaldo*, in qua talis turbiditas, & connexio videtur præſupponi, quia nondum unquam aſſumpto examine redditionis rationis, & ſuſpenſo per appellationem mandato ab A. C. relaxato pro dote, & quarto, habebant locum, ad effectum retardandi immiſſionem vigore rei judicatæ illis debitam eædem regulæ, quæ & in præſenti concurrunt non impediendi claram actionem, à re judicata canonizaram exceptione pendente coram Judice, & nunquam adhuc diſcuſſa, ac propterea potiùs talis deciſio attenta ipſius intrinſeca ratione retorqueri poſſet, ne Comites de Marſciano ad imparia judicentur.

7 Creditum verò annuæ illius præſtationis ſcut.400., quam, aſſignatis Com. Joſepho pro Dote omnibus Bonis, Franciſca Juſtina ſibi ſuper aliquibus ex iiſdem pro faciliori exactione reſervavit, nec durante cum eo matrimonio unquam exegit, paris eſt irrelevantiæ ad inducendam cum alio credito reſtitutionis Dotis, & Quarti compenſationem, quippe quia, ſi eadem Franciſca Juſtina, eo tempore nunquam conqueſta fuit, & liberè permiſit dictam annuam præſtationem exigi ab ejus Matre, ſeu Victrico; imò diſſoluto eo matrimonio devenit ad ſolutionem, ſeù reſtitutionem partis Dotis maternæ cum pretio tot locorum Montium, quæ ad hunc effectum mediante Procuratore cum ſtatutariis ſolemnitatibus ſpecialiter conſtituto, & prævio Judicis mandato fuerunt reſignata, ac Reſiduum, & Quartum ſine ulla reſervatione ſolvere ſe obligavit; utique (quemad-

8 modum arguit *deciſ. diei* 26. *Februarii* 1698. §. *Quo autem*, & *ſeqq. cor. cla.me. Card. Caprara*) valida locum habet præſumptio, vel quod ſibi à Matre, aut ejus Viro, cum quibus convivebat brevi manu fuerit ſoluta, vel quod præſtiterit conſenſum, ut Matrimonio durante in ſuos, & familiæ uſus converteretur, & ſic repeti hodie non valet, ut præter ibi adductos, firmant *Fantanell. de Pact. nupt. tom.2 clauſ.6. gloſ.2. par.7. num.38., & ſeq., Monach. deciſ. Lucen.68. num.12., Theſaur. dec.177. per tot., & præſertim n.3., Saminiat. contr* 194. *num.*10. & 36. & egregiè *Rot. dec.* 88. *num.9. coram Priolo*.

Et hoc rectè procedit, etiamſi dicta annua præſtatio nolit conſiderari, uti aſſignata, ut

9 dicitur *per le Spille*, quià ſi talis ulterius admitteretur, juxta atteſtationem Equitis Acciajoli, cujus mediatione Matrimonium contractum fuit, intrarent deducta in *Rom. Pecuniaria* 14. *Junii* 1698. *coram bo.me. Pio*,

quod ſcilicèt, dùm Mulier benè ornata ſemper inceſſit, nec fuit conqueſta, præſumatur facta ſolutio, vel ſaltèm remiſſio talis crediti.

Nec obſtat, quod Franciſca Juſtina poſt tranſitum ad ſecundas nuptias inſtantiam reſtitutionis horum fructuum, ſive hujus annuæ præſtationis una cum aliis ſtatim pro-

10 moverit, quia quoties conſtante Matrimonio, permiſit Matri, ejuſque Viro illius perceptionem, atque illi in promiſcuos uſus bona fide eam conſumpſerunt, non potuit ex poſt contrarium animum declarando petere reſtitutionem, ut in puncto ſequitur *Saminiat. dicta controv.* 194. *num.22., Rota coram Priol. dec.181. num.5., & 6., & cor. Ninot. dec.35. num.8.*

Quamquam præmiſſa Juris præſumptio, & adductæ Concluſiones procedant favore Viri, adhuc tamen in præſenti ad Matrem, & Victricum extendi poſſe Dominis viſæ

11 ſunt. Omnes enim in perfecta communione habitationis, famulatus, & menſæ convivebant, eidemque Franciſcæ Juſtinæ omnia ſubminiſtrabant juxtà ſtatum ipſius neceſſaria, imo Com. Philippus Victricus, pro perſona etiam Com. Joſephi ſe gerebat in familiæ manutentione, dum ejus erat deputatus Curator, & Adminiſtrator; ita ut

12 æquè applicabilis iſtius favore ſit ratio illa, quod Mulier conſenſerit, iſtam ſummam ſibi debitam exigere, & in communes uſus erogare, atque alia, quod potuerit brevi manu ab eo ſolutionem dietim reportare, ideo-

13 que ubi militat eadem ratio, eadem quoque ſervanda ſit Juris diſpoſitio.

Demùm non relevat, quod Mulier non potuerit ſine ſolemnitatibus ſibi in dicta remiſſione, & conſenſu præjudicare, quodque fuerit, durante Matrimonio conqueſta de Matre, & Victrico ſummam ſibi debitam

14 exigentibus. Quo enim ad ſolemnitates, ultra quod eorum defectus circa præſumptam ſolutionem non cadit, reſpectu per-

15 miſſionis, quod dicta ſumma à Matre, & Victrico perciperetur eſt inallegabilis ex pluribus, & præſertim, ex quo ſibi jam illam Franciſca Juſtina reſervaverat cum facultate de ea diſponendi, quocumque vellet modo ibi -- *à ſuo arbitrio, e beneplacito*, undè ſi poterat, omiſſis ſolemnitatibus illa uti, potuit etiam Matri, aut Victrico ejus perceptionem permittere, ex notatis in *deciſ.*10. *num.*48. *coram ſan. me. Alex. VIII.*, & *dec.*143. *num.*13. *par.*16. *rec.*, tanto ma-

16 gis quia ab his fuerunt erogatæ in ſubſtentationem honorificam ipſius Mulieris, ideo-

17 que cum ceſſerint in neceſſarium ejus uſum, nequit amplius ſolemnitatum defectus adduci, plenè *Rota dec.*283. *num.*15., & *ſeqq. par.*16. *recent.*, *ubi Concordan.*; quo verò ad ejus diſſenſum, non poteſt iſte deduci contra actum poſitivum ſolutionis partis Dotis ſine ulla reſervatione, ex Mulieris que-

18 relis, quæ ſolum deducuntur ex ſimplicibus atteſtationibus ejus Ancillarum, nullam fidem promerentibus ex notis Juribus.

Cætera Credita hodiè deducta pro rata Legitimæ conſequenda à Mariſcottis in Bonis Annæ Victoriæ eorum Aviæ, ac pro fructibus ratę Legitimę debitę Alexandro in Bonis Joan. Angeli Patris, & pro mobilibus, ac ſumma debita ex tranſactione anni 1713., poterant pariter omitti, quia de
19 Credito Legitimæ in Bonis Aviæ diſcuſsio pendet ſub Judice in Tribunali A. C., & de alio Legitimæ in Bonis Patris coram R.P.D. meo Foſcaro in hoc Sac. Auditorio, ideoque nequit fieri compenſatio cum Credito, jam ut diximus) toties canonizato, juxta deducta in ſuperiori §. *Maximè quia*; reſpectu vero alterius Crediti provenientis ex dicta tranſactione, obſtat replicatio, quod non-
20 dùm advenit dies ſolutionis ibidem ſtatuta, & propterea, neque iſtud capax eſt compenſationis, *Amat. reſolut.17. num.10.*, *Rota dec.427. num.12. par.19. recentior. tom.2.*, *& paſſim*.

Et ita utraque &c.

LAUDEN. PENSIONUM.

Lunæ 9. Decembris 1715.

ARGUMENTUM.

Solutio penſionis à Titulari retardari nequit ſub prætextu inſufficientiæ Beneficii, & ex quo congrua ſalva non remaneat. Expenſę pro cura animarum neceſſarię congruam Paroco minuere non valent, quando pro illis aliunde adeſſet aſſignamentum, & quomodo id probatur.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicæ undique juſtificatę exequendæ omnino ſunt.*

2 *Valor Beneficii, an minor ſit, vel major ſumma expreſſa probatur ex confeſſione Prędeceſſorum Beneficiatorum, & ex quibus aliis poſſit probari.*

3 *Confeſſio propria omni probationum genere eſt præſtantior.*

4 *Congrua reſervata ſub clauſula* - dummodo centum pro rectore -- *quomodo probetur, quod à penſionibus non lædatur.*

5 *Probatio, quod congrua ſalva ſit, fieri debet à Titulari, & non à Penſionario, ſi ille tale ſibi onus probationis ſubſiſſet in actu ſeparato.*

6 *Congrua, quod læſa non remanſerit à Pentione probatur ex ſimilibus ſolutionibus à Titulari Prædeceſſore factis abſque reclamatione.*

7 *Valor Beneficii minui non poteſt ob expenſas vini, boſtiarũ, cęræ, & ſimilium, quando pro iis particulare adeſſet aſſignamentum aliunde proveniens.*

8 *Amplia, ut neque ob manutentionem equi, & famuli favore Vicarii, quando ad iſtius commodum particulare, & non ad Curæ neceſſitatem protenderent.*

9 *Subamplia, ut neque ex impenſis muſicæ, ſolitiſque prandiis in die feſtivitatis, quæ in præjudicium Pentionarii, tamquam non neceſſaria, fieri nequeunt.*

10 *Vicarius non tenetur ſubire onera neceſſaria pro manutentione Eccleſię, quando iſta eſset alteri incorporata, ad quam pertineret.*

11 *Dos annua quinquaginta ducatorum à Papa conſtituta favore Vicarii perpetui non poteſt intelligi, ut etiam ad Coadjutorum manutentionem protendat.*

12 *Onus manutenendi Coadjutores Vicarii, an ad ipſum, ſive ad alios pertineat, probatur ex decretis antiquarum Viſitationum.*

13 *Amplia, ſi concurreret longiſſima temporis obſervantia, ex qua probaretur, quod merces illorum à Vicario ſoluta non fuiſſet, ſed ab aliis.*

14 *Solutiones continuatę referuntur ad coactivam obligationem, non vero ad liberalitatem.*

15 *Decretum, nemine citato, obtentum in extrajudiciali ſupplicatione non attenditur.*

16 *Vicarius, licet ad ipſum jus ſuos eligendi Coadjutores pertineat, non tamen tenetur illos alere, quando in contrarium longeva reſiſtat obſervantia.*

17 *Negligentia Titularis Penſionario non poteſt umquam nocere.*

DECISIO DCCCCXXVIII.

Sub narrativa, quod fructus tam certi, quam incerti Vicariæ perpetuæ Perochialis Eccleſiæ Sancti Petri Laudę Veteris auctoritate Apoſtolica jam pridem unitæ, & incorporatæ Vener. Collegio Germanico, & Ungarico Urbis aſcenderent ad ſummam annuorum ducatorum centum ſexaginta quinque auri de Camera, ſan. me. Innocen. XI. anno 1686. cum ſolita clauſula Dummodo centum pro Rectore liberi remanerent, tres reſervavit penſiones: Duas nempè ducatorum duodecim cum dimidio pro qualibet favore Archipresbyteri Joannis Baptiſtæ Menatti, & Canonici Vincentii Thomei, alteram vero in ſumma ducatorum triginta ſeptem cum dimidio annuorum favore Stephani, tunc Comenſis Epiſcopi, quæ ſubindè anno 1695. virtute ſpecialis indulti eidem Epiſcopo à ſan. me. Alexandro VIII. conceſſi in Jacobum Philippum Menattum ejus Nepotem pro medietate tranſlata fuit. Omneſque prædictæ penſiones, tam à Franciſco Peverello de eadem Parochiali Eccleſia primo loco tunc proviſo, quam etiam à Perono illius ſucceſſore libere, atque integrè perſolutæ fuerunt.

Hoc autem vita functo anno 1705., cum Joannes Baptiſta Galmutius de dicta Vicaria proviſus memoratas penſiones, qui bus etiam ipſe conſenſerat, & quas uſque ad annum 1708. abſque ulla controverſia perſolverat, abindè citra ſolvere detrectaret, obtentum fuit contra ipſum in partibus mandatum

tum de manutenendo, etiam cum declaratione incurſus cenſurarum. à quo interpoſita per ipſum appellatione, Cauſaque mihi commiſſa, ſub die 30. Januarii 1713., duo propoſui diſtincta dubia; alterum ſuper manutentione, quod reſolutum fuit favore Penſionariorum, ut ex deciſione deſuper edita, ad cujus normam fuit ſucceſſivè expeditum mandatum Rotale, & appoſitus Æconomus, & alterum in petitorio *An literæ Apoſtolicę reſervationis penſionum eſſent exequendę*, cui DD. reſcripſerunt *dilata, & proponatur citato dicto Collegio*. Eo autem citato, dubioque repropoſito ſub die 28. Junii labentis anni, cum nulla pariter ob ſuffragiorum ſciſſuram capi potuerit reſolutio, hodie tandem DD. pro tertia vi-
1 ce ſuper illo conſulti, cum prælaudatas literas Apoſtolicas plenè, & concludentèr juſtificatas eſſe compererint, tam in ea parte quæ reſpicit valorem beneficii, quam in alia contenta ſub clauſula *Dummodò &c.* illas exequendas eſſe reſponderunt, juxta *Text. in cap. ſi capitulo de conceſſ. preb. in 6.*, *Rota dec 606 num. 1. par. 19.*, *& in Treviren. Parochialis 26. Junii proximè pręteriti in princ. cor. Me*.

Et ſane, quod ad valorem attinet per
2 aſcenſum expreſſum in annuis ducatis 165. de Camera, illum ad enarratam ſummam aſcendere ſuperlativè probatum fuit, tùm ex eo quod in eadem ſumma illum expreſſerunt duo Anteceſſores moderni Vicarii in conſenſibus ab iis præſtitis reſervationi dd. penſionum, in quibus de dicto valore ſe plenè edoctos, & informatos aſſerverunt, tùm, & longe fortius ex geminata confeſſione ipſius Galmutii moderni Titularis, qui per binas vices, prima ſcilicet medio juramento, & ſecunda in actis, fructus beneficii in præfata quantitate expreſſit. Undè his ſtantibus viſum fuit ulterius de ſuper enarrati valoris ju-
3 ſtificatione ambigi non poſſe, cum ex omni probationum genere illud in jure pręſtantiſſimum habeatur, quod ex Partis confeſſione deſcendit, ut omiſſis generalibus, in ſpecie reſpondit *Rota coram Merlin. dec. 808. num. 1., & in rec. dec 263. num. 1. par. 7, & dec. 25. ſub num. 7. par. 8., & dec. 187. nu. 13. par. 11., & dec. 372. num. 3. par. 19 rec.*

Quod verò ſpectat ad congruam centum
4 ducatorum in eiſdem literis pro Vicario reſervatam ſub clauſula *dummodò*, et illam quoque plenè, & concludenter juſtificatam fuiſſe conſtitit. Nam ſtabilito, ut ſupra de tempore gratiæ, valore beneficii in annuis ducatis 156., cum penſiones omnes ſimul connumeratę ſummam ducatorum ſexaginta duorum cum dimidio non excederent, evidens fit ex legittima ſubductione pluſquam duos ſupra centum ducatos pro Rectoris congrua ſuperfuiſſe, quo genere arguendi alias uſa eſt *Rot. in Melevitana Penſionis 22. Junii 1695. coram Eminentiſſimo Priolo, & in Lauden. Penſionis 4. Junii 1696. §. Cęterum coram cl. me. Card. Caprara*.

Et licet à Penſionariis probari debuiſſet, quod etiam ſucceſſivis temporibus, & in pręſenti præfata congrua deductis oneribus libera pro Rectore remaneat, tamen quo-
5 ties, ut hic Titularis non in ſimplici conſenſu pręſtito reſervationi penſionum, ſed in actu ſeparato aſsumpſit in ſe onus probandi valorem cum renunciatione cujuſcumque exceptionis, dicitur Penſionarios à dicto onere relevaſſe, ut latè diſcuſſo articulo, & contrariis auctoritatibus declaratis, reſpondit *Rota deciſione 372. per tot. parte. 19. rec.*

Eoque fortius, quia verificatio ſucceſsivi
6 valoris probatur etiam, ex quo per longum tempus duo anteceſsores ſolverunt penſiones, & ſignanter de tempore quo debebantur in majori quantitate, cum una ex illis fuerit interim pro medietate extincta, ut de ſimili obſervantia in durioribus terminis dixit *Rota dec. 186. nu. 16., & dec. 213. nu. 23. par. 6., & dec. 542. num. 8. coram Dunozett. jun., & dec. 183. num. 16. coram Card. Cerro, & coram Emer. Iun. dec. 1246., & ſępè alibi*.

Agnoſcens Galmutius modernus titularis ex hactenus deductis aſsumendum ab eo eſse onus probandi, congruam ſibi reſervatam in pręſenti non remanere, quatuòr potiſsimum perpetua, & neceſsaria Eccleſię onera ultra controverſas penſiones ab enarrato beneficii valore detrahenda eſse contendebat. Primum nempè pro expenſa vini, & hoſtiarum, aliorumque hujus generis pro Sacris ritè peragendis, fideliumque communione parandorum. Alterum pro manutentione famuli, & equi. Tertium pro ſumptibus feſtivitatis Sancti Titularis, prandiiſque exhibendis pluribus Sacerdotibus. Quartum denique pro ſtipendio duorum ſaltem Coadiutorum eidem in exercitio Curę Animarum miniſtrantium.

Verum fruſtra. Nam DD. unumquodque ſupradictorum onerum ſingillatim examinando, nullum ex eis deducendum eſſe cenſuerunt. Et exordiendo à primo, cum in
7 eam cauſam à Collegio Germanico Urbis, cui præmemorata Parochialis Eccleſia unita reperitur, ſolvantur Vicario in ſingulos annos octo, & viginti libræ, ut conſtat ex actis Viſitationis anni 1632., non eſt ab expreſſo Vi-
8 carię valore deducendum, prout neque ſecundum pro manutentione Equi, & Famuli; Nam licet Parochiæ fines ſe latè protendant, ingenſque ſit Populi numerus, & hyemali præſertim tempore iter devium, atque incomodum frequentibus pluviis reddatur: cum tamen intra ambitum Parochiæ ſparſim adſint quamplura Oratoria, in quibus Sacra diebus feſtivis celebrantur, cumque Vicarius in Sacramentis Populo miniſtrandis duobus aliis adiuvetur Sacerdotibus, impenſa pro equo, & famulo potius quam Eccleſiæ neceſſitati videtur ipſius Rectoris commodo unicè referenda, & proindè minus apta minuere valorem Beneficii ad effectum reducen-

cendi penſiones jàm valdè antiquas, & ab ejus anteceſſoribus ſine controverſia in eiſdem rerū circumſtantiis integrè perſolutas, *Adden. ad Greg. dec.* 245. *n.* 12., *Rota cor. Caval. dec.* 462. *n.* 2., & *cor. Bich. dec.* 86. *n.* 14., & *dec.* 213. *n.* 28.

Minus etiam admitti potuit tertia deduc-
9 tio à moderno Vicario prætenſa pro ſumptibus feſtivitatis, & exhibitione prandiorum Sacerdotibus ad eam convenientibus Quanquam enim laudabile ſit eum diem aliquantò ſolemnius celebrare, non eſt tamen neceſſaria tanta impenſa, muſica namque ex more regionis poteſt omitti, ſicut fuit omiſſa ab altero ex anteceſſoribus, & communiter ab aliis, ut in præciſis terminis reſpondit *Rota in Ferrarien. Cappellaniæ* 13. *Febr.* 1696. §. *Onus pro feſtivitate cor. E.mo Cardinali Priolo*. Prandia vero tanquam non neceſſaria, & in arbitrio ipſius Vicarii omnino repoſita, in præjudicium Penſionariorum nequaquam ſunt deducenda, *Rot. cor. Merlin dec.* 808. *n.* 6., *et cor. Emer. dec.* 1033. *num.* 3.

Majorem DD. difficultatem ingeſſit in anteactis cauſæ propoſitionibus quartum onus reſpiciens manutentionem duorum Coadiutorum, quod ſibi Titularis, Penſionarii verò Collegio Germanico, cui Parochialis Eccleſia unita reperitur, incumbere contendebant. Ne igitur Collegio inaudito quidquam in hoc ſtatueretur, quod ipſi præjudicium irrogaret, DD pro eorum prudentia, & maturitate illud ad cauſam evocari demandarunt. Hodie autem ipſo citato, ſed minime comparente, facile fuit hanc quoque
10 deductionem reijcere, cum non Vicarius, ſed Collegium onera perpetua Eccleſiæ unitę incumbentia ſubire teneatur, *per Text. in Clem.* 1. *de cenſibus*, *Rota cor. Pœnia dec.* 1020. *n.* 20., *et in Amparien*, *ſeù Civitaten. unionis* 10. *Junii* 1686. §. *Ratio autem cor. cl. me Card. Caccia*.

Maxime quia cum Juris diſpoſitione convenit quoque Bulla unionis ſa. mem Grego-
11 rii XIII., in qua *pro uno Vicario perpetuo*, dos quinquaginta ducatorum auri legitur conſtituta, ſub hoc namquè loquendi genere per verba ſingularis numeri, & aliorum concurſum excludentia, utique manutentio Coadiutorum impoſita dici nequit Vicario, cui ſoli dicta merces à Pontifice deſtinata fuit, cæteroquin benè conſcio de neceſſaria aliorum duorum, ſivè trium Sacerdotum opera, quorum paulo ſupra in eadem conſtitutione meminerat, ad tradita per *Rot. cor. Coccin. dec.* 507. *n.* 4., *et dec.* 1873. *n.* 36., *et cor. Priolo dec.* 203. *n.* 13., *et in rec. dec.* 458. *n.* 11. *p.* 9. ubi concordantes.

His additur actus perantiquę Viſitationis
12 decennio poſt unionem celebratæ, in quo neceſſaria manutentio duorum ſaltem Coadiutorum Rectori ejuſdem Collegii ab Epiſcopo commendatur, quem quidem actum, ſive per ſe, ſivè etiam ad Juris confirmationem, ac prælaudatę Bullæ interpręt ationem ſumptum, quantę ſit Virtutis, & efficaciæ, nemo eſt qui ignoret, prętertim cum ſit adeo antiquus, metamque centum, & quinquaginta annorum excedat, *Rota dec.* 631. *n.* 17. *p.* 19., *et in Florentina quartæ funeralis* 1. *Decembris* 1704. §. *Ex pluribus coram R.mo Molines Decano*.

Prædicta omnia plurimum confirmat lon-
13 giſſima ultra ſæculum obſervantia; nam memorati Coadiutores ſemper à Collegio de eorum mercede ſatisfacti fuerunt, ut teſtantur tres Parochi formiter examinati, probatque actus alterius Viſitationis celebratæ anno 1632., & denique faſſus fuit P. Procurator ejuſdem Collegii in præcibus porrectis Reverendiſſimo Epiſcopo Lauden: unde ea ſtante non videtur ambigendum, quin d. manutentio ad Collegium pertineat, ut omiſſis generalibus in proximis terminis firmat *Panimoll. dec.* 15. *n.* 7.

Nil turbante reſponſione, quod Collegium onus hujuſmodi ſubſtinuerit uſque ad memoratum annum 1707. ex mera liberali-
14 tate; nam poſita ex prædictis præcedenti obligatione, liberalitas omnis excluditur, & ſolutiones tàm longo tempore continuatæ ad præcedentem titulum coactivum referri debent, *Palm. dec. Lucen.* 188. *nu.* 42., *et dec.* 190. *n.* 11. *tom.* 2., *Adden. ad Gregor. dec.* 162. *n.* 15., *Rot. cor. Bich. deciſ.* 522. *num.* 19.

Prout quoque nihil urget Decretum Reverendiſſimi Epiſcopi Lauden., per quod Collegium eodem anno 1707. declarari obtinuit dictum onus in poſterum à Vicario ſubeundum fore. Tum quia illud ſupra deductis directè repugnat. Tum etiam quia
15 editum fuit nemine citato, & ad ſolam Collegii ſupplicationem. Tùm denique quia nititur falſo ſuppoſito, quod ex probationibus factis in quadam cauſa agitata in Sacra Congregatione Concilii conſtaret onus prædictæ manutentionis ad Vicarium pertinere; quando revera neque tale quid elici poteſt ex depoſitionibus teſtium tunc temporis examinatorum, & inſuper ex decreto ejuſdem Sac. Congregationis in ea cauſa edito ſtatim conſtat, minimè tunc dubitatum fuiſſe quiſnam ſtipendio Coadiutoribus ſolvendo obnoxius eſſe deberet, ſed actum dumtaxat, ad quem ſpectaret illorum elec-
16 tio, & approbatio: quam quidem electionem licet Sac. Congregatio ad Vicarium ſpectare reſcripſerit, indè tamèn nullatenus argui poteſt, quod etiam ab ipſo Vicario eorum merces ſolvenda ſit; nam ſtante contraria obſervantia abſurdum non eſt, quod unus eligat, alter vero electo mercedem ſolvat, ut pluribus adductis firmat *Ric. collect.* 1766. *in fin. verſ. limitatur tamen*, *Cobell. ad Bullam bon. Reg. cap.* 41. *nu.* 31. *in fin.*, *et n. ſeq.*

Sibi itaque imputet Galmutius modernus titularis, ſi fortè ab eo decreto non appellavit, vel etiam eidem paruit. Juris namque
17 & æquitatis ratio non patitur, quod ejus ne-

negligentia Penſionariis detrimento eſſe debeat, ex adductis per *Rot. in Alerien. penſionis 14 Februarii 1710. cor. R. P. D. meo Anſaldo*.

Et ita Galmutio, & tribus Penſionariis in contradictorio auditis, Collegio autem citato, ſed minimè comparente pro exequtione literarum Apoſtolicarum reſolutum fuit.

ROMANA DEPOSITI.

Veneris 10. Januarii 1716.

ARGUMENTUM.

Menſæ nummulariæ S. Montis Pietatis, & S. Spiritus Urbis ſunt de publico uſu, nec in ſolvendo depoſitas ibi pecunias ad ultrò tenentur, quàm ad illarum ſolutionem, juxtà tramites, & leges ſcriptas in depoſitorum partitis. Fides ſuccinctæ Notariorum de vinculis in eis enunciatis plenam faciunt probationem, & ad invicem debent correſpondere cum ipſis partitis, ædemque menſæ non tenentur in caſu malæ erogationis pecuniarum, quoties de earum culpa, dolo æquiparabili, non conſtet.

SUMMARIUM.

1 *Mons Pietatis benè ſolvit, quando ſequitur legem in depoſito ſcriptam, cui fides ſuccincta Notarii de adimplemento vinculorum correſpondeat*, & n. 5.

2 *Mons non tenetur (in depoſitis vinculatis) ad reſtitutionem, ſi pecuniæ juxtà legem depoſiti non fuiſſent reinveſtitæ, quando talis cura non incumberet.*

Mons Pietatis, et Bancus S. Spiritus ſunt Arcæ publicæ.

4 *Iſtæ non tenentur, niſi de dolo, et lata culpa dolo æquiparabili, ratione eorum publicitatis favore cujuſvis perſonæ.*

5 *Dolus, et fraus dici non poteſt in Montis Miniſtris, eo ipſo, quod in ſolvendo ſe habent relativè ad fidem Notarii.*

6. *Amplia ſi ageretur de ſolutione ordinis provenientis ex venditione Domus coactiva, et Notarius fidem feciſſet, quod omnia in Bulla Gregoriana præſcripta ſervata fuiſſent.*

7 *Clauſulæ* -- Et non aliàs -- *ac* -- In omnibus, & per omnia - *quid importent.*

8 *Notarius habet fidem publicam.*

9 *Fides ſuccinctæ Notariorum enarrantes per illius acta fuiſſe rogatum inſtrumentum venditionis Domus, ex qua proveniat depoſitum, eo magis comprobant circa ea, quæ in inſtrumentis continentur.*

10 *Notarius Viarum Urbis eſt privativus circa ea, quæ cadunt ſub exequtione Bullæ Gregorianæ.*

11 *Notarius privativus in una materia, non præſumitur ignorare leges, & diſpoſitiones, quæ cadunt ſub illa.*

12 *Mandatum Judicis in exigendo talem ſummam provenientem ex venditione coactiva non requiritur, ſi Notarius teſtatus fuiſſet, quod Bulla Gregoriana in omnibus fuiſſet adimpleta, & quid iſta requirat.*

13 *Amplia, ſi depoſitum eſſet factum authoritate privativa Contrahentium, & non Judicis.*

14 *Diſpoſitio d. Bullæ in depoſitis poteſt non ſervari, quando partes circa id ſpecialiter renunciaſſent ejus exequtioni.*

15 *Mons benè ſolvit pecunias provenientes ex venditione ſtabilium, in vim retractus, quoties Notarius teſtificetur omnia in Bulla Gregoriana contenta fuiſſe ſervata.*

16 *Relatio ſemper intelligenda eſt coherenter ad expreſſa, & quæ ſunt compatibilia cum illis.*

DECISIO DCCCCXXIX.

PRetium Domorum, quas Monaci S. Crucis in Hyeruſalem vigore retractus coactivi emerunt à Fratribus de Rubeis, depoſitum fuit in Sac. Monte Pietatis, adiecta lege, quod ſolvi non poſſet, niſi cum ordine Antonii Franciſci de Rubeis, ad effectum erogandi pecunias, vel in affrancationem quorumdam Cànonum, quibus erant gravatæ aliæ Venditorum Domus, vel in emptionē bonorum ſtabilium ad formam Bullæ ſa. me. Gregorii XIII. de Jure congruo. Delato ad Sacrum Montem ejuſdem Antonii Franciſci ordine, qui directus erat Franciſco Riccio, & conſcriptus fuerat in calce partitæ prædicti depoſiti eidem Riccio ſolvendus pro prætio Domus venditæ cum vinculis, & conditionibus in depoſito contentis, una cum atteſtatione Stephani Urſini Viarum Notarii, qui fidem faciebat ſequutam fuiſſe venditionem d. Domus pro prætio in ordine expreſſo *cum vinculis, declarationibus, & conditionibus*, (ut ſunt verba ejuſdem atteſtationis) *contentis, et expreſſis in retroſcriptis ordine, et partita depoſiti reſpectivè, et juxtà formam in omnibus, et per omnia Bullæ Gregorianæ, et non aliàs* &c. non dubitarunt illius Miniſtri ſummam in eo contentam perſolvere.

Detecto tamen ex poſt, quod contractus inter Riccium, & Franciſcum Antonium de Rubeis fuerat ſimulatus, agnoſcentes exinde Monaci parum ſe tutos adverſus iſtius creditores, qui de facto ſuper Domibus ab ipſis emptis ſuas experiebantur actiones, prætenderunt vel à Sacro Monte, vel à Notario depoſitum prædictum reintegrandum eſſe, & propterea utrumque vocarunt in judicium coram A.C., qui Partibus diù auditis, duas ſententias protulit, unam abſolutoriam Sacri Montis, alteram condemnatoriam Notarii ad reintegrationem depoſiti cum relaxatione mandati, excuſſis tamen priùs effectibus fratrum de Rubeis Principalium debitorum.

Appellantibus tàm Notario, quàm Monacis ab hoc Judicato, commiſſa mihi fuit cauſa, proindeque duo hodiè dedi dubia, alterum reſpiciens Jura Notarii, de quo in contemporanea deciſione, & alterum reſpiciens ju-

Jura Montis -- *An conſtet de credito* (de quo agitur in præſenti)& huic *negativè* DD. reſponderunt.

Non conſtitit enim de credito prætenſę reintegrationis adverſus Montem, cum in-
1 ſpecto tenore ordinis, ac fidei, quorum vigore ille perſolvit, perfectè ſervatę viſæ fuerint omnes conditiones tàm quoad perſonam, quàm quoad cauſam neceſſariæ, juxta leges adiectas in partita depoſiti, itaùt plenè remanſerit liberatus, *ad text. in l. ſolutum* 11. §. *Solutum, ubi Bartol. nu.* 3. *ff. de Pignor. act., Rota dec.* 9. *n.* 1. *p.* 13. *rec., et in Romana depoſiti* 8. *Februarii* 1700. §. *Siquidem et* 21 *Februarii* 1701. §. *Nec relevat coram Reverendiſſimo dell' Olmo*.

Et ſane quoad perſonam, cum ab Antonio Franciſco de Rubeis ordo fuerit exaratus,
2 nulla fuit inter partes controverſia. Quo verò ad cauſam ſolvendi, fruſtra obyciebatur, quod inveſtimentum fuerit fictitium, quodque cautum ſufficienter non fuerit cum præſtatione idoneorum fidejuſſorum, ut demandat Bulla Gregoriana, quippè quià cum agatur de depoſito, non penes privatum Cafforem, avt Mercatorem facto, ſed in æde publica erecta ſupremi Principis aucto-
3 ritate, quæ depoſita non in privatum ipſius commodum, ſed in publicum deponentium utilitatem recipit, prout in Banco S. Spiritus dictum fuit in allegata Romana depoſiti cor. Rmo dell' Olmo, & agendo de Sacro Monte, diſcit *Card de Luca diſc.* 68. *n.*5., *et ſeqq. de credit.*, inde ſequitur, quod Mons ratio-
4 ne talium depoſitorum, nonniſi de dolo, & lata culpa dolo æquiparabili teneatur, juxtà regulam generalem, quod facto depoſito non in gratiam depoſitarii, ſed deponentis, non de omiſſa diligentia, & levi culpa, ſed ſolum de dolo, & lata culpa depoſitarius conveniri poſſit, *text. in l. ſi ut certo* §. *Nunc videndum ff commodat., l.* 1. *cod. eodem, et l. Contractus ff. de reg Jur., Ciriac. controv.* 358. *n.* 22., *et* 27., *Rota dec* 604. *n.* 16. *cor. Dunozzett. Jun., et relat. concordan. in d. Romana depoſiti* 8. *Februarii* 1700. § *Et in omnem cum ſeq., et* 21. *Fearuarii* 1701. §. *Ex his igitur, et ſeqq. coram Reverendiſſimo dell' Olmo*.

Hic autem, neque dolus, neque lata cul-
5 pa concurrit, dum ſolutio facta fuit, pręvia fide Urſini Viarum Notarii atteſtantis in venditione Dumus, ſuper qua erat reinveſtiendum pretium aliarum Domorum retractarum fuiſse ſervatas, & adimpletas omnes conditiones, quæ et in partita depoſiti continebantur, et à Bulla Gregoriana requireban-
6 tur; huic vero fidei juſta cauſa credere potuerunt Miniſtri Sacri Montis, dum erat concepta per ea verba - *Et juxta formam in omnibus, et per omnia Bullæ Gregorianæ, et non aliàs &c.*, quæ præciſam obſervantiam
7 cujuslibet etiam levioris conditionis important, & contrarium penitùs excludunt, ut ponderando effectus d. clauſulæ *et non aliàs*, tradunt *Roec. diſput.* 157. *n.* 12., *Rota dec.* 64. *poſt Zach. de oblig. Cameral., cor. Coccin.* 1296., *et dec.* 29. *n.* 9., *et ſeqq cor. Arguell.*, & de alia clauſula -- *In omnibus, et per omnia -- Barboſ. tract. Var. clauſ.* 67. *n. primo, et per tot., Surd. dec.* 53. *nu.* 5., *Rota cor. Coccin. dec.* 1469. *n.* 7., *et dec.* 398. *n.* 6. *parte* 4. *rec.*

Accedente præſertim circa Perſonam Ur-
8 ſini teſtificantis duplici circumſtantia, quod nempe ipſe non ſolum erat publicus Vrbis Notarius, & ſic legitima perſona, cuì ratione publicæ auctoritatis credendum eſſet, ex deductis *dec.* 623. *n.* 12. *coram Seraph., dec.* 649. *n.* 5. *cor. Merlin., dec.* 54 *n.*16 *p.* 11. *rec., et dec.* 6. *n.* 8. *cor. R.P.D. meo Anſaldo*,
9 ſed ulterius fuerat per ipſius acta rogatum Inſtrumentum venditionis Domus factæ ad favorem Antonii Franciſci de Rubeis, ut in eadem fide enunciabatur, undè atteſtatio cadebat ſuper re, non jam per alium geſta, in quo timeri poſſet ignorantia, ſed ſuper contentis in Inſtrumento per ipſum conſcripto, itaut omnimodam ſcientiam rei peractæ poſſet habere, & ideo fidem ſuæ atteſtationi majorem conciliaret, *Surd. conſil.* 440. *n.*52: *verſ. credit., R.P.D. Anſald. de commerc., et Mercatur. diſc.* 81. *n.* 36, *Rota dec.* 524. *n.* 2., *et dec.* 542 *n.*1. *coram Bich., dec.* 95. *n.* 9, ibique *Adden. coram Baratt.*, & cum aliis *in Ariminen. manutentionis* 5. *Decembris* 1707. §. *In præſenti cor. Eminentiſſimo D. meo Cardinali Scotto*.

Quodque pariter notandum DD. viſum
10 fuit, illud eſt, quod idem Urſinus erat Notarius Tribunalis Viarum, ad quod privativè ſpectat executio ſæpedictæ Bullæ ex diſpoſitione ejuſdem Pontificis, & propterea teſti-
11 ficans de plenario adimplemento formæ per eamdem Bullam præſcriptæ, teſtimonium fecit de re, quæ ad officium ſuum pertinebat, & privativè concernebat ejus incumbentiam, itaùt ſuſpicari non poſſet, quod neſciret formam ibi præſcriptam, vel minùs verum deponeret, *Thomat. dec.* 55. *num.*26., *& dec.*126. *num.*26., *Rot. dec.*88. *num.*2. *coram Coccin., dec.* 525. *nu.*5. *par.* 2. *rec., & in Colonien. Canonicatus primæ Gratię* 13. *Decembris* 1709. §. *Quantum enim coram Me.*
12 Abſque eo quod dici valeat Miniſtros Sacri Montis in eo defeciſſe, quod ſine Judicis mandato ſolverunt, quando præſertim demandatur in Bulla Gregoriana, quod ſi Dominus rei retractæ noluerit, vel nequiverit fidejuſſores præſtare, emantur ex pretio alia bona ſtabilia arbitrio Emi Camerarii, & Magiſtrorum Viarum.

Etenim, ultra quod ad evitandam neceſſitatem mandati Judicis, plura à Sacro Monte allegabantur exempla etiam in judicio canonizata, quæ ejus favore poterant conſtituere obſervantiam, & conſuetudinem ſolvendi ſine tali mandato, plures occurrebant reſpon-
13 ſiones, & præſertim, quod hic non agitur de depoſito Judicis auctoritate facto, neque de depoſito facto ad effectum inveſtiendi in genere, in quibus caſibus neceſſe fuiſſet pro ſ l-
ven-

ventis liberatione mandatum Judicis exhibere, ſed agitur de depoſito privatim facto à contrahentibus ea lege, quod ſolvi poſſet cum ordine Antonii Franciſci de Rubeis *tantum*, undè ſequitur, quod viſo per Montem illius ordine, potuerit ſolvere abſque alio mandato Judicis, quod mediante illa dictione *tantum* penitus excludebatur, ex deductis *deciſ.* 85. *num.* 14. *poſt Pacific. de Salvian. Interdict., diſc.* 184. *num.* 1. *coram Manzaned., dec.* 788. *num.* 3. *coram Emerix Jun.*, & *dec.* 276. *n.* 2. *par.* 16. *rec.*, ac paſſim alibi

Eademque reſponſione evitatur, (quatenus etiam præſenti caſui adaptari poſſet)
14 diſpoſitio dictæ Bullæ, quia ſi Monaci deponentes ab illa receſſerunt, injungentes ſolutionem faciendam eſſe cum ordine Franciſci Antonii dumtaxat, non indigere arbitrio Eminentiſſimi Camerarii, neque ipſius, aut Magiſtrorum Viarum auctoritate declararunt.

Neque ſubſiſtit Notarium feciſſe ſolum fidem ſuccinctam actus rogati inter Franciſcum Antonium de Rubeis, & Riccium cum relatione ad Inſtrumentum, itaut debuiſſent Miniſtri illud inſpicere, & rei veritatem ante ſolutionem recognoſcere. Contrarium enim ex lectura ipſius atteſtationis convincitur, dum in ea non contrahentium verba retulit dicentium adimpleviſſe conditiones depoſiti, & quæ præſcripta ſunt in Bulla ſervaſſe, in quibus ſanè terminis eſſent adaptabiles deciſiones alias contra Montem editæ coram *Roxas deciſ.* 165., *cor. Peutinger. dec.* 91., & *coram Dunozet. Jun. dec.* 604.,
15 & 622., ſed aſſertivè, & proprium interponendo Judicium, teſtatus eſt, fuiſſe à Riccio venditam Domum, ibi -- *Cum vinculis, declarationibus, & conditionibus contentis, & expreſſis in retroſcriptis partita depoſiti, & ordine reſpectivè, & juxtà formam in omnibus, & per omnia Bullæ Gregorianæ, & non alias &c.* -- & addiderit -- *Et aliàs latiùs prout in Inſtrumento ſupradictæ venditionis in actis mei rogato, ad quod &c.* -- attamen hæc relatio reſpiciat ſolum magis latam expoſitionem contractus factam in Inſtrumento, ſed non poteſt deſtruere atteſtationem abſolutè priùs factam de adimplemento partitę depoſiti, & Bullæ Gregorianæ, cum omnis
16 relatio ſemper intelligenda ſit cohærenter ad expreſſa, & compatibilitèr cum illis, *Gratian. diſcept.* 839. *num.* 14., *Bonden. collect.* 34. *num.* 105. *lib.* 1., *Rota in Trojana delationis Crucis ſuper bono jure* 10. *Decembris* 1708. §. *Quæ ſpecialis coram R. P. D. meo Aldrovando*, & *in Peruſiana Fideicommiſſi* 21. *Martii* 1710 §. *Neque diverſimodè coram R. P. D. meo Criſpo.*

Et ita utraque &c.

ROMANA REINTEGRATIONIS. DEPOSITI.

Veneris 10. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Notarius tenetur ad damna, & de dolo, ſi mediante ejus fide ſuccincta, (quæ de cætero non verificaretur) Mons Pietatis depoſitas pecunias perſolveret.

Damnificatus ab eo tamen habet adversùs ipſum actionem ſubſidiariam tantum, poſt factam diſcuſſionem principalis debitoris.

SUMMARIUM.

1 *Hypothecæ ſuper domo retracta vigore Bullæ Gregorianæ transferuntur in inveſtimento facto cum illius pecuniis, adeoùt creditores coactivè vendentis, idem inveſtimentum, & non domum proſequi teneantur.*
2 *Notarius non ſolum tenetur de dolo, ſed etiam de culpa, & ad omnia damna, ſi ex ejus facto ſequatur aliqua illegitima ſolutio.*
3 *Amplia, etiamſi ſine dolo ſe geſſiſſet.*
4 *Notarius nequit excuſari, quando non ſolum fidem facit de contractu inter partes inito, ſed ulterius teſtatur fuiſſe factum inveſtimentum ad formam Bullæ, quando re vera id factum non fuiſſet.*
5 *Miniſtri S. Montis non poſſunt ſolvere, niſi certi ſint de reinveſtimento ſequuto ad tramites legis ſcriptæ in partita depoſiti.*
6 *Mons ſi ſequatur fidem Notarii publici in ſolvendo depoſitum, excuſatur à quolibet accidenti.*
7 *Notarius tenetur in ſubſidium reficere damna, etiamſi eſſet in culpa*
8 *Actio ſubſidiaria non datur, niſi prius excuſſo principali debitore, & in caſu, quo parti læſæ diverſimodè conſuli nequeat,* & num. 11.
9 *Amplia, licet principalis debitoris bona eſſent ſub concurſu; & vide rationem.*
10 *Creditor non poteſt acquieſcere adverſus principalem debitorem, in præjudicium ſimplicis fideiuſſoris, quando judicium contra illum introduxiſſet; ſed exequtionem mandati procurare tenetur.*

DECISIO DCCCCXXX.

PRO ſatisfactione pretii Domorum, quas vigore Bullę Gregorianæ ſuper retractu emerunt Monaci S. Crucis in Hyeruſalem à fratribus de Rubeis, fuerunt depoſitæ pecuniæ in Sacro Monte Pietatis, ad hoc, ut ad formam ejuſdem Bullæ in tot ſtabilibus reinveſtirentur: Verum qùia ob ſequutam exactionem, non facto inveſtimento, Monaci emptores paſſi fuerunt moleſtias ſuper Domibus, & relevationem ſuper pretio obtinere non valuerunt, duplicem intentarunt actionem pro reintegratione præfati depoſiti, alteram contra Sacrùm Montem uti depoſitarium ob ſolutionem factam, non ſervata forma Bullę Gregorianę, alteram contra Urſinum Notarium, qui pro adimplemento Bullæ fidem fecerat, propter quam Mons, non curata alia juſtificatione, pecunias depoſitas perſolverat, delataque utraque inſtantia ad A.C placuit iſti, Sacro Monte per ſententiam abſoluto, condemnare Notarium, & contra illum mandatum relaxare, ſub

ſub ea tamen conditione, quod Monaci tenerentur priùs excutere bona hæreditaria fratrum de Rubeis venditorum.

Cum itaque ab hoc judicato fuerit ex poſt mihi commiſſa appellationis cauſa, duo diſtincta dubia diſputanda propoſui in hodierna audientia. *Primum*: *An conſtet de credito contra Montem*, & huic fuit *negative* reſponſum, ex rationibus adductis in alia mea contemporanea deciſione. *Secundum*: *An conſtet de credito contra Notarium, itaut mandatum A.C. ſit exequendum* quod *affirmativè in omnibus* reſolutum fuit.

Fundamentum reſolutionis ſtetit in eo, quod depoſitum à Monacis factum in Sacro Monte Pietatis expreſſam continebat legem, quod non conſignaretur, niſi conſtitiſſet ex eo factum fuiſſe inveſtimentum ad formam Bullæ Gregorianæ ſuper retractu, ibi -- *Si doverà rinveſtire, ſecondo ſi diſpone nella medeſima Bolla Gregoriana* -- ; ſi verò iſta conditio, ſivè lex fuiſſet adimpleta, utique Monaci ſuper domibus emptis moleſtias non
1 habuiſſent, dum vigore ejuſdem Bullæ omnia onera, omneſque hypothecæ tranſlatæ fuiſſent in inveſtimentũ factum ex pretio, & creditores Franciſci de Rubeis contra illud agere debuiſſent, juxta firmata in *Romana Salviani* 12. *Junii* 1693. §. *Defectus, & per totum clar. me. Card. Caprara, impreſſ. poſt tra&t. Var. Gobbi dec.*17. *nu.*2. *& ſeq.*

Id autem ex culpa Urſini Notarii factum eſt, quia fidem faciendo de ſequuto inveſtimento -- *Cum vinculis* (ſunt verba ejuſdem fidei) *declarationibus, & conditionibus contentis, & expreſſis in retroſcriptis ordine, & partita depoſiti reſpectivè, & juxta formam in omnibus, & per omnia Bullę Gregorianæ, & non alias &c.* occaſionem dedit, quod depoſitum mediante hac atteſtatione (cui Miniſtri Sacri Montis ex juſtis cauſis relatis in alia contemporanea deciſione, credere potuerunt) quod diſtractum fuerit, quamvis inveſtimentum re vera, & cum Idoneis fideiuſſoribus, ut demandat Bulla) factũ non fuiſſet,
2 itaùt rectè contra eum obtinuerint Monaci judicari pro reintegratione dicti depoſiti, ut in præciſis terminis alias cenſuit *Rot. deciſ.* 142. & 211. *coram ſa. me. Alexand. VIII.*, *præſertim attenta reformatione ſa. me. Pauli V. in rubr. de Notar. Tribunal. Urbis nu.* 36., & 37. *relat. in iiſdem deciſ.*, ubi etiam quod Notarius de actis per ipſum culposè geſtis in præjudicium alicuius ſemper tene-
3 tur, etiamſi ſine dolo ſe geſſerit, ut *in dict. deciſ.*142. *num.*11.
4 Abſque eo quod valeat excuſari, ex quo nihil aliud egerit, quam dare fidem actus geſti inter fratres de Rubeis, & Riccium, cui fuerunt ſolutæ pecuniæ depoſitatæ cum relatione ad inſtrumentum per ipſius acta rogatum, undè arguitur, quod ſicuti nullius culpæ reus dici potuiſſet, ſi integrum inſtrumentum in publicam formam tradidiſſet, quia ad id ratione officii cogi poterat, ità pari forma ab omni culpa exemptus ſit, dum idem in effectu egit mediante dicta fide ſuccinta.

Objectum enim procederet, ſi verè Notarius ſe continuiſſet in referendo tantum actu à partibus geſto pro ſatisfaciendo legi depoſiti, & Bullæ Gregorianæ; at ex lectura fidei plenè conſtitit, quod iſte proprium judicium ultroneè interponendo effrenatis, & generalibus verbis teſtatus eſt, factum fuiſſe inveſtimentum in omnibus, & per omnia ad formam Bullæ, juxta verba ſuperius recenſita. Quidquid namque dici poſſet in caſu ſimplicis relationis ad verba, & acta
5 partium, quia tunc Miniſtri Sacri Montis non ſolviſſent, niſi factis diligentiis recognoviſſent realiter inveſtimentum factum fuiſſe, & adimpletas conditiones depoſiti, hoc
6 unum certum eſt, quod in noſtris terminis certiores de his effecti ex Teſtimonio Notarii publici, ab omni potuerunt excuſari ſollicitudine, prꝑſtando fidem perſonæ, quę, & ratione officii, & aliis ex cauſis in dicta mea contemporanea deciſione relatis illam promerebatur.

Non ita tamen abſolutè ad condemnationem Notarii procedendum eſſe DD. cenſuerunt, ſed cum ea conditione, quam adiecit etiam A.C., faciendi priùs excuſſionem bonorum provenientium à fratribus de Rubeis principalibus debitoribus, quamvis Monacorum defenſores ſuper illius deletione plurimum inſiſterent, præſertim ex motivo, quod illa ſint ſub creditorum concurſu.
7 Quandoquidem poſita etiam Notarii culpa in tradendo dictam fidem, adhuc ille directè, & executivè conveniri non poterat, ſed tantum in ſubſidium, ut agendo pariter de Notariis tradunt *Bartol. in l.* 5. *num.*7. *ff. de Tabul. exhiben.*, *Farinac. de carcer. qu.* 33. *num.* 91., optimè *Coſta de remed. ſubſidiar. remed.* 51. *nu.*6., & ita practicavit *Rot. in dict. deciſ.*242 *in fin. coram ſa. me. Alex.*
8 *VIII.* Actio verò ſubſidiaria locum habere non poteſt, niſi priùs excuſſa fuerint bona, & effectus principalium debitorum, & exerceri non poteſt, niſi in caſibus, in quibus aliundè Parti lęſæ conſuli non queat, ad *Text. in l. ſi me, & Titium, ibique Doctores ff. ſi cer. petat.*, idem *Coſta de remed. ſubſid. prælud.* 7. *num.* 9., *& remed.*12. *num.*5., *Rot. deciſ.* 77. *num.*27. *par.*6., *& dec.*149. *nu.*1., *& ſeq. par.* 19. *rec. tom.*1.
9 Neque exempti dici valent ab obligatione talis excuſſionis ratione concurſus creditorum jamdiù convocati ſuper iiſdem bonis. Etenim concurſus non ſupervenit, niſi de anno 1711. poſt mortem omnium fratrum de Rubeis; actio verò favore Monacorum orta jam erat à quatuor annis ante, & de facto illam ipſimet noverunt agendo ad hunc effectum contra eoſdem fratres de anno 1707. uſque ad obtinenda decreta pro reportatione ſummæ depoſitæ ad Sac. Montem,
10 ejuſque aſſecuratione. Quod ſi ex poſt acquieverunt, & principales debitores interim facti ſunt non ſolvendo, id contigiſſe patet ex eo.

eorum negligentia, dum debitas de jure diligentias non perfecerunt, procurando effectivam mandatorum expeditionem, eorumque vel realem, vel perſonalem exequutionem, ad *Text. in l. qui decem 72. ff. de ſolut.*, *& l. dolus eſt ff. mandat.*, *Mangil. de evict. 78. num. 1., & ſeqq.*, *Rot. dec. 25. nu. 13., & 14. par. 13. rec., & dec. 1203. num. 19. cor. Emerix Jun.*: Quam ideò negligentiam ſibi
11 debent imputare, neque exindè poſſunt prætendere directè conveniendum eſſe Notarium ſubſidiariè obligatum, ne illorum culpa in iſtius perniciem, & damnum vertat, contra *Text. in l. rem hæreditariam 65. in fine ff. de ſolut.*, *& in dicta l. qui decem 72. ff. de condict.*, *& in cap. damnum de regul. jur. in 6.*, & in propoſito firmat *Lotter. de re beneſic. lib. 1. qu. 39. num. 118., & 119., ac melius 138., & ſeq.*, *Barz. dec. 72. num. 11., & ſeq.*, *Rota coram Ninot. dec. 2. num. 5.*, ubi de lapſu biennii, ac paſſim alibi.

Et ità partibus auditis &c.

FULGINATEN. IMMISSIONIS.

Lunæ 13. Januarii 1715.

ARGUMENTUM.

Deliberatio facta authore Prætore, & pro ſumma in mandato contenta, juſta præſumitur, nec de læſione redarguitur, ſi Judex mandaſſet conſignari creditori, ultrà prætium, alias expenſas ex poſt factas.

Exceſſus ab æſtimo in Cataſtro adnotato non deſumitur, cum illud valorem verè non probet, ſique ageretur in antiquis, cæteris Cataſtris omiſſis, æſtimatio ultimi Cataſtri prævalere debet antiquæ.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum numquam datur à ſententia valida, & juſta, maximè ſi Commiſſio ſignata fuiſſet cum clauſula --* Appellatione remota.

2 *Deliberatio, quando fiat etiam pro ſumma in mandato non contenta, (licet de cætero deberetur) nulla eſt.*

3 *Deliberatio facta ad tramites, & pro ſumma in mandato contenta, juſta dicitur.*

4 *Deliberatio non fit exceſſiva, ex quo Judex poſt conſumptam deliberationem, mandaſſet conſignari ex pecuniis ab ea provenientibus favore Creditoris non ſolum credita, ſed etiam fructus ex poſt decurſos, & expenſas deliberationis licet in mandato non contentas.*

5 *Læſio non præſumitur in deliberatione authoritate Judicis facta.*

6 *Amplia, ſi adſit lapſus temporis, quo caſu eſſet concludenter ab Actore probanda, & de tempore præciſo factæ deliberationis.*

7 *Subamplia, ſi agatur in judicio manutentionis, & reintegrationis.*

8 *Cataſtrum non probat verum valorem bonorum.*

9 *Amplia, ſi adduceretur ad reſcindendam ſolemnem deliberationem.*

10 *Cataſtrum ultimo loco factum attenditur ad dignoſcendum verum valorem bonorum, rejectis antiquis, quandò confectum eſſet magis diſtinctè, & audita parte, & diu fuiſſet obſervatum.*

11 *Teſtes ſimplices non repetiti non probant.*

12 *Licet ſint formiter repetiti, niſi reddant cauſam ſcientiæ non probant.*

13 *Amplia, ſi ageretur de probandis fructibus prædii, ad effectum reſcindendi deliberationem, & neſcirent ad quantum aſcendere potuiſſent fructus intra decem annos ante illam, & decem annos ex poſt.*

14 *Juris rigor relaxandus eſt, quando agitur de reſcindendo actu antiquitus geſto.*

15 *Amplia, ſi talis actus numquam fuiſſet ab Authore opponentis de nullitate, & læſione redargutus.*

DECISIO DCCCCXXXI.

POST lapſum triginta ferè annorum à die, qua Didacus Tempeſtinus pro ſorte, & fructibus ejuſdem Cenſus paſſus fuerat ad inſtantiam Vincentii Roſcioli Creditoris deliberationem Domus, cum Molendino Oleario ſitum in terra Caſtri Gradi, ac unius Prædii in vocabulo *Calcerico*, petierunt Cherubinus, & Anna ejus filia manutentionem, ſivè reintegrationem ad prædicta bona tanquam non verè, & juſtè deliberata, ſed A.C. cui Cauſa à SSmo commiſſa fuerat de voto ſuorum Locum tenentium cum Clauſula *appellatione remota*, protulit ſententiam abſolutoriam favore Capituli Eccleſiæ Cathedralis Fulginei moderni eorumdem bonorum poſſeſſoris, cui tamen Actores minimè acquieſcentes, obtinuerunt à Signatura Juſtitiæ loco Signaturæ Gratiæ à R. P. D. Auditore SSmi deputata novam Commiſſionem mihi dirigi in gradu reſtitutionis in integrum, ad cujus formam propoſito hodie per me dubio -- *An conſtaret de cauſis &c.* -- Domini *non conſtare reſponderunt*, quia validitas dictæ Sententiæ non controvertitur, juſtitia verò fundatur in Inſtrumento deliberationis ſe-
1 quutæ anno 1658. vigore mandati ab A.C. contra memoratum Didacum debitorem à dicto Vincentio reportati: undè, his ſtantibus, locus eſſe nequit petitæ in integrum reſtitutioni, cum agatur de Sententia lata vigore commiſſionis à SSmo Signatæ cum Clauſula, *appellatione remota*, *Rot. in Bonon. exemptionis 14. Junii 1706. §. Res namque coram Rmo P. D. Molines Decano*, *& in Romana fideicommiſſi de Avila ſuper reſtitutione in integrum 21. Junii 1715. §. Nulla enim coram Me*, & paſſim alibi.

Nequè ſubſiſtit, quod prædicta deliberatio fuerit nulla, & enormiſſime læſiva. Nam
2 quatenus nullitas ex eo deducitur, quod Prætor Fulginei proceſſerit ad actum deliberationis etiam pro fructibus poſt mandati A.C. expeditionem decurſis, qui in eodem mandato minimè continebantur, objectum ceſſat

ex facto, liquido enim patet ex proceſſu Actor m, tàm præcedentem exequutionem, quam ſubſequutam deliberationem controverſorum bonorum ſimpliciter factas fuiſſe pro ſumma in Mandato contenta, abſque ulla prorſus mixtura, ſivè ſpecificatione alterius Crediti, ſeu fructuum uſque ad eam diem decurſorum, ac propterea, cum de Juſtitia
3 mandati nulla ſit inter partes diſſenſio, nihil videtur officere ex iis, quæ ad validitatem deliberationis de jure requiruntur, *l. Ultima §. fin. Cod. de Iur. dom.*, *Rot. coram Burat. dec.49. num 12.*, *& 13.*, *& rec. dec.274. nu. 3. par.11.*, *& coram Emerix Jun. deciſ.609. num.1.*

4 Et quamvis idem Judex ſtatim poſt perfectam, & conſumatam deliberationem, & poſt addicta bona majori oblatori, ex pecuniis exindè retractis mandaverit conſignari Vincentio Creditori, nedum ſummam in mandato contentam, & pro qua executio, & deliberatio facta fuerat, verùm quoque fructus dicti cenſus poſt mandati expeditionẽ uſque ad eam diem decurſos, & inſuper expenſas ejuſdem deliberationis, quæ ſanè in mandato A.C. minimè continebantur, inde tamen nullatenus argui poteſt, quod deliberatio fuerit exceſſiva, & pro ſumma in mandato non contenta; ſi quid enim in eo Judex exceſſit, exceſſit ſolùm in conſignatione, & diſtributione pecuniarum ex bonis deliberatis retractarum, qui ſanè actus tamquam diſtinctus, & poſterior minimè aptus eſt inficere præcedentem deliberationem jam ritè, rectèque conſumatam, ad ea, quæ in durioribus terminis inveſtimenti facti de reſiduo pro ſatiſfactione fructuum, quorum dies adhuc non ceſſerat, *firmat. Rota dec.1. nu.2. & ſeqq. par.18. rec.*

Ex facto paritèr ceſſat aliud objectum enormiſſimæ læſionis ex eo deductæ, quod pro tenui ſumma ſcut.900. deliberata fuerint bona valoris ſcut.3400. Præmiſſo enim quod, ubi, prout hic, agitur de infringenda deli-
5 beratione Judicis auctoritate expleta, læſio non præſumitur, & maximè poſt lapſum longiſſimi temporis 30. ferè annorum, ſed illa
6 plenè, & concludenter ab Actore probanda eſt de præciſo tempore factæ deliberationis, & quidem ultra Beſſe, *Rota dec.270. num.14. & 15. par.14.*, *& dec.501. num.7.*, *& 8. par. 18. rec.*: Præſertim verò in Judicio manuten-
7 tionis, reintegrationis, *Rot. d. dec.270. nu. 10. par.14.*, *& dec.237. num.1.*, *& 2. par.15.*

Illam profectò viſæ non ſunt concludere probationes ab Actoribus adductæ. Nam fides Æſtimi, in quo Didacus ante paſſam deliberationem allibratus fuit in confuſo, & in genere pro bonis omnibus ab eo poſſeſſis in ſumma ſcut.4600., poſtea verò in ſolis ſcutis 2300., tranſlata alia medietate in faciem Vincentii à Deliberatario cauſam habentis;
8 ultra quod de Jure, & ex ipſa confeſſione Cancellarii Communitatis ab Actoribus producta verum valorem non probat, præ-
9 ſertim ad effectum reſcindendi ſolemnem deliberationem, *Rot. deciſ.703. num.1.*, *& ſeqq. par. 18.*, potiùs contra ipſos Actores retorquetur, nam Vincentius onera, & collectas ad prædictam rationem numquam ſolvit, quinimmo anno 1661. illius taxatio in longe minori quantitate concordata fuit, & renovato Cataſtro anno 1668., fuerunt dicta bona allibrata pro Capitali, ſcuta mille non attingente, & ad hanc rationem Capitulum in preſenti reus conventus onera, & colle-
10 ctas etiam hodie perſolvit, unde in hac æſtimorum contrarietate potiùs quam antiquo minus ſolemni, & ſemper contradicto, videtur huic poſteriori deferendum magis diſtinctè, & parte audita confecto, ac uſque ad hæc tempora continuè obſervato, *Genua de ſcrip. privat lib.5. tit. de lib. æſtimi quæſt. 4. num 3.*, *& ſeqq.*, *Andreol. controv.266. num.15.*, *Rot. dec.703. num.1. & ſeq. par.18.*

Teſtes verò ab Actoribus producti nullam fidem promerentur; alii enim tamquam for-
11 miter non repetiti nullum probationis gradum conſtituunt; alii autem, qui ſub for-
12 mali examine repetiti fuerunt, licet aliqua de valore, & optima Prædii qualitate, juxta eorum ſenſum deponant, adhuc tamen cum nullam, vel ineptiſſimas ſcientæ cauſas reddant, & inſuper omnes fateantur à ſe pe-
13 nitus ignorari quot fructuus ab eodem Prædio decem annis deliberationem antecedentibus, & decem aliis ſubſequentibus percepti fuerint, atque in præſenti percipiantur, digni non videntur, quibus fides ulla adhibeatur, ſivè quia tempus deliberationis non percutiant, ſivè quia ex ipſa eorum confeſſione valorem Prædii, qui ex fructibus potiſſimum deducitur, re verà ſcire non poſſunt, *Rota coram Seraph. dec.1377. num.4.*, *& 5.*, *& dec 272. num.21 par.5. rec.*

Eoque libentius DD. in hanc ſententiam iverunt, quia ex aliis teſtibus conſtat de nulla qualitate prædii de tempore deliberationis, agitur de re jam antiqua, in qua pro-
14 pterea juris rigor relaxandus eſt, quodque majorem promeretur animadverſionem, deliberatio, quæ hodie ab hæredibus Didaci nul-
15 litatis, & injuſtitiæ redarguitur, numquam fuit ab ipſo Didaco impugnata, qui tamen longè melius, quam ipſi Actores de valore bonorum deliberatorum certus eſſe debebat.

Et ita utraque Parte &c.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS.

Lunæ 13. Januarii 1716.

ARGUMENTUM.

Libri Caſperii publici probant concludentiſſimè contra ipſum Scribentem de partitis in illis deſcriptis; ac quomodocumque in eis, & ſub quavis formula adnotatę reperiantur, à redditione rationis de illis Caſperius non liberatur.

SUM-

SVMMARIVM.

1 *Peritia exarata auditis partibus, & prævia recognitione ſcripturarum, & librorum concludenter probat.*

2 *Amplia, ſi Partes ab ea non appellaſſent.*

3 *Libri Capſerii contra ipſum plenè probant.*

4 *Amplia, etiamſi partitæ adnotatæ reperirentur cum qualificatione: quia hæc qualificatio à redditione rationis eum non liberat.*

5 *Subamplia, ſi ad ejus manus, tamquam generalem capſæ Adminiſtratorem, omnes pecuniæ perveniſſent, & quid ſit munus Capſerii?*

6 *Capſerius non præſumitur adnotare in ſuis libris capſæ eas pecunias, quę ad ipſum non deveniſſent; amplia ut in* num. ſeq.

8 *Capſerius pecunias recepiſſe dicitur, ſi ei ordo fuiſſet giratus.*

9 *Amplia, ſi in ſui creditum ab Exactore Banci fuiſſet factum depoſitum.*

10 *Exigens majorem partem, præſumitur exegiſſe minorem*, & vide caſum.

11 *Girata* per altretanti *non facit præſumere, quod Giratarius perſolverit Giranti æquivalentem ſummam, cum hæc ſit praxis negociationis.*

12 *Capſerius præſumitur adnotaſſe in ſuis libris pecunias, quas ſolvit.*

13 *Liber Capſerii, in quo ſcriptum reperiatur* -- Entrata, & uſcita -- *non eſt diverſæ ſubſtantiæ ab illo, qui inſcriptus eſſet* -- Entrata, ed uſcita tenuta dà me NN. &c. --, *quando in utroque ab eo deſcripti fuiſſent introitus, & exitus Capſæ.*

14 *Libri Capſerii probant contra ipſum indiſtinctè quoad omnes partitas ibi deſcriptas.*

15 *Quæ parem habent rationem diverſo jure non ſunt judicanda.*

DECISIO DCCCCXXXII.

MAndatum à R.P. D. meo Aldrovando relaxatum, dum adhuc eſſet in Subſelliis A. C. favore DD. Andreæ, & Laurentii del Roſſo tam contra Auguſtinum Humiltà olim Capſorem pro reliquatu redditionis rationis de adminiſtratione Capſę Bancariæ diù per illum exercita, quàm contra ejus Uxorem, & Filios, qui pro Viro, & reſpectivè Patre fidejubendo ſeſe inſolidum obligaverant, ſuſpendit Signatura Juſtitiæ, mediante Reſcripto per Reos obtento, *Si quid exequendum*, ſed propoſito hodie per me congruo dubio, *exequendum eſſe*, Domini reſponderunt.

Illius porrò juſtitia (cum validitas reſultaret ex actis) plenè comprobatur, non ſolùm ex clara omnium prædictorum obligatione emiſſa anno 1700. per inſtrumentum
1 publicum, verùm etiam ex relatione Joannis Baptiſtæ Leonori Periti, de conſenſu Partium electi, qui reliquatum in ſumma ſcut. 26554. 79. recognitis Libris, auditiſque Partibus liquidavit, cui quidem Peritiæ
2 omninò ſtandum eſt, dum præcipuè nunquam ab ea fuit appellatum, *Rot. dec.* 201. *n.* 7. *p.* 18., & *dec.* 625. *n.* 9. *p.* 19. *rec.*, & *in Ariminen. legitimæ* 2. *Junii* 1706. §. *Etenim*, & 8. *Junii* 1714. §, *Strictè coram Me.*

Abſque eo quod demi debeant à prędicto credito duæ Partitę, quarum altera eſt ſcutorum 12172. 2., & altera ſcut. 14842. 72. provenientes ex Depoſitariis Montium, quas unà cum Appaltu Salis retinebant iidem del Roſſo, ſub motivo, quod pecunię prædictæ non pervenerint ad manus Auguſtini Capſerii; ideoque iſte nón poſſit dè illis quoque
3 debitor conſtitui. Quoties enim hæ partitæ fuerunt per ipſum in Libis Introitus, & Exitus dictarum Depoſitariarum deſcriptæ, hoc ipſo conſtat etiam reſpectu ad iſtas de Scribentis debito, cum plenè hujuſmodi deſcriptio probet contra Scribentem, *R. P. D. meus Anſaldus in Tractat. de commerc, & mercat. diſc.* 56. *n.* 5., *Rot. dec* 898. *n.* 4. *cor. Card. Cerro, dec.* 675. *n.* 2. *p.* 18. *rec.*, & *in Romana Pecuniaria* 2. *Decembris* 1701. § *Nec dubitari coram bo. me. Muto.*

4 Et licèt in iiſdem Libris non ſimpliciter deſcriptæ fuerint, ſed qualificatè, ſcilicet tanquam receptæ per ipſoſmet DD. del Roſſo ibi -- *dalla Reverenda Camera Apoſtolica ſcudi* 14842. 78. *moneta avuti da noſtri Signori Andrea, e Lorenzo del Roſſo, diſſero riſcoſſi in più partite &c.*

Hoc tamen non excludit, quin deinceps ad manus ejuſdem Capſerii non pervenerint,
5 quando prę ſertim ipſe erat generalis Capſæ Adminiſtrator, & de facto illas in Libris Adminiſtrationis Capſæ deſcripſit, cum propriè munus Capſerii iſtud ſit, ut pecunias omnes ad adminiſtrationem pertinentes det & recipiat, & de datis, atque acceptis ratio-
6 nem retineat, nec credibile ſit, quòd in Libro Capſæ, eas pecunias recenſeat, quas non recepit, ad *Tex. in l. finali* §. *Sin autem Cod. arbitr. Tut.*, *idem R. P. D. meus Anſaldus diſc.* 45. *n.* 4., *Giurb. dec.* 88. *ſub n.* 5., *Rot. dec.* 690. *n.* 1. 2. & 5. *p.* 3. *rec.*, *cor. Duran. dec.* 368. *n.* 15. & 26., *cor. Dunoz. jun. dec.* 332. *n.* 14 & *ſeq.*, & *in Romana Peuniaria* 28. *Februar.* 1701. §. *Nec Cataneos cor. Rmo P. D. Molines De-*
7 *cano*, itaut ex hujuſmodi deſcriptione oriatur clara confeſſio, quod pecuniæ in Capſam pervenerint, *Angel. de confeſſ. lib.* 2. *p.* 78. *n.* 17., *Thomat. dec.* 124. *n.* 18., *Rot. dec.* 337. *n.* 2. *cor. Celſo*, & propterea contrarium ſubſtinere prętendens, teneatur concludenti probatione errorem demonſtrare, *Rocca diſput. jur. cap.* 111. *n.* 51., *Rot. dec.* 160. *n.* 8. *p.* 9. *rec.*, *dec.* 6. *n.* 10. *cor. R. P. D. meo Anſaldo, & paſſim.*

Tantùm verò abſuit, quod detur in prę ſenti erroris demonſtratio, ut potius pro ſumma ſcutor. 11000. certiſſimè probetur dictas pecunias in Auguſtini manus perveniſſe;
8 quandoquidem conſtat per Miniſtrum Rev. Camerę expletum fuiſſe in perſonam Laurenzini Inſtitoris Rationis Bancariæ ordinem pro rata ſcut. 6000., & à Laurenzino giratum fuiſſe dictum ordinem favore ejuſdem
9 Auguſtini. Item conſtat alium ordinem à Miniſtro Cameræ factum fuiſſe pro rata ſcutor.

5000. in eandem perſonam Laurenzini, à quo fuit giratum Concepto de Conceptis Exactori ejuſdem Rationis Bancariæ, & per hunc pecunias in tali ſumma exactas, fuiſſe depoſitas in creditum dicti Auguſtini in Ban-
10 co Sancti Spiritus. Si itaque conſtat, quod in hac non modica ſumma pecuniæ devenerunt ad manus Auguſtini, intrat præſumptio etiam pro reſidualibus, ex animadverſis in propoſito *dec.* 1121. *n.*8. *cor.Emerix junior.*, *dec.*424. *n.*7 *p.*12. *rec.*, *in Aſculana Dotis* 25.*Junii* 1700. §. *Abſque eo quod cor. Rmo dell' Olmo*, *in dicta Romana Pecuniaria* 2. *Decembris* 1701. §. *Sextò cor.bo. me. Muto.*, & melius *dec.*432. *n.*16. *cor. Dunoz. jun.*

11 Nec obſtat, giratas à Laurenzino factas fuiſſe in dictis Ordinibus *per altretanti*, quia non indè infertur correſpondentem ſummam fuiſſe ab Auguſtino ſolutam eidem Laurenzino, cum communis ſit praxis Negociatorum Urbis explendi giratas cum tali clauſula, confectis ceteroquin inter ſe privatis quietantiis, ut notum eſt, & practicavit in hoc caſu Miniſter Cameralis, qui traxit Ordines Laurenzino *per altretanti*, quando tamen certum eſt, nihil ab illo recepiſſe, ultra
12 quod ſi tales ſummas Auguſtinus Laurenzino perſolviſſet, certè in ſuis Libris illas adnotaſſet, ex quibus proindè facilis hujus ſolutionis haberi poſſet probatio, ut proſequitur *Rot. in dicta Romana Pecuniaria* §. *Reſponſione cor. bo.m.e. Muto*, & *in confirmatoria* 9.*Junii* 1702. *in principio coram eodem.*

13 Neque demùm relevat, quod Libri, in quibus dictæ duæ partitæ fuerunt deſcriptæ, habeant titulum *d'Entrata*, & *Uſcita*, ſimpliciter, quando alii intitulantur -- *Entrata*, & *Uſcita tenuta da me Agoſtino Umiltà.* -- Etenim licèt in primis Libris non adſit hæc ultima expreſſio, non tamen deficit ſubſtantia rei, videlicet retentionis introitus, & Exitus ibi adnotati per eumdem Umiltà, dum ipſe erat Capſerius Generalis pro tota ratione Bancaria, per ipſum iidem Libri retinebantur, & propria etiam manu fuerunt
14 conſcripti. Sicut verò eſt innegabile, quod Introitum, & exitum dictorum Librorum iſte retinuit quoad alias partitas in iis contentas, ita quoque dicendum eſt, quoad has duas partitas, quæ in iiſdem Libris, una cum aliis
15 continentur, ne quę parem rationem habent, diverſo jure cenſeantur, ad *Tex. in leg. cum qui ædes ff. de uſucap.*, cum quo in propoſito *Rota in allegata deciſione* 432. *ſub n.*16. *cor.Dunoz.jun.*

Et ita Actoribus tantùm informantibus, Reis verò pluriès monitis fuit reſolutum &c.

PERUSINA CENSUS.

Veneris 17.*Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Creditor habens ſui favore validè obligatam Matrem ſui Debitoris, poteſt exercere illius jura, & actiones adverſùs fideicommiſſum aſcendentale, ex quo eadem Mulier dotem poſſet detrahere.

Defectus relevationis oppoſitus à Muliere cauſa ſuę obligationis, probandus eſt non de tempore, quo pulſatur à Creditore, ſed adfuiſſe de tempore præciſo, quo ſe obligavit.

SUMMARIUM.

1 *Creditor ex publico inſtrumento poteſt exercere omnia jura, & actiones ſuo debitori adverſùs alterum competentes*, & n.11.

2 *Mandatum expeditum vigore inſtrumenti publici, licèt iſtud in actis ampliùs non reperiretur, quoties tamen verè fuiſſet productum, & Notarius relativè ad illud, mandatum tradidiſſet, ſuſtinetur.*

3 *Scriptura ſi ex actis fuiſſet ablata, præſumitur, quod Reus conventus vigore illius, eam abſtulerit.*

4 *Mulier opponendo nullitatem ſuæ obligationis ex defectu relevationis, tenetur talem defectum concludenter probare.*

5 *Amplia, & quod idem defectus adeſſet de tempore præciſo ipſius obligationis à ſe emiſſæ, & non ſi ex poſt ſuperveniſſet, quod nihil operaretur.*

6 *Exceptio non oppoſita à Reo convento, non poteſt in judicium deduci ex poſt ab habente cauſam ab illo.*

7 *Solutio dotis validè probatur per rem judicatam ſuper ea emanatam.*

8 *Exceptio non ſolutionis dotis rejecta per ſententiam cum legitimo Contradictore latàm, non eſt allegabilis ab habente cauſam à Reo convento, qui talem ſententiam paſſus fuit.*

9 *Amplia, ſi poſt illam dos fuiſſet pro medietate reſtituta, & in reſervatione jurium pro altera medietate à Muliere reportata ſolventes non reclamaſſent.*

10 *Dos, deficientibus bonis liberis Viri, detrahitur ab iſtius aſcendentali fideicommiſſo.*

12 *Privilegium detrahendi dotes ex fideicommiſſo eſt tranſmiſſibile ad extraneos, & ſingulares Succeſſores.*

13 *Hæreditas conſiſtens in bonis per defunctum emptis, & non ſolutis, adeout à Venditore dominii reſervatario fuiſſent avocata, pro nihilo reputanda eſt*, & n.17.

14 *Mulier agens ad reſtitutionem dotis, non tenetur perſequi bona penès Tertios diſtracta.*

15 *Ut poſſit perſequi bona fideicommiſſaria, ſat eſt, quod in inventario hæreditario Viri bona libera non reperiantur adnotata.*

16 *Mulier ſi de manibus hæredum Viri pro reſtitutione dotis prædia fideicommiſſaria in ſolutum recipiat, præſumitur bona libera non adeſſe.*

18 *Non hæres, qui ſe talem declaraſſet, hæreditaria jura experiri nequit.*

19 *Hypotheca dotis anterioris non eſt eliſibilis ab alia contracta ex poſteriori.*

DECI-

DECISIO DCCCCXXXIII.

IN Cenſu ſcutorum 4000. monetę impoſito à Fratribus de Cantagallinis ſub anno 1648. favore Franciſci Galaſſii, ſeſe in ſolidum obligavit etiam Gabriellia eorum Mater pinguem habens dotem ſcutorum 6000. Devenit iſte Cenſus in Montem Spinellium Peruſiæ, qui conſequi volens fructuum decurſorum ſolutionem, & renovationem fidejuſſorum in inſtrumento impoſitionis promiſſam, judicium inſtituit anno 1702. coram R. P. D. meo Aldrovando, tunc emeritiſſimo A. C. Locumtenente, contra hęreditatem prædictę Gabriellię, hoc medio tempore defunctæ, quæ creditrix erat reſtitutionis ſuæ dotis pro rata ſcutorum 3000. contra hæreditatem Fulvii de Cantagallinis illius Viri. Directaque idcirco actione adverſus hæreditatem dicti Fulvii debitricem Gabrielliæ debitricis, fuit obtentum mandatum pro ſcutis 400. ſortis principalis ad effectum deponendi, & pro aliis ſcutis 853. 55. debitis pro fructibus decurſis.

Verùm quia in hæreditate Fulvii nulla inventa ſunt bona libera ſuper quibus fieri poſſet executio, rurſus coram A. C. Cincio vocavit in Judicium Horatium de Cantagallinis poſſeſsorem bonorum ſubjectorum fideicommiſso condito per Marcum Antonium ſeniorem de Cantagallinis Proavum prædicti Fulvii debitoris reſidui dotis reſtituendæ Gabrielliæ, in Cenſu, ut ſupradiximus, coobligatæ, atque Olindam pariter de Cantagallinis, cui quædam bona fideicommiſsaria fuerunt in dotem interim aſſignata, & favorabilia obtinuit Decreta pro executione mandati, jam ab R. P. D. Aldrovando relaxati, & pro expeditione alterius pro novis fructibus interim decurſis ad effectum exequendi ſuper bonis fideicommiſsariis. Cumque ab his fuerit mihi commiſsa appellationis cauſa, dedi hodie dubium -- *An mandatum A. C ſit exequendum* -- & Domini agnita illius validitate, & iuſtitia reſponderunt *eſſe exequendum*.

1 Siquidem validitate non controverſa, juſtitia promanat, ex quo conſtat de credito Cenſus adverſus Gabrielliam, & de credito dotis Gabrielliæ adverſus fideicommiſsum, ideoque potuit Mons Spinellius, obligatam habens Gabrielliam in forma Cameræ contra idem fideicommiſsum ſuæ debitricis debitorem, jura ſibi competentia experiri, ad *Tex. in l. nomen C. quæ res pignor. oblig. poſſ.*, *l. poſt quam C. de hæred. vel act. vendit.*, *Rot. apud Poſth. de manut.*, *dec.* 338. *dec.* 205. *n* 3. *coram Celſ. dec.* 179. *n.* 1. *p.* 19. *rec.*, cum aliis *in Romana reſtitutionis dotis* 18. *Junii* 1706. §. *Prout cor. Rmo P. D. meo Molin. Decano*, & *in Romana Pecuniaria* 26 *Febr.* 1714. § *Sententiarum cor. R. P. D. meo Falconrrio.*

2 Creditum autem dicti Cenſus excludi minimè poterat ex eo, quod non reperiatur in actis inſtrumentum ipſius impoſitionis, urget namque reſponſio, quod Notarius in expeditione dicti mandati relationem habuit ad inſtrumentum in actis productum, unde ſi illud modò amplius non extat in iiſdem actis, fuitque deperditum, talis amiſſio non Monti

3 Spinellio jus exindè deducenti, ſed potiùs aliis ejus vigore conventis, & quorum intereſt illud non reperiri eſset attribuenda, ad *Tex. in l. Ex quibuſdam* §. *Divus ff. de Jur. Fiſc.*, *Rot. dec.* 73. *n.* 37. *cor. Zarat.*, & *dec.* 305. *n.* 15. *p.* 16. *rec.* Ultra quod de exiſtentia, & legalitate talis inſtrumenti dubitari non poteſt, cum in forma authentica de facto hodie fuerit exhibitum.

Neque obſtat, quod Gabriellia fidejuſserit in dicto Cenſu correſpectivè ad relevationem ſibi promiſsam à filiis in bonis Viri prędefuncti, quam hodie conſequi non vale-

4 ret. Etenim omiſso, quod defectus iſtius relevationis influens ad nullitatem obligationis probandus eſſet concludenter ab allegan-

5 te, & quidem reſpectu ad tempus præciſum, quo mulier fidejuſſit, cum iſtud unicè ad hunc effectum ſit attendendum, non curato quidquid abindè citra evenerit, ut pluries firmavit *Rota*, & *præſertim dec.* 147. *n.* 14., & *dec.* 148. *n.* 33., & *ſeqq. poſt Conſtantin. ad Stat. Vrbis*, & plenè cum aliis *in Reatina ſervitutis* 2. *Decembris proximè præteriti* §. *Minuſque cor. R. P. D. meo Anſaldo*;

6 non poteſt amplius in præſenti proponi talis exceptio à tertio poſſeſſore fideicommiſſi, dum nunquam illam propoſuit Mulier vivens, neque propoſuerunt filii in expeditione mandati coram A. C. legitime citati, ut proſequitur *ead dec.* 148. *n* 37., & *ſeq. poſt Conſtantin.*, in qua concordant, & conferuut in ſimili deducta *in Aſculana dotis*, & *legitimæ* 16. *Jan.* 1699. §. *finali cor. Me.*, & *in Alatrina Reintegrationis* 4. *Junii* 1700. §. *Quod verò cor. Emo D. meo Card. Scotto.*

Sicut autem ſubſiſtit creditum cenſus ad Montem Spinellium pertinens, ità æquè firmum eſt creditum dotis Gabriellæ ejus debitricis ex fideicommiſſo per Horatium poſſeſ-

7 ſo conſequendæ, quod enim effectivè fuerit in integra ſumma ſcutorum 6000. perſoluta, neutiquam impugnari valet, cum jam ſtabilita reperiatur per rem judicatam, quæ favore ipſius Gabriellæ contra Creditores Viri emanavit, ut videre eſt *dec.* 292. *à n.* 1. *p.* 15.

8 *rec.*, itaut hæc exceptio ſemel rejecta per ſententiam cum legitimo contradictore latâ, non poſſit iterum hodiè allegari, *Rot. cor. Priolo dec.* 107. *nu.* 8., *dec.* 411. *nu.* 7. *p.* 19. *rec.*, & *in Peruſina Pecuniaria* 26. *Januarii* 1705. §. *Idque cor. bo. me Omanna*, tan-

9 toque magis, dum conſtat poſt eamdem ſententiam ab illius filiis pro rata ſcutor. 3000. reſtitutam fuiſſe cum reſervatione Jurium pro alia medietate, abſque ulla controverſia circa quantitatem.

Quod verò Dos iſta detrahi debeat ex fi-

10 deicommiſſo, ſatis Domini probatum cenſuerunt ex deficientia bonorum liberorum, & ex quo tale fideicommiſſum conditum fuit ab Aſcendente Viri, itaut quemadmodum

11 poſſet vigore *Auth. res quę C. commun. de legat.*

legat. agere ad reſtitutionem Gabriellia, ità agere valeat ejus creditor, cum tale pri-
12 vilegium etiam in extraneos, & ſingulares ſucceſſores tranſeat, plenè *Rota deciſ.* 95. *n.* 18. *cor. Card Cerro, dec.* 127. *nu* 7., *& ſeq. cor. Emerix jun.*, *& in Peruſina Pecuniaria* 9. *Maii* 1704. §. *Confutatum coram Rmo P. D. meo Molines Decano*, *&* 26. *Januarii* 1705. §. *finali cor. bo. me. Omanna.*

Et fruſtra negabatur defectus bonorum
13 liberorum, ex quo in inventario Fulvii eſſent deſcripta quædam bona in pertinentiis Caſtri Bagnajæ empta ab illis à Pinna, quia cum fuerint hæc bona vendita Fulvio cum reſervatione Dominii uſque ad finalem pretii ſolutionem, ob non factam hanc ſolutionem fuerunt de anno 1652. per Venditores judicialiter avocata, nec propterea de iis habenda hodie eſt ulla ratio, cum non teneatur
14 Mulier agens ad reſtitutionem Dotis perſequi bona penes tertios exiſtentia, *Card. de Luc. de dot. diſc.* 145. *n.* 72., *Rota cor. Coccin. dec.* 2306. *n.* 11., *& ſeq.*, *& dec.* 1131. *nu.* 6., *ubi concordan. cor. Emer. jun*, alia
15 vero bona libera non leguntur in inventario, quod ad probandum hujuſmodi defectum regulariter ſufficit etjam ad effectum reſtituendi Dotes ex bonis fideicommiſſariis, *Rota cor. Peutinger. dec.* 115. *nu.* 2., *dec.* 385. *n.* 8. *apud Palm. Nep.*, *& in Reatina fideicommiſſi* 7. *Martii* 1704. §. *In præſenti cor. Reverendiſſimo Molines Decano.*

Maximè quià id ipſum agnoſcentes Filii
16 ejuſdem Gabrielliæ hæredes fideicommiſſarii, pro reſtitutione medietatis d. Dotis, dederunt Matri in ſolutum duo corpora ſubiecta fideicommiſſo, quod ſi bona libera debitoris dotis extitiſſent, utique factum non fuiſſet, ut ponderat *Rota in Romana Pecuniaria* 17. *Junii* 1701. §. *Secundo cum ſeqq.*, *& in Peruſina Pecuniaria* 8. *Maii* 1704. §. *Prorſuſque cor. Reverendiſſimo P. D. Molin. Decano.*

Minuſque obſtat, quod in judicio Rotali, in quo prodiit ſuprad. enunciata *dec.* 292. *p.* 15. *rec.* Sacrum Tribunal conceſſerit Gabriellię retentionem pro dote ſuper bonis liberis,
17 quoniam ſi agitur de bonis uti liberis deſcriptis in Inventario Fulvii, & de his nulla poteſt haberi ratio, utpotè quæ fuerunt evicta, ut ſupra dictum eſt §. *Et fruſtra*; ſi vero agitur de bonis provenientibus à fideicommiſſis Marci Antonii junioris, & Bartoli, de quibus meminit d deciſio, & hæc amplius non extant, quia fuerunt in reſtitutione medietatis dotis aſſignata eidem Gabrielliæ, ut fuit probatum in facto.

Demum quod Hieronymus filius d. Gabrielliæ per ſententiam Gubernatoris Peruſiæ obtinuerit ex bonis fideicommiſſariis alia ſcuta 3000. non facit ad rem, quia fuerunt expreſsè obtenta pro dote Annæ Mariæ de Ciuciis ejus Uxoris, quæ nihil habet commune cum dote Gabrielliæ; præcipuè quia ne-
18 que pro dote Gabrielliæ poterat agere, dum non erat illius hæres, imò fuerat hæreditati jacenti jam antea deputatus Curator.

Hæc omnia contra Horatium fideicommiſſi poſſeſſorem firmata, procedere DD. cenſuerunt etiam contra Olindam in ſuo tamen congruo Judicio deducenda, cum pro dote, longè poſt ei conſtituta, fuerint aſſignata bo-
19 na ejuſdem fideicommiſſi, itaut tranſierint cum hypotheca prius contracta pro dote Gabrielliæ ejus Aviæ.

Et ita Partibus auditis fuit reſolutum &c.

VELITERNA DONATIONIS SUPER CREDITO.

Veneris 17. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 26. Januarii 1714.

Donator crediti cum promiſſione evictionis in caſu inexigibilitatis, committere dicitur ſtipulationem favore donatarii, ſi ante donationem idem creditum remanſiſſet extinctum, & quomodo hoc, declarat ſequens.

SUMMARIUM.

1 *Ceſſio, ſive donatio crediti de ſui natura inexigibilis, quando adſit exigibilitatis promiſſio, ad quanti intereſt obligat cedentem.*

2 *Cedens regulariter non tenetur de exigibilitate crediti ceſſi; limitatur autem, ſi de exigibilitate ſe obligaſſet.*

3 *Filia acceptans præceptum maternum de nil ultra petendo pro dote ſua, tale creditum reddit extinctum*, & vide caſum.

4 *Mulier creditrix pro ſua dote, ſi ſimul remaneat hæres debitoris illius, ſuas actiones cum titulo hæreditario confundit.*

5 *Amplia, ut ſuum creditum totaliter reddat extinctum per additionem hæreditatis.*

6 *Filia, quæ adeat hæreditatem Matris hæredis reſpectivè alterius, adverſus iſtius bona hæreditaria petere non poteſt, quod ei vetitum fuiſſet poſtulare à Matre, quia hoc præſefert legatum liberationis reſpectu debitoris; amplia*, ut in n. ſequenti.

8 *Actiones non confunduntur, ex quo creditor remaneat hæres mediatus debitoris ſui authoris, quando ante aditionem factam à ſuo authore de illius bonis iſte jam creditum reddidiſſet extinctum*, & vide rationem in n ſequenti.

10 *Bona obligata pro dote Matris, ſi filia iſtius hæres remaneat, in iſtius manibus libera evadunt.*

11 *Coobligati ſolidaliter, ab obligatione liberantur, ſi de præcepto teſtatoris hæres contra primum obligatum agere prohiberetur, ex quo creditum voluiſſet remittere.*

12 *Creditor debet bonificare hæredi ſui debitoris id, quod vigore immiſſionis obtentę ſuper aliis bonis poſſet recuperare, & vide caſum.*

DE-

DECISIO DCCCCXXXIV.

SUB fundamento, quod creditum reſidua-
le dotis Aureliæ Paris in ſumma ſcut. 1200.
donatum Barbaræ à Carolo Paliante cum
promiſſione evictionis in caſu inexigibilita-
tis, eſſet in totum inexigibile, cenſuit Rota
die 26 Januarii 1714. commiſſam fuiſſe ſtipu-
lationem contra Monaſterium S. Claræ dicti
Caroli donatoris hæredem, ut ex deciſio-
ne memorata die coram Me edita, ad cujus
formam ſolutis à Monaſterio ſcut. 600., obti-
nuit quoad aliam medietatem iterum audiri.
Quamobrem propoſito ſub die prima Julii
proximè præteriti conſueto dubio -- *An ſit
ſtandum, vel recedendum à deciſis*, cum tunc
reſolutio ad aquas dilata fuerit, iterum ho-
diè ſuper illo DD. conſului, qui in *deciſis*
ſtandum eſſe reſponderunt, *juxta tamen mo-
dum infra explicandum*.

Ratio reſolutionis iterum ſtetit in eo,
1 quod creditum d. dotis à Carolo donatum,
jàm ab ipſo donationis tempore erat de jure
inexigibile; undè ſtatim commiſſa fuit ſtipu-
latio evictionis, & factus locus actioni con-
tra hæreditatem ipſius Donatoris, qui licet
2 regulariter non teneatur de exigibilitate no-
minis ceſſi, tenetur tamen, quoties de illa
cautum eſſe voluit Donatario per expreſſam
ſtipulationem, juxta clarum *text. in l. 2. C.
de evict.*, cum aliis concordan., de quibus
in deciſione, quæ revidetur §. *Validitas in
fine*.

Quod autem nomen donatum uſque tunc
fuerit de jure inexigibile, nullo pacto in
dubium revocari poſſe videbatur: Quando-
quidem ſtatim ac Aurelia Donatoris Mater,
& originaria creditrix d. reſidui dotis adi-
vit una cum Dianora Sorore hæreditatem
Octaviæ communis Matris, & immediatæ
hæredis Nicolai Principalis debitoris, ac ul-
3 terius expreſsè acceptavit præceptum ma-
ternum, per quod ei vetitum fuit, ne quid-
quam aliud pro ſua dote petere poſſet, illi-
co extinctum fuit omne creditum ejuſdem
dotis, & perempta omnis actio, quæ ipſi pri-
us eo nomine competebat: Pro ea namque
4 medietate, pro qua ipſa facta eſt mediata
hæres Nicolai debitoris, Jura dotalia miniſ-
terio legis cum titulo hæreditario confuſa
remanſerunt, *l. Stychum 96. §. Aditio ff. de
ſolution.*, *l. ſi debitor 7. C. de pact.*, *Rota
dec. 619. n. 14 p. 18. rec.*; imò vero penitus
5 extincta, perindè ac ſi ipſa hæreditas Nico-
lai proprium debitum pro ea rata exſolviſſet,
ut relatis verbis alterius *text. in l. ſi ei, cui
41. ff. de evistion.*, dixit *Rota cor. Cavaler.
dec. 367. n. 2.*

Pro alia vero medietate, pro qua eidem
6 Nicolao Dianora hæres extitit, actio omnis
ſublata fuit ex d. præcepto materno, quod
ſicuti reſpectu debitoris legatum liberatio-
nis præſeferebat, *l. 2.*, *& toto tit. ff. de li-
berat. legat.*, ita ejus acceptatio reſpectu
Aureliæ Creditricis, vim habuit pacti de
non petendo, ſeù veriùs acceptilationis, per
quam ipſa cenſetur accepto tuliſſe, quod ſi-
bi dotis nomine à Dianora ſorore tanquam
Nicolai hærede debitum erat, *l. 4. §. Nunc
de effectu ff. de liber. legat.*, ubi *Bart.* in
ſumma, & communiter Scribentes omnes;
7 itaut neque ipſa, neque Carolus Donator
ejus filius, & hæres quidquam aliud in eam
cauſam petere potuerint, ut benè explicat
laudatus *text. in l. 2.* ibi-- *Celſus ait, nul-
lam dubitationem habere, quin hæredem pe-
tere à debitore vetito, nec hæres hæredis pe-
tere poſſit* -- cum aliis juribus concordanti-
bus ibidem à Gloſſa relatis.

Nec ſubſiſtere viſum fuit, quod creditum
donatum ſaltem pro medietate, qua Diano-
ra Nicolao hæres extitit, redditum fuerit
inexigibile ex facto ejuſdem Barbaræ Dona-
tariæ, quæ adeundo hæreditatem memoratæ
Dianoræ ejus Matris, facta eſt ipſa quoque
mediata hæres debitoris, & cum hac quali-
tate confuſit actionem, quam ex titulo dona-
tionis antea quæſiverat. Ut enim DD. benè
8 animadvertebant, tunc ſolùm ejuſmodi con-
fuſio locum habere potuiſſet, quando de tem-
pore, quo Barbara maternam hæreditatem
adivit, & per hanc aditionem facta eſt per
conſequens mediata hæres Nicolai, debitum
dotis ab iſto contractum, atque ipſi Barbaræ
à Carolo donatum adhuc viguiſſet, ſed cum
revera jàm longè ante eamdem aditionem
d. debitum fuiſſet penitus extinctum per ac-
ceptilationem Aureliæ originariæ Creditri-
cis, ut ſupra probatum fuit, utique non
potuit d. ſubſequens aditio oppoſitam con-
fuſionem producere, cum extingui, & con-
9 fundi amplius non poſſet, quod in rerum na-
tura amplius non erat, ex regula *text. in l.
ejus, qui in provincia in fin. ff. ſi cert. petat.*,
*de qua rota dec. 68. n. 4. cor. R. P. D. meo An-
ſaldo*.

Et hoc poſito nihil urget, quod Barbara
plura poſſideat bona tàm ipſius Nicolai,
quam aliorum pro d. dote Aureliæ obligato-
rum, vel ſaltem ea excutere debeat, ante-
quam ipſi detur actio adverſus Caroli hære-
ditatem; nam ſi ſermo eſt de horreo, & ſta-
10 bulis in Burgo Victorio; et hæc licet pro-
veniant ab hæreditate Nicolai, poſſidentur
tamen à Barbara in cauſam dotis conſtitutæ
pro Dianora ejus Matre, penes quam eadem
bona libera remanſerunt ab omni nexu, &
hypotheca præcedenter contracta pro dote
Aureliæ, ſtatim ac illa hæreditatem, atque
præceptum maternum acceptavit, *Rota cor.
Bich. dec. 330 n. 17.*, *& ſeqq.*

Si verò loquimur de pretio cujuſdam ta-
bulæ pictæ, ac de alia partita ſcut. 165. pro-
venientium ex cenſu Fulviæ Paris, illud non
conſtat, quod ad manus Barbaræ devenerit;
Cenſus autem Fulviæ dici non poteſt de bo-
nis eorum, qui pro dote Aureliæ ſe obliga-
verunt, cum vigore fideicommiſſi ab eadem
Fulvia inſtituti, devolutus fuerit ad Hiero-
nymum Barbaræ Authorem pro d. dote mi-
nimè obligatum. Neque de cætero ſubſiſtit,
quod antequam Barbara ſe vertere poſſit ad-
verſus Caroli hæreditatem, excutere debeat
bo-

bona aliorum in ſolidum cum Nicolao pro d. dote obligatorum. Ultra enim plures ſoliddiſſimas reſponſiones datas in præcedenti deciſione § *Ceſſat cum ſeqq.*, difficultas omnis ex eo removetur, quod ſtatim ac Aurelia præceptum maternum acceptavit, non ſolum ipſi Nicolaus, & Octavia Mater ab omni obligatione liberati remanſerunt, ſed & omnes alii, qui cum ipſis in ſolidum obli-
11 gati fuerant; Nam cum ex duobus, pluribuſque ejuſdem obligationis participibus uni accepto fertur, cæteri quoque liberantur, non quoniam ipſis accepto latum ſit, ſed quoniam velut ſolviſſe videtur, qui acceptilatione ſolutus eſt, ut ad literam probat optimus *text. in l. ſi ex pluribus* 16. *ff. de acceptilat.*, bene etiam *Rota dec.* 373. *n.* 39 *p.* 4. *tomo* 2. *rec.*, *ubi concordan.*

Quamquam autem ex hactenus deductis, ſatis conſtare viſum fuerit de credito Barbaræ in ſumma ſcut. 1200. adverſus hæreditatem Caroli Donatoris, in ejus tamen diminu-
12 tionem DD. cenſuerunt, ultrà ſcut. 600. in obſequium reſcripti Rotalis à Monaſterio S. Claræ effectivè perſoluta, calculandam quoque eſſe nedum medietatem ſortis cujuſdam cenſus ſcut. 200. à Jacobo Curto debiti, quemadmodum ipſa Barbara ultro admittebat, verùm etiam fructus eidem medietati correſpondentes uſque ad præſentem diem decurſos, pro quibus eadem Barbara jàm obtinuit immitti ad fundum cenſitum à Monialiſius Reginæ Cœli poſſeſſum per geminas ſententias, quæ nuper in gradu ulterioris appellationis à noſtro Tribunali confirmatæ fuerunt coram Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto tunc hujus Ordinis emerito Auditore, ut latiùs habetur ex deciſione coram eo edita in *Romana Salviani* 29. *Novembris præteriti*.

Et juxtà hunc modum utraque &c.

EUGUBINA PECUNIARIA.

Lunæ 20. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Mandatum ſuſpicionis fugæ pro aſſecuratione judicii expeditum ſemper ſubſtinetur, & ſi ageretur inter conſocios, inter quos partitæ crediti, & debiti diſpungendæ forent, quando tamen ſummariè ſaltem, & in genere de credito conſtare certè certius creditor edocuiſſet. Secus verò, ſi ageretur de mandato ad effectum exigendi ſummam certam, quod, niſi creditum ſit liquidum, ſubſtineri nequit. Poſſeſſio tenuis, credito longè impar mandatum ſuſpicionis fugę non retardat.

SUMMARIUM.

1 *Libri etiam particulares plenè probant contra ſcribentem.*

2 *Debitor, & ſi non debeat totam ſummam, pro qua fuit conventus, non poteſt retardare expeditionem mandati pro ſumma liquida, illiquida ſubducta.*

3 *Obligatio Cameralis paratam habet exequutionem.*

4 *Mandatum ſuſpicionis fugæ, mutata debitoris conditione, ſemper conceditur.*

5 *Creditor docens de credito etiam ſummariè antequam diſpungantur partitæ introitus, inter ipſum, & debitorem ſuſpectum de fuga, eum juvari poteſt pro aſſecuratione tamen Judici.*

6 *Amplia, ſi iſtius conditio deterior evaſiſſet, & in ſociali negocio nullos libros detinuiſſet, & partitas nullibi adnotaſſet.*

7 *Mandatum ſuſpicionis fugæ pro aſſecuratione Judicii relaxatum ſubſtinetur, & ſi ſumma non eſſet liquida; ſecùs in mandato ad effectum ſolvendi.*

8 *Debitor non ſe liberat à mandato ſuſpicionis fugæ per indicationem poſſeſſionis tenuis credito imparis, vel ſi poſſeſſio ſit cum fratribus communis, vel intricata.*

9 *Hæc opinio procedit de jure communi.*

DECISIO DCCCCXXXV.

Diſſoluta ob lapſum præfiniti temporis Societate negocii mercium, in qua Comes Andreolus plures pecuniarum ſummas pro Capitali; Cima verò, & Bonaventura ſimplicem duntaxat operam impenderant, veritus ille, ne à ſociis quorum fidem, & conditionem res malè geſta ſuſpectam fecerat, Judicium pro reſtitutione Capitalis, & redditione rationis inſtruendum præventiva fuga inane fieret, eos in jure ſiſti curavit vigore congrui mandati ſervatis de jure ſervandis in partibus obtenti, cujus exequutio diù ſuſpenſa mediante decreto proviſionali R.P.D. mei Cerri, tunc meritiſſimi A.C. Locumtenentis, quouſque Periti judicialiter electi ſuper ſtatu, & rationibus negocii retulerunt, tandem decreta fuit à R.P.D. Anſideo ſucceſſore pro ſumma ſcutorum 704., pro qua una ſimul relaxavit mandatum exequutivum pro tunc, & ad bonum computum una cum altero mandato de conſignando merces valoris ſcutorum 404. in taberna negocii repertas. Ab hoc autem judicato interpoſita à Cima altero ex Conſociis appellatione, cauſaque mihi commiſſa cum clauſula -- *ſi quid exequendum* -- dedi dubium; *An mandata A.C. ſint exequenda*; cui Domini pro Comite informante *affirmativè* reſponderunt.

Juſtitia enim prædictorum mandatorum plenè reſultare viſa fuit ex eo, quod Comes Actor ſuperlativè docuit ſe pro Capitali Societatis diverſis vicibus erogaſſe plures pecuniarum ſummas in totum aſcendentes ad ſcuta 3054. monetæ Romanę; nempè ſcuta millæ monetæ Urbini correſpondentia ſcutis 666 66. monetæ Romanę in ipſo actu ſtipulationis, ut probant illa verba Apocę Socialis -- *preſentemente per la conſtitutione di detto negozio, dà à detti Signori &c. ſcudi mille moneta d'Urbino*, ad Text. *in leg. ubi autem* §. *finali ff. de verb. obl.*, & alia ſcu-

ſcuta 2387. pariter monetæ Romanę ſucceſ-
1 ſivè diverſis vicibus, juxtà partitas ab eodem Cima in quodam libro particulari diſtinctè, & minutatim conſcriptas, quæ propterea contra ipſum ſcribentem plenè probant, *Rota coram Carillo dec.90. num.7., & 8. & coram Royas dec.305. num.3., & ſeqq.*

Inde autem ſequitur, quod quamvis ex iſta
2 ſumma ſcu.3054. ſubduci velint ſcu.1312., quæ durante Societate partim in mercibus, & partim in pecunia numerata idem Comes exegiſſe dicebatur coram Judice prioris inſtantię, adhùc tamen cum ipſe ſemper remaneat liquidus creditor in ſumma ſaltem ſcut. 1742., ritè, rectèque relaxatum fuit ejus favore tam mandatum de conſignando merces in taberna negocii repertas, cui partes per effectivam paritionem jam acquieverunt, quam alterum exequutivum pro adeò minori ſumma ſcutorum 704. vigore obligationis Came-
3 ralis, ſub qua iidem Cima, & Bonaventura diſſoluta Societate pro redditione rationis, & reſtitutione Capitalis ſe ſe in ſolidum obſtrinxerunt, *Rota deciſ.90. num.4. & 5. par. 13., & dec. 387. num.2., & ſeq. par. 17. rec.,*
4 & pro ejus faciliori exequutione ritè etiam, rectèque decreta fuit pro eadem ſumma exequutio alterius mandati ſuſpicionis fugę in partibus relaxati, cum alias ad capturam debitorum vigore ſolius mandati exequutivi procedi potuiſſet, ut benè in his terminis advertit *Rota in una Mediolanen. coram Orano impreſſ. poſt Conſtantin. ad Stat. Urb. dec. 32. num. 4.*

5 Abſque eo quod obiici valeat, quod antè diſpunctas rationes nullo jure potuerit à Judice de partibus contra Socios relaxari mandatum ſuſpicionis fugę, cum tunc eorum debitum eſſet omninò incertum, & illiquidum; nam poſtquam Comes de ejus credito ſummariè docuit, & ad formam patrii Statuti memoratos, ſocios ſolemni interpoſito juramento, imminentis fugæ ſuſpectos aſſeruit, benè, & jure merito dictus Judex etiam antè diſpunctas rationes mandatum contra ipſos relaxavit, attento quod eorum fama, & con-
6 ditio poſt contractam Societatem re vera deterior facta fuerat, tùm ex quo integrum ferè Societatis Capitale diſſipaverant, tùm & certius quia nullos conſcripſerant libros, per quos ratio legitima reddi poſſet, licèt ad eorum confectionem nedùm ab univerſali Mercatorum conſuetudine, ſed etiam ex ſpe-
7 ciali pacto obligati eſſent. In his enim terminis non dicitur relaxatum mandatum ad effectum ſolvendi, quo caſu requiritur, quod creditum ſit certum, & liquidum, ſed tantum pro aſſecuratione judicii, & quouſque ſocii caveant de ſtando juri, & judicatum ſolvendo, ut latè diſcuſſo articulo reſpondit *Rota in Bononien. aſſecurationis Judicii 5. Maii, & 23. Junii 1684. coram R̃mo Hervavult, impreſſ. poſt Conſtant. deciſ.33., & 34. per totum.*

Quamvis autem replicari poſſet, quod Ci-
8 ma uti poſſidens Bona immobilia jurari nequiverit ſuſpectus de fuga, nihilominus cum Bona ab eo poſſeſſa ſint modici valoris, & prætendantur nedum communis cum aliis ejus fratribus, verùm quoque obnoxia reſtitutioni dotis Artemiſiæ Matris, nec tanta viſa fuerunt, ut debito ęquivalerent, nec talia, ut eorum poſſeſſio fugæ ſuſpicionem averteret, quemadmodum requiritur tùm ex diſpoſitione Statuti Eugubii *lib.2. rubr. 40.*, cujus formam in jurando ſequutus eſt Comes, tùm
9 quoque de jure communi, juxtà quod etiam poſſeſſor rei immobilis ſatisdare cogitur, ſi illa litis æſtimationi ſit impar, ut docuit *Gloſ. in l. ſciendum 15. verb. non compelli ff. qui ſatisdare cogantur, Rota d. deciſ. 33. nu. 8., & 9., & dec. 34. num.22. & ſeqq. poſt Conſtant.*

Et ita altera &c.

MONASTERIEN. BENEFICII.

Mercurii 22. Ianuarii 1716.

ARGUMENTUM.

Proviſio de Beneficio quando fit in Curia per literas in forma gratioſa expeditas, idoneitas proviſi in Dataria Apoſtolica probata præſupponitur.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicę undique verificatæ exequendæ ſunt.*
2 *Idoneitas proviſi probatur ex literis teſtimonialibus Ordinarii, quibus totaliter defertur.*
3 *Idoneitas Proviſi præſumitur probata in Dataria Apoſtolica, ſi proviſus literas in forma gratioſa reportaſſet.*
4 *Proviſio quando fit in Curia de Beneficiis Germaniæ juxta concordata, ſemper exprimitur non exceſſus in 24. ducatis auri de Camera.*
5 *Menſis Maii eſt de illis S. Sedi reſervatis, & de illis in Germaniæ concordatis comprehenſis.*
6 *Beneficium ſi conferatur à Canonico Turnario in menſe reſervato, collatio fit nulla.*

DECISIO DCCCCXXXVI.

BEneficium ſimplex in Eccleſia S. Martini vacatum de menſe Maij 1714. obtinuit ſibi conferri à S. Sede Joannes Rodulphus, expeditiſque literis Apoſtolicis, illarum executionem mihi committi curavit: Quia tamen interea fuerat à Canonico Jurnario ejuſdem Eccleſiæ prętenſo Collatore de eodem beneficio proviſus Theodorus, opus fuit contra iſtum conſuetas literas Citatoriales expedire; cum vero nunquam congruo tempore expectatus comparuerit, propoſui hodiè per contradictas dubium -- *An literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ* -- eaſque exequendas eſſe Domini reſponderunt.

1 Conſtitit enim illas in omni ſui parte pleniſſi-

niſſimè juſtificatas eſſe, ideoque celerem executionem ſine dubio promereri, ad *Text. in cap. ſi Capitulo, & ibi gloſs. verb. exequatur de Conceſſ. præbend. in 6.*, *Rot. deciſ.* 295. *num.* 1. *coram Benincaſ.*, *in Gerunden. Beneficii* 8. *Aprilis* 1617. §. *Quotieſcumque coram R.P.D. meo Cerro*, & paſſim alibi.

2 Quantum namque attinet ad Jo: Rodulphi idoneitatem, & Clericatum, optima concurrebat probatio ex literis Teſtimonialibus Ordinarii, quibus in hac re omninò deferendum eſt, ut ſæpè dixit *Rot.*, & præſertim *in alia Monaſterien. Beneficii* 30. *Januarii* 1713. §. *Clericatu cor. R. P. D. meo*

3 *Aldrovando*; ultra quod cum fuerint illius literæ expeditę in forma gratioſa, juſtificatio idoneitatis Proviſi ſatis præſumitur antecedenter facta in Dataria, *Rot. deciſ.* 110. *num.*2 *par* 19. *rec.*, *in Leodien.*, *ſeu Aquiſgranen. Canonicatus* 2. *Julii* 1703. §. *Quia coram Rmo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*, & *in Monaſterien. Vicariæ* 3. *Aprilis* 1713. §. *illæ enim coram Me.*

Valor autem Beneficii expreſſus per non exceſſum in 24. ducatis auri de Camera con-

4 troverti non poteſt, cum in Beneficiis Germaniæ juxta notiſſima Concordata, quando proviſiones fiunt in Curia, nunquam in majori ſumma exprimatur, & teſtatur *Rot. in Monaſterien. Decanatus* 28. *Iunii* 1709 §. *Literæ coram R. P. D. meo Criſpo*, *in Monaſterien. Beneficii* 30. *Ianuarii* 1713. §. *De Clericatu in fine coram R.P.D. meo Aldrovando*, & *in cit. Monaſterien. Vicariæ* 3. *Aprilis ejuſdem anni ſub eodem* §. *Illę enim coram Me.*

Vacatio demum in menſe reſervato rema-

5 net concludentiſſimè probata, dum patet ex fide obitus Anteceſſoris ſequutam fuiſſe de menſe Maij, qui ſanè menſis ſemper eſt Apoſtolicus, & S. Sedi reſervatus, tam ex regulis Cancellariæ, ut oſtendit *Gonzal. ad regul.* 8. *gloſs.*45. §. 1. *num.*22., quam etiam ex dd. Concordatis Germaniæ, de quibus idem *Gonzal gloſ.* 25. *ſub num.*4. *verſ. in cæteris*, & in his terminis *Rot. in cit. Monaſterien. Beneficii* 30. *Ianuarii* 1713. §. *De reſervatione coram R. P.D. meo Aldrovando.*

Neque obicem pręſtare poteſt proviſio Theodoro reportata per Canonicum Turnarium cum ſubſecuta poſſeſſione Beneficii,

6 quia cum vacatio contigerit, ut dictum eſt in menſe S. Sedi Apoſtolicæ reſervato, quidquid ab aliis collatoribus agi potuit, infectum remanſit, & nullius roboris, ac momenti ratione decreti irritantis, quod in regula 9. reſervatoria menſium continetur, *Gonzal. ad d. regul.* 8. *Cancellar. gloſs.* 67. *num.*29., & *ſeq.*, *Rota deciſ.* 83. *num.* 2. *poſt Vivian. de Iurepatron.*, & *in cit. Monaſterien. Beneficii* §. *finali coram R.P.D. meo Aldrovando, ubi concordan.*

Et ità per contradictas &c.

ROMANA ASSIGNATIONIS BONORUM.

Veneris 31. *Januarii* 1716.

ARGUMENTUM.

De omnigenere bonorum partim de melioribus, & partim de pejoribus deduci debet aſſignamentum, quod Pater Filio primogenito in ſupremis tabulis decreviſſet, & quando fundum ſpecialiter ad id non hypothecaſſet; Quomodo vero iſta fieri debeat deductio, boni viri, & Judicis arbitrio defertur.

SUMMARIUM.

1 *Aſſignamentum, quod frater fratri facere debet, deducendum eſt de bonis mediocris qualitatis ad* Text. in l. ſi quis argentum Cod. de donat.

2 *Sententia dicitur ab utraque parte acceptata, ſi unus non reclamaſſet, & alter in majori parte ratam habuiſſet.*

3 *Aſſignatarius habet obligata omnia bona aſſignantis in genere, ſi iſte certum fundum pro aſſignamento non diſſignaſſet.*

4 *Aſſignamentum, quod non ſit neque de melioribus, neque de pejoribus bonis, arbitrio Judicis judicandum remittitur.*

5 *Lis, ſi vertat inter germanos fratres, æquitas, & Judicis arbitrium à fortiori operantur, ut facilius ſequatur concordia.*

6 *Lis, ſi ſit inter fratres, circa probationes, Iudex procedere non debet rigidè.*

7 *Aſſignamentum, quod bonis mediocribus conſtare debeat; quale dicatur ęquum, & juſtum.*

8 *Aſſignamentum de bonis mediocribus faciendum, fieri nequit etiam in portione unius fundi, de quo plures adeſſent quęſtiones inter fratres in ſuo particulari judicio decidendæ.*

DECISIO DCCCCXXXVII.

Poſtquam per Congregationem particularem à Sanctiſſimo deputatam declaratum fuerat, quod Marchioni Antonio, utpotè qui Uxorem loco fratris Primogeniti juxta teſtamentarias diſpoſitiones ejus Antenatorum jam duxerat, deberetur à Marchione Vincentio annua pręſtatio ſcut. 1300., inſtetit idem Marchio Antonius pro illius conſecutione, ſed illicò oppoſitum fuit, quod pro ſatisfactione hujus pręſtationis fuerant aſſignata tot bona per ſententiam latam in Tribunali A.C., & in judicatum tranſacta, ideoque opus fuit, ut prævia commiſſione reſtitutionis in integrum illius cognitionem Sacro huic Auditorio delegari curaverit, in cujus ſequelam propoſito dubio per R.P.D. meum Criſpum -- *An conſtet de re judicata, ſeù potius de cauſis reſtitutionis in integrum, & ſit facienda nova aſſignatio, & ſuper quibus bonis* -- reſponſum prodiit -- *Conſtare de cauſis, & faciendam eſſe novam aſſignationem juxta modum*, -- Modus autem fuit,

1 quod ad formam *Text. in l. ſi quis argentum*

§. 2.

§. 2. *C. de donat.*, fieret de bonis neque melioribus, neque pejoribus, ſed medioeris qualitatis, ut ex Deciſione edita ſub die 20. Februarii 1715., in cujus executionem lata fuit ſententia, qua dictum fuit Marchionem Vincentium teneri, & obligatum eſſe facere novam aſſignationem bonorum ſufficientium pro perpetua aſſecuratione dicti annui redditus ſcutorum 1300. juxta modum, & formam expreſſam in eadem deciſione.

Interpoſita appellatione per D. Marchionem Vincentium, cauſa mihi fuit commiſſa; Interim verò agnita ſubſiſtentia reſolutionis captæ in antecedenti inſtantia, dictus Vincentius prævia ſolemni interpellatione, proteſtationem in actis emiſit, in qua ſententiam Rotalem acceptavit quoad novam aſſignationem faciendam in bonis mediocris, ut dictum eſt, qualitatis, ſed quia aliqua ex bonis, quę ipſe omninò fratri aſſignanda prætendebat, fuerant in dicta Deciſione rejecta, reſervavit ſibi jus in hac parte deciſionem, & ſententiam impugnandi: Propoſito itaque poſt hęc dubio -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* -- reſponſum habui *confirmandam eſſe juxta modum* inferius exprimendum.

2 Quod enim attinet ad ſententiæ confirmationem in genere, nulla ſanè potuit eſſe difficultas, dum utraque pars illamapprobaverat, altera nempè non appellando, altera verò poſt appellationem, illam, ut diximus acceptando in principali parte condemnatoria Marchionis Uincentii ad faciendam novam aſſignationem bonorum pro annua præſtatione ab Antonio conſequenda.

Hodierna itaque diſceptatio reſtringebatur ad modum faciendæ hujus aſſignationis, in eoque *Domini* plura ad rem præmittenda exiſtimabant, quæ faciliorem viam ſternerent reſolutioni. Et primò, quod cum Marchio Vincentius nullum inventarium confecerit de bonis relictis à Franciſco Teſtatore, ex cujus pręcepto dicta annua præſtatio ſolvi debet illi, qui Uxorem ducit in conſervationem ejus Familiæ, utique bona hujus hæreditaria poſſent facilè diſſipari, itaut non remanerent ad eandem præſtationem ſufficientia; quodque è contra Marchio Anto-
3 nius, qui Uxorem duxit, & hanc præſtationem debet conſequi, habet pro illa obligata, & hypothecata omnia eadem bona generaliter pro illius exactione, cum Teſtator certum fundum non deſignaverit, ſed in genere hæredem gravaverit, ad *Tex. in l. annuam* §. 6. *verſ. Modeſtinus, & l. annuam* §. *Attia ff. de legat.* 3, *Paul. de Caſtr. conſ.* 47. *num.* 3. *lib.* 2., *Rot. dec.* 433. *num.* 1., *& ferè per tot. coram Card. Cerro*, alioſque adductos *in Romana annuæ præſtationis* 16. *Ianuarii* 1702. §. *Quæ omnia coram clar. mem. Cardinali Caprara.*

Secundo, quod certum jam eſt teneri Marchionem Vincentium ex dicta ſententia per ipſum acceptata ad faciendam pro ſecuritate Marchionis Antonii fratris circa exactionem dictæ ſummæ aſſignationem bonorum, quę neque de melioribus ſint, neque de pejo-
4 ribus, electio verò iſtorum bonorum, & cognitio, quod ſint iſtius mediocris qualitatis arbitrio boni viri, ſive Judicis remiſſa eſt, ex deductis in ſimilibus terminis aſſignationis legitimæ per *Menoch. de arbitrar. caſ.* 163. *num.* 21., *&* 22., *Cyriac. contr.* 2. *num.* 81., *& ſeq., Merlin. de legit. lib.* 2. *tit.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 14., *& poſt eam Rot. dec.* 133. *nu.* 2.

5 Ac demùm, quod hic agitur inter germanos fratres jam diù pluribus controverſiis involutos; undè tanto magis locum habet hujus noſtri Auditorii æquitas in eorum diſſidiis componendis, ut ad debitam concordiam reducantur, juxtà plenè deducta per *Michalor. de Fratrib. par.* 3. *cap.* 1. *num.* 7.,
6 8., *& per tot.*, interpoſito in iſtam cauſam prudenti Dominorum arbitrio, quorum Religio pati non debet, ut inter eos admodum rigidè procedatur, ut alias inquit *Rot. in Sorana Diviſionis ſuper exhibitione ſcripturarum* 18. *Aprilis* 1712. §. *finali, & in Amerina redditionis rationis* 27. *Aprilis* 1712. §. *finali coram Me.*

7 Hiſque poſitis non dubitarunt Domini ad prædictam aſſignationem devenire ſequenti modo, decernendo nempè, quod pro ſcut. 461. 69. aſſignentur Canones, & quindennia, & pro rata aliorum ſcut. 438. 8., & ſic uſque ad ſcut. 900. tot aſſignentur loca Montium Cameralium, & non vacabilium, quæ tamen nullo ſint onere, aut vinculo gravata, ac demum pro ſuperextante ſumma ſcut. 400, uſque ad complementum ſcut. 1300. aſſignentur Vineæ, & Domus Albani.

Iſtamque aſſignationem ab utroque ratam haberi poſſe crediderunt, cum Marchio Vincentius, & Canones, & Vineas, ac Domos Albani ipſe met in nova aſſignatione ultroneè obtulerit, itaùt ab ejus facto, & voluntate non niſi in ſumma ſcut. 400. circiter, quæ in locis Montium ſtabilitur, juxta hanc Dominorum aſſignationem recedatur; Marchio autem Antonius jam eandem aſſignationem faciendam neque ex melioribus, neque ex pejoribus, ſed ex mediocribus concordaverit, adeoùt impugnare non debeat optima corpora in Canonibus, & locis Montium, & infima in Vineis, ac domo electa fuiſſe.

8 Advertentes denique Domini, quod in deciſione præcedentis inſtantiæ inter cætera Bona, quæ excluduntur ab aſſignatione facta, ut ſupra dictum eſt, in ſententia A.C. connumeratur Cenſus ſcut. 10000. impoſitus ſuper Palatio, ſivè potius portio ipſius Palatii pro eadem rata ſcut. 10000., ac ſi iſta non fuerit à Franciſco Juniore de Nunez liberè ſibi acquiſita mediante extinctione dicti Cenſus cum ceſſione jurium ſibi facta à Creditore, firmando ad hunc effectum, quod ex dicta extinctione nullum particulare jus ſuper eodem Palatio idem Franciſcus Junior acquiſiverat, quod ſanè in præſenti neceſſario decidendum non eſt, & magnum cæteroquin præjudicium poſſet in futurum Marchio-

chioni Vincentio irrogare; ideò cenſuerunt ſuper hac quæſtione jura hinc indè partibus eſſe reſervanda, & relinquendum eundem actum ceſſionis, ac extinctionis reſpectivè in ſuo robore, proùt de jure.

Et ita utraque &c.

NARNIEN. DECIMARUM.

Veneris 7. Februarii 1716.

ARGUMENTUM.

Parochus habens intentionem fundatam in exactione decimarum à ſua Parochia in certa, & determinata quantitate ſuper conſuetudine locali in ſummariiſſimo manutentionis Judicio, à ſua poſſeſſione exigendi perturbari non poteſt ſub fundamento, quod in cæteris ejuſdem Diœceſis locis decimæ diverſimodè regulentur, imò Teſtes à Populo inducti, qui aliis ex parte Parochi adverſarentur, ob aſſiſtentiam juris ipſi faventem, repelluntur.

SUMMARIUM.

1 *Poſſeſſio Parochi in percipiendo decimas probata per teſtes eſt manutenibilis* amplia, ut in num.4.

2 *Subamplia, ſi iſta poſſeſſio juris foveat aſſiſtentiam.*

3 *Decimæ ſolvendæ proportionabiliter ad ratam poſſeſſorum bonorum à Populo non poſſunt retardari.*

5 *Parochus habens aſſiſtentiam juris in poſſeſſione exigendi decimas in certa ſumma non repellitur à poſſeſſione ob teſtes deponentes contra illos ab ipſo inductos, maximè ſi iſti contra proprium commodum, Parochi fateantur poſſeſſionem*, & num.9.

6 *Poſſeſſio Parochi in exigendo Decimas probatur ex partitis extractis de libro Prædeceſſorum in eadem cura.*

7 *Liber contra producentem plenè probat.*

8 *Parochus exigens octavam rubri frumenti à ſingulo ex ſuis Parochianis pro decimis, lædi non poteſt in tali poſſeſſione, & jure per hoc, quod bona ſtabilia plurium perſonarum in unum fuiſſent cumulata.*

10 *Ius decimandi, quod habet Parochus, non regulatur juxta ſtylum aliorum locorum ejuſdem diœceſis, ſed ſecundum illum ſuæ Parochiæ, nec antiqua conſuetudo in Iudicio manutentionis contra ipſum eſt alleganda.*

DECISIO DCCCCXXXVIII.

Simeon Nerocciuѕ Rector Parochialis Eccleſiæ Caſtri Capitonis obtinuit in partibus contra Ludovicum Antonium mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione exigendi decimas ad rationem unius quartæ frumenti pro quolibet jugo Bobum, ſed quia ſubindè illud ab A.C. revocatum fuit, ideo commiſſa mihi ulterioris appellationis Cauſa, propoſui hodiè dubium -- *An, & cui ſit danda manutentio*, quam Domini *Rectori dandam eſſe* reſpoderunt.

Et jure quidem merito; nàm cum ex juratis, & uniformibus teſtimoniis quindecim
1 Hominum eidem Parochiali Eccleſiæ ſubditorum, ac de facto tàm proprio, quam alieno deponentium, liquido conſtiterit, memoratum Rectorem, alioſque ejus Anteceſſores pro quolibet jugo Bobum ſingulas frumenti quartas juxta menſuram loci, decimarum nomine exigere conſueviſſe, nullo pacto poterat petita manutentio eidem denegari, *Rot. coram Bichio dec.386. num.1. & 2., & in rec. dec.319. nu.3. par.17. & in Warſavien. Decimarum prima Julii 1715. §. Quin obſtitiſſet, & ſeq coram R.P.D. meo Foſcaro.*

2 Præſertim verò quia actualis iſta facti poſſeſſio, Juris quoque aſſiſtentia communita eſt,
3 ſicuti enim qui unicum habent bovem dimidiam quartæ, ſivè ſextam decimam rubri partem Parocho perſolvunt, & qui duos habent Boves integram quartam, ſive octavam rubri partem, decimarum nomine reddunt. Ita ſervata legitima proportione, qui duo, vel plura juga Bobum poſſident, duas quoque, vel plures quartas perſolvere debent, ne alias ulla pars fructuum, ſive bonorum ſuperſit, quæ decimam Deo, ac Sacerdotibus ejus non reddat, contra tot Divini, & Canonici Juris ſanctiones, de quibus *Rota in Cracovien. Decimarum 20. Februarii 1712. §. Injuſtitia coram Emo D. Cardinali Scotto*, & latius *in Gneſnen. Decimarum 26. Junii 1715. §. Juris & ſeqq. coram R.P.D. meo Althann.*

4 Non obſtant Teſtes à Ludovico inducti, deponentes quotam decimæ Parocho debitam ſemper ſolutam fuiſſe ad rationẽ unius quartę tàm ab iis, qui unum, quam ab aliis, qui plura juga bobum poſſident. Tũ quia alter ex eis ingenuè fatetur ſe pro duplici jugo Bobum coactum fuiſſe à Parocho per pignorum captionũ duplicem quartam perſolvere, undè potiùs Rectoris poſſeſſionem cõfirmat, ut in terminis dixit *Rot. dec.1047. n.11. cor. Cerrino*. Tum,
5 & certiùs, quia Juris diſpoſitio, quæ Parocho opitulatur eorum dicto reſiſtit; cumque omnes ſint vel ſubditi dictæ Eccleſiæ, vel in dicto Capitonis Caſtro tamquam Coloni boves retineant, & inſuper de negativa deponant, planè conſequitur, quod in materia decimarum ipſorum intereſſe concernente nullo numero ſint habendi in concurſu aliorum pro Parocho contra propriam utilitatem affirmativè deponentium, ut in puncto reſpondit *Rota dec.150. num.8. & ſeq. par.15., & coram Priolo dec.425. nu.12., & in Nullius, ſeù Urgellen. Primitiarum 23. Iunii 1702. §. Eoque minus coram bo.me. Muto.*

Nihil pariter obſtat liber quidam ab eodem Ludovico exhibitus, in quo manu quondam Juliani olim Rectoris hujuſce Eccleſiæ adnotatæ leguntur plures exactiones decimarum, unicam frumenti quartam non excendentes;
6 Nam cum in eodem libro adſint etiam aliæ partitæ, ex quibus conſtat à Poſſeſſoribus plurium iugorum plures quartas ſolutas fuiſſe; nemo non videt, quod ſi quæ illi fides eſt adhibenda, potiùs contra Ludovicum retor-

torquetur, ejuſque Teſtes de errore, aut mendacio convincit. Cum ex hoc ipſo, quod aliquiplures quartas pro decima Parocho reddiderunt, benè deducatur eatenus alios unicam tantum quartam, perſolviſſe quia unico tantum jugo bobum terram coluerint, ut declarando eumdem librum appoſitè teſtatur *Antonius Mileſius* memorati Juliani nepos, & comprobant alii plures deponentes tunc temporis dum Julianus Eccleſiam regebat, neminem ferè plura juga Bobum poſſediſſe, eò quia Coloniæ, quæ modo inter paucos cumulatæ reperiuntur tunc diviſim à pluribus uſque ad numerum triginta quatuor, & triginta ſex retentæ fuerint, inter quos
7 adeſt etiam unus ex Teſtibus à Ludovico inductis, qui propterea adverſus illum producentem plenè probat; *Rota dec.*36. *nu.*9. *par.* 18., *&* *dec.*668. *nu.*13. *par.*19. *tom.*2., & ſæpè alibi.

Si itaquè temporibus Juliani Rectoris, ità Coloniæ in ſingulos diviſæ reperiebantur, ut unicuique ad colendam portionem terræ ſibi aſſignatam, unum par bobum ſufficeret; mirum videri non poteſt, quod exactiones decimarum in dicto libro memoriæ cauſa adnotatæ, ſingulas frumenti quotas ut plurimum non exceſſerint, quodque ſubindè
8 cumulatis in uno pluribus Coloniis, plures quoque quartæ ſolutæ fuerint, cum aliàs nimis iniquum fuiſſet, ut cumulatio Coloniarum Parocho detrimento eſſet, & decimarum quotam diviſim antea à ſingulis exigi conſuetam diminueret, dum præſertim dôs Eccleſiæ, & congrua Rectoris in dictis decimis potiſſimè conſiſtit, ad *Text. in cap. commiſſum de Decimis*, *Rota dec.*442. *nu.*1. *part.*1., *&* *deciſ.*323. *num.*6. *par.*18., *&* *deciſ.*331. *nu.*8. *par.*19. *recent.*

Atque hinc nullius momenti remanet aliud objectum, quod in tota Diœceſi Narnienſi nullibi vigeat conſuetudo ſolvendi decimas ad rationem unius quartæ pro quolibet juge Bobũnam ultra quod hanceandẽ rationem, &
9 methodum ſervari in aliis quoque finitimis Caſtris probant plures Teſtes à Parocho producti de facto proprio deponentes; ceſſat
10 omnis difficultas, quia quæcumque ſit generalis totius Diœceſis, vel aliorum locorum conſuetudo, cum in Caſtro Capitonis vigeat propria, & particularis ſolvendi decimas ad rationem unius quartę pro quolibet jugo Bobum, hæc utique, & non alia eſt attendenda, tàm ex præſcripto Synodus Diœceſanæ *tit.*16. *num.*4., quam ex diſpoſitione Juris communis, de qua *Rota dec.*219. *nu.*8. *&* 9. *par.*18. *recen.*

Et ità utraque &c.

ROMANA EXPURGATIONIS FOVEI SUPER EXPENSIS.

Veneris 14. *Februarii* 1716.

ARGUMENTUM.

Expenſæ factæ pro expurgatione fovei communis, quando certum ſit, ut communiter à compoſſeſſoribus illi adiacentibus ſit expurgandus, & unus ex iſtis auctoritate Judicis, & animo repetendi pro rata adverſus cæteros eas feciſſet, etiam à peritis extrajudicialiter electis liquidari poſſunt.

SUMMARIUM.

1 *Relationi periti ſtandum eſt, donec contrarium probetur.*

2 *Amplia, etiam ſi fuiſſet extra judicialiter electus, quando liquidaſſet expenſas, ſuper quarum refectione in genere adeſſet res judicata*, & num.4.

3 *Vir nobilis non præſumitur voluiſſe decipere collitigantem alterando ſummam, quam iſte ei deberet reficere.*

5 *Refectio expenſarum in genere, quando non controvertitur, leviores probationes in illorum liquidatione admittuntur.*

6 *Foveus communis expurgandus eſt à compoſſeſſoribus ob materialem adiacentiam illi, abſque ulteriori jurium diſpunctione.*

7 *Res judicata dat finem litibus, ne de eis amplius quæratur.*

8 *Obſervantia ſubſequuta in ſolvendo ſuam ratam debiti à coobligatio retenta, realitatem debiti comprobat quoad omnes alios.*

DECISIO DCCCCXXXIX.

A Sententia in Tribunali A. C. promulgata per R. P. D. meum Cerrum favore DD. de Falconeriis Poſſeſſorum Tenutæ *di Torre in Pietra*, in qua dictum fuit ſingulos poſſeſſores fundorum adjacentium foveo *di Tre denari* teneri ad illius expurgationem pro rata adjacentiæ, appellavit ad Sacrum Tribunal Archioſpitale S. Spiritus in Saxia poſſeſſor alterius Tenutæ nuncupatæ *Palidoro*. Nè verò ex omiſſa interim expurgatione, propter quam aquæ liberum ad Mare defluxum non habentes, in prædictam tenutam Dominorũ de Falconeriis regurgitabant, damnum aliquod iidem paterentur, petierunt à R. P. D. Auditore Sanctiſſimi facultatem faciendi expurgationem eo tunc neceſſariam propriis ſumptibus, & deinde *cujus de jure*, habitoque favorabili decreto, illam ſucceſſivè etiam explevere.

Terminata poſt hæc controverſia, mediante ſententia alterius antedictæ confirmatoria præviis duabus deciſionibus, & acceſſu ad locum differentiæ per me lata, & canonizata etiam à Signatura Juſtitiæ cum clauſula *ſine præjudicio*, repetendas extimarunt Domini de Falconeriis ab Archioſpitale expenſas in dicta expurgatione factas, & idcirco proponi per Me curarunt dubium -- *An, & in qua ſumma ſint liquidandę expenſæ, pro quibus ſit relaxandum mandatum* -- & Domini dixerunt -- *expenſas eſſe liquidandas in ſcut.*130. *&* *ob.*41., *& pro eis eſſe relaxandum mandatum*.

Quod enim prædictę expenſæ deberentur in genere, promanabat ex re judicata condemnante, ut dictum, eſt ſingulos poſſeſſores pro

pro rata adiacentiæ ad expurgationem Fovei, & ne quidem ab Archioſpitale controvertebatur.

Quo verò ad liquidationem, fundabatur iſta in eo, quod deventum fuit ad dictam fovei expurgationem prævio decreto R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi concedente licentiam illam faciendi ſumptibus propriis Dominorum de Falconeriis, & deinde *cujus de jure*; undè poſito, quod iidem Actores pro rata expurgationis factæ in ea parte, ubi ſunt contermina bona Archioſpitalis, perſolverint ſcut. 130. 41., utique hæc ſumma reficienda illis eſt; dum præſertim non devenerunt ad ſolutionem, niſi prævia menſuratione, & æſtimatione facta per Peritum, qui ſeparando juxta adiacentiam Tenutarum expenſas factas in dicta expurgatione, ratam ſolutam pro Archihoſpitale ad dictam ſummam reſtrinxit, itaut iſtius relationi, donec
1 de errore concludenter doceatur, ſtandum veniat, juxta vulgatas regulas, de quibus *Rot. dec.* 219. *num.* 8. *par.* 12., *dec.* 263. *num.* 11., & *dec.* 339. *num.* 18. *par.* 19. *recent.*, & paſſim alibi.

2 Neque refert, quod idem Peritus judicialiter electus non fuerit, ideoque nequeat attendi: etenim in confirmationem ejus relationis ponderatum fuit, quod præceſſit ſæpedictum decretum Auditoris Sanctiſſimi, & ſupervenit res judicata hujus Tribunalis declaratoria obligationis, quam de Jure habet Archiaſpitale. Agitur de ſolutione facta
3 à Viro Nobili, quem ſuſpicari non licet voluiſſe ſolutionem ſupponere, aut minùs accuratè facere in Collitigantis præjudicium, & res eſt de ſumma non admodum conſiderabili, undè potuit etiam extrajudicialis Periti
4 relatio admitti in facienda liquidatione crediti cæteroquin non controverſi, dum iſtam
5 licitum eſt facere levioribus etiam probationibus, *Rota cor. ſa. me. Gregorio XV. deciſ.* 314. *num.* 4., *dec.* 302. *nu.* 3. *coram Priolo*, & *dec.* 263. *num.* 1. & 11. *par.* 16. *recent.*

Abſque eo quod ad demonſtrandum errorē objici poſſet à Perito habitam fuiſſe rationem de foveis, qui ex proximis Tenutis aquas traducunt in Foveum majorem *di trè denari*, ex iis proportionabiliter regulando contributionem faciendam à Compoſſeſſoribus ad expurgationem: Sacrū enim hoc tri-
6 bunal condemnando Archioſpitale S. Spiritus ad expurgationem Fovei prædicti proportionabiliter, & pro rata adjacentiæ eius Tenutæ *di Palidoro*, reſpectum non habuit ad alios inferiores Foveos, vel in tenuta prædicta vel in aliis proximis exiſtentes, ſed dumtaxat ad materialem adjacentiam bonorum cujuſcumque poſſeſſoris eidem Foveo, juxta diſpoſitionem *Text. in leg. ſi Tertius* §. *Si ex plurium ff. de aqu. pluv. arcen.*, ut plenè conſtat ex deciſionibus editis coram Me 19. *Junii* 1713. & 18. *Martii* 1715.; cumque ſuper hoc prodierint duæ ſententiæ facientes rem judicatam, & canonizatæ per Signaturam Juſtitiæ cum clauſula *ſine præjudicio*, utique permiſſum non
7 eſt idem in præſenti Inſtantia ampliùs impugnare, ex deductis *dec.* 134. *num.* 8. *cor. Burat.*, *dec.* 155. *num.* 14. *coram Priol.*, *dec.* 655. *num.* 4. *par.* 18. *rec. tom.* 2. & paſſim.

Confirmabat demum hæc omnia ea facti circumſtantia, quod D. Dux Roſpiglioſius
8 poſſeſſor alterius conterminæ Tenutæ nuncupatæ *Maccareſe*, ſtatim ac fuit requiſitus ad debitam pro rata adiacentiæ ſui fundi contributionem juxta ſeparationem, & taxam factam à ſuo Perito, cui concors fuit relatio alterius Periti DD. de Falconeriis, ſine ulla exceptione perſolvit; quod ſi Peritus DD. de Falconeriis, vel in menſurando, & æſtimando exceſſiſſet, vel taxam modò debito non expleviſſet, utique non fuiſſet conformis alterius relationi, neque deſtitiſſet idem D. Dux, aut ejus Miniſtri de rebus ſuis æquè, ac Archioſpitale benè informati, ſe ſe ſimili exceptione tueri, nè plus debito gravarentur juxtà ea, quæ in propoſito advertit *Rot. dec.* 11. *num.* 16. *par.* 18. *recent.*, & cum aliis *in Ariminen. legitimæ* 13. *Aprilis* 1714. §. *finali coram Me.*

Et ita utraque &c.

PISAUREN., SEU FANEN. CENSUS SUPER RESERVATIS.

Lunæ 17. *Febr.* 1716.

AGUMENTUM.

Accollatarius cenſus cenſetur uti principalis reus debendi, perindè acſi cenſum ab initio ipſemet impoſuiſſet.

Fratres in dividendo bona paterna præſumuntur etiam cum illis diviſiſſe portionem fratris, qui Patri prædeceſſiſſet. Hujus tamen hæreditas pro rata legittimæ ad paternam hæreditatem non devoluitur, cum liberum cenſeatur filii patrimonium.

SUMMARIUM.

1 *Accollatarius cenſus uti principalis debitor conſideratur.*
2 *Accollatio cenſus dicitur facta ex cauſa neceſſaria ab hæredibus debitoris, ſi inter ſeſe hæreditatem diviſiſſent.*
3 *Cohæres non tenetur ad ſolutionem cenſus, niſi pro rata; quam uti talis ſibi accollaſset.*
4 *Accollatio non poteſt dici exceſſivè ſibi facta à fratre, ſi in actu diviſionis major pars debitorum incorreſpectivitatem cæteris obtigiſset.*
5 *Diviſio de bonis hæreditariis patris inter tres fratres facta, præſumitur comprehendere etiam portionem quarti fratris, qui Patri prædeceſſiſſet*, & vide rationem.
6 *Legitima debita filio, qui Patri prædeceſſit ad hæreditatem paternam non divolvitur*, & vide rationem in ſequenti num.
7 *Detractio legitimæ à Patre nequit prohiberi filio, niſi Pater Soccini cauthelam ſervaſſet.*

8 *Pater in legitima filios non poteſt præterire.*
9 *Fratres ſi ante diviſionem paternæ hæreditatis una ſimul prædium vendidiſſent, non poteſt dici, quod unus ex tali venditione ſuam legitimam detrahere intellexerit.*
10 *Legitima ſi quinque ſint filii, in ſemiſſe debetur.*
11 *Creditor cenſus non præſumitur ſatisfactus, ex quo mandatum de aſſociando ad fundum obtinuiſset, quando fuiſset detectum, quod fundus ad debitorem non ſpectabat.*
12 *Amplia, ſi pro eiſdem fructibus conſequendis longam litem cum diſpendio ſubſtinuiſſet, quod in creditore ſatisfactio non præſumitur.*

DECISIO MCCCCXL.

PLacuerunt DD. fundamenta reſolutionis captæ coram Me 2. Julii 1714. pro confirmatione præcedentis ſententiæ R. P. D. mei Anſaldi: unde cum hodie ad formam reſcripti Sac. Tribunalis editi ſub die 27. Januarii proxime præteriti repropoſuerim dubium, *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis*, *in deciſis ſtandum eſſe* reſponſum fuit.

Et ſane cum in facto ſubſiſtat, neque inter Partes controvertatur, quod in diviſione communium bonorum inter fratres de Bertozzis ſolemniter celebrata, Joſeph alter ex illis pro rata ſc. 1500. in ſe accollaverit Cenſum in majori ſumma ſcut. 2000. ab Equite Thoma altero fratre prædefuncto favore illorum de Hondedeis validè ac legitimè impoſitum, ejuſque fructus ſub Camerali obligatione ſolvere promiſerit, jure merito condemnatus fuit in ſententia Rotali ad illorum
1 ſolutionem, cum virtute dictæ accollationis effectus fuerit principalis debendi reus, perindè acſi ipſe uſque ab initio Cenſum pro ea rata impoſuiſſet, ad *Text. in leg. 2. ff. de duobus reis, Rot. coram Celſ. dec. 64. num. 9. cum aliis in dec. quæ revidetur §. Siquidem.*

Non attenta reſponſione, quod prædicta accollatio facta fuerit ſine cauſa, & ſine æqui-
2 valenti compenſatione; cum enim ex facto conſtet memoratos fratres ultra bona, & hæreditatem paternam diviſiſſe quoque inter ſe bona, & portionem d. Thomæ prædefuncti, nemo non videt accollationem prædicti Cenſus factam fuiſſe nedum ex cauſa legitima, ſed etiam neceſſaria, dum alias ipſi fratres condividentes cogi potuiſſent ad illius ſatisfactionem tamquam Thomæ debitoris hæredes, ut bene animadverſum fuit in deciſione præcedentis inſtantiæ 16. Decembris 1712. §. *Denique cor. R. P. D. Anſal*

Et quamvis hoc titulo memoratus Joſeph
3 non fuiſſet adſtrictus ad ſatisfactionem dicti Cenſus niſi pro tertia tantum parte, pro qua Thomæ hæres extitit: attamen cum alii duo
4 fratres condividentes eodem tempore in ſe ſuſceperint onus ſolvendi alia debita hæreditatis paternæ ad quorum ſatisfactionem idem Joſeph pro ſua virili fuiſſet cæteroquin obligatus, conqueri nullo jure poteſt, quod in ſe accollaverit majorem ratam, quam ſibi tanquam hæredi fratris contigiſſet, cum hoc tantum pacto æqualis reddita fuerit diviſio tàm æris alieni, quam bonorum in commune uſq; tunc poſſeſſorum, ut pariter dictum fuit in dicta deciſione præcedentis inſtantiæ § *Neque etiam*, & in ea, quæ confirmatur §. *Maxime.*

Quod autem in ea diviſione etiam portio,
5 & hæreditas Thomæ compræhenſa fuerit, in dubium revocari non poterat. Licet enim in Inſtrumento inter fratres celebrato, expreſſè, & nominatim dictum non fuerit, quod etiam illius hæreditas dividebatur: nihilominùs cum ex ejus tenore ad literam conſtet univerſam paternæ hæreditatis ſubſtantiam inter tres tantum, tunc ſuperſtites fratres æquis portionibus diviſam fuiſſe, planè, & neceſſario conſequitur in ea diviſione fuiſſe quoque compræhenſam portionem Thomæ alterius fratris, poſt Patris obitum vita functi; cum alias ſepoſita dicta portione eidem tangente ex hæreditate paterna, unuſquiſque ex aliis tribus fratribus condividentibus, non niſi quartam partem pro ſua virili conſequi potuiſſet, *leg. interdum 13. ff. de hæred. inſtit. l. ſi duobus 16. §. ultimo ff. de legat. 1. l. ultima C. de impub., & aliis ſubſt.*

Neque ullius momenti DD. cenſuerunt objectum, quod portio paternæ hæreditatis, quæ obtigerat Thomæ, devoluta fuerit poſt ejus obitum ad cæteros fratres non tamquam legitimos ipſius hæredes, ſed tamquam ſubſtitutos à Patre per reciprocum fideicommiſſum in caſu obitus alterius eorum ſine filiis. Etenim quidquid ſit de ſubſiſtentia d. fideicommiſſi, quod numquam à filiis accepta-
6 tum fuit, ceſſat omnis difficultas ſaltem quoad legitimam abſque ullo onere eidem Thomæ de jure debitam, cujus ſane detractio
7 fruſtra à Patre prohibita fuit, dum in ea prohibenda non ſervavit vulgatam Cauthelam, quæ Soccino tribuitur, ſed tantum
8 filios hæreditaria portione privavit, cóntra apertam diſpoſitionem *Text. in leg. quoniam in prioribus cod. de in offic. teſtam.*, *de qua Rot. dec. 146. n. 1. par. 11., & in Æſina, ſeu Maceraten. Dotis ſuper reſervatis 17. Martii 1710. §. Sed quatenus coram Reverendiſſimo Molines, & in Urbinaten. ſupplementi legitimæ 1. Deceb. 1713. §. Ad hoc autem cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Prout etiam nihil urgere viſa fuit reſponſio, quod ſaltem memorata legitima jam fuiſſet ab ipſo Thoma conſumpta per alienationem Prædii ab eodem venditi pretio ſcutor. 1130.. Præmiſſo enim, quod hujuſmodi alienatio ſolum pro medietate, & ſic pro ſcut. 565. ad ejus debitum adſcribi poteſt,
9 & quod prædium una ſimul venditum fuit tàm ab ipſo, quàm à Claudio altero fratre, & cohærede ante diviſionem pariter vita functo, utique ex ea aſſumpta dici nequit legitima, quæ juxta ſtatum paternæ hæreditatis in dicta diviſione firmatum, & numerum
10 quinque filiorum Patri ſuperſtitum debita erat in ſemiſſe, & ſic unicuique eorum in

ſum-

ſumma ſc.2859., juxta *Text. in auth. noviſſima C. de in officioſ. Teſtam., Rot. poſt Conſt. ad Stat. Vrb dec.*54. *n.*22., *& dec.*56. *n.*2., *& in Romana Immiſſionis* 3. *Decem.* 1714. §.*Inteſtatam coram Me*, & ſæpe alibi.

Atque ex his vindicata ab omnibus objectis accollatione prædicti Cenſus, vana prorſus, & inſubſiſtens viſa fuit alia prætenſio Joſephi rei conventi, quod nimirum Abbas Hondedeus Creditor jam plenè ſatisfactus præſumi debeat de fructibus uſque ad præſentem diem decurſis, ex quo in eam cauſam uſque ab anno 1686. ad fundum cenſitum aſſociari obtinuerit: recognitum namque fuit
11 prædictam aſſociationem nullum ſubinde effectum ſortitam fuiſſe, ut præcæteris probant duæ valdè notabiles facti circumſtantiæ, altera nempè, quod fundus cenſitus non ſpectabat ad fratres de Bertozzis debitores, ſed ad Equitem Gambuccinum, qui impoſitioni dicti Cenſus ſuper fundo proprio conſenſerat, & tamen non oſtenditur, quod poſt paſſam aſſociationem judicium ullum pro ſui relevatione contra dd. fratres de Bertozzis à prædicto Equite inſtructum, aut intentatum
12 fuerit, altera vero, quod pro conſequendis controverſis fructibus iſtius ratæ cenſus à Joſepho accollatæ (cum alia reſidualis rata ab altero fratre extincta fuerit) jam pluribus ab hinc annis diuturna lis cum maximo diſpendio ab Hondedeis ſubſtinetur; unde nimis inveriſimile redditur, quod mediante dicta aſſociatione jam ſint eoſdem fructus conſequuti, ad tradita per *Rotam in Calagur itana fructuum Archidiaconatus* 16. *Novembris* 1695. § *Concurrebat coram Reverendiſſimo D. Molines*, *&* 1697. §. *Nam DD. cum ſeq. cor. Emo D. Card. Priolo*.

Et ita utraque &c.

ROMANA DOTIS.

Lunę 2. Martii 1716.

ARGUMENTUM.

Avia Materna in pręjudicium filiorum jure proprio venientium non poteſt dotem, quam filiæ promiſiſſet, Nepti, & Sorori iſtorum reſpectivè perſolvere. Avia quando dicatur ex mera liberalitate potius, quam animo ſuum debitum extinguendi erga filiam, Neptem dotaſſe.

Obligatus ad ſolutionem debiti, quod reinveſtiri deberet, licet de illo curam non habeat; attamen, ut liberetur, debet eſſe de illius adimplemento ſollicitus.

SVMMARIVM.

1 *Dos promiſſa ad certum tempus per Inſtrumentum, adventa ſolutionis die paratam habet executionem.*

2 *Filii Matrem repræſentantes in petendo dotis reſtitutionem, eadem jura fovent, quæ Mater ipſa.*

3 *Conſenſus filię eſt neceſſarius in actu, quo Pater dotem ſolveret in manibus viri occaſione, & cauſa nubendi iſtorum filiam, & reſpectivè Neptem, ad hoc, ut jura dotalia obligatorum parentum remiſſa dicantur.*

4 *Amplia, ſi ex contextu promiſſionis dotis factæ favore Neptis, aliiſque circumſtantiis probaretur, quod Avus, & Avia ex mera liberalitate, utque Neptis nuptiæ ſequerentur, ſummam perſolviſſent.*

5 *Solutio ſemper referri debet ad eam cauſam, in quam facta fuiſſet, non vero ad diverſam, & ſeparatam, & cuius dies adhuc non adveniſſet*, & n. 16.

6 *Avia, quæ eſſet obligata tradere dotem filiæ poſt ſui obitum, ſi ſolveret in vita majorem ſummam pro dotanda Nepte, iſta ſolutio non refertur ad exonerationem primę obligationis erga filiam.*

7 *Amplia, ſi ſolviſſet pro Nepte nubenda ex mera liberalitate, ac antequam Parentes ei dotem conſtituiſſent.*

8 *Confeſſio de recepto emiſſa per Patrem de dote Vxoris (quæ de cętero ad proprium tenderet commodum) non præjudicat filiis jure proprio venientibus pro traditione dotis Maternę adverſus Avos illius debitores.*

9 *Amplia, etiam ſi Avia declaraſſet, quod Neptem dotaſſet, cum ea ſumma, quam iſtius Matri promiſerat, & animo tale debitum ſic extinguendi*, & n. 12.

10 *Debitor filię, facultatem non habet ſolvendi Nepti etiam in cauſam dotis.*

11 *Avia dotans Neptem, non pręſumitur de pecuniis promiſſis in dotem filię, maximè ſi dos Neptis eſſet major illa, quam filiæ antea promiſiſſet.*

13 *Debitor dotis in Vrbe reinveſtiendæ, ſi inveſtimentum non ſequatur, vel ſaltem eam non depoſuerit, non bene ſolvit, nec liberatur.*

14 *Debitor Dotis cum lege eam inveſtiendi favore tertii, non poteſt in iſtius pręjudicium eam perſolvere liberè in manibus Viri, ſed debet de inveſtimento eſſe ſollicitus, licet ejus cura non eſſet faciendum.*

15 *Frater ære alieno præſſus Sororem dotare non tenetur.*

17 *Arbitrium circa inveſtimentum faciendum intelligitur referri ad ſpeciem inveſtimenti potius in uno, quàm in alio modo, non vero ad illius omiſſionem, ſive diſtractionem in cauſam diverſam.*

18 *Qualitas hæreditaria judicialiter ab hærede deducta non poteſt amplius impugnari.*

19 *Heres cum Beneficio legis, & Inventarii habet præſervatam facultatem ſua propria credita deducendi adverſus eamdem.*

30 *Clauſula; quod non apponenda habeantur pro non appoſita in inventario adiecta, jura præſervant adverſus erroneam deſcriptionem.*

DECISIO DCCCCXLI.

DOtem ſcut. 2000. promiſſam à Catherina Nunez Mariæ Felici Almeidæ ejus filiæ peti-

petierunt in judicio Fratres de Inghiramis illius Perſonam tam uti filii, quam uti hæredes repræſentantes coram R. P. D. Tanario Judice ab A. C. deputato, qui gemina mandata relaxavit: Alterum pro ſcutis 1200. tam favore Gregorii, quam Joannis, cui per renunciationem emiſsam occaſione ingreſſus in Religionem accreverat portio P. Deodati, & alterum pro ſcut. 800. favore Petri Franciſci mediante ſimili renunciatione venientis etiam ex perſona Septimii alterius Fratris; cumque ab hoc Judicato cauſam committi obtinuiſset R. P. D. meo Foſcaro Cæſar Amadeus pro intereſse ſuorum filiorum ſubſtitutorum in Primogenitura perCatharinam Nunez ordinata ad cauſam admiſſus, eadem mandata eſse exequenda reſponſum fuit ſub die 21. Junii 1715., ut ex deciſione tunc edita, juxta quam ad expeditionem ſucceſſivè deventum extitit.

Quia vero ad iteratam ejuſdem reclamationem fuit mihi perSignaturam Juſtitiæ ulterior appellatio delegata cum clauſula *Alteri qui ad legitimam* -- dubium hodiè propoſui eidem reſcripto conforme, cui Domini rejectis iterum deductis exceptionibus, *affirmativè* reſponderunt

Juſtitia enim eorumdem mandatorum
1 fundatur in Inſtrumento publico conſtitutionis Dotis ſtipulato occaſione Matrimonii inter Mariam Felicem, & Antonium Inghiramium contracti, in quo ultra ſcut 10. m. à dotantibus promiſſa, etiã nCatharina Mater alia ſcuta 2000. poſt ſui obitum perſolvere ſe obligavit. Unde cum dies advenerit ſolu-
2 tionis, & Fratres de Inghiramiis, non ſolum uti Matris hæredes, ſed etiam uti Filii in eadem obligatione poſiti in conditione, Jura matri competentia valeant experiri, juxtà firmata in deciſione præcedentis inſtantiæ §. *Quia de cætero cor. R.P.D. meo Foſcaro*, par utique eſt, quod ad debitam procedatur executionem, & ſolutio promiſſæ quantitatis amplius non retardetur, ad *text. in l. Quoties 59. ff. de verb. oblig.*, & *L. Cedere diem 213. ff. de verbor. ſignific.*

Neque obſtat, quod hanc ipſam dotem,
3 quam hodie petunt Inghiramii ipſa Catharina adhuc vivens Antonio Philippo ejus filiæ marito, ac reſpectivè Actorum Patri perſolverit, præſertim occaſione nubendi Claram ejus filiam cum Cæſare Amadeo. Quoniam introſpectis omnibus actis in hujus objecti comprobationem adductis, deficere DD. crediderunt in Catharina, & voluntatem, & poteſtatem d. debitum extinguendi.

Et quantum attinet ad voluntatem ponde-
4 rabant, quod ex contextu promiſſionis factæ in Capitulis Matrimonialibus, & ex tenore mandati procuræ per Catharinam exarati ad reſignandum Loca Montium, patet, ſolutionem certæ ſummæ illa occaſione factam à Catherina proceſſiſſe ex mera ipſius liberalitate, ut exoptatæ Nuptiæ ſequerentur, & ut gratam ſe oſtenderet erga Neptem, non vero eveniſſe in liberationem Antonii Philippi Patris, ad quem onus dotandi per-
5 tinebat; Unde nullo pacto referri debet ad extinctionem debiti, ad quod ipſa non ex propria liberalitate, ſed ex obligatione antecedenter contracta tenebatur, & quod perſolvere nonniſi poſt mortem erat adſtricta, juxta generales regulas, de quibus in propoſito *Rota dec 262. n. 14 cor. Bichio*, *dec. 190. n. 9. cor. Celſ.*, *dec. 423 n. 4. p. 19 rec.*, & *in Roman. Cenſus 27. Januarii 1698.* §. *Premiſſo cor. Rmo Conchen.*

Licet verò ad anticipandam ſolutionem
6 urgeret cauſa dotandi Claram Neptem, ne recedi deberet à Sponſalibus jàm initis ob impotentiam Patris ad complendam ſummam pro dote promiſſam, id tamen non importat, quod Catharina voluerit in extinctionem debiti, cujus dies non ceſſerat, & in exonerationem debiti, ad quod erga Patrem dotandæ tenebatur potius, quam ad liberalitatem exercendam ergà Neptem quicquam perſol-
7 vere, dum hanc obligationem juxta literam ſupradicti mandati procuræ jàm ipſa voluntariè aſſumpſerat, antequam Pater quicquam filiæ, & reſpectivè Nepti promiſiſset, itaut non poſſit dici pro iſto ſolviſse, ſed pro ſe ipſa, quæ jàm ex conventione in iſtam cauſam inita remanſerat obligata.

Hinc non facit ad rem declaratio emiſsa
8 anno 1709. per eumdem Antonium Philippum, in qua fatetur controverſa ſcut. 2000. recepiſse à Catharina occaſione dotationis Claræ; preter enim eam ſimulationis exceptionem, quam patitur, juxta plenè animadverſa in deciſione præcedentis inſtantiæ §. *Preſertim*, ſatis eſt ponderare, quod non aliud continet, niſi ſimplicem confeſſionem de recepto, quæ nullam conſtituere poteſt probationem in præjudicium filiorum nomine proprio venientium, ut eſt recepta concluſio, de qua cum reliquis in *in d. dec. relatis* §. *Nec ſubſiſtere*, *Rota dec. 87. num. 6. p. 16.*, & *dec. 214 n. 33. cum ſeq. p. 18. rec.* Minuſque declaratio illa emiſsa per eandem Catherinam in ſuo ultimo Teſtamento, quod habuerat intentionem extinguendi controverſum debitum *à poco à poco colle ſpeſe &c.*, *e particolarmente nella Monacazione della quondam Signora Ippolita ſua figlia &c.*, & *anco in dotare la ſudetta Sigora Chiara &c.*
10 Nam cum ex ore debitricis proſiliat, in præjudicium jus habentium ad ſolutionem, nullatenùs concludit ipſius debiti extinctionem, ut identificè de hac ipſa ſolutione dictum fuit in *Romana legitimæ 10. Maii 1715.* §. *Et hinc cor. R.P.D. meo Foſcaro*, attenta
11 præſertim ea facti circumſtantia, quod in dotatione Claræ longè majorem quantitatem de proprio, & ex mera liberalitate promiſerat, ut ſupra dictum eſt, ideoque in hujus obligationis implementum cedere debuit
12 quidquid illi perſolvit, nec mediante hac declaratione poſt ſolutionem jamdiù perfectam valuit referri ad extinctionem debiti alieni, nempè Patris ejuſdem Claræ, ne fieret hoc modo compenſatio Dotis promiſſæ Ma-

Mariæ Felici filiæ, & filiis ex iſta naſcituris, in præjudicium eorumdem filiorum, quibus ex ſtipulatione Jus quæſitum jam fuerat, juxta deducta in eadem deciſione præcedentis inſtantiæ §. *Indeque cor. R.P.D. meo Foſcaro*.

13 Defectum voluntatis ita firmatum ſubſequitur alter poteſtatis dilucidè promanans ex lege tam in capitulis Matrimonialibus, quam in inſtrumento dotali præſcripta, quod Dos Mariæ Felici promiſſa, deberet hic in Urbe inveſtiri; & tamen ſi procedi deberet juxta ſenſum prædictarum declarationum, quod nempè, vel in ſolutione dotis Claræ, vel in ſuſtentatione Domus ſoluta fuerit, quiſque videt, quod præſcriptæ legi ſatisfactum non extitit, nec liberationem Catharina exindè valuit reportare, ut probant punctuales authoritates in d. deciſione allegatæ §. *Ceterum*, cum quibus generaliter concordat *Rota dec.* 215. *n.* 1. *cor. Card. Cerro, dec.* 777. *n.* 2. *cor. Emer. jun.*, *et dec.* 52. *n.* 7. *p.* 18. *rec.*

Nec relevat, quod Catharina debitrix non teneretur ipſa eſſe ſollicita de inveſtimento, quando illud commiſſum fuerat in Capitulis Matrimonialibus Lucretię Inghiramię R.P.D. Inghiramio, & Marchioni Nunez. Quoniam cum in diverſas omnino cauſas merum intereſſe Antonii Philippi ejus filiæ Viri, dotem cęteroquin ſub d. lege Inveſtimenti à ſe promiſſam perſolverit, ſemper certum eſt, quod liberationem non fuit conſequta, dum fuit in culpa, & ità clandeſtinè ſolvendo impedimentum præſtitit, ne prædicti, qui debebant inveſtimentum explere, ſolutionis pænitus

14 ignari, illud curare potuerint, ut plenè firmat eadem deciſio R.P.D. mei Foſcari §. *Non reſiſtente*. Ultra quod cum iſtud inveſtimentum faciendum eſſet ex tali promiſſione favore Tertii, filiorum ſcilicet, nomine proprio vocatorum, in his ſane terminis Catharina, quæ ſciebat pecuniam eſſe inveſtiendam, quamvis tale onus in ſe non aſſumpſiſſet, adhuc tamen tenebatur de verſione, & inveſtimento eſſe ſollicita, in puncto *Rot. dec.* 135. *n.* 9., *&* 10. *cum concordan. p.* 15. *rec.*

Abſque eo quod proſit animadverſio, quod ſolutio ita facta mediante conſtitutione dotis Claræ Actorum Sorori, ceſſerit in iſtorum utilitatem, quodque inveſtimentum eſſet remiſſum arbitrio ſupradictarum Perſonarum, & ab his potuerit permitti ſolutio in eandem cauſam.

Etenim nulla potuit fratrum utilitas conſi-

15 derari in conſtitutione d. dotis, quando pręſertim Frater, ad quod onus dotandi perti-

16 nebat erat ære alieno gravatus, & quando Catharina in dotatione Claræ non pro Patre perſolvit, ſed pro ſe ipſa in adimplementum propriæ obligationis, ut dictum eſt. Arbi-

17 trium vero Lucretiæ Matris, & aliorum circa inveſtimentum, ita debet intelligi, ut referatur ad ſpeciem faciendi Inveſtimenti, non autem ad illius omiſſionem, & diſtractionem mediante ſolutione facta in diverſas, & extraneas cauſas, ut de ſe patet.

Quibus poſitis firmiter ſubſiſtit Juſtitia præcedentium judicatorum etiam quoad ratas inter hodiernos Auctores in relaxatione mandatorum diviſas; nec juvit contra Pe-

18 trum Franciſcum iterum opponere qualitatem hæreditariam ejus Avię, & approbationem ſolutionum, eo quod illas produxerit.

Quo enim ad qualitatem hæreditariam Catharinæ ſatisfacit reſponſio, quod eſt munitus Beneficio legis, & inventarii ſolemniter confecti, cujus vis eſt, ut liberam præ-

19 ſervet hæredi facultatem ſua credita deducendi, ex diſpoſitione *text. in* §. *Sancimus Auth. de hæred.*, *&* *Falcid.*, aliiſque authoritatibus in ſæpecitata dec. R.P.D. mei Foſcari allegatis §. *Conſtito autem*, atque ulterius de bonis hæreditariis rationem jàm reddidit, ut ex *ſum ſuæ reſponſionis*; & quoad productionem præter ea, quæ advertit dicta deciſio præcedentis Inſtantiæ §. *Finali*, ceſſat difficultas, dum non ſubſiſtit in facto talis productio, benè verum tamen eſt, quod fuit deſcripta in Inventario declaratio Antonii Philippi, ſed id fieri debuit ad ejuſdem Inventarii integritatem, citra quod ullam

20 importet approbationem, præſertim ſtante clauſula ſalutari in fine apposita, quod habeātur pro non deſcriptis, quæ non erant deſcribenda &c per quam deſcribentis Jura pręſervantur, & per deſcriptionem Scripturæ ſibi contrariæ nullum ipſi præjudicium irrogatur, *Rot. cor. Card. Cerro dec.* 930. *n.* 11., *&* 12. *dec.* 376. *n.* 19. *cor. Priolo*, *&* *dec.* 232. *n.* 5. *cor Emer. jun.*

Et ita Partibus auditis fuit reſolutum &c.

ROMANA DOMUS AD CURSUM.

Veneris 6. *Martii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 25. Novembris 1715.

Reſtitutio in integrum, quam quis adverſùs rem judicatam obtinuiſſet, non operatur, quod ſi fundus, de quo lis verſa fuit, in tertium diſtrahatur, illam cum vitio litigioſi pertranſiiſſe dici non poſſit; quod idem procedit, ſi lis in poſſeſſorio favore diſtrahentis fuiſſet terminata, quando petitorium indeciſum remanſiſſet.

SUMMARIUM.

1 *Contractus factus poſt motam litem à reo convento in fraudem actoris non ſuſtinetur.*

2 *Contractus non liberatur à vitio litigioſi per hoc, quod diſtrahens ſuper dominio rei, de qua contraxit, rem judicatam reportaſſet. ſi altera pars à Signatura obtinuiſſet reſtitutionem in integrum, & ſi cum clauſula* S. P. *rei judicatæ.*

3 *Re-*

3 *Reſtitutio in integrum cum clauſula* S. P. *rei judicatę, licèt mandati exequutionem non retardet, jura tamen ad priſtinum ſtatum remittit.*

4 *Vitium litigioſi inducitur etiam ſi ſuper re diſtracta fuiſſet obtenta reſtitutio in integrum, quæ novum judicium non dicitur, ſed appendix primi.*

5 *Vitium litigioſi non evitatur per hoc, quod lis ſuper poſſeſſorio terminaſſet, quando petitorium remanſiſſet accenſum.*

6 *Reus conventus, pendente petitorio, non poteſt ad vitam locare domum, ſuper qua lis verſaretur, ſic Actoris conditionem deteriorem reddendo.*

7 *Dos ex privilegio etiam de re litigioſa diſtrahi poteſt*, & vide caſum.

8 *Solutio refertur ad ſuam cauſam in inſtrumento expreſſam, & non ad diverſam.*

9 *Reſoluto jure datoris per rem judicatam, pari paſſu jus acceptoris corruit.*

10 *Dimittens poſſeſſionem domus in exequutionem retrovenditionis de ea à proprio authore factæ voluntariè dimittere non præſumitur, ſed coactè.*

11 *Amplia, ſi liti etiam renunciaſſet, quod malum jus ſuper illa præſumere facit.*

12 *Hæres factum defuncti ſervare tenetur.*

13 *Recognitionem in dominum qui facit, renunciare dicitur omni juri, quod haberet ſuper domo.*

14 *Nemo contra factum proprium venire poteſt.*

15 *Creditum reſultans ex reparatione, & reaptatione domus, omnibus aliis ſuper illa præfertur.*

16 *Summa in cauſam reparationis domus deſtinata in alium uſum converti nequit.*

DECISIO DCCCCXLII.

IN contumaciam Domitiliæ Reæ conventæ reſolutum fuerat coram Me die 25. Novembris proximè præteriti locationem controverſæ Domus ad vitam ipſius factam ab Agnete Sorore nullum ipſi præbuiſſe legitimum retentionis titulum, quo minus mandata in duabus præcedentibus inſtantiis favore illorum de Griſonibus adversùs eam relaxata non eſſent exequenda. Hodie autem quamvis placuerit Dominis ex eorum conſueta benignitate illam iterum audire, cum nihilominus fundamenta præteritæ reſolutionis, tam in facto, quàm in jure ſolida, firmaque eſſe compererint *in deciſis ſtandum eſſe* reſponderunt.

Et ſanè ſubſiſtere viſum fuit primum in eo poſitum, quod memorata locatio, tamquam facta poſt motam à Griſonibus ſuper dicta Domo controverſiam evidenti nullitatis vitio infecta remanſerit, ex aperta diſpoſitione *Tex. in leg. final. C. de litigioſ.*, *de qua Rot. dec.* 873., *cor. Manzanedo, & dec.* 88. *per tot.*, *cor. Duran.*, *& in rec. dec.* 268. *n.*6., *& ſeqq. p.*10., *& dec.*229. *p.*19. *rec.*, cum aliis *adduct. in deciſione quæ revidetur* § *Abſque eo quod.*

1

Non obſtante reſponſione, quod vitium litigioſi ab initio contractum, jam tunc purgatum fuiſſet, ex quo lis finita, & perempta fuerat per decretum de manutenendo ab Agnete obtentum, & in judicatum tranſactum cum ſubſequuta quoque taxatione ex-
2 penſarum. Quandoquidem neque re vera dici poteſt, quod prędictum judicium ſuper manutentione tunc temporis omninò terminatum fuiſſet, dum illud poſtea per appellationem à Griſonibus interpoſitam devolutum fuit ad noſtrum Tribunal vigore commiſſionis per Signaturam Juſtitiæ directæ Reverendiſſimo Kaunitz cum clauſula *de cauſis reſtitutionis in integrum ſine prejudi-*
3 *cio rei judicatæ*, cujus virtute licèt præſervata fuerit legitima exequutio præcedentis mandati, jura tamen partium repoſita fuerunt in eodem ſtatu, in quo erant ante ipſum mandatum, eademque iis, & actio remanſit, quæ ab initio mota fuerat, *Rot. cor. Coccino dec.*572. *n.*1., *& in rec. dec.*610. *n.*11. *p.*18.,
4 *& dec.*262. *n.*16., *& ſeqq. p.*19., & in præciſis terminis, quod ad effectum inducendi vitium litigioſi judicium in gradu reſtitutionis in integrum non dicatur novum, ſed de appendiciis primi non obſtante clauſula *ſine prejudicio*, *Rot. cor. bo. me. Benincaſa dec.* 142. *n.*8., *& ſeqq.*

5 Neque quatenus admitti vellet judicium ſuper manutentione jam tunc terminatum fuiſſe, ejus terminatio ſubſtuliſſet pendentiam litis ſaltem in petitorio, quod una ſimul cum poſſeſſorio ab initio introductum fuerat, & in quo ſucceſſivè actores plures obtinuerunt favorabiles reſolutiones tam coram Reverendiſſimo Kaunitz, quàm coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Scotto,
6 tunc emerito Collega noſtro. Hoc autem ſatis erat, ut interea temporis Interdictum eſſet Agneti memoratam Domum titulo locationis ad vitam, ſive alio quoque in Sororem diſtrahere, atque ita duriorem facere Actorum conditionem contra diſpoſitionem *Tex. in leg.* 3. *ff. de litigioſ.*, *& in dicta l. fin. C. eod. tit.* quam ſine dubio locum habere, ſi ſuper Dominio rei mota fuerit controverſia, dicit ibi *Gloſſ.* in verbo *Dominio* cum aliis, de quibus *Urceol. de tranſact. q.*75. *n.*3., *Rot. dec.*229. *n.*3. *p.*19., & ſæpe alibi.

Prout quoque nihil relevat altera reſponſio, quod conceſſio prædictæ Domus facta fuerit non ex cauſa gratuita, aut voluntaria, ſed in compenſationem, & ſatisfactionem jurium Domitillæ competentium ſuper hæ-
7 reditate, & dote materna, pro cujus reſtitutione etiam rem litigioſam ex peculari privilegio diſtrahi poſſe diſponit *Tex. in leg. fin. C. de litig.* Quidquid enim ſit an re vera jus aliquod pro reſtitutione dictæ dotis Domitillæ competeret, illud utique certum eſt conceſſionem prædictam eo ſolo intuitu factam fuiſſe, ut ipſa Domitilla in Urbe degens loco penſionis quotannis ſolvendæ domum ipſam propriis ſumptibus opportunè reparari, aptarique curaret, ac præterea li-

tem omnem ſuper ea movendam propriis pariter ſumptibus, & expenſis defenderet, ut ad litteram legitur in ipſo inſtrumento me-
8 moratæ locationis. Et proindè hac ſtante expreſſione penitùs excluditur aſſerta cauſa reſtitutionis Dotis, de qua inibi nulla omninò mentio facta fuit, *Rot. dec.* 360. *nu.*16. *cor. Car.Cerro, & coram Emer. dec.*1108. *n.*4., & ſæpe alibi.

Sed non minùs quam primum ſubſiſtere compertum fuit ſecundùm fundamentum
9 prædictæ deciſionis, quod nempe reſoluto jure Agnetis locatricis per ſententiam Reverendiſſimi Kaunitz à partibus hinc inde acceptatam reſolutum quoque remanſerit omne jus Domitillæ ab eadem Agnete cauſam habentis juxta vulgatum *Tex.in leg.Vectigali ff. de pignoribus.* Licèt enim ad illud evitandum oppoſitum fuerit, quod Agnes nulla cogente neceſſitate cum Grifonibus tranſegerit, & ex mera ejus voluntate domum controverſam ipſis dimiſerit, poſtquam ſuper ea ex contractu locationis jus conſiderabile Domitillæ quæſitum fuerat; Domi-
10 nis tamen viſum fuit dimiſſionem prædictam nequaquam dici poſſe actum voluntarium, cum illa expleta fuerit in exequutionem retrovenditionis ejuſdem domus longè antea factæ dictis Grifonibus ab Andrea Agnetis Auctore, & poſtquam ipſa Agnes longam litem ſubſtinendo dictam contrariam ſententiam paſſa fuerat in noſtro Tribunali coram dicto Reverendiſſimo Labacen, in his enim
11 facti circumſtantiis, quod ipſa liti renunciaverit, ac domum dimiſerit, redolet potiùs recognitionem proprii mali juris, & exe-
12 quutionem contractus ab ejus Auctore celebrati, ad quem ipſa tamquam hæres omninò tenebatur, ut in durioribus terminis dixit *Rota in Melevitana deprædationis quoad Demetrium* 22. *Februarii* 1712. §. *Ac dum coram Emo Priolo.*

Quam quidem veritatem optimè agnovit ipſa quoque Domitilla, dum poſt prædictam tranſactionem judicialiter coram A. C. conventa, Miniſterio Procuratoris ad id ſpecialiter deputati, mediante mandato propria manu ſubſcripto, atque in actis dimiſſo, di-
13 ctos de Grifonibus in Dominos recognovit, promptamque ſe exhibuit novum locationis inſtrumentum cum ipſis celebrare, undè eo
14 minus hodie ferri poteſt, quod contra factum, & confeſſionem propriam, reſolutionem, & nullitatem præcedentis vitalitiæ locationis impugnare conetur, ad *Texum in leg. cum te C.de tranſact. prout benè pro tertio fundamento animadverſum fuit in dicta mea præcedenti deciſione §. finali.*

Ex his itaque de medio ſublato oppoſito titulo vitalitiæ locationis, parum Domini immorandum cenſuerunt in rejicienda alia exceptione, quod nimirum dicti de Grifonibus penſiones ipſis debitas conſequi poſſint ſuper ſumma ſcutorum 400. in inſtrumento tranſactionis reſervata favore Agnetis, contra quam Domitilla jam obtinuit mandatum pro liberatione à moleſtiis, & refectione damnorum, quæ ipſa pati cogitur ex cauſa evictionis controverſæ domus, objectum namque ſtatim ſubmovetur ex eo quod prædicta ſumma non eſt liberè ipſi Agneti perſolvenda,
15 ſed deſtinata fuit pro dimittendis Fabris, & Artificibus, quorum opera domus reparata fuit, & qui proindè ſuper illa potiorem præ omnibus aliis Agnetis creditoribus cauſam
16 habent. Undè à Grifonibus in aliam cauſam erogari non valet, ut in ſimili pluribus adductis firmavit *Rot. dec.*220. *n.*8.*p.*12.*rec.*

Et ita utraque &c.

LAURETANA CENSUUM.

Veneris 13. *Martii* 1716.

ARGUMENTUM.

Argumentum habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Cenſus creatus ad tramites Bullæ Pianæ non poteſt de nullitate redargui.*

2 *Cenſus fit repetibilis, ſi debitor in eo conventa non adimpleat.*

3 *Obligatio Cameralis paratam habet exequutionem.*

DECISIO DCCCCXLIII.

A Mandato per A. C. Cincium relaxato favore hæredum quondam Lucæ Angeletti tam pro fructibus duorum cenſuum ad effectum liberè ſolvendi, quàm pro eorum ſortibus ad effectum deponendi, contra bona hæreditaria Joannis Dionifii Impoſitoris cum *exequatur* contra perſonas, & bona propria Thomæ, & aliorum ejuſdem debitoris hæredum, reclamarunt iſti ad Signaturam Juſtitiæ, cauſamque delegari obtinuerunt cum clauſula *Si quid exequendum* R. P. D. meo Foſcaro, coram quo dato dubio -- *An mandatum, & exequatur A. C. ſint exequenda* -- *affirmativè in omnibus* reſponſum fuit, ut ex deciſione diei 5. Julii elapſi anni, juxta quam ad expeditionem cauſæ ſucceſſivè deventum extitit, decernendo opportunam exequutionem etiam contra perſonam & bona propria.

Probè verò noſcentes præfati debitores, quod ratio eorum condemnationis proceſſerat ex nullitate inventarii per eos confecti, ob quam impediebantur, rationem reddere de bonis hæreditariis Joannis originarii debitoris, occaſione qua Signaturam adierunt pro impetranda nova ſuſpenſiva appellatione, petierunt etiam reſtitutionem in integrum adversùs malam confectionem inventarii, & habito quoad mandata reſcripto -- *ſine præjudicio quoad bona hæreditaria, in reliquis alteri qui ad legitimam* -- Cauſas reſtitutionis in integrum quoad inventarium mihi pariter committi, prout de jure, obtinuerunt.

Concordata itaque fuerunt coram me duo dubia

dubia totius negocii complexiva, alterum, *An conſtet de credito contra bona hæreditaria, & ſit procedendum ad legitim..m,* -- & alterum -- *An ſit concedenda reſtitutio in integrum adversùs malam confectionem inventarii.* -- Iiſque propoſitis in hodierna audientia, non concordes Domini ſuper ſecundo, à quo cenſuerunt etiam dependere reſolutionem circa exequutionem faciendam in bonis propriis, & in perſonis, reſponderunt tantummodò *Conſtare de credito contra bona hæreditaria.* In reliquis verò -- *Iterum proponatur.*

Siquidem de credito conſtitit ex publicis
1 inſtrumentis, quibus mediantibus controverſi duo cenſus fuerunt impoſiti ſervata forma celebris Bullæ S. Pii V., certum autem eſt, quod eadem inſtrumenta creditum favore emptoris cenſus plenè conſtituunt, & liquidam probationem faciunt ex deductis *dec.64. n.1. cor.Emer.jun., dec.47. n.4., cor. Benincaſ., & in Romana cenſus* 11. *Januarii* 1715. *§. Creditum cor. Me.*

2 Neque dubitari poteſt, quin pro fructibus decurſis mandatum liberè relaxari debeat ad effectum ſolvendi, & pro ſorte ad effectum deponendi, ſtante inadimplemento pacti inter contrahentes conventi renovandi in caſu obitus alicujus ex obligatis, & obli-
3 gandis fidejuſſorem; Fuerunt enim hæc omnia in iiſdem publicis inſtrumentis promiſſa ſub obligatione Camerali, itaut omninò ſervanda ſint, & exequenda, *Rot. dec.60. nu.3. cor.ſanc. Alexandr. VIII., dec.878. nu.6., cor. Emer.jun., dec. 259. n.2., cor. Benincaſ. dec.411. n.1. p.19. rec.*, & paſſim alibi.

Et ita utraque &c.

EUGUBINA FIDEICOMMISSI-

Lunæ 16. *Martii* 1716.

ARGUMENTUM.

Status fideicommiſſi firmatus in Contradictorio judicio facit ſtatum quoad omnes, & ad iſtius tramites immiſſio regulanda eſt.

Domus, ſi commodam non patiatur diviſionem, tota potius illi adjudicatur, qui eam melioraſſet, quàm alteri, cum conditione, quod alterius medietatis prætium refundat.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio fideicommiſſario non conceditur hæredi in ea Summa, ad quam prius fideicommiſſum aſcendebat, ſed in ea, in qua de tempore petitionis reperitur.*

2 *Reſtitutio in integrum, docto de leſione, ſemper conceditur.*

3 *Retentio ex titulo detractionum, quæ gravato competunt, datur adversùs hæredem fideicommiſſarium, & ab eo cauſam habentes.*

4 *Firmatio ſtatus de fideicommiſſo facta, & liquidata in contradictorio judicio ligat etiam non citatos.*

5 *Amplia, ſi judicata in ſequelam dictæ liquidationis emanata à partibus fuiſſent acceptata, vel ab Actorum Auctoribus.*

6 *Cohæres fideicommiſſarius poſſidens domum fideicommiſſo ſubjectam admittitur ad retentionem ex titulo tum fideicommiſſi, tum melioramentorum, quoties medietatem illius prætii alteri cohæredi refundere offerat.*

7 *Diviſio, quando commodè de domo fieri nequeat, nec fideicommiſſaria portio à libera ſeparari, uni totaliter concedenda eſt cum onere refundendi prætium alterius medietatis*, & num.8.

9 *Adjudicatio domus denegatur potius immiſſionem petenti, quàm illi, qui eam melioraſſet, quando melioramentorum ſeparatio difficilis redderetur, & litem involveret.*

10 *Amplia, ſi fideicommiſſarius immiſſionem poſtulans fuiſſet interpellatus occaſione venditionis domus, & tacuiſſet.*

11 *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.*

DECISIO DCCCCXLIV.

Fideicommiſſum à Mario ſeniore de Benamatis inſtitutum ſuper medietate bonorum, quæ pro indiviſo poſſidebat una cum Joanne Baptiſta ejus fratre, diù fuit ſub Judice, prodieruntque ſuper eo plures in noſtro Auditorio Deciſiones coram bo. me. Ottalora, Calataiù, & Albergato ſparſim impreſſæ *parte* 14. 15. & 16. *recent.*, firmatumque extitit, quod pro portione fideicommiſſi in Alexandri ejuſdem Joannis Baptiſtæ filii Columnellum perventa ſummma ſcutor. 1406. 50. monetæ Urbini non excedebat, quatenus ab hac ſumma Franciſco Mariæ eo tunc fideicommiſſario detractiones competebant, ut in *dec.121. p.15., & dec.24. num. præſertim 14. p.16. rec.*

Devenit tractu temporis hoc ipſum fideicommiſſum ad Joannem Baptiſtam Juniorem, quo ſine filiis defuncto, ſe vocatos prætenderunt Robertus, & Carolus, & ideò reaſſumentes prædictam litem coram R. P. D. meo Criſpo ſubrogato in locum bo: me: Albergati, citatis Angelo Dominico, & Ricciardo, nec non Petro Antonio Mariono, ſed non comparentibus, favorabilem ſententiam pro immiſſione reſtrictivè ad dictam Ratam ſcut. 1406. obtinuerunt, prævia deciſione edita 19. Januarii anni 1714., quæ ſententia ob non interpoſitam appellationem in rem tranſiit judicatam, fuitque illius vigore facta exequutio, & capta poſſeſſio plurium prædiorum, quæ apud prædictos Angelum Dominicum, & Ricciardum reperiebantur, & Domus, quam ab his acquiſiverat Marionus.

Putantes itaque iſti ſe ſe læſos ab hujuſmodi Judicato, & executione, ſignaturam juſtitiæ adierunt pro obtinenda commiſſione reſtitutionis in integrum, earumdemque inſtantiâ contemporaneè promoverunt etiam Savini,

Savini, contra quos agentes pro reſtitutione dotis Margaritæ Savinæ Uxoris Joannis Baptiſtæ ultimi defuncti ſine filiis, cauthelam Angeli vigore ejusdem Fideicommiſſi, & rei judicatæ, Robertus, & Carolus ſupradicti coram A. C. Cincio allegaverant; & quia voti compotes facti fuerunt, utramque commiſſionem mihi dirigi curarunt.

Propoſui idcircò in audientia diei 5. Aprilis anni præteriti gemina dubia. alterum reſpiciens jura illorum de Savinis - *An conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, ſeu potius de re judicata, itaùt ſit ſervanda cauthela* -- cui reſponſum fuit -- *Conſtare de re judicata, & ſervandam eſſe cauthelam Angeli juxtà modum, pro ſcut. nempè* 700, ad quæ, admiſſis quibuſdam detractionibus, reſtrictum fuit fideicommiſſum juxta deciſionem tunc editam coram Me; & alterum reſpiciens jura Marioni, Angeli Dominici, & Ricciardi -- *An, & ad quem effectum conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* - in quo Domini non fuerunt concordes, ſed reſcripſerunt -- *Iterum proponatur, & concordetur factum.*

Quoniam verò ſucceſſivè fuerunt Robertus, & Carolus ad novam audientiam adverſus deciſionem ſuper cauthela Angeli evulgatam admiſſi, & reſpectu facti, in cujus concordatione variæ fuerunt excitatæ prætenſiones, emanavit reſcriptum -- *Propouatur cauſa, & habebitur ratio* -- ; hinc eſt, quod hodiè eadem dubia repropoſui, & quoad primum reſponſum -- *Standum eſſe in deciſis* --, prout ex contemporanea deciſione; Quo verò ad alterum, de quo in præſenti, dixerunt Domini -- *Conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum juxta modum inferius*
1 *exprimendum* - Poſito enim, quod Marii Senioris fideicommiſſum, cujus vigore actum fuit coram R. P. D. meo Criſpo ratione detractionum reductum ſit ad ſola ſcut. 700. quemadmodum oſtenſum fuit in deciſione edita 5. Aprilis anni præteriti ſuper cauthela Angeli, & firmatur etiam in contemporanea ejuſdem confirmatoria, utique planum eſt, non potuiſſe juſtè concedi immiſſionem Fideicommiſſariis pro integra ſumma ſcut. 1406., in qua priùs illud conſiſtebat, minuſque potuiſſe capi poſſeſſionem tot Prædiorum, quorum valor dictam ſummam longè
2 ſuperat, ſine patenti læſione, quę ideo petitæ in integrum reſtitutioni locum præbet, ad tradita *in Romana Fideicommiſſi* 21. *Ianuarii* 1707. §. *Conſtito coram Rm̃o P. D. meo Molines Decano, in Romana Immiſſionis* 27. *Iunii* 1710. §. *Sententia namque coram R. P. D. meo Aldrovando.*

Neque etiam controverti valet detractio-
3 num competentia; ea enim non ſolum fuit admiſſa in antiquis deciſionibus, ſed etiam remanet conſtabilita ex deductis in contemporanea, in modum ut pro earum importantia debuiſſet potius reis conventis concedi retentio, quam jura noſtra non minus indulgent hæredi gravato, quam aliis quibuſcumque ab eo cauſam habentibus, *Angel. de acquir poſſeſſ. qu.* 8. *artic.* 34. *nu.* 835., *Rot. deciſ.* 594. *num.* 6. *coram Dunozett. Iun., dec.* 321. *num.* 1. *coram Peutinger.*, *& dec.* 946. *num. alt. coram Card. Cerro.*

Sicut quoque inutile fuit recurrere ad impugnandam originariam quantitatem fideicommiſſi jamdiù firmatam in dictis ſc. 1406. 50. petendo re viſionem antiquarum deciſionum, & electionem Periti pro firmatione ſtatus hæreditarii Marii Fideicommittentis,
4 Ponderabant enim Domini id peractum fuiſſe in contradictorio Judicio prævia concordatione calculi ſuper valore bonorum, itaùt neceſſario, quæ in prædictis deciſionibus fuerunt conſtabilita, jus facere debeant quoad omnes, nec licitum ſit hodiernis Actoribus eadem refricare, ex deductis *dec.* 297. *num.* 7. *coram Bich.*, & cum aliis *in Romana Aſſentiſtatus impreſſ. ad ornat. Card. de Luc. de*
5 *judic. dec.* 34. *num.* 9. *& ſeqq.*, tantoque magis, quia prædictas deciſiones, & Judicata in earum ſequelam prodita fuerunt, eo tunc à Patribus acceptata, & præſertim à Joanne Baptiſta juniore Auctore Roberti, & Caroli Auctorum, contra quos propterea militat regula, de qua *Rot. dec.* 2. *num.* 2., *& dec.* 9. *coram Benincaſa, & dec.* 209. *num.* 6. *par.* 19. *recentior.*, *& paſſim alibi.*

Præter hæc communiter deducta cum cæteris collitigantibus ex alio quoque fundamento reſtitutionem in intergum expoſcebat Marionus poſſeſſor Domus, quæ eodem Fideicommiſſi titulo avocari prætendebatur. Conſtabilito ſiquidem in facto, quod ea in ipſum devenerat pro pretio ſcut. 600. Monetæ Eugubinæ, quod ue pro ſola medietate obnoxia remanebat fideicommiſſo, cum in
6 illa non modici valoris melioramenta confecerit, quæ ejuſdem domus æſtimationem auxerunt, retentionem ſibi concedi debuiſſe aſſerebat, refuſa tamen medietate valoris, ſuper qua cadit Fideicommiſſum favore Actorum, & in hac quoque parte locum eſſe inſtius inſtantiæ Domini cenſuerunt.
7 Quemadmodum enim controverſa domus commodam diviſionem non patitur, nec poteſt in ea faciè ſeparari prtio libera à Fideicommiſſaria, itàut æquum ſit ad conſulendum Juribus utriuſque partis, quod tota domus uni adjudicetur, & alteri compenſatio in pecunia tribuatur, ut plenè tradunt *Gratian. diſcept.* 997. *nu* 3., *adden. ad Capic. latr. dec.* 128. *num.* 26., *Conſtantin. ad Statut. Vrb. annot.* 28. *artic* 2 *num.* 98., ita etiam æquum
8 eſt, ut talis adductio fiat favore Marioni, qui præter portionem liberam, habet in eadem domo etiam melioramenta propriis ſumptibus confecta, & ſic habet Jus pro majori portione, quam habeant fideicommiſſarii, ſemper tamen cum eo temperamento pluriès à Tribunalibus amplexo, quod teneatur ptetium correſpondens medietati fideicommiſſariæ ad commodum ejuſdem fideicommiſſi perſolvere, ut aliis omiſſis practicatum fuit *in Forolivien. fideicommiſſi de*

To-

Torellis quoad bona ſ. peraddita 19. *Aprilis* 1706. *coram Me impreſſa apud Paulut. diſſert.*78. *tom.*2.

9 Nec poſſe fieri viſa eſt talis adjudicatio favore fideicommiſſariorum cum eadem oblatione reficiendi prætium portionis liberę, & melioramentorum; tum quia difficilior aſſumi deberet ad hunc effectum Provincia, faciendi per peritos ſeparationem eorumdem melioramentorum, eaque ęſtimandi cum graviſſimo Partium diſpendio, & litis protractione; tum quia contra fideicommiſſa-
10 rios obſtare viſum eſt factum proprium, dum occaſione, qua vendita fuit eadem Domus Mariano, fuerunt ad formam Statuti Eugubini formiter interpellati, & licet præferri poſſent, adhuc noluerunt, & domum in dictum Marionum diſtrahi permiſerunt.
11 Quod ſi itaque id ſemel illis placuit, nequeunt hodie pœnitere, & occaſione ducta à petita immiſſione pro fideicommiſſo totam domum avocare, ad *Text. in l. quod ſemel ff. de reg. Iur.*, *& l. cum fidem Cod. de numer. pecun.* cum aliis *in Romana Domus ad Curſum* 25. *Novembris* 1715. § *finali coram Me.*

Et juxtà hunc modum in ſecunda Cauſæ propoſitione reſponſum fuit partibus &c.

EUGUBINA FIDEICOMMISSI SUPER CAUTHELA ANGELI.

Lunæ 16. *Martii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 5. Aprilis 1715.

Status fideicommiſſi inter legitimos contradictores authoritate Judicis firmatus, ac re judicata roboratus afficit omnes non citatos, & eorumdem litigantium ſucceſſores jure proprio venientes.

Mulier tradens dotem in manibus viri, & illius Fratris, qui ſimul quietantiam de illa ſ.i favore exaraſſent, eorundem bona efficit pro virili obligata.

Legata ſolvi debent de bonis fideicommiſſariis, ſi fideicommittens numeratas non deſerviſſet pecunias, nec non expenſæ litis bona fide à gravato factæ ex eo deducuntur,

SUMMARIUM.

1 *Fideicommiſſum agnatitium non recipit augumentum ex prælegato à fideicommittente facto favore tertii.*

2 *Liquidatio fideicommiſſi facta in contradictorio Judicio de Mandato Iudicis, re etiam judicata roborata, afficit ſucceſſores litigantium, & ſi veniant jure proprio.*

3 *Amplia, ſi iidem ſucceſſores præfata re judicata, ac liquidatione uſi fuiſſent in alio Judicio.*

4 *Mulier tradens dotem viro, & fratri iſtius in ſimul, adverſus bona utriuſque hypotecam pro virili adipiſcitur*, & num6.

5 *Bona hypotecata pro dote, ſi dividantur inter duos Columnellos, quilibet ex iſtis pro virili ad reſtitutionem tenetur.*

6 *Mulier non acquirit hypothecam adverſus bona cognati, licet iſte dotem cum fratre ejus viro recepiſſet, quando probaretur, quod pecuniæ ad viri tantum manus deveniſſent.*

7 *Obligatio Patris pro reſtitutione dotis receptæ ab uno ex filiis, afficit portionem obventam alteri filio.*

8 *Deciſiones Sacræ Rotæ à re judicata ſuffultæ & hinc indè acceptatæ, nequeunt ab acceptantium hæredibus impugnari.*

9 *Legata facta à fideicommittente, & litium expenſæ ſuper ejus hęreditate factę, ſunt de fideicommiſſo deducendæ.*

10 *Expenſæ funerum, ultimæ que infirmitatis antè legata ſolvendæ ſunt.*

11 *Expenſæ factæ ab hærede gravato pro defenſione fideicommiſſi, ex illo ſunt detrahendæ, licet hæres gravatus ſuccubuiſſet.*

12 *Amplia, ſi ex tali lite confirmata fuiſſet exiſtentia fideicommiſſi, ac talis confirmatio fuiſſet hæredibus fideicommiſſariis utilis.*

DECISIO DCCCCXLV.

Cauthelam Angeli à Roberto, & Carolo allegatam vigore fideicommiſſi à Mario ſeniore de Benamatis inſtituti ſervandam eſſe pro ſcutis ſeptingentis dumtaxat, cum in reliqua ſumma obſtarent aliquæ detractiones, reſponſum fuit 5. Aprilis anni præteriti, comparentibus pro illius rejectione Savinis, qui Creditores ſunt Dotis Margaritæ Savinæ nuptæ Joanni Baptiſtæ juniori, ultimo loco ſine filiis defuncto, ut ex Deciſione tunc edita coram Me.

Acquieverunt huic reſolutioni iidem Savini, ſed è contra illam acriter impugnarunt Robertus, & Carolus ſupradicti, & ad novam audientiam ex conſueta Dominorum benignitate fuerunt admiſſi; hinc eſt, quod hodie una cum alio dubio ad inſtantiam aliorum idem fideicommiſſum ad diverſos effectus impugnantium propoſito, de quo in contemporanea deciſione, propoſui etiam iſtud -- *An ſi ſtandum, vel recedendum à deciſis* -- & pro perſiſtentia *in deciſis* Domini reſponderunt.

Siquidem quoad exiſtentiam fideicommiſſi canonizatam favore Roberti, & Caroli in deciſione R. P. D. mei Criſpi edita 14. Januarii 1714., & approbatam in mea deciſione, quæ revidetur, nulla amplius fuit hodie quæſtio, cum Savini illam admittant, ſicut etiam admittebant iidem Robertus, & Carolus, quod
1 fideicommiſſum nullum recipere deberet augumentum ex prælegato facto à Mario fideicommittente favore Joannis Baptiſtæ fratris, juxta deducta in eadem mea Deciſione §. *Abſque eo quod cum duobus ſequen.* cujus propterea ſubſiſtentia in his partibus ulteriori examine non indigebat.

Reintegrabatur itaque omnis difficultas ad triplicem inſpectionem; primo nempe re-

reſpectu quantitatis fideicommiſſi, an procedendum ſit cum ea, quæ alias ſtatuta fuit in antiquis hujus Cauſæ deciſionibus coram bonæ memoriæ Ottalora, Calatajù, & Albergato; ſecundo, an capitale fideicommiſſi pati debeat diminutionem ex rata dotis ſcutorum quingentorum Magdalenæ Uxoris Joannis Baptiſtæ ſupradicti; ac tertio, an admittenda ſit etiam ea diminutio, quam pro cæteris detractionibus legatorum, & expenſarum ſtatuit deciſio, quæ revidetur in ſcutis 206. Et quamvis hæc omnia latiſſimè impugnarentur; attamen in omni parte præteritæ deciſionis fundamenta Domini approbarunt.

Reſpectu enim ad fideicommiſſi quantitatem firmatam in ſcutis 1406. 50. ad formam antiquarum deciſionum fruſtra promovebatur inſtantia pro illarum reviſione, & electione Periti pro firmatione novi ſtatus, quo-
2 niam jam in ultimis deciſionibus 24., & 216. *par.16.rec.* conſtabat ſerio, & maturo Judicio fuiſſe determinatum fideicommiſſum in dicta ſumma prævia firmatione ſtatus hæreditarii Marii fideicommittentis facta de mandato iſtius noſtri Tribunalis, itaut quæ fuerunt eo tunc ſtabilita, etiam hodiernos collitigantes debeant afficere, juxta deducta in contemporanea deciſione § *Sicut quoque*; & in ea, quæ revidetur § *Quantitatem*; præ-
3 ſertim quia ipſimet Robertus, & Carolus iiſdem antiquis deciſionibus uſi ſunt in inſtantia promota coram R.P.D. meo Criſpo in ſequelam antiquæ rei judicatæ latæ in poſſeſſorio, in quibus terminis aliud non fuiſſet reconcedere dictam facultatem, & electionem Periti, quam revolvere mundum, ſublata Actoribus omni ſpe proprium creditum conſequendi.

Quantum verò attinet ad diminutionem ejuſdem quantitatis in ſumma ſcutorum quingentorum pro rata dotis Magdalenæ Uxoris Joan. Baptiſtæ ſenioris fratris Marii fideicommittentis, ſubſiſtebant pariter fundamenta deciſionis, quæ revidetur, quia cum dicta
4 dos conſiſteret in ſcutis biſmille, & fuerit communiter recepta à dictis Joan. Baptiſta, & Mario, quilibet eorum remanſit debitor pro medietate in ſcutis mille. Medietas verò
5 à Mario recepta fuit ſubdiviſa in duas æquales portiones juxta duos Columnellos, quos efformarunt ejus primi hæredes, itaut in Columnellum Decii, cujus portio eſt ea, quam hodiè prætendunt Robertus, & Carolus, & quæ fuit in dicta quantitate ſcutorum 1406. conſtabilita, non tranſierit, niſi in præfata ſumma ſcutorum quingentorum.

Neque ad eximendum fideicommiſſum à tali diminutione allegari valet, quod Marius in receptione hujus dotis ſimpliciter pro fidejuſſore ſe geſſerit, neque ullam principaliter contraxerit obligationem. Conſtat enim
6 ex inſtrumento quietantiæ per utrumque fratrem exaratę de ſolutione utrique facta cum ea expreſſione -- *fuerunt contenti, & confeſſi habuiſſe à Magnifico Paulo Reconſole de Beccolis præſente &c. florenos 5333. &c.*, & hoc caſu, quidquid ſecus ſit, quoties agitur de ſimplici obligatione pro reſtitutione in inſtrumento dotali ſtipulato cum Viro, vel quando probaretur ad manus Viri tantum dotales pecunias perveniſſe, in quibus terminis loquuntur auctoritates in contrarium allegatæ, hoc inquam caſu non poteſt negari, quin etiam Marius communiter & principaliter cũ fratre recipiens, cõmuniter quoque, & principaliter ad reſtitutionem remanſerit obligatus, juxtà plenè firmata *dec.333.nu.10. coram Bich*, & *dec.275.num.3.poſt. Zacch. de obligat. Camer. ubi concordan.*

Quod comprobatur etiam ex eo, quod dos
7 prædicta promiſſa fuit adhuc vivente communi Patre, qui pro illius reſtitutione omnia Bona obligavit; quo circa cum eadem Bona devenerint in filios cum vinculo talis hypothecæ, & illis in communione viventibus promiſſa dos fuerit ſoluta, ſubintrat exindè titulus obligationis in Bonis communibus pro illius reſtitutione, ut in fortioribus terminis probant *Capyc.Latr. dec.36. num.3.*, & cum aliis *Rot. dec.300. num.19.par.18. rec.*, ultra quod fuit hæc diminutio approbata in ſæpe relatis antiquis deciſionibus, & præſertim in illa, quæ eſt impreſſa *par.16.rec. deciſ.24. ubi ſub. num.14* habetur, quod Informantes pro fideicommiſſariis eo tunc admittebant illam ſubſiſtere in ſcutis quingentis: has
8 autem deciſiones utpotè quæ rem judicatam præceſſerunt, & fuerunt à partibus acceptatę, omnino attendendas eſſe præſertim à Roberto, & Carolo cauſam habentibus ab acceptantibus, plenè firmavi in contemporanea deciſione § *Sicut quoque*, & præter ibi adductos probat *Rota dec.326. num.13., & ſeq. par.19. rec.*

9 Supereſt tertia inſpectio deductionis ſcutorum 206. pro cæteris detractionibus, quæ à Savinis adducebantur pro legatis à fideicommittente relictis, & expenſis factis in antiqua lite ab hæredibus gravatis, & quoad hanc quoque Domini perſiſterunt *in deciſis*, ponderantes præcipuè, quod ſivè una, ſive altera ex dictis prætenſionibus ſubſiſtat, ſemper talis detractio remanet talis, ut vix inferior poſſet approbari, cùm tàm legata, quàm expenſæ prædictæ ſummam ſcutorum 206. valdè ſuperant.

10 Nec dicatur, quod legata ſolvi debebant ex pecuniis in hæreditate repertis, quia non conſtat, quod adfuerint in ſufficienti quantitate, dum præſertim aderant diſſolvendæ etiam expenſæ funerum, & ultimæ infirmitatis, & aliæ ſimiles, quæ tanquam neceſſarię primario deducendę erant ab hęreditate, *de Luc. diſc.19. num.10. de legit.*, & *Rota dec.901. num.6. coram Emerix. Jun.*

Minuſque relevat, quod hæredes gravati
11 in antiqua lite ſuccubuerint, ideoque expenſæ per ipſos factæ adduci hodie non merentur: etenim cum bona fide factæ fuerint,
12 & exindè fideicommiſſarii plurimam utilitatem

tem

tem ſint conſecuti, dum fideicommiſſum canonizatum extitit, firmatus fuit ſtatus hereditarius, & diſcuſſa cauſa in modū, ut iiſdem deciſionibus in præſenti Judicio Robertus, & Carolus uſi ſint pro eruenda ipſorum vocatione; utique æquum non eſt, quod earum bonificationem amplius controvertant, ut in ſimilibus terminis animadvertit *Rota dec.907. num.2. part.13., & in Romana multiplicorum 25. Junii 1700. §. Hinc propterea coram R.mo D. meo Molines Decano*.

Et ità utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 20. Martii 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt revocatoria alterius ſub die 14. Junii 1715.

Contractus factus à Bancherio publico, qui ære alieno præmeretur, ſimulatus eo caſu non præſumitur, quo vel verus, vel falſus eſſet creditorum conditio, nec melior, neç deterior fieret, maximè ſi ille in morte conſtitutus eundem ratificaſſet. Agit hæc ulterius deciſio de ſtylo inter mercatores inlendi apocas, in albo creditoris nomine relicto, & quid præſumendum, ſi pro perſona nominanda fiat.

SUMMARIUM.

1 *Prohibitus fidejubere ex lege teſtatoris ſub caducitatis pęna, in iſtam non incidit, ſi ad fidejuſſionem, audito creditore, deveniat.*

2 *Contractus præſumitur ſemper validus, & non ſimulatus, & ſimulationem allegans eam probare concludenter tenetur.*

3 *Scriptura ab ipſo debitore recognita cum iurata aſſertione præſumitur vera.*

4 *Juramentum addit vim contractui, illumque verum pręſumere facit.*

5 *Contractus eo magis præſumitur verus, & non fictus, ſi illius ſcriptura fuiſſet recognita, ejuſque vigore Judex mandatum relaxaſſet.*

6 *Apoca licèt ſub nomine alterius, quàm creditoris confecta, valida, & vera præſumitur reſpectu creditoris ex hoc, quod ſi debitor in ea ſcriptus pulſaretur, iſte retorqueret moleſtias adverſùs verum debitorem, qui effectivè poſtea perſolveret.*

7 *Debitor ęre alieno gravatus de facili pręſumitur, ut ad evitandas creditorum moleſtias, in faciem tertii creditum deſcribere faciat.*

8 *Limita, ſi ageretur de contractu, qui creditoribus utilis non eſſet.*

9 *Sublimita, ſi ex eodem contractu debitoris patrimonium non diminueretur, ex quo iſte tutum regreſſum adverſùs coobligatum haberet.*

10 *Simulatio in contractu inita ab homine obærato non præſumitur, quoties, ſi verus eſſet, creditorum, conditio melior non fieret.*

11 *Amplia, ſi eo tempore illorum moleſtię non imminerent.*

12 *Fraus non præſumitur adeſſe in declaratione facta ab homine, qui eſſet in mortis articulo conſtitutus*, & num.22.

13 *Simulatio non probatur per coniecturas, ſi cauſa ſimulandi deficiat.*

14 *Amplia, ſi conſtet de realitate contractus, & veriſimili interpretatione, per quos contraria argumenta repellantur.*

15 *Acquiſcentia creditoris in exigendo fructus non conſideratur, quando apoca crediti in alterius faciem cantaret, & fructus ab eo, qui exegit, de facili recuperare brevi manu potuiſſet*, & vide rationem.

16 *Bancherius publicus ære alieno gravatus, pręſumitur ut in ſuis libris omnia ſua credita teneat deſcripta, etiam ſi aliqua ex illis ad Tertium ſpectarent, ad ſuſtinendum proprium nomen, & creditum.*

17 *Libri publici Bancherii, qui non probent pertinentiam uniusrei ad ipſum ſcribentem in eis deſcriptæ, neque ad probationem de ſimili dominio alterius admittuntur.*

18 *Apoca, in qua nomen debitoris, ſive unus ex contrahentibus videatur diverſo caractere ſcriptum ſuper puncta, quæ in ſpatrio albo fuiſſent inficta, nan poteſt dv falſitate redargui.*

19 *Apoca, in qua creditoris nomen in albo reperiatur, ſi res ſit inter mercatores omiſſum præſumitur, ut facilius in commercium pertranſeat, & hoc eſt de ſtylo.*

20 *Contrahens ſub nomine alterius ad arcendos creditores, non pręſumitur, quod in apoca contractus nomen creditoris in albo deſerat*, & vide rationem in numero ſequenti.

21 *Contrahens ſimulatè pręſumitur omni ſolertia ſcripturam conficere, ne ex oculari inſpectione ſimulatio appareat.*

22 *Ratificans contractum in extremo vitæ, non præſumitur voluiſſe fraudibus & ſe, & tertium involvere.*

23 *Recognotio caracteris Notarii, quæ fit in Urbe à Populo Romano, tribuitur diligentię, & non ſimulationi contrahentium, præſertim ſi ſcriptura coram Judicibus externę ditionis ſit deducenda.*

DECISIO DCCCXLVI.

Delato per appellationem interpoſitam à judicato A. C. Anſidei ad Sacram Rotam examine controverſiæ vertentis inter Venerabile Hoſpitium Invalidorum Urbis, & creditores quondam Hyacinthi de Palazzeſchis ſuper exactione pænę, quam ſibi deberi prætendebat idem Hoſpitium vigore teſtamentariæ diſpoſitionis Hieronymi pariter de Palazzeſchis ob contraventiones à Hiacyntho iſtius hærede commiſſas, exhibendo ſe fidejuſſorem in geminis contractibus, propoſui in audientia diei decimaquarta Junii elapſi anni dubium - *An conſtet de contraventionibus, itaut pęna debeatur, & pro* qua

qua ſumma: Fuitque reſolutum: *Conſtare de unica contraventione, & deberi pœnam in ſcutis quinquaginta, & in reliquis negativè.* -- Proceſſerunt ſiquidem Domini cum diſtinctione actuum, ex quibus aſſertæ contraventiones deducebantur, & approbantes contraventionem, quoad actum expoſitionis Cedulæ Bancariæ in emptione Caſtri Ga-
1 leræ, ſequuta de anno 1710. pro Joſepho Salvono, rejecerunt alium actum fidejuſſionis emiſſæ de anno 1703. favore Cæſaris Almon, putantes iſto inaudito juxta creditorum antedictorum inſinuationes hujuſmodi actum non induxiſſe contraventionem, tanquam ſimulatum, ac de falſitate ſuſpectum, *ut ex deciſ. edita cor. Me.*

Ne verò ex capta reſolutione idem Cæſar damnum in re, & fama pateretur, comparuit ſubindè ad cauſam admiſſus, & ex conſueta Dominorum benignitate jura ſua deducendi facultatem habuit, mediante conceſſione novæ audientię. Propterea dedi hodie dubium: *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis.* complexivum jurium aliorum quoque Collitigantium, cui Domini non concordes in aliis cauſæ partibus, præterquam in ſtabilienda realitate, & ſubſtantia crediti prædicti Cęſaris, reſponderunt, *Recedendum à deciſis quoad creditum Almon, & in reliquis iterum proponatur.*

Motivum verò hujus reſolutionis novæ facti circumſtantiæ prębuerunt, ex quibus ſatis fundata apparuit in jure realitas præfati crediti, & nullius momenti oſtenſæ ſunt exceptiones aliàs contra illum deductę.

2 Et ſanè præter juris aſſiſtentiam, quæ favet ſemper actus veritati, & ſubſiſtentiæ, ita ut contrarium alleganti onus incumbat falſitatem, aut ſimulationem concludenti probatione demonſtrare, ut latè probat *Rot. dec. 89. nu.2. cor. Ubaldo, dec. 169 n.7. cor. Celſ. dec. 40. n. 34. cor. R. P. D. meo Anſaldo, in Romana Cambii 24. Martii 1700. §. Nulla-
3 tenùs cor. bon. me. Muto*, & paſſim concurrit in realitatis, & veritatis confirmationem, primò, quod ſcriptura controverſi contractus recognita fuit ab ipſomet debitore per duplex publicum inſtrumentum, & cum jurata aſſertione: *Vera fuiſſe, & eſſe omnia, & ſingula in dicta girata contenta*,
4 quæ omnem doli, & colluſionis ſuſpicionem removet, ne aliàs perjurus, & improbus ille dicendus ſit, juxta animadverſa *dec.23. n.12. in Mantiſſ. ad Cardin. de Luc. de Credit., in Maceraten. Cambii 12. Decembris 1704. ſub §. Pręterea cor. Eminen. D. meo Cardin. Scotto, & in Carpentoraten. Pecuniaria 25. Junii 1714. §. Abſque eo quod cor. R. P. D. meo Falconerio.*

5 Secundò, quod pro roboranda illius veritate, ac legalitate etiam in quocumque Foro externæ Ditionis, fuit facta ejuſdem recognitio per alios Urbis Notarios, & Negociatores caracterem Hiacynthi benè notum habentes, & ulterius per tres vices fuit apoca crediti, de quo agitur, in judicio producta; primò nempè coram A. C. meo, ſecundò coram A. C. Anſideo, ac tertiò coram ſupremo Magiſtratu Florentiæ, & ab omnibus his Judicibus fuit ſemper admiſſa illius veritas, dum illius vigore opportuna relaxarunt mandata, quod ſanè plurimùm conferre ad excludendum apocæ privatæ falſitatem, & colluſionem probat *R. P. D. meus Anſald. de commerc., & mercatur. diſc.35. n 17., Rot. cor. eodem dec.53. n.2., & in rec. dec.190. n.1. p.18.*

6 Ac tertiò demùm, quod agente Cæſare in Curia Florentiæ pro ſatisfactione ſui crediti ex hujuſmodi contractu provenientis, exhibita utraque apoca, cambii ſcilicet, & declarationis factę à Hiacyntho, Tutrix Hieronymi junioris hæredis ejuſdem Hiacynthi, qui, ut dictum eſt, fidejuſſerat illius favore, moleſtias paſſas retorquere ſategit in principalem cambii debitorem, & iſte ad remorandum judicii curſum ſummam ſcutorum ſexmillium unà cum fructibus decurſis abſque ulla exceptione perſolvit, qui ſanè actus ad effectum demonſtrandi veritatem rei geſtæ inter Hiacynthum, & creditorem maximè videtur attendendus, ex firmat *dec. 359. nu.5. cor. Burat., in Romana Cambii 24. Martii 1702. §. Eoque cor. bo.me. Muto, & in cit. Carpentoraten. Pecuniaria §. Tam grandis cor. R. P. D: meo Falconerio.*

7 Neque hęc omnia ex allatis in contrarium exceptionibus colluſionis, & ſuſpicionis de falſo elidi poſſunt. Cauſa ſiquidem ſimulandi, quam præcedens mea deciſio conſtabilivit in imminentibus creditorum moleſtiis, quaſi quoad iſtas evitandas Hiacynthi Uxor, & Cæſar contraverſum actum fictitiè geſſerint, ex pluribus noviter adductis collabeſ-
8 cere viſa eſt. Animadverterunt enim Domini, quod non verſamur in actu, qui creditoribus ullum præjudicium inferre poſſet, aut utilitatem Uxori prædictæ (quę tamen nequidem eſt Viri hæres relicta, ut tunc erro-
9 neè inſinuabatur, ſed ſimpliciter Tutrix hæredis) verſamur verò in actu fidejuſſionis, per quam debitoris patrimonium non diminuebatur, cum ſemper ipſi relevatio competeret indemnitatis adverſùs principales idoneos debitores, tam ex juris diſpoſitione, quàm ex pacto in ipſamet apoca reſervato,
10 itaut his ſtantibus, ac deficiente creditorum præjudicio, aut uxoris, ſeu hæredis utilitate credendum non ſit, voluiſſe illam hujuſmodi actum confingere, *Rot. dec.602. nu. 10. cor. Dunoz. jun., dec.238. n.3. cor. Emer. jun., in allegat. Romana Cambii §. Nec pro ſufficienti cor. bo me. Muto, & in nullius, ſeu Terræ Pontiani Dotis 10. Maii 1709. §. Et ſanè in fin. cor. Eminen. D. meo Cardin. Priolo.*

Maximè quia neque tunc creditorum mo-
11 leſtiæ erant imminentes, immò non niſi poſt annum, & ultra ſupervenerunt, neque poterat præfata Uxor ſine Hiacynthi Viri aſſenſu, & cooperatione talem actum explere, (ut de facto patet, dum apocarum ſubſcriptio,

tio,

12 tio, & recognitio fuit neceſſaria.) Hic verò jam tunc in lecto recumbebat, & erat in extremis conſtitutus, undè non eſt veroſimile, quod hiſce fraudibus in detrimentum æternæ ſalutis cooperari voluerit, *Actolin. reſol.2. n.7., Rot. dec.733. nu.1. cor. Burat., & in dict. Romana Cambii 24. Martii 1702. §. Præcipuè cor. bo.me. Muto.*

13 Sepoſita autem ſimulandi cauſa, ſupervacaneæ, & inutiles remanent conjecturæ juxta ſatis notam regulam, de qua *Rot. dec.529. n.6. p.19. rec. tom.2., in Maceraten. Cambii 12. Decembris 1704. §. Excluſa coram Eminentiſ. D. meo Card. Scotto, in Romana Pecuniaria 19. Aprilis 1709. §. Nec ad impediendum cor. Emin. D. meo Card. Priolo, & in Romana Salviani 23. Junii 1710. §. Subſiſtente cor. bo. me. Caſſarello*; fortius verò

14 quando, ut in præſenti ex præmiſſis argumentis realitatem crediti demonſtrantibus conquaſſantur, & ſingillatim perpenſę, diverſa facilè, ac veroſimili interpretatione reſelluntur.

15 Quatenùs enim objiciebatur, Cæſarem nunquam petiiſſe fructus, donec vixit Hiacynthus, & è contra iſtum fructus exegiſſe uſque ad annum 1710., placuit Dominis reſponſio, id eveniſſe, ne debitum in occulto, legitimè tamen contractum publicaretur, atque id toleraſſe eundem Cæſarem, dum ſatis ſe tutum pro conſequutione ſui crediti ob fidejuſſionem Hiacynthi cognoſcebat, & poterat fructus ab iſto brevi manu recipere, itaut huiuſmodi conjectura admodum extrinſeca ſe habeat ad eſſe, & non eſſe, nec debeat attendi, *Sperell. dec.28. n.53., Rot. dec.24. num.8. poſt Cenc. de Cenſ., cor. ſa.me. Gregor. XV. dec.195. n.10., & in Romana Pecuniaria 19. Aprilis 1709. §. Nec ad impediendum in fin. cor. Eminent. Domino meo Priolo.*

Quo verò ad retentam deſcriptionem eiuſdem crediti in libris Hiacynthi, etiam poſt factam ceſſionem, nulla poteſt exindè

16 oriri conjectura ſimulationis, cum ipſe pro magnificanda, ſeu ſaltem pro ſubſtinenda propriæ idoneitatis fama deſcribere conſueverit in ſuis libris etiam ea credita, quæ cæteroquin ad ſe non ſpectabant, ut ſignanter ex eo patet, quod non ſolùm plures ſui creditores deſcribere omiſit in eiſdem libris, ſed etiam in ſui faciem regiſtravit feudum Galerę, reverà pertinens ad clar. me. Princi-

17 pem Odeſcalcum. Si verò præfati libri deſervire procul dubio non poſſunt ad probandam pertinentiam huius fæudi ad Hiacynthum, idem dicendum eſt, quoad cambium controverſum, *de Luca ad Gratian. diſcept. 171. n.11., R.P.D. meus Anſaldus in diſcurſ. general. de comerc. & merc. n.140., adden. ad dec.345. n.36 p.9. rec. tom.2., & in Romana Pecuniaria 26 Febr. 1714. § final. cor. R. P. D. meo Criſpo.*

18 Paris inſubſiſtentiæ viſa eſt Dominis ea quoque falſitatis ſuſpicio, quæ in præterita cauſæ propoſitione impicta fuit apocæ, in qua continetur fideiuſſio Hiacynthi ex illius viſura, eò ſcilicet, quod nomen Cæſaris Almon fuerit apocæ ſuperadditum in ſpatio albo, ubi adhuc puncta antecedenter ibi facta recognoſcuntur, quodque tota ſcriptura inæqualis caracteris tractu ſit exarata, ut in *dec. quæ revidetur §. Ex viſura.*

Aſſerta enim inæqualitas linearum, & caracteris difformitas ex inſpectione apocę de-

19 fecit; repletio verò ſpatii alibi cum nomine Cęſaris, neque falſitatis, neque ſimulationis ſuſpicionem inducere potuit obſervando frequentem eſſe inter Mercatores uſum ſyngrapharum, in quibus continentur giratæ, vel contractus pro perſona nominanda, ut erat præſens, cum ſpatio albo replendo ad

20 facilius inter ipſos commercium. Et de cætero ſi Hiacynthi Uxor, ac Cæſar voluiſſent aliquid ſimulatè gerere in præiudicium creditorum, neque in albo reliquiſſent ceſſionarii nomen, neque diverſo ſcripſiſſent at-

21 tramento, quia regulariter, dum ſimulationes committuntur, omnis adhibetur ſolertia, ne ex oculari inſpectione detegi poſſint, *Cepoll de ſimulat. contract. præſumpt.2. in princ., Sperel. dec.8. n.60., Rot. dec. 211. n.27. p.19. rec., & in Romana Pecuniaria 30. Junii 1704. §. Creſcitque cor. Rmo P.D. meo Molines Decano.*

22 Nec demum ullum colluſionis argumentum præbet dilatio recognitionis ad extremam Hiacynthi infirmitatem; quia procul dubio de tempore, quo illam explevit, ſanæ mentis erat, dum ſupervixit per quinque dies, teſtamentum condidit, & S. Eccleſiæ Sacramenta recepit, imò, ut ſupra dictum eſt, potius hæc circumſtantia retorquetur, quia vicinæ mortis periculo præſſus, difficilius ad actum, ex quo præiudicium Tertio inferretur, potuiſſet induci, ut cum allegatis in §. *Maximè quia, probat Actolin. reſol.21. n.7., Rot. poſt Poſtb. de manut. dec.85. n.10., cor. Burat. dec.733. n.1., & dec 352. n.9. cor. Duran.*

Nullaque poteſt conſiderari affectatio ex

23 adhibita legalitate Populi Romani, aliiſque ſimilibus cauthelis, quia erant in Foris, & coram Judicibus externæ ditionis profuturę, itaut non debeant ſuſpicionem falſitatis ingerere, ſed diligentiam potius, & ſolertiam Viri in rebus ſuis pertractandis neceſſariam teſtificari, ut notat in propoſito *Rota dec.150. n.4. verſ. Ponderarunt poſt Zach. de Obligat. Camer. dec.116. n.15. p.7. rec. dec. 340. n.8. & 9., & dec.1272. nu.3. cor. Emer. Jun.*

Et ita Partibus auditis, fuit &c.

LEODIEN. PASTORATUS.

Veneris 20. Martii 1716.

ARGUMENTUM.

In judicio manutentionis inſtituendus eſt Præſentatus à Patrono ultimum pro ſe ſtatū habente,

bente, licet aliqualiter dectituli legitimitate conſtaret, quando inter præſentatos lis ſit. Juſpatronatus Fæudo annexum, ſi illud in pignus detur pènes tertium, numquam ſub pignore cadit.

Verbum -- *Sayſinia* -- apud Leodien. de ſtylo Loci quid denotet, & quomodo diſtinguatur, dictincte explicat ſequens.

SUMMARIUM.

1 *Inſtitutio danda eſt ſemper præſentato à Patrono illo, qui ultimum pro ſe habeat ſtatum.*

2 *Rota in hac materia ſemper ſequitur diſpoſitionem* Textus in Cap. Conſultationibus de Jur. patron.

3 *Diſpoſitio ejuſdem Capituli limitatur, quando alter Compatronus doceret, quod poſſeſſorium à petitorio cum titulo claro abſorberetur.*

4 *Præſentatus, verificato ultimo ſtatu in Patrono, aliiſque verificandis, inſtituendus eſt ad excluſionem alterius ab altero Compatrono electi.*

5 *Poſſeſſio in præſentando non poteſt dici dubia nec æquivoca, ſi per ſententiam in contradictorio Judicio fuiſſet canonizata, & cum effectu poſſeſſio ſequta.*

6 *Poſſeſſio in præſentando, ut ſit manutenibilis in Judicio poſſeſſorio, ſatis eſt, quod doceatur de certa quaſi poſſeſſione præſentandi ad aliud beneficium, quæ ab eadem cauſa univerſali dependeret.*

7 *Juſpatronatus ruri annexum, ſi rus oppignoretur, non remanet ſub pignore comprehenſum, & vide rationem* in n. ſeqq.

8 *Fructus Juriſpræſentandi ſunt ineſtimabiles, & ſortem debiti non extinguunt.*

9 *Verbum* -- Sayſinia -- *apud Leodienſes quid denotet. In Urbe tamen injectionem manus, & occupationem Domini ſignificat.*

10 *Aliquando ſtat pro traditione poſſeſſionis apud aliquos Doctores.*

11 *Dominium in revocabile contraitur ſuper re oppignorata, niſi intra annum redimatur, ſecundum conſuetudinem Leodienſem.*

21 *Poſſeſſio dicitur capta judicialiter, ſi adbibita reperiatur Magiſtratus auctoritas, & omnia de jure ſervanda, juxta ſtylum Loci.*

13 *Jus præſentandi juxta alterum ſtylum* Sayſiniæ, *poſt ſpatium quadraginta annorum non redemptum, irrevocabiliter in creditorem pertranſit.*

14 *Immiſſio virtute fideicommiſſi obtenta ſuper Feudo, & Juribus bonorificis, talia jura pènes reum extaſſe præſupponit.*

15 *Jus patronatus, eſt Jus bonorificum.*

16 *Juriſpatronatus pertinentia etiamſi ſit dubia, ſufficit, ut inſtituendus ſit præſentatus à Patrono, qui ultimum proſe ſtatum babeat in Judicio manutentionis.*

DECISIO DCCCCXLVII.

PRopoſui hodie Dubium *An Sententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda,* & Domini confirmandam eſſe reſponderunt, quia, ut benè firmatum fuit in *Deciſione R. P. D. mei Falconerii 2. Julii 1714.* in præſenti Judicio vertente ſuper inſtitutione inter duos Præſentatos ad controverſum Paſtoratum, illa omninò concedenda eſt Joanni, qui præſentatus reperitur à Barone Friderico poſſeſſore Caſtri de Pettigny, & Ceſ-
1 ſionario Odyliæ, quæ in ultima præcedenti vacatione, cum ſubſequuto effectu præſentavit, juxta diſpoſitionem celebris *Text. in cap. conſultationibus de Jurepart.*, quam
2 in ſimilibus controverſiis perpetuò ſervat *Rota*, ut videre eſt *in recen. dec.73. à n. 17. par. 11.*, *& in Oſtunen. Beneficii 3. Decembris 1714. coram Emo Scotto*, *& in Cremonen. Beneficii 4. Februarii 1715. §. Quandoquidem coram R. P. D. meo Cerro*, & millies alibi.

Abſque eo quod ad evertendum dictum ultimum ſtatum ſuffragari valeat Ægidio Collitiganti, vel quod ille ſit dubius, & æquivocus, ex quo Perpetuus Purleaux ultimus dicti Beneficii poſſeſſor illud à S. Sede impetraverit non tamquam ab Odylia præſentatus, ſed tamquam devolutum, ob incapacitatem Laurentii nominati à Carolo Barone de Kerchem; vel quod ſaltem cum
3 hodie doceatur dè pertinentia dicti Juriſpatronatus favore Vicecomitis Franciſci, à quo ipſe Ægidius præſentatus fuit, quæcumque Odyliæ, & Friderici quaſi poſſeſſio à proprietate. ac titulo abſorbeatur, ut ſæpè alias ad limitationem *dicti cap. conſultationibus* reſpondit *Rota*, *& præſertim in Matheranen. Parochialis 11. Januarii 1712. §. Quod autem coram R. P. D. meo Falconerio*, *& in Piſana Prioratus 11. Aprilis 1712. §. Atque id ipſum coram R. P. D. meo Anſaldo*, *& in Bononien. Beneficiorum de Caſtello 12. Decembris ejuſdem Anni cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Quod enim attinet ad primam objecti partem, difficultas omnis removetur ex ipſo contextu Literarum Apoſtolicarum, in quibus diſertiſſimis verbis primo loco enunciatur vacare Beneficium per obitum Lamberti illius dum viveret ultimi Rectoris, non obſtante proviſione reportata ab Ordinario per Laurentium, tamquam in ætate legitima non conſtitutum, & forſan nullitèr, & de facto præſentatum à memorato Carolo Barone de Kerchem, qui extra poſſeſſionem Dominii Loci de Pettigny, cui d. Juſpatronatus annexum reperitur, Juris ordine ſervato jam pridem expulſus fuerat; deinde verò committitur officiali EpiſcopiLeodien., ut eumdem Paſtoratum Apoſtolica Auctoritate conferat Perpetuo Purleaux *aſſerenti ſe* (ſunt eadem verba dd. Literarum) *à dilecto filio Erneſto Barone de Kerchem moderno d. Eccleſiæ unico Patrono, ſeù dilecta in Chriſto filia Odylia de Dobbleiſtein moderna unica dict. Eccleſiæ Patrona, & in Poſſeſſione Dominii d. Loci, ut etiam accepimus, exiſtentibus ad dictam Eccleſiam, ut præfertur*

tur vacantem, *intra legitima tempora præ-*
4 *ſentatum*: ſicuti de facto verificato prius dicto Jurepatronatus, aliiſque de Jure, & juxta formam earumdem literarum verificandis, fuit idem Perpetuus ad poſſeſſionem memorati Beneficii à dicto Officiali Commiſſario immiſſus, expulſo exindè Laurentio Oppoſitore, atque in expenſis condem-
5 nato. Quamobrem in hiſce rerum, factique circumſtantiis tantum abeſt; ut dictus ultimus ſtatus, & quaſi poſſeſsio Odyliæ dubia, aut æquivoca dici valeat, ut potius ex oppoſito magis clara, & univoca exoptari nequeat, ut potè canonizata in contradictorio Judicio per ſententiam Delegati Apoſtolici in excluſionem alterius Præſentati ab Auctore moderni Vicecomitis cum ſubſequuta pacifica poſſeſsione uſque ad obitum, *Rota cor. Celſ. dec.*193. *num.*9., *& in recent. dec.*266. *num.*7. *cum ſeq. par.*15., *& in Barchinonen. Parochialis del Prat* 13. *Junii* 1695. §. *Nec relevat coram bo. me. Urſino*, *& in Mediolanen. Cappellaniæ* 9. *Maii* 1701. §. *Et tanto magis*, *&* 5. *Maii* 1702. §. *Non minori coram Emo Priolo*, *& in Melevitana Juriſpatronatus* 13. *Januarii* 1708. *cor. bon. me. Omanna*.

Eoque certius, quia idem eveniſſe conſtat reſpectu alterius Beneficii ſub invocatione Sanctæ Catharinæ eidem Feudo de Petigny pariter annexi, in quo Anno 1699. excluſo præſentato à dicto Carolo, inſtitutionem obtinuit Præſentatus ab Odylia, qui non obſtante lite ab initio mota, adhuc hodie in ejus
6 poſſeſsione per ſeverat; undè etiamſi deficeret certus ſtatus controverſi Paſtoratus, ſatis eſſet in præſenti Judicio pro effectu manutentionis certa quaſi poſſeſsio quoad aliud Beneficium ab eadem univerſali cauſa dependens, ut benè de more proſequitur *dict. Deciſio præcedentis Inſtantiæ* §. *Non obſtante*, & alias reſpondit *Rota dec.*820. *num.*7. *coram Emerix Jun.*, *& in Majoricen. Beneficii* 11. *Maii* 1705. §. *Fin. coram bon. mem. Muto*, *& in Friſingen. Decanatus* 12. *Junii* 1711. §. *Præſentim in fin. cor. Rmo D. Molines Decano*.

Poſito itaque ex his ultimo ſtatu claro, & indubitato favore Odyliæ Auctricis Friderici, qui Joannem præſentavit, deſcendentes Domini ad aliam objecti partem, minùs Ægidio proficere poſſe cenſuerunt ſolitum diffugium ad titulum, & pertinentiam Juriſpatronatus, ſub obtentu, quod memoratum Feudum de Pettigny, cui illud reperitur annexum, non Jure dominii, ſed ſimplicis tantum pignoris in Odyliam tranſlatum fuerit à dicto Carolo Vicecomitis Auctore pro relevatione moleſtiarum illi illatarum ſuper
7 Terra de Naderharen, quodque per conſequens Jus præſentandi una cum dominio tam utili, quam directo dicti Caſtri ſemper remanſerit penès Carolum debitorem, atque ejus ſucceſſores, ex litterali diſpoſitione *Textus in cap. cum Bertoldus de ſententia*, *& re judicata*, ubi cavetur, quod ſi Villa, cui ſit Juſpatronatus annexum pignori detur, Juſpræſentandi in Creditorem non tranſit,
8 quia fructus præſentationis eſt prætio inæſtimabilis, atque ideo in ſortem debiti, cum pignus luitur, imputari non poteſt, ut benè ibi explicat *Gloſſ.*, *& Innocent.*, *& poſt eos Lambertin. de Jurepatr. lib.*1. *par.*2. *quæſt.*1. *artic.*2 *per tot.*, cum aliis adductis *in præcedenti deciſione* §. *Nec relevante*.

Fuit namque animadverſum memoratam Odyliam pro relevatione dd. Moleſtiarum, licet de conſenſu Caroli, non ſine tamen Magiſtratus, & Curiæ Feudalis auctoritate immiſſam fuiſſe in actualem dicti Caſtri poſſeſsionem in vim cujuſdam conſuetudinis,
9 ſive remedii, quod apud Leodienſes gallico vocabulo *Sayſinia* dicitur, & quidem ſervatis omnibus in eo Judicio de more ſervandis. Quidquid autem ſit, an Immiſsio ejuſmodi ſimplicem tantum detentationem ab initio in Odyliam tranſtulerit ad inſtar pignoris, & Immiſsionis in Salviano, vel potius plenam poſſeſsionem, & dominium cum dictum Verbum diverſimode à noſtratibus acceptum reperiatur, & quandoque uſurpatum fuerit pro injectione manus, & occupatione dominii, ut *in cap. Clericis* §. *Nos igitur de Immunit. Eccleſ. lib* 6., ſicuti vulgo apud Gallos accipi teſtatur *Tiraquell. in tract. le mort ſaiſit le vif. declar.*1. *num.*3.,
10 Quandoque vero pro traditione poſſeſsionis, ut placuit *Cyno in l. in ea lege C. de condict. ob cauſam*, quem ſecutus eſt *Caſtren. in l. qui univerſas* §. 1. *in fin. ff. de acquiren. poſſeſſ.* Illud utique certum eſt, quod cum
11 Carolus dicto Feudo Judicialiter exutus fuerit, tamquam ſpecialiter hypothecato in caſu dd. moleſtiarum, neque intra terminum unius anni illud reluerit, ſaltem ex tunc, conſuetudine regionis attenta, quæſitum fuit Odyliæ dominium illius irrevocabile, ut firmat *de Mean. ad conſuetudin. Leodien. obſerv.*544. *par.*5. *n.*1.

Abſque eo quod negari valeat poſſeſsionem prædictam judicialiter captam fuiſse: Quamquam enim Carolus conſenſum ſuum
12 illi præſtiterit, cum tamen ad eum effectum adhibita fuerit Magiſtratus auctoritas, parumque, ac magnum, præceptum interpoſitum, ac tandem ſervata omnia de more, & conſuetudine in ejuſmodi Judiciis ſervanda, nullo modo cenſeri poteſt intra limites privatæ, & extrajudicialis conceſsionis reſtricta, ad ea, quæ tradit idem *de Mean. loco ſupracit. in fin.*, & prius dixerat *obſervat.* 301. *per tot.*, *& ſignanter num.* 1.

Et nihilominus quatenus etiam id admitti vellet, adhuc tamen cum de tempore, quo Vicecomes dicti Caroli debitoris ſucceſſor Ægidium præſentavit jam lapſus eſſet alius terminus quadraginta annorum in Sayſinia conventionali ab eadem conſuetudine ad reluendum præfixus, ejus præſentatio ſubſti-
13 neri non poſſet, cum jam tunc Dominium dicti Caſtri, una cum Jurepatronatus eidem annexo ad Fridericum Odyliæ creditricis ceſſio-

ceſſionarium irrevocabiliter pertinere cæpiſſet, ut diſtinguendo inter unam, atque alteram ſpeciem dictæ Sayniæ, firmat citatus *de Mean. d. obſer.* 301. *n.* 1.

Quam quidem veritatem ipſe quoque Vicecomes optimè agnovit, dum ſucceſſivè an-
14 no 1712. ex propria perſona, atque ex titulo cujusdam fideicommiſſi immiſſionem petiit, atque obtinuit adverſus Fridericum ſuper dicto Feudo de Pettigny, ejuſque pertinentiis, ac nominatim ſuper Juribus honorificis eidem annexis. Quod ſanè factum clariſſimè demonſtrat eadem Jura honorifi-
15 ca, inter quæ ſine dubio memoratum Juſpatronatus continebatur, ex confeſſione ipſius Vicecomitis penès Fridericum ab eo conventum extitiſſe, ut benè obſervat *deciſio præcedentis Inſtantiæ* §. *Quæ omnia cum ſeqq.*

Tantum itaque abeſt, quod ultimus ſtatus, & quaſi poſſeſſio ab oppoſito titulo pertinentiæ, & Juriſpatronatus abſorberi valeat, ut potius ex ſupra deductis plurimum ab eo
16 confoveatur, & tamen in præſenti Judicio ſufficeret eamdem pertinentiam aliquatenùs dubiam eſſe, ad hoc, ut interim Paſtoratus adjudicandus ſit Joanni, qui præſentatus reperitur à Patrono exiſtente vigore ultimi ſtatus in clara quaſi poſſeſſione præſentandi, ut pluribus adductis concordantibus reſpondit *Rota in Melevitana Juriſpatronatus* 31. *Martii* 1702. §. *Etenim coram Emo Scotto*, *& in Mediolan. Cappellaniæ* 25. *Aprilis* 1704. §. *Fin coram Rmo Domino Molines Decano*, cum aliis *in Firmana Beneficiorum* 3. *Junii* 1715. §. *Non obſtat cor. Me*.

Et ita utraque &c.

EUGUBINA BONORUM SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 23. *Martii* 1715.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 27. Martii 1715.

Spoliator tenetur ad reſtitutionem fructuum una cum bonis à die motæ litis. Hæres mala fide fructus percipere dicitur, ſi ſuper illis injuſtam litem ſuſtinere ſtudeat; ac ſi lite pendente rem diſtrahat, in litigioſi vitium incidit.

SUMMARIUM.

1 *Reintegrationis effectus eſt, ut à die, qua detentor illegitimus poſſidere inceperit, fructus reſtituat.*

2 *Spoliatus debet conſequi omnes fructus poſt motam litem decurſos, & à ſpoliante perceptos.*

3 *Hæres, qui litem ſuſtinuit ſuper bonis hæreditariis, in illis tenetur, non vero in propriis, & vide caſum.*

4 *Hæres, uti talis provocatus, hæreditaria jura tueri tenetur.*

5 *Hæres non poteſt injuſtam litem ſuſtinere.*

6 *Hæres, non tamquam talis, fructus mala fide perceptos reſtituere debet, ſed ad illos ex perſona propria eſt condemnandus.*

7 *Solvens pro alio habet actionem utilium negociorum geſtorum in repetendo.*

8 *Solvens pro alio non ſe eximit à reſtitutione fructuum retractorum ex prædio, quod ad illum non ſpectabat.*

9 *Mala fides in perceptione fructuum deducitur ex hoc, quod eos colligens longam litem ſuper illis ſuſtinuerit, quæ ſuſtentatio ſcientiam mali juris præſumere facit*, amplia, ut in num. ſequenti.

11 *Exequutio mandati, quando eſt clara adverſus unum ex reis conventis retardari nequit, ſi quoad alios in eadem cauſa expectanda eſſet relatio Periti.*

12 *Diſtractio rei pendente lite facta à reo convento dicitur doloſa, & actorem non afficit.*

13 *Hæres cum beneficio legis in bonis propriis ad debita defuncti non tenetur*

DECISIO DCCCCXLVIII.

AD inſtantiam Comitis Ardicini propoſita Cauſa ſuper reſolutis coram Me die 27. Martii 2615., Rota reſpondit *Dilata, & eligatur* Peritus, & in hoc quoque ſenſu permanſit in Audientia die 20. Januarii proximè præteriti reſcribendo contra dictum Comitē *nihil, & expectetur* Peritia, ſed eo nihilominus urgente, ſepoſito pro nunc mandato relaxato contra bona hæreditaria Ubaldi Antonii, Cauſa interim proponeretur ſuper aliis duobus relaxatis contra bona hæreditaria Annæ, ac reſpectivè contra bona propria Sororum de Galeazzis; Domini agnoſcentes, quod relatio Periti jam demandata ſolum reſpicit ſtatum hæreditatis dicti Ubaldi, precibus memorati Comitis ſub die 19. Februarii nuper elapſi benignè annuerunt. Ad hujus itaque reſcripti formam dubitavi hodie quoad dicta duo mandata an ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis, & in deciſis ſtandum eſt reſponſum fuit, juxta tamen modum infra aperiendum.

Ratio decidendi iterum deſumpta fuit ex eo, quod ſicuti dubium non eſt, quod poſt
1 obitum Ubaldi Antonii primi deliberatarii, tam Anna ejus hæres, quam ſucceſſivè Sorores de Galeazzis poſſederint bona, ad quæ Comes Ardicinus Actor per rem Judicatam Rotalem reintegrari obtinuit, ita quoque dubium eſſe nequit, quin pro rata temporis, quo unaquæque earum poſſedit, condemnari debeat ad reſtitutionem fructuum ex dictis bonis indebitè perceptorum, cum ita exigat,
2 & natura ipſa Judicii ſpolii, & præcedentis rei Judicatę auctoritas, cujus exequutió nunquam completa dicitur, niſi una ſimul cum ipſis bonis reſtituti fuerint etiam fructus poſt motam litem percepti, *Rota coram Bich. dec.* 577. *num.* 5., *& in Bononien. fiedicommiſſi de Griſonibus ſuper fructibus prima Junii* 1709. §. *Aſſumendo coram R.P.D. meo Falconerio, & in*

& in Romana, ſeu Tuſcanen. manutentionis ſuper fructibus 5. *Decembris* 1710. §. *Juncta coram R.P.D. meo Criſpo*, cum aliis in deciſione, quæ confirmatur §. *Et quidem cum ſeq.*

3 Nihil turbante repetito objecto, quod ipſę litem ſuſtinuerint, & bona poſſederint tanquam hæredes Ubaldi, ac propterea hoc tantum nomine, & in bonis hęreditariis illius, non etiam ex perſona, & in bonis propriis ad reſtitutionem dd. fructuum condemnari valeant, juxta *Text. in l. illud ff. de petit. hæreditatis*.

Placuit enim reſponſio præteritæ deciſionis, quod quamvis ipſæ tanquam hæredes
4 Ubaldi in Judicium vocatæ, tenerentur Jura hæreditaria defendere, prout diſponit allegatus *Text. in l. illud*; non ideò tamen ipſis
5 licebat ſub eo colore litem injuſtam proſequi & in occupatione rei alienę diutius ſe confovere; propter eaque quicquid ſit quoad alios effectus, quantum attinet ad reſtitutio-
6 nem fructuum poſt obitum defuncti mala fide perceptorum, non tanquam hæredes, ſed ex propria perſona condemnari debent, ut benè diſtinguendo docuit *Barthol. in d. l. illud*, *& poſt eum Caſtren. num.* 1., & *num.* 3. *in fine*, & in his terminis aliàs reſpondit *Rota in Bononien. Prædii* 20. *Februarii* 1690. §. *Et quia coram bo. me. Urſino*.

Prout quoque nihil obſtat, quod Anna, & Reæ conventæ cum fructibus prædictos dimiſerint Creditores hæreditarios memorati Ubaldi: unde ſaltem ex hoc capite expectandum ſit, quod Peritus referat ſuper ſtatu dictæ hęreditatis. Ultra quod enim in facto ſatis probatum non fuit fructus prædictos pręciſè converſos fuiſſe in ſatisfactionem dd. Creditorum, ceſſare prorſus viſa eſt omnis difficultas, quia ipſis integrum non erat cum fructibus alienis, & ad hæreditatem Ubaldi non pertinentibus ejus debita perſolvere;
7 unde ſi ea perſolverunt, poterunt quidem actione negociorum geſtorum, aut alia magis utili, illius bona hæreditaria proſequi, & cum aliis ejus Creditoribus prout de Jure concurrere, numquam verò adverſus Do-
8 minum ſe tueri, aut eximere à reſtitutione fructuum indebitè perceptorum, ad *Text. in l. ſi quis fundum ff. de acquiren. poſſ.*, & *in l. fundum ff. de uſucap.* cum aliis *in dec.* 74. *nu.* 12. *coram R.P.D. meo Anſaldo*.

Maximè quia neque ipſæ excuſari poſſunt ſub obtentu, quod Judicis imperio coactæ fuerint aſs. credita cum dictis fructibus dimittere, aut quod ignoraverint eoſdem fructus una cum bonis ab ipſis detentis ad Comitem Ardicinum pertinere. Dum ſtante
9 lite contra Ubaldum earum Auctorem ab initio mota, & contra eas ſucceſivè longo tempore proſequuta, de ipſarum ſcentia, & mala fide dubitari nullo pacto poteſt, & pręſer-
10 ſertim Annæ immediatę hęredis ipſius Ubaldi, quę cum alterum ex Prędiis deliberatis Livię Ottonę in ſolutum traderet, expreſsè cum ea convenit, ut quatenus à Sacra Rota purgatio ſpolii demandaretur, fructus ab eo Prędio per Liviam percepti bonificari ſibi debuiſſent, ut animadverſum fuit in Deciſione, quę confirmatur §. *Haud relevante*, & *ſeq.*

Cum itaque ex his pateat exequutionem
11 mandatorum contra bona hęreditaria Annę, & reſpectivè propria Sororum de Galeazzis pro reſtitutione ratę partis fructuum ab unaquaque earum perceptę nullam pati involutionem cum relatione Periti, quę ſolum reſpicit Ubaldi hęreditatem pro fructibus ab eo dum vixit perceptis, non dubitarunt Domini quoad ea pro nunc Cauſam definire, ut Comes longa lite defatigatus, quam citiùs fieri poteſt aliquem victorię ſuę fructum conſequatur.

At quoniam alterum ex Prędiis nulliter deliberatis nunquam poſſeſſum fuit à Sororibus de Galeazzis, ſed ab Anna ipſarum matre in ſolutum traditum Livię Ottonę in ſatisfactionem legati ſc.1000. titulo ſupra dotis eidem relicti ab Ubaldo, ut conſtat ex publico Inſtrumento Concordię, ſeu Tranſactionis inter ipſas celebrato, idcirco melius declarantes pręteritam deciſionem, cenſuerunt pro reſtitutione fructuum dicti Prędii exequendum quidem eſſe mandatum contra bona hęreditaria memoratę Annę, quę di-
12 ſtrahendo in tertium rem ſub lite jam tunc poſitam, videtur dolo deſiiſſe poſſidere, ac propterea proindè habetur, ac ſi ſemper poſſedifset, ut plene probatum fuit in dicta pręterita deciſione §. *Prout etiam*, non vero contra dicta bona propria dd. Sororum, quę
13 nullos fructus ex illo perceperunt, & ſunt hęredes Annę cum beneficio legis & Inventarii.

Et ita juxta hunc modum utraque.

FIRMANA BENEFICIORUM.

Lunæ 23. *Martii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt revocatoria duarum præcedentium ſub diebus 11. Januarii, ac 6. Junii 1715., & reſpectivè confirmatoria trium aliarum antiquarum ſub diebus 3. Junii 1709., 6. Junii 1710., & 19 Januarii 1711.

Quaſi poſſeſſio in præſentando ad Beneficium, licèt ultimo ſtatu gaudeat, ad titulum clarum alterius patroni excludendum apta non eſt. Claritas tituli, vel ex confeſſione Partis, vel re judicata, vel inſtrumento publico deſumitur, quæ ſtatim poſſeſſorium abſorberet. Renunciatio facta à Muliere de bonis paternis, & maternis, quando etiam Juſpatronatus comprehendat, & quando laſiva dicatur, licèt mentio facta non fuiſſet de renunciando etiam beneficio *legis ſi umquam C. de donat.*, diſtinctè ſequens explicat.

SUMMARIUM.

1 *Inſtitutio concedenda eſt habenti maiorem numerum vocum, quæ ſiet de proximioribus teſtatoris.*

2 *Re-*

2 *Renunciatarius duorum ex tribus vocibus, majorem partem de illis habere dicitur*, & num. 11.
3 *Præſentatus in ultima vacatione, dicitur pro ſe habere ultimum ſtatum omnino attendendum.*
4 *Limitatur, quando in continenti conſtet de titulo claro, taliter ut proprietas poſſeſſorium abſorbeat.*
5 *Titulus clarus in præſentando dicitur ille, qui ex publico inſtrumento reſultet.*
6 *Titulus clarus ut excludatur, talis requiritur turbiditas, quæ ſit apta ad movendum animum Judicis.*
7 *Limitatur, quando turbiditas oriatur ex ſubtilibus Partis exceptionibus, quę ulteriorem diſcuſſionem repoſcant.*
8 *Amplia, in materia beneficiali ratione irreparabilis præjudicii, qua afficeretur prę ſentatus à patrono habente titulum clarum & certum, ſi procederetur cum ultimo ſtatu infecto.*
9 *Inſtitutus à Patrono habente quaſi poſſeſſionem præſentandi non poteſt amplius amoveri.*
10 *Turbiditas tituli non oritur, ex quo ſenſus Rotæ fuiſſet anceps in pandenda cauſæ reſolutione, modo favore unius, & modo alterius, cum id ſit dubietas extrinſeca ex Partium exceptionibus profluens.*
12 *Nominatus à maiori parte vocum, integraliter omnes voces habere dicitur.*
13 *Renunciatio facta à muliere de omnibus iuribus ob ingreſſum in Religionem, juſpatronatus etiam comprębendit*, & vide caſum.
14 *Idemque de muliere in ſæculo nubente, quę propter dotem bonis paternis, & maternis renunciaſſet*, & n. 14.
15 *Amplia, ſi renunciatio eſſet compræhenſiva jurium ſuper juribus, & additativè de omnibus aliis juribus.*
16 *Subamplia, ſi reperiantur additæ clauſulæ* Salva dote promiſſà --, Nullo jure, nilque ſuper dictis juribus retento.
17 *Dictio* -- Signanter -- *non ſe habet reſtrictivè, ſed declarativè ad caſum magis dubitabilem explicandum.*
18 *Obſervantia ex unico actu non inducitur.*
19 *Obſervantia ceſſat, ſi actus non fuiſſet legitimè habilis ad præjudicandum renunciatorio, & ut præjudicet, quę requirantur?*
20 *Scientia certa dicitur illa, quæ ex edictorum affixione reſultat, & præſumpta in præjudicialibus non attenditur.*
21 *Præſentatus, ut poſſit inſtitui, licèt ab omnibus vocibus non nominatus, ſat eſt, ut pręſentationem retulerit ab uno, in quem integral ter voces pro ea vice ſaltem fuiſſent conſolidatæ.*
22 *Renunciatio omnibus juribus non obſtat Patrono, quando corruunt requiſita neceſſaria pro ea ſubſtinenda.*
23 *Exceptio nullitatis non eſt allegabilis à tertio, qui à renunciantibus nullam cauſam haberet.*
24 *Renunciatio omnium jurium, compræhendit etiam juſpatronatus, donec per rem judicatam læſio non probaretur*, & n. 26.
25 *Læſio in renunciatione facta à mulieribus de bonis maternis non intrat, quando tenuis fuiſſet Matris hæreditas, & Pater eas de proprio in magna parte dotaſſet.*
27 *Læſio non deducitur ex quo in inſtrumento renunciationis dicatur facta extentio ad non renunciata, quando hæc ad ſimplicem declarationem redigeretur.*
28 *Renunciatio mulieris non inficitur ex defectu inſinuationis, ſi illa ad dotem eſſet correſpectiva, & ad familię conſervationem.*
29 *Renunciatio mulieris ex cauſa conſervationis nobilitatis eius familiæ ſubſtinetur, tamquam ex iuſta cauſa.*
30 *Renunciatio Juriſpatronatus à muliere facta, ut ſubſtineatur, Ordinarii conſenſus non requiritur, quando illud cum bonorum univerſitate acquiratur.*
31 *Renunciatio mulieris ſubſtinetur, etiam ſi non renunciaſſet beneficio* l. ſi unquam, *quando eſſet propter dotem, & in ſęculo nuberet*, & vide rationem.

DECISIO DCCCXLIX.

REdiit ad Dominorum examen præſens cauſa, in qua cum tres ab initio comparuiſſent Pretenſores Beneficiorum de quibus agitur, Morronus nempe, Mattheuccius, & Caluuccius, victor fuit per tres vices Mattheuccius, reportando geminas deciſiones die 3. Junii 1709, ac 6. Junii 1710. contra utrumque, & aliam ſucceſſivè ſub die 19. Januarii 1711. contra Caluuccium dumtaxat; ſed poſtmodum iſtius jura Collitigantium fundamenta ita obumbrarunt, ut è contra alias duas obtinuerit ipſe Deciſiones, editas pariter coram Me 11. Januarii, ac 6. Junii ſuperioris anni ad excluſionem Mattheucci, & conſequenter etiam Morroni minus jus habentis.

Revocatis verò ad trutinam omnium prædictarum reſolutionum rationibus, iiſque matura ponderatione diſcuſſis in triplici cauſæ propoſitione, hodie tandem ſuffragantibus quinto, & ſexto, iterum favore Mattheucci reſponſum fuit -- *Standum eſſe primo loco deciſis.*

Procedentes enim Domini cum ea facti methodo, quæ in aliis quoque cauſæ deciſionibus ſervata fuit, & etiam à Partibus admiſſa, præmittebant, quod cum medietas Juriſpatronatus Beneficiorum, de quibus agitur pervenerit ad Honuphrium. Cumque uterque ex hodiernis collitigantibus, Mattheuccius ſcilicet, & Caluuccius ad conſequendam inſtitutionem aſpirent ex præſentationibus reportatis à ſucceſſoribus, & habentibus cauſam à dicto Honuphrio, ille ex
1 eis inſtitutionem aſſequi debet, in quo major vocum numerus ex deſcendentibus eiuſdem Honphrii reperitur. Id verò alio modo deprehendi non poteſt, quàm examinando in quem ex iiſdem Collitigantibus coaluerit portio Comitiſſę Sororis, & hæredis eiuſ-

dem

dem Honuphrii, quæ ex Eugeniæ alterius Sororis renunciatione excluſivè ad Nicoloſam, (quæ talem renunciationem non acceptavit,) totum ius illi competens acquiſivit.

2 Cum itaque Comitiſſa tres habuerit filias Dianam, Claricem, & Catharinam, & illæ earum ius favore Julii Cæſaris fratris renunciaverint, indè ſequitur, quod Mattheuccius ab eodem Julio Cæſare præſentatus, nominatus dicitur à maiori vocum numero, & conſequenter inſtitutionem obtinere debet, ut cum aliis adductis in deciſione diei 11. Januarii elapſi anni §. *Ex his Domini*, plenè firmat *Rot. in Bononien. Beneficiorum de Caſtello* 9. *Junii* 1713. § *Perſpicuè cor. R. P.D. meo Anſaldo, & in Faventina Parochialis* 6. *Maii* 1715. § *final. cor Me.*

3 Neque obſtat, quod in antecedenti Beneficiorum vocatione præſentarunt eædem renunciantes, & præſentatus ab ipſis fuit inſtitutus, itaut ex hoc actu efformatus ſit ultimus ſtatus ex diſpoſitione celebris *Text. in cap. conſultationibus de Jurepatron* omninò attendendus, & propterea Primicerius Calvuccius à præfatis mulieribus præſentatus vincere debeat, ut in poſtremis duabus deciſionibus firmatum extitit

4 Notoria ſiquidem eſt eiuſdem canonicæ diſpoſitionis limitatio, quod locum non habeat, quando incontinenti conſtat de claro titulo, & de proprietate poſſeſſionem abſorbente, vel mediante Partis confeſſione, vel re iudicata, vel publico inſtrumento, ut dictæ deciſiones admittunt, & probat *Rot. in Matheraten. Parochialis* 11. *Januarii* 1712. §. *Quod autem cor. R.P.D. meo Falconerio, in dicta Bononien. Beneficiorum de Caſtello* 12. *Decembris* 1712. §. *Abſque eo quod cor. R. P.D. meo Criſpo*, & paſſim alibi. Hic autem concurrit ultimus ex dictis probandi modis;
5 habemus namque inſtrumenta publica renunciationum emiſſarum à præfatis fæminis, quæ probationem probatam faciunt, & rem claram, & manifeſtam, ex vulgatis juribus.

Abſque eo quod ſuffragetur reſponſio, quod titulus ex renunciationibus deductus, tanquam turbidus ratione plurium exceptionum, quas patiuntur remaneat inefficax, & incapax abſorbendi quaſi poſſeſſionem, in qua renunciantes præſentando poſt emiſſas renunciationes ſunt conſtitutæ; non enim
6 ad hunc effectum quæcumque turbiditas ſatis eſt, ſed talis requiritur, ut animum Judicis ſuſpenſum retineat, ne faciliter ad decernendam tituli validitatem poſſit devenire, utpotè quia plures intricatas facti inſpectiones, & altiores involvat indagines; ſecùs
7 verò ſi tantummodò turbiditas proveniat ex ſubtilibus Partis exceptionibus, quæ ipſæ non ſint ſufficienter probatæ, & ulteriorem mereantur diſcuſſionem. Aliàs namque ſicut nulla res eſt, ſuper qua ex ingeniorum ſubtilitate aliqua difficultas excitari non poſſit, ita nunquam daretur caſus, quod proprietas abſorberet poſſeſſionem, ut optimè advertit *modern. Roman. diſcept. Eccleſ.* 28. *n.*3., & firmavit *Rot. in Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §. *Quin imò cor R.P.D.*
8 *meo Anſaldo*, quod fortius procedit in hac materia beneficiali ratione irreparabilis præjudicii, quod, procedendo cum ultimo ſtatu habente contra ſe titulum boni juris, infertur Præſentato à vero Patrono; hic enim ſemel admiſſo competitore præſentato per Patronum putativum, amittit omnem ſpem recupe-
9 randi Beneficium, cum inſtitutus ad præſentationem exiſtentis in quaſi poſſeſſione, non valeat amplius amoveri, ut proſequitur citatus *Roman. d. diſcept.*28. *n.*4. & 6.

10 Hæc autem turbiditas fruſtra deduci hodie prætendebatur ex eo, quod Sac. Tribunal diù anceps fuerit in pandenda hujus cauſæ reſolutione, itaut etiam variaverit in ſenſu modò favore unius, & modò alterius ex partibus. Exindè enim argui non poteſt, niſi dubium quoddam extrinſecum ortum ab iis exceptionibus, quas contra renunciationes acriter promovit Calvuccius, itaut utrum tale ſit, quod ſufficiat ad effectum impediendi, ne petitorium abſorbeat poſſeſſorium, ab examine earundem exceptionum dependeat; eas verò quamplures facti circumſtantiæ clarius hodie explicatæ inſubſiſtentes eſſe, & non habiles ad prædictum effectum demonſtrarunt.

Et ſanè prima ex non compræhenſione juriſpatronatus in iiſdem renunciationibus deducta, tollebatur ex accurata eorundem inſtrumentorum lectura. Quidquid enim ſit de renunciatione Catharinæ, ſuper qua motiva ultimarum deciſionum fortaſſe ſubſiſterent,
11 cum ea Mattheuccius non indigeat, quatenus ille, à quo ipſe fuit præſentatus cauſam habeat à Diana, & Clarice, quarum portiones abſorbebunt alteram portionem Catharinæ, & integram vocem conſtituent, iuxta
12 regulas, quod maior pars minorem ſuffocat & ille, qui habet ad ſui favorem præſentationes maioris partis perſonarum conſtituentium unam vocem, integram vocem habere dicitur, ad *Text. in Clementin. Plures de Jurepatr.*, *Rot. in Apruntina Parochialis* 26. *Junii* 1702. §. *Et demum*, & §. *Nec dicatur*, *confirmat.* 15. *Januarii* 1703. §. *Non obſtante*, & *ſeq. cor. Emo D. Cardinali Priolo, cum aliis allegatis in deciſione* 6. *Junii* 1710. §. *Et hæc*, & *in altera die* 19. *Januarii* 1711. §. *Quod rectè*. Aſſumendo ſtrictè examen aliarum factarum à præfatis mulieribus. Illa Dia-
13 næ occaſione ingreſſus in Religionem Cappuccinarum emiſſa, translationem ampliſſimam continet omnium creditorum, bonorum, actionum, & iurium quomodolibet ad ſe pertinentium, itaut dubitari non poſſit, quin ſub ea fuerit compræhenſum etiam iuſpatronatus, quod inter iura connumeratur, iuxta punctualem *deciſionem* 12. *n.*7., & *deciſ.*25. *n.*6, & 10. *cor. Ninot.*, *dec.*615. *nu.*2. *p.*19. *rec.*, cum aliis *in Tuden. Parochialis* 9. *Junii* 1700. §. *Magniſque cor. Rmo D. meo dell'Olmo*, ac de facto in præteritis propoſitioni-

ſitionibus id non fuit à Calvuccio impugna-
tum.
14 Illa verò Claricis, quæ occaſione conſtitu-
tionis dotis pro contrahendis nuptiis in ſæ-
culo ſibi factæ fuit exarata, effrenatis itidem
verbis, & clauſulis concepta legitur. Siqui-
dem præmiſſa narrativa, quod eſſet contenta
de dote ſibi aſſignata cum pacto renunciatio-
nem faciendi de omnibus ſuis iuribus, & bo-
nis paternis, maternis, & aliis quomodolibet
ad ſe ſpectantibus, ſalva dote ſibi promiſsa,
devenit ſucceſſivè ad amplam refutationem
per hæc verba ibi -- *Renunciat omnia eius
iura, & actiones quoquo modo ſibi ſpectan. in
bonis & iuribus preſentibus, & futuris &c.
& omnia alia iura, & actiones ex quocum-
que alio titulo, cauſaque & occaſione &c.,
ſalva ſemper dicta dote ſibi promiſſa, nullo
iure, nihilque ſuper dictis iuribus renuncia
tis ſibi reſervato &c.* -- ex quibus patet, quod
15 multò fortius in præſenti iuſpatronatus com-
prahenſum eſse debuit, dum ulterius fit men-
tio de iuribus ſuper iuribus, & additativè
de omnibus aliis iuribus, quæ citra vitium
ſuperfluitatis ad alia diverſa, præter ſupe-
rius expreſsa referri debent, & ſic omninò
ad iuſpatronatus, & quidquid aliud non eſset
in antecedenti expreſſione contentum, ex
animadverſis per *Actolin. reſolut.* 113. *n.* 11.,
Torr. de pact. futur ſucceſs lib. 2. *cap.* 40. *nu.*
17., *Rot. dec.* 714. *ſub num* 5. *p.* 2., & *dec.* 633.
16 *n.* 8. & 9. *p.* 19. *rec.* Preſertim attentis clau-
ſulis ſubſequentibus -- *ſalva dote promiſſa* --
quæ cætera non excepta includit in renun-
ciatione, & altera -- *nullo iure, nihilque ſu-
per dictis iuribus retento* -- quæ ſuperlativè
comprobat translationem iuriſpatronatus in
renunciatarium, cum à Doctoribus fuerit ad
hunc præciſum effectum adinventa, ut alias
notavit *Rot. d. dec.* 25. *num.* 6. *cor. Ninot.*, &
dec. 615. *ſub n.* 6. *in fin. p.* 19. *rec.*
Idque procedit, etiamſi ſucceſſivè dictum
ſit, quod dicta alia Jura ſignanter provenie-
bant ex cauſa ſucceſſionis in Bonis relictis ab
Eugenia ſorore, quia talis expreſſio, attenta
17 dictione -- *ſignanter* -- non ſtat reſtrictivè,
ſed declarativè ad explicandum caſum magis
dubitabilem, ut notat *Barboſ. dict.* 197. *n.* 1,
& *ſeq. cum concordan.*, ideoque nullatenus
excludit Juſpatronatus, quod ſub genere præ-
cedenter expreſſo poterat contineri, *Rota
dicta dec.* 12. *num.* 9., & *dec.* 25. *nu.* 15. *coram
Ninot.*, *dec.* 29. *num.* 11. *poſt. Antonell. de
Jur.*, & *oner. Cleric.*, & *in Tuden. Paro-
chialis* 9. *Iunii* 1700. §. *Magis coram R̃mo
Conchen.*
Minuſque contraria interpretatio deſumi
valet ex obſervantia, prout in poſtremis
duabus deciſionibus editis pro Primicerio
Calvuccio: quandoquidem omiſſo, an ex
18 unico tantum actu ea poſſit conſtitui, adhuc
totaliter ceſſat, dum actus ipſe non fuit legi-
19 timè habilis ad præjudicandum Renuncia-
tario; non enim conſtat de ipſius certa ſcien-
tia, & illa, quæ deducitur ex edictorum
20 affixione, non eſt, niſi præſumpta, quæ in
præjudicialibus non attenditur, ut in ter-
minis firmavit *Rota in Mediolanen. Beneſi-
ciorum* 2. *Iulii* 1503. §. *Abſque in fin.*, &
in Capuana Iuriſpatronatus 10. *Iunii* 1709.
§. *Sed coram R̃mo P.D. meo Molines Decano.*
Et effectuatio pariter dubia remanet, &
æquivoca, dum incertum eſt, an Philippus
de Nobilibus in vacatione anni 1689, obti-
nuerit ex præſentatione facta à Mulieribus,
quæ renunciaverant, vel ex facta ab aliis
Compatronis, iſtamque incertitudinem præ-
bet Deciſio, quæ occaſione controverſiæ tunc
ortæ, & ad noſtrum Tribunal delatæ, pro-
diit 19. Junii 1699. coram bo. mem. Manuel
in qua ſub §. *final.* firmatur, quod Phi-
lippo antedicto, *excluſis etiam Clarice*, &
Catharina ſufficiebat fuiſſe præſentatum à
21 Calvuccio, in quo integra vox debuit con-
ſolidari, *ſaltem pro hac voce*, ut ſunt verba
Deciſionis, itaut ex his rationibus deficiat
etiam motivum quaſi poſſeſſionis, quæ ex eo
actu prętendebatur acquiſita, non obſtantibus
renunciationibus, dum corruunt ea requiſita,
22 quę eiſe ad hunc effectum neceſſaria tradunt
Vivian. de Iurepatron lib. 5. *cap.* 4. *num.* 30.,
de Luc. eodem tract. diſcept. 63. *à n.* 16., *Garz.
de Beneſic par.* 5. *cap.* 5. *num.* 67., & *alii per
hos allegat.*
Minoris eſt relevantiæ ſecunda exceptio,
23 quæ deducebatur ex nullitate. Præter enim
generalem reſponſionem, quod talis exce-
ptio allegari nequit à Calvuccio, qui eſt ter-
tius, nullamque cauſam habet à renuncian-
tibus, *Rota deciſ.* 482. *num.* 3. *part.* 1. *diverſ.*,
coram Zarat. deciſ 34. *num.* 16., & *coram
Priolo deciſ.* 168. *num.* 8., quodque cum ſer-
vatæ fuerint huc uſque, ſine ulla earundem
Mulierum reclamatione, prætenſa nullitas
præſtare non poteſt impedimentum, quin re-
nunciatarius fructus percipiat Bonorum, &
Jurium renunciatorum, inter quos Jus præ-
24 ſentandi connumeratur, donec per rem
iudicatam ſit canonizzata, ut fuit dictum *in
Mediolanen. Beneficii* 1. *Aprilis* 1707. §.
Suppoſuimus coram R.P.D. meo Anſaldo,
aliiſque adductis, probat *Deciſio hujus cauſę*
19 *Ianuarii* 1711. § *Eoque fortius cor. Me*,
concurrunt etiam aliæ ſpeciales, quæ rem
ponunt in claro, ſive ex læſione, ſive ex
omiſſa inſinuatione, ſive ex defectu cauſæ
nullitas prætendatur.
25 Læſio enim, cum nequaquam firmatus ſit
Status hæreditatis maternæ undè deduci po-
terit, quando præſertim è contrario datur
ſumus, quod talis hæreditas, detractis de-
trahendis reducitur ad ſcut. 1800. circiter,
quibus diviſis in tres filias, obtingebant cui-
que ſcuta ſexcentùm circiter, adeoùt exindè
conſtet, Patrem renunciatarium conſtituendo
Dotem ſcutorum 2000., dediſſe de proprio
ſcut. 1400., neque ex eo poteſt reſultare, quod
in capitulis matrimonialibus promiſſa fuerit
renunciatio Bonis Paternis, & maternis tan-
tum, ideoque ſinè læſione extenſa ſubindè
fuerit ad omnia Jura; cum enim ſub univer-
26 ſitate omnium, & ſingulorum Bonorum ve-
nire

nire poſſet etiam Juſpatronatus, ut plenè probat *Faganan. in cap. ex literis* 28., *& ſeq. de Jurepatr., Torr. de pact. lib.2. cap.39. nu. 30. & ſeq. coram Ninot. & dec.397. num.15. coram Dunoz. jun.*, non poteſt dici in In-
27 ſtrumento facta extenſio, vel alteratio Capitulorum, ſed ſimplex declaratio reſpectu ejus, quod in illis tacitè continebatur, *Roec. diſput. Iur. cap.67. num.24., Rota coram Roxas dec.188. num.8., & in rec. dec.98. n.22., & ſequen. par.15.*

28 Inſinuationis autem omiſſio non inficit Inſtrumentum renunciationis exaratæ correſpectivè ad Dotem promiſſam, & ad conſervationem agnationis, & familiæ, ut in terminis Donationis pro conſervatione familiæ, dictum fuit *in Aven. concurſus ſuper reſervatis* 23. *Iunii* 1712. §. *Atque ex his*, *& ſeqq. coram R. P. D. meo Anſaldo* & in terminis renunciationis emiſſæ correſpectivè ad Dotes, plenè in alia *Firmana evictionis* 3. *Iunii* 1701. §. *final. coram Rmo. P.D. meo Molines Decano*, *& in Firmana Tranſactionis* 5. *Februarii* 1714. §. *Inſinuatio coram Me*.

Et denique defectus cauſæ, ex lectura Inſtrumenti ſtatim excluditur, dum apertis verbis Clarix profeſſa eſt ad renunciationem devenire, tam ratione congruę dotis ſibi à Patre conſtitutæ, quam ex cauſa conſerva-
29 tionis ſplendoris, & nobilitatis ejus familæ, quæ cauſa laudabilis admodum dicitur, & ſufficiens à Doctoribus reputatur, *Card. de Luca de renunciat. diſc.13. num.13., Rota apud Torr. de pact. deciſ.* 109. *num.*10., *et* 11. *deciſ.*182. *num. ultim. coram ſa.memoriæ Alexandro VIII.*, & *dec.*23. *num.*34. *par.*11. *rec.*

Hiſque rejectis oppſitionibus, fruſtra Calvuccius recurrebat ad aliam nullitatem ex defectu conſenſus Ordinarii, & ad reſolutionem renunciationis Claricis ob ſuperveníentiam filiorum, cum in illa non ſit renunciatum Diſpoſitioni *Text in l. ſi unquam C. de donat*; quo enim ad conſenſum Ordinarii, pla-
30 cuit DD. reſponſio, quod non requiritur, quãdo Juſpatronatus acquiritur cum univerſitate Bonorum, *de Luc. de Iurepatr. diſc.19. nu.* 14., & *diſc.56. num.15., Rot. deciſ.167. num.* 12. *coram Benincaſa.*, & paſſim. Quo verò
31 ad reſolutionem, exiſtimarunt, non fuiſse neceſsariam renunciationem *d. l. ſi umquam*, quia agitur de renunciatione facta à muliere dum nubebat, quæ propterea de ſuſcipiendis liberis jàm cogitabat, & ideo quicquid ſit de donatione, renunciatio per illam emiſsa ex ſuperveníentia filiorum non revocatur, *Covar. in cap. quamvis pactum par.3. §. 3. nu.8. de pact., Molin. de rit. nupt. lib.3. queſt.* 95. *num.7., et plur. ſeqq., Altimar. de nullit. lib.8. rubr.2.*, & 3. *quæſt.1. ſub. nu.47. verſ. renunciatio, apud quos concordan.*

Et ità omiſſis aliis, quæ levioris ponderis viſa ſunt Dominis, reſponderunt, Partibus acriter informantibus.

LAUDEN. PENSIONUM.

Veneris 27. *Martii* 1716.

ARGVMENTVM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 9. Decembris 1715. emanatæ.

Titularis Beneficii non poteſt penſionis ſolutionem retardare ſub prætextu illius inſufficientiæ, ex eo quod congrua lædatur, præſertim ſi Beneficium inhæreat Eccleſiæ, quæ à Papa fuiſſet alteri incorporata, & à quo relicta fuiſſet Rectori congrua, quæ ſemper ſalva præſumitur. Expenſæ vel voluptuariæ, vel quæ non ad Curæ neceſſitatem, ſed ad majorem Vicarii commodum tendunt, Congruam non minuunt.

SVMMARIVM.

1 *Penſionarius liberatur ab onere probandi valorem Beneficii, quando Titularis tale onus ſibi aſſumpſiſſet.*

2 *Teſtes ſcientiæ cauſam non adducentes, & inducentis ſervitio addicti repelluntur.*

3 *Valor Beneficii non minuitur ex oneribus voluntariis à Rectore volitis, in Penſionarii præjudicium.*

4 *Onera neceſſaria pro manutentione Curæ deducta eò magis præſumuntur, ſi (poſito, quod Rectori inhærerent) aſſignatam illi Congruam penitùs abſorberent.*

5 *Amplia, ſi adeſſet obſervantia, quod eadem expenſæ ex particulari aſſignamento fuiſſent ſemper deductę, & inter cætera onera deſcriptę.*

6 *Subamplia, ſi teſtificaretur à Procuratore Generali Collegii, quod redditus Curæ ſibi unitæ perciperet, quod omni probationum genere eſt præſtantius.*

7 *Obſervantia centum & ultra annorum tollit omnę dubium.*

8 *Bulla unionis alicujus Eccleſiæ, ſi de illius oneribus loquatur, de ſpiritualibus oneribus intelligitur, & verba* - Et alia onera -- *poſt mentionem Curæ expreſſa, ſunt repetitiva ſimilium, & non diverſorum à ſupra nominatis.*

9 *Decretum falſo, & ſubreptitio ſuppoſito iunitum, non afficit.*

10 *Teſtes inducti à Vicario pro retardanda penſione, non attenduntur in concurſu aliorum à Penſionario inductorum, qui aſſiſtentiam Bullæ, & obſervantiæ foverent.*

11 *Expenſæ equi, & famuli à Vicario adducta congruam non minuunt, cum non ad neceſſitatem, ſed ad ejus majus commodum tendere videantur.*

12 *Amplia, ut neque expenſę Muſicæ, & prandii, quæ in die Feſtivitatis fieri ſolent, in Penſionarii præjudicium cedere debent.*

13 *Onera fixa Curæ, Congruam Rectori debitam non minuunt, ſi illa ab Eccleſia incorporata perſolvantur, adeout Vicarius damnum non ſentiat.*

DECISIO DCCCCL.

QUamquam hodie una cum Galmutio Vicario perpetuo S. Petri Laudę Veteris auditum etiam fuerit pro ejus intereſſe Collegium Germanicum, cui d. Parochialis Eccleſia à ſa. me. Gregorio XIII, unita reperitur. Ex eiſdem tamen rationibus deductis in deciſione edita coram me 9. Decembris proximè præteriti, Domini iterum cenſuerunt literas Apoſtolicas reſervationis controverſarum penſionum eſſe exequendas, tamquam plenè & concludenter juſtificatas, tam in parte reſpiciente valorem Beneficii de tempre gratiæ, quàm in alia contenta ſub clauſula *Dummodo*, eo ipſo, quod duo Anteceſſores titulares de valore in memoratis literis expreſſo in ducatis annuis 165. ſe plenè edoctos, & informatos eſſe aſſeruerunt, ac longiſſimo tempore abſque ulla reclamatione penſiones integras perſolverunt. Atque ulterius Galmutius ipſe modernus contradictor per binas vices, prima nempe in actis, & ſecunda medio juramento d. expreſſionem approbavit, & in quodam inſtrumento celebrato cum Ja-
1 cobo Philippo altero ex Penſionariis onus probandi d. valorem in ſe ſuſcepit, atque ab eo cum renunciatione cuicumque exceptioni eoſdem Penſionarios relevavit, juxta punctualem *dec 372. per tot. par.19. rec.*, & alias plures adductas in mea præcedenti §. *Et ſanè cum tribus ſeqq.*

Nil turbante depoſitione trium teſtium à Galmutio inductorum, ac ſub formali examine aſſerentium, fructus Vicariæ, annuos ducatos auri centum triginta tres non excede-
2 re; nam cum iſti nullam ſcientiæ cauſam reddant, ſintque eidem Galmutio addicti, digni viſi non ſunt, qui ipſius Galmutii, & duorum anteceſſorum iteratis confeſſionibus contraponerentur, *Rot. coram Gregor. dec. 523. n 4., & cor. Burat. dec. 887. n.7., & cor. Priol. dec.1. n.1., & in Oſcen. Beneficii ſuper remiſſoria 21. Junii 1694. §. Addito cor. Emo D. Card. Scotto, & ſępe alibi.*

Prout quoque nihil obſtat repetitum objectum, quod ab enarrato beneficii valore plura detrahenda ſint onera. Ex iis enim alia, quæ fixa ſunt, & neceſſaria, Collegio Germa-
3 nico incumbunt, alia verò ſunt merè, ac ſimpliciter voluntaria, ac proindè minus apta valorem Beneficii minuere in præjudicium Penſionariorum, *Gloſſ. in cap. ſi propter tuam verbo ſpecialis de reſcript., Rot. cor. Ludov. dec.245. ſub n.12., & cor. Burat. dec. 418. fere per tot., & coram Merlin. dec. 808. n.6. cum aliis in dec. cauſæ §. Minus etiam.*

Et rem ordiendo à neceſſariis, cujuſmodi ſunt manutentio duorum Sacerdotum, qui Vicario in cura animarum miniſtrent, expenſa Vini, & Hoſtiarum, aliorumque ejus generis pro Sacris ritè peragendis de more parandorum; hæc utique ad Collegium, non ad Vicarium pertinere præclarè eruitur ex Bulla Unionis ſa. me. Gregorii XIII., in qua Summus Pontifex licèt meminerit aliorum duorum, aut trium Sacerdotum, quorum opera ultra Vicarium neceſſaria erat; huic tamen ſoli certam congruam, ſeu dotem aſſignavit in ſumma ducatorum quinqua-
4 ginta annorum. Sicuti autem certum eſt, quod congrua in d. ſumma taxata Vicario non remaneret, ſi onera prædicta ad ipſum pertinerent, imò ab iis ferè tota abſorberetur, ita neceſſario dicendum venit, ea in Collegium refuſa fuiſſe, cui mediante unione cætera omnia, & quidem pinguiſſima ejus Eccleſiæ emolumenta addicebantur, ut animadverſum fuit in *deciſione, quæ confirmatur § Maximè.*

Id verò, quod implicitè habetur ex Bulla clariùs declaratum fuit à ſubſequuta longiſſi-
5 mi temporis obſervantia. Nam ſi ſermo ſit de expenſis pro Vino, Hoſtiis, & Clerico, aliiſque hujuſmodi, conſtat ex actu antiquæ viſitationis anni 1632., ſolvi à Collegio in eam cauſam conſueviſſe octo, & viginti libras in ſingulos annos. Et de facto in ſtatu jurato introitus & exitus Vicariæ ab ipſo Galmutio exhibito anno 1711. pro taxenda quota ſubſidii ſuper bonis Eccleſiaſticis impoſiti, hoc inter cætera onera deſcriptum non fuit.

Si autem loquamur de Coadjutoribus, datur actus alterius antiquioris Viſitationis anni 1588., & ſic decennio poſt unionem celebratæ, in quo Epiſcopus mandavit, ut Vicarius aſſumeret duos Coadjutores injuncto onere Rectori Collegii illos de congrua mercede ſatisfaciendi, prout ſubindè obſervatum fuiſſe aſſeritur in relato actu alterius poſterioris viſitationis anni 1632., atque inſuper teſtantur tres Parochi formiter examinati, quorum alter etiam de facto proprio
6 deponit. Et quod omne ſuperat probationis genus, faſſus fuit Pater Procurator ejuſdem Collegii in precibus porrectis anno 1707. Reverendiſſimo Epiſcopo Lauden. Undè his omnibus ſimul junctis, jure concludi poſſe videtur quoad onera fixa, de quibus agitur, eam fuiſſe Summi Pontificis mentem, quam
7 paulò poſt, uſque ad hæc noſtra tempora per ſpatium centum & ultra annorum ſucceſſiva declaravit obſervantia, *Rot. dec. 362. n.12. p.15., & dec.441. n.9 p.18. rec., & cor. Emerix dec.24. n.8. & 9., & dec.1342. nu.8., & ſæpè alibi.*

Atque hinc non obſtat, quod Gregorius in d. Bulla Unionis relativè ſe habuerit ad aliam antiquiorem ſa. me. Julii III. ſuper erectione hujus Vicariæ, in qua transferuntur in
8 Vicarium omnia onera Parrochiæ incumbentia, & ab iis liberantur Commendatarii pro tempore Monaſterii S. Petri. Etenim Bulla Julii non reſpicit onera temporalia, ſed loquitur, & intelligi debet de adminiſtratione Sacramentorum, aliiſque oneribus merè ſpiritualibus, cum verba illa, *& alia onera* poſt mentionem curæ ibi poſita, ſint repetitiva ſimilium, non diverſorum ab expreſſis, *Rot. dec.327. n.7. p.1., & cor. Burat. dec.272. n 9. & 20., & cor. Emer. dec. 1241. nu.4., & dec. 102. n.4. cor. bo. me. Benincaſa.*

Prout neque Collegium ad effectum ſe eximendi

eximendi à prædictis oneribus ullatenùs ju-
vari poteſt, vel à quodam recenti Decreto
d. Moderni Epiſcopi Lauden., per quod an-
no 1707. declaratum fuit ſtipendium dicto-
rum Coadjutorum eſſe impoſterum à Vica-
rio ſolvendum, vel à depoſitione quorum-
dam teſtium ab eodem Collegio inductorum
aſſerentium d. mercedem illis à Vicario ſolu-
tam fuiſſe.

Nam quod attinet ad Decretum, illud in-
9 nititur falſo, ac ſubreptitio ſuppoſito; quod
ita priùs definitum fuiſſet à Sac. Congregat.
Concilii, quando revera hujus reſolutiones
10 punctum hoc minimè tangunt. Teſtes verò,
vel conciliari debent, ut loquantur de ſolu-
tionibus factis à Vicario poſt d. Decretum
Epiſcopi anni 1707., vel in omnem caſum
attendi non merentur in concurſu aliorum à
Penſionariis inductorum habentium pro ſe
aſſiſtentiam Bullę, & auctoritatem obſer-
vantiæ in actibus Viſitationum, juxta doctri-
nam *Innocen. in cap. auditis ſub n.4., cum
pluribus ſeqq., & cor. Dunozet. jun. dec.457.
n.5., & dec.7. n.3., & dec.19. n.14. cor. Ben-
incaſa*.

Atque ex his expediti DD. ab examine
11 onerum fixorum: inter alia, quæ merè vo-
luntaria ſunt, adſcribendum primo loco cen-
ſuerunt manutentionem unius famuli, &
equi. Etenim quamvis Parochia longo, am-
ploque circuitu ad duo paſſuum millia ſe
protendat, cum tamen intra ejus fines plura
adſint Oratoria, in quibus Sacrum celebrari
conſuevit, ſatis populo conſuli poteſt adhi-
bita opera duorum aliorum Sacerdotum, de
quibus ſupra dictum eſt, prout de facto ab
aliis Galmutii anteceſſoribus, benè & lauda-
biliter conſultum fuit, dum non obſtante
prædicta diſtantia, nullus infans ſub eorum
cura ſine Baptiſmo, aut Adultus ſine Viati-
co deceſſit; ex quo patet impenſam famuli,
& equi non ad Eccleſiæ neceſſitatem, ſed ad
majorem Vicarii commoditatem eſſe refe-
rendam, ad ea, quæ tradit *Card. de Luc. de
benefic. diſc.90. n.80*, *Adden. ad Gregor.
dec.245. nu.12., Barboſ. de Paroch. cap.29.
n.20., Rot. cor. Cavaler. dec.462. nu.2. cum
aliis in deciſ. cauſæ §. Verum*.

12 Præterea minùs neceſſaria viſa fuit expen-
ſa pro Muſica, & prandiis Sacerdotibus ex-
hibendis in die Feſtivitatis Sancti Titularis;
quia licèt pia ſit, & laudabilis conſuetudo
illam celebrandi; hoc tamen faciendum non
eſt in præjudicium Penſionariorum, & cum
eorum pecuniis, cum ſit in arbitrio Vicarii
omninò repoſitum, ut in his terminis aliàs reſ-
pondit *Rot. in Ferrarien. Cappellaniæ dec.
300. nu.1. cor. bo. me. Benincaſa, & in ejus
confirmatoria 13. Febr. 1696. §. Onus pro fe-
ſtivitate cor. Emo D. Card. Priolo*, & pari-
ter dictum fuit *in dec. cauſæ §. Minùs*.

Cum itaque ex his pateat ex oneribus à
Vicario deductis pro diminutione valoris Be-
neficii in literis Apoſtolicis expreſſi alia eſſe
merè voluntaria, alia verò quæ fixa ſunt, Col-
legio Germanico incumbere, cui Parrochia-
13 lis Eccleſia unita reperitur, nihil obſtat,
quod alias in ſimilibus controverſiis Rota
cenſuerit pro oneribus Parochialibus, detra-
hendos eſſe à valore beneficii ducatos vigin-
ti annuos; id namque ſolùm obtinere poteſt,
quando onera fixa ab ipſo Vicario ſubſtinen-
tur, in quibus terminis loquitur *deciſ. 120.
p.17., & 255. cor. Bich.*, nunquam verò, quo-
ties, prout in caſu, dd onera, quę neceſſaria
cenſentur alteri incumbunt.

Et ita Partibus in contradictorio auditis
reſponſum fuit &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 27. Martii 1716.

ARGUMENTUM

Accollatarius, qui conditionatè, ac ejus arbi-
trio facultatem dimittendi magis benè viſos
Creditores ſibi reſervaſſet, ſi Poſterioribus
perſolveret, ab Anterioribus ad iteratam
ſolutionem non poteſt compelli, maximè ſi
Creditores omnes de præfata accollatione
judicialiter certiores feciſset, & ab Anterio-
ribus inhibitus non fuiſset, nè Poſteriores
dimitteret, ſique authoritate Judicis ad eoſ-
dem dimittendos fuiſset compulſus.

SUMMARIUM.

1 *Accollatarius non tenetur, niſi intra limites
ſuſceptę obligationis, & pro ea ſumma, ac
Creditorum ſpecie, quam ſolvere promi-
ſiſſet.*

2 *Accollatarius quoad Creditores in accollatio-
ne non comprębenſos non tenetur ob defe-
ctum conſenſus, & obligationis.*

3 *Accollatarius fructuum decurrendorum à
die initæ accollationis, non tenetur ad
fructus ante illam decurſos.*

4 *Accollatarius eò magis debito ſibi accollato
ſatisfeciſſe dicitur, ſi ſummam accollatam
longè majorem Creditoribus perſolviſſet.*

5 *Accollatarius, qui debita ſolvere promiſit,
reſervata tamen ſibi facultate, & arbitrio
dimittendi Creditores magis ſibi benè vi-
ſos, compelli nequit ad ſervandam Credi-
torum graduationem, quæ eſſet de Jure.*

6 *Accollatarius non ex quo ſuam accollatio-
nem Creditoribus notificaſſet, præſumitur
ſciviſſe, an iſti ſatisfacti fuiſſent, vel nè
de fructibus uſque tunc decurſis, & vide
rationem in* n. ſequenti.

7 *Fructus præſumuntur ſoluti tempore debito,
nempè quando ad maturitatem perveniſ-
ſent.*

8 *Accollatarius quando judicialiter notificaſ-
ſet accolationem omnibus Creditoribus, ſic,
& ſic, & conditionatè conceptam, non po-
teſt redargui, ſi potius uni, quam alteri
perſolviſſet.*

9 *Amplia, quod imputatur non ipſi, ſed iiſ-
dem Creditoribus, qui licet interpellati,
ei non inhibuiſſent, quin poſteriores dimit-
teret.*

10 *Su-*

10 *Subamplia, ſi Accollatarius de mandato Judicis perſolviſſet, qui nullum vinculum decreto adieciſſet.*

11 *Accollatarius à Creditore anteriori moleſtari nequit, ſi poſteriorem dimiſiſſet, quando authoritate Judicis perſolviſſet.*

12 *Reſolutiones Tribunalium inter legitimos Contradictores emanatæ, tanquam per ſpeciem rei judicatæ etiam non citatos afficiunt.*

13 *Amplia, quando illi, qui non fuiſſet citatus, contra communem debitorem illeſa actio remaneret, ſique debitoris conditio melior effecta fuiſset.*

14 *Hæres oſcitanter ſolvens Creditori poſteriori, ad reiteratam ſolutionem favore anterioris compelli nequit, ſi hæreditas ſit idonea.*

15 *Amplia, ut Creditor anterior prius illam teneatur excutere.*

DECISIO DCCCCLI.

Emus D. Cardinalis Barberinus ut Aviti Majoratus bona à pluribus, quæ imminebant graviſſimis præjudiciis eximeret, & præſertim Tenutam *Corcolli*, pro cujus deliberatione, poſt obtentam Commiſsarii tranſmiſſionem, acriter urgebant in Congregatione Baronum Creditores aliquot D. Principis Urbani ejus Fratris, die 7. Junii 1708. provido, ac prudenti conſilio ſibi cedi, atque aſſignari ab eodem Fratre curavit primo loco redditus omnes Civitatis Prænestis, annexarumque Tenutarum *Corcolli*, & mediæ Sylvæ, necnon Terræ Capranicæ, & Montis S. Petri, aliorumque bonorum pro inſigni pretio ſcutorum biſcentum ſeptuaginta quinque millium, in cujus diminutionem accollavit in ſe plura debita fructifera, quorum ſors, ſivè Capitale aſcendebat ad ſcuta 242455., & interim ſolvere promiſit fructus, quorum dies in poſterum ceſsura foret; ſecundo verò loco curavit etiam ſibi cedi quædam nomina debitorum pro pretio ſcutorum quadraginta millium, eamque ſummam D. Cardinalis commodo, & beneficio D. Principis erogare promiſit in ſatisfactionem fructuum ejus Creditoribus debitorum ad eam uſque diem decurſorum, aliorumque nominum non fructiferorum, quorum ſolutioni obnoxia eſsent bona Majoratus, & Juris ſuccedendi Familiæ Barberinæ; deinde verò pro dimittendis aliis Creditoribus in quodam folio deſcriptis, ea tamen addita declaratione, quod repoſitum eſset in arbitrio D. Cardinalis memoratos Creditores dimittere *à ſuo arbitrio, come più li piacerà, e converrà*, prout latiùs habetur in Inſtrumento concordiæ inter DD. Fratres dicta die celebratæ.

Rebus hoc pacto compoſitis, nunciatoque per D. Cardinalem hujuſmodi contractu Creditoribus omnibus, & nominatim D. Duci ab Altemps Creditori cenſus in ſorte ſcutorum 10. m.: Illi qui prius urgebant deliberationem Tenutæ Corcolli, citato D. Principe, atque Eminentiſſimo Cardinali coram Congregatioue Baronum, obtinuerunt ab ea decretum -- *procedi ad ulteriora in deliberatione memoratæ Tenutę, niſi infra quindecim dies ſatisfacti fuiſsent liberè Creditores, qui jam tunc comparuerant, & poſtea comparuiſsent uſque ad diem deliberationis.* Quamobrem D. Cardinalis ex ſola cauſa fructuum jam decurſorum, aliorumque debitorum infructiferorum, coactus fuit eo decreto libere ſolvere Creditoribus tunc urgentibus ſcuta 43490. 27., ultra aliam ſummam paulo minorem ſcutor. 32158. pro reſtitutione ſortis quorumdam cambiorum, atque ita obtinuit removeri e d. Tenuta jàm tranſmiſsum Commiſsarium.

Longè poſt hęc geſta comparuit D. Dux ab Altemps Creditor d. cenſus ſcut. 10. m. & ſub obtentu, quod D. Cardinalis non rectè, neque ritè ſolviſset ſcuta illa 40. m. Creditoribus tunc urgentibus, quia poſterioribus, obtinuit contra eum ab A. C. mandatum favorabile pro ſolutione fructuum antè d. ceſſionem, & reſpectivè accollationem decurſorum, quod etiam ſubindè ob non proſequutam in tempore appellationem, tranſiit in rem judicatam; cauſa tamen ad Rotam devoluta, atque hodie diſputaio coram me dubio, aliàs ſine reſolutione propoſito die 26. Junii proxime præteriti -- *An, nempè conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum*, --DD. favore Eminentiſſimi Cardinalis *affirmativè* reſponderunt.

Iniuſtitia ſiquidem præcedentis mandati colore ullo, aut juſta aliqua ratione excuſa-
1 ri non poteſt: Conſtat enim in facto D. Cardinalem neque fuiſse originarium cenſus impoſitorem, neque pro eo fidejuſſiſse, aut in jus, & locum principalis debitoris univerſali aliquo, ſeù particulari titulo ſucceſſiſse, ſed tanquam tertium, & merum accollatarium alienam obligationem ſub certis legibus, & conditionibus, ac pro certa determinata ſumma in d. Inſtrumento Concordiæ limitatè ſuſcepiſse; unde non aliter conveniri poterat, quàm intra limites ſuſceptę obligationis, & pro ea tantum debitorum ſpecie, quam ſe ſoluturum fore conſtituerat, cum
2 reſpectu aliorum, & ultra id, ad quod adſtrictum ſeſe voluit, deficiat ejus conſenſus, & obligatio, *Bartol. in l. Hi qui acceſſionis n. 11. ff. de fideic.*, *Rota dec. 301. n. 15., & 16. p. prima, & cor. Vbald. dec. 335. n. 3., & 4., & cor. Peutinger. dec. 157. n. 7., & 8. & dec. 62. n. 4. cor. bo. me. Benincaſa.*

At verò ſi prima pars ejus obligationis inſpiciatur, in qua pro rata pretii ceſſionis redditĭuum omnium Civitatis Prænestis, eique annexarum tenutarum promiſſit ſe plura debita fructifera ſoluturum, clariùs eſt quam quod dici valeat, D. Cardinalem reſpectu fructuum ad eam diem jam decurſorum nullam penitus ſuſcipere voluiſſe obligationem,
3 dum ſolvere dumtaxat ſpopondit *li frutti de medemi debiti accollati, che decorreranno dal giorno del preſente Inſtromento*, quæ ſanè ver-

verba,ſalva ratione recti ſermonis,ad eos fructus. quorum dies jàm ceſſerat, extendi nullo modo poſſint, cum futurum tempus ſolummodò reſpiciant, *Rota dec.*103. *num.*38. *&* *ſeqq. par.*15., *&* *dec.*302. *num.*5. *par.*19. *rec.*, & ſæpè alibi.

Sin autem alia poſterior pars attendi potius velit, in qua correſpectivè ad nomina debitorum ſibi ceſſa ſolvere promiſſit ſcuta 40.mil.,commodo, & beneficio D. Principis eius fratris: & quoad hanc etiam partem quæ-
4 cumque ejus obligatio ceſſavit, àc penitus ſublata fuit, ſtatim ac in ſatisfactionem tunc urgentium Creditorum ejuſdem Principis ſummam longè majorem, ſcuta nempè 43490. effectivè perſolvit, cum nemo ſit, qui ignoret ſolutione ejus, quod debetur, omnem obligationem extingui, §.*prima in princ. Inſtit. quibus modis toll. obligat.*, *Rot. coram Dunoz. Jun. deciſ.*858. *nu.*3., *&* *in rec. dec.* 186. *num.*1., *&* *dec* 300. *num.*6., *&* *dec.*322. *num.*11. *par.*19. *rec.*

5 Non obſtat, quod D. Cardinalis cum dicta ſumma ſcut 40.mil.non quos ipſe mallet Fratris Creditores, ſed juxta Juris ordinem potiores, atque anteriores dimittere primo loco debuiſſet, inter quos erat D. Dux ab Altemps ex cauſa fructuum cenſus jam tunc decurſorum, undè ſi eam ſummam inter poſteriores diſtribuit, ſibi imputare debeat, & ad iteratam ſolutionem adſtringi.

Iterum namquè recurrendo ad legem, & formam ſub qua D. Cardinalis alienam obligationem ſuſcepit, alitèr non ſuſcepturus, perſpicuum redditur, ipſum noluiſſe ſe adſtringere ad ullam graduationem aut legalem diſtributionem dd ſcut.40.m. inter Creditore, quos prævia formali diſcuſſione, potiores in Jure, aut in tempore priores comperiiſſet; imo verò ex oppſito conſtat ſibi reſervaſſe plenum arbitrium illos dimittendi, ſuoque beneplacito eligendi ejus verbis -- *Con dichiarazione che ſia in arbitrio di ſua Eminenza ſoddisfare li medemi Creditori, e Legatarii à ſuo arbitrio, e come più le piacerà, e converrà*; quamobrem hac ſtante expreſſa declaratione nullatenùs cogi poterat ad ſervandam temporis, & cauſarum regulam, qua Creditores ſinguli de jure potiebantur, ſed benè valuit ſibi beneviſis ſolvere, & primo loco ante alios comparentibus, ut in proximis terminis reſpondit *Rota deciſ.* 301. *num.*1., *&* *ſeqq.*, *&* *num.*15., *&* *ſeq. per tot par.*1. *rec.*, *confirmat. deciſ.*902.987., *&* 1021. *per tot. cor. Coccin.*, & melius *in dec.* 96. *num.*12., *&* *ſeqq. par.*18. *recent.*

Minuſque urget, quod Dominus Cardinalis certò ſciverit adeſſe alios Creditores anteriores,& præſertim D.Ducem ab Altemps, quem nominatim certiorem fecerat de contractu cum Fratre inito, ac propterea nequiverit arbitrium ſibi reſervatum in eorum præjudicium favore poſteriorum interponere, vel ſaltem excuſari nequeat à culpa, ſi ipſos dimittendo, libere ſolvit ſine cautione de reſtituendo prioribus, & potioribus.

Objectio namque iſta per quam facile ex facto ſubmoveretur: ex eo enim quod D. Cardinalis ad notitiam D. Ducis deduxerit
6 contractum cum fratre geſtum, ſeque ejus virtute ſuſcepiſſe onus ſolvendi annuos cenſus, canones & fructus cãbiorũ, nedum argui nullo modo poteſt, quod ipſe certò noverit Dominum Ducem eſſe creditorem fructuum uſque tunc decurſorum, cum juſte opinari
7 potuerit illos ſuo tempore ſolutos fuiſſe, *Rot. dec.*301. *ſub num.*19. *par.*1. *rec.*, *&* *poſt Salgad. in Labyr. credit. deciſ.*174. *num.*13.,
8 *&* *ſeq.* Verum propterea, eo ipſo, quod D. Dux, cæterique Creditores omnes judiciali interpellatione certiores facti fuerunt de d. contractu, & conſequentèr quod D. Cardinalis, haud aliter onus prædictum, atque alienam obligationem ſuſceperat, quàm cum dicta declaratione, quod in ejus arbitrio repoſitum eſſet creditores, quos mallet, dimittere; & nihilominus neque ipſe, nequè ullus alius comparuit, qui ſe anteriorem Creditorem aſſeruerit, nulluſque monitum fecit Dominum Cardinalem, ne d. arbitrio, & poteſtate in ſui præjudicium ute-
9 retur; planè conſequitur non eſſe ipſi imputandum, quod Creditoribus tunc urgentibus liberè ſoluerit, ſed potius D Duci, & cæteris, ſi qui ſunt, creditoribus anterioribus, quod nominatim interpellati comparere neglexerint, neque D.Cardinali inhibuerint, nè poſterioribus ſolveret, ut in fortioribus terminis hæredis latè firmat *Andreol. conſ.* 362. *per tot.*, *Salgad. in Labyr. credit. par.*3. *cap.*8. *num.*22., *&* *ſequen.*, *Franch deciſ.* 272., *&* *deciſ.* 531. *per tot.*, *Rota coram Merlin. deciſ.* 858. *num.*9., & magis in ſpecie *Salgad. in Labyr. par.*1. *cap.*8. *nu.*12., *Card. de Luc. de hæred. diſc.*25. *num.*7., *&* *ſeq.*

Sed ceſſat omnis difficultas, quia revera
10 ipſe in illis dimittendis nullo propriæ voluntatis arbitrio uſus eſt, dum juxta ſupra expoſitum decretum Congregationis Baronum coactus fuit intra dies 15. liberè, & abſque ullo vinculo, ſeù conditione ſolvere ſummam promiſſa majorem Creditoribus, qui jam tunc comparuerant; undè in his terminis locus eſſe videtur certiſſimè illi juris regulæ, qua traditum eſt, eum qui ſolvit cogente, vel approbante Judice, rectè ſolvere, immunemque fieri à moleſtiis omnibus aliorum Creditorum meliora, aut potiora jura habere contendentium, ad *Text. in l.Creditor. ubi Bartol. ff.de ſolut.*, *Magon. dec. Florent.* 94. *num.*13., *Rota coram Cavaler. dec.*581. *num.*8., *&* *in rec. dec.*345. *num.*1., *&* *ſeqq. par.*1., *&* *d. dec.*96. *num.*22. *par.*18. ubi concordantes.

Et hinc eſt, quod eadem Congregatio quoties alii Creditores coram ipſa poſtea comparverunt, contendentes ex eodem capite, quo hodiè D. Dux, quod D. Cardinalis ſummam conventam ſc.40.m. malè ſoluiſſet Creditoribus tunc urgentibus, quia nimirum po-
11 ſterioribus, conſtanti ſemper judicio eum-
dem

dem abſolvit, reſcribendo præſertim ſub die 18. Decembris anni 1710. D. Cardinalem adimpleviſſe contractum in ea parte, in qua in ſe accollavit debitum pro ſcut.40.m., & ſolutiones per eum factas fuiſſe legitimas, ut proinde durum videri non debeat D. Duci, ſi in eodem articulo, atque in eiſdem rerum, factique circumſtantiis, eamdem, quam alii, ſortem patiatur, cum cæteroquin dictæ re-
12 ſolutiones contra legitimos contradictores editæ, tamquam per ſpeciem rei judicatæ ipſum quoque afficere poſſe videantur, ad *Tex. in l. Ingenuum ff. de ſtat. Homin., Rota dec. 16?. num. 2. par. 17., & in Lucana Præbeminentiarum ſuper expenſis 4. Maii 1705. §. Hæc utique cor. bo. me. Omanna, & in Romana Secretariatus Apoſtolici 26. Aprilis 1709 §. In dubium coram Em̃o D. Cardinali Polignach, & 16. Junii 1710 §. Iterum cor. R. P. D. meo Criſpo.*

13 Eo autem libentius Domini in hanc ſententiam iverunt, quia D. Duci ſalva, & incolumis manet actio pro conſequendis controverſis fructibus contra ipſum D. Præneſtinorum Principem directum debitorem, cujus conditio ex dicto contractu longè melior reddita eſt, dum per eum liberatus fuit ab ingenti mole æris alieni, & curſu uſurarum, quibus in dies ejus patrimonium minuebatur, unde æquum non eſt, quod eo omiſſo, Eminentiſſimus D. Cardinalis contra formam ſuſceptæ obligationis, iteratæ ſolutionis pæna plectatur, quando ad illam nec etiam
14 hæres oſcitanter ſolvens Creditori potiori condemnari poteſt, ſi hæreditas ſit idonea,
15 cum reliqui creditores hanc prius excutere teneantur, ut benè firmat *Salgad. in Labyr. Credit. par. 3. cap. 8. num. 22.*

Et ità utraque &c.

CAVALLICEN. VINTENI.

Lunæ 9. Aprilis 1716.

ARGUMENTUM.

Vintennium in certis fructuum ſpeciebus determinatis, per tranſactionem inter Baronem loci, & ſubditos conventum. non poteſt ad diverſas fructuum ſpecies extendi, maximè ſi centenaria hujuſmodi obſervantiæ robur tribueret, & ſi reperitetur caſus in quo aliquando oleum, & fænum ſolutum fuiſſet, hoc diverſæ agrorum culturæ tribuendum eſſet, non verò ſubditorum ulteriori obligationi in eadem tranſactione reticitæ. Tranſactio donec per tres conformes ex capite læſionis non reſcindatur, ſubſtinenda eſt.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata intrat ex lapſu fatalium, intra quæ appellatio non fuiſſet proſequuta.*
2 *Sententia, quæ tranſactioni, & obſervantiæ nititur, dicitur juſta.*
3 *Vintennium de tribus limitatis ſpeciebus inter Baronem, & ſubditos conventum, ſcilicet vino, frumento, & leguminibus, nequit ab illius Hærede ad diverſas etiam ſpecies extendi.*
4 *Tranſactio repellit à limine judicii eam impugnantes, donec non eſſet per tres conformes reſciſſa*, & num. 21.
5 *Vintennium non poteſt extendi ad ſpecies in tranſactione reticitas, ex quo in procura facta ab uno ex tranſigentibus dictum fuiſſet* -- Ex vino, pane, & aliis rebus --, *adeout* lii - & aliis rebus -- *ad alias extenderet ſpecies, quia unicè id attendendum eſt, de quo loquitur tranſactio.*
6 *Præſervatio jurium in tranſactione expreſſa intelligenda eſt in hac materia de aliquibus juribus Baronalibus diſiunctivè ab illis in tranſactione nominatis.*
7 *Præſervatio jurium numquam cadere poteſt ſuper iis, quæ fuiſſent in Tranſactione ſpecificè concordata, ſed ſuper aliis diſiunctivè, ratione in veriſimilitudinis.*
8 *Tranſactio, quæ certam inducit obligationem, & ad conventa tantum extenditur, cætera non promiſſa, & non conventa excludit.*
9 *Communitas, & Homines Loci propriam libertatem non poſſunt extendere.*
10 *Baro non poteſt exigere à Subditis Vintennium altra ſpecies conventas.*
11 *Obſervantia ſæculorum, ſive de per ſe, ſivè adhæſivè ad Tranſactionem, omne dubium tollit.*
12 *Vintennium in iis tantum debetur ſpeciebus favore Baronis, in quibus per Teſtes formiter repetitos, à ſubditis ſolutum fuiſſe probaretur.*
13 *Titulus exigendi Vintennium reſtrictivè ad talem deſignatam ſpeciem, favore Baronis, à longæva poſſeſſione declaratur, & confirmatur.*
14 *Tranſactio in dubiis normam recipit à longeva obſervantia, & poſſeſſione, & ab iſtis explicatur*, & num. 15.
16 *Vintennium, quod ex vino, pane, & leguminibus debebatur, in vim tranſactionis inter Baronem, & ſubditos initæ, ſi reperiatur ſolvi in oleo, & fæno, hæc ſolutio intelligitur facta ratione diverſæ culturæ tantum*, & num. 18.
17 *Amplia, ut etiam non extendatur ad diverſas ſpecies per hoc, quod Baro quædam bona in Emphitheuſim conceſſiſſet, cum id referibile ſit ad particulare ejus dominium ſuper aliis bonis.*
19 *Vintennium non debetur ratione univerſalis dominii, quod penes Baronem reſideat; & quare.*
20 *Vintennium à Barone in certa ſpecie conventum, non poteſt ab Hærede extendi ad omnes fructus ſub prætextu univerſalitatis dominii.*
21 *Tranſactio præbet novum titulum Tranſigentibus de contentis in tranſactione.*
22 *Dominus ex titulo particularis non poteſt acquirere dominiũ ex univerſali, qui eſſet incompatibilis.*

23 De-

23 *Decimæ augumentari debent, quoties fructuum augumentatio fieret longè major illa, quæ fuiſſet de tempore ipſius aſſignationis.*

24 *Vinteni augumentatio non datur, ſi obſtaret tranſactio, quæ ſolo læſionis capite, & in gradu reſtitutionis in integrum prius eſſet de medio tollenda.*

DECISIO DCCCCLII.

VEterem controverſiam à Duce Carolo Felice de Galliens Domino Loci nuncupati de Gadenis uſque de anno 1682. excitatam ſuper ſolutione Vinteni ex omnibus indiſtinctè fructibus, qui in territorio ejuſdem Feudi recolligerentur, definivit A. C. procedens de Voto hujus noſtri Auditorii præviis duabus deciſionibus coram bo. me. Emerix, quæ ſunt inter ejus impreſſas 1122.; 1172. favore Forenſium Poſſidentium in eodem loco, idemque iterum cenſuit hoc ipſum Tribunal coram Eminentiſſimo Domino meo Cardinali Priolo, qui prævia Deciſione diei 21. Junii 1697. ſententiam præcedentis confirmatoriam protulit. Fuit ab hac ſententia pro parte Ducis interpoſita appellatio, mihique commiſſa, ſed cum non fuerit facta intrà legitima tempora actorum tranſportatio, ſuborta etiam eſt res judicata; cupientes itaque iidem forenſes quæſtionem hanc totaliter terminare, curarunt contra Dominam Duciſſam Uxorem, & hæredem dicti Ducis Caroli Felicis proponi Dubium -- *An conſtet de re judicata* -- cui Domini ſolidis innixi fundamentis in relatis Deciſionibus coram bo.mem. Emerix, & Eminentiſſimo Priolo conſtabilitis *Affirmativè reſponderunt*.

1 Res judicata promanat ex lapſu fatalium, intra quæ appellationis cauſa erat proſequenda, ad celebrem *Text. in cap. cum ſit Romana de appellat. in Authen. ſi qui Cod. de tempor. appellat.*, *alioſque adductos in Balne oregien. manutentionis 15. Junii 1715. §. Poſita coram R. P. D. meo Falconerio*,

2 concurritque ſententiæ validitas, quæ non controvertitur, & Juſtitia, quæ duplici nititur fundamento, tranſactionis nempè inter Baronem, & poſſeſſores in loco de Gadaneis initæ anno 1268., & obſervantiæ inconcuſſę plurium ſæculorum.

Sanè cù in dicta tranſactione fuerit correſpectivè ad remiſſionem diverſarum ſervitutum, quas Baro prætendebat, promiſſa ab Hominibus, & Poſſeſſoribus ſolutio Vinteni ex tribus dumtaxat fructuum ſpeciebus, ex

3 frumento ſcilicet, Vino, & Leguminibus, taliſque promiſſio acceptata fuerit per Baronem, à quo cauſam habet Domina Duciſſa, nequit idcircò hodiè Vintenium magis amplum, & illimitatum ex omnibus aliis fructibus prætendi; talis enim auctoritatis eſt

4 tranſactio, ut agentem repellat à limine Judicii, *ad Text. in l. Fratris, & l. Cauſas cod. de tranſact.*, & plenam ſemper mereatur executionem, donec per tres ſententias conformes in Judicio reſciſſa non ſit, ut præter allegat. *in Deciſionibus hujus Cauſæ coram Emerix deciſ. 1123. num. 1., & ſeqq., & 21. Junii 1697. §. Iterùm coram Eminentiſſimo Priolo*, firmavit *Rota dec. 51. num. 1., & 15. par. 18. recent., & in Piſauren. Tranſactionis ſuper exequutione 21. Februarii 1707. §. Primo, & §. Vlterius coram eodem D. Meo Card. Priolo*.

5 Abſque eo quod dici valeat majorem latitudinem dictæ promiſſionis exoriri, aut ſaltem declarari ex mandato Procuræ dato à Barone ad tranſigendum, ubi Vintenium dandum dicitur -- *ex Pane Vino, & aliis rebus* -- vel ex præſervativa pro parte Baronis appoſita in tranſactione ibi -- *ſalvo omni ſuo Dominio &c. ac ſalvis omnibus aliis uſibus*.

Quoniam dictio illa -- *aliis rebus* -- verificari optimè poteſt in leguminibus non expreſſis in mandato, ſed deſignatis ſubinde in tranſactione, itaut omnino attendi debeat, non quod generaliter, & confuſe in d. mandato permiſſum fuit, ſed quod ſpecificè per concordiam ſtabilitum extitit, & à partibus poſtea obſervatum, ut fuit animadverſum in deciſione hujus cauſæ *coram Emerix dec.*

6 *1123. n. 2.* Pręſervatio vero Jurium Baronis non de jure exigendi Vintenium, ſuper quo tranſactio particulariter diſponebat, ſed de aliis juribus, uſibuſque Baronalibus, & juriſdictionibus intelligi debet, cum non ſit

7 veriſimile voluiſse Partes, quod ſpecificè antea convenerant, iterum involvere ſub generali pręſervativa, quæ nihil ponit in eſse, & intrinſecùs habet conditionem illam, quatenus eadem Jura præſervata competant, & non alias, ut proſequitur *d. dec. Emerix n. 3., & altera Eminentiſſimi Prioli §. Non obſtante, & concordat Rota dec. 75. n. 4. p. 2. rec., dec. 175. n. 7. cor. Bich., & dec. 317. n. 3. cor. eodem Emerix*.

Et hæc procedunt, etiamſi litera ipſa tranſactionis taxativè non loquatur de frumento, Vino, & leguminibus, quæ propterea pręſendi poſsunt ſtare demonſtrativè.

8 Cum enim agatur de tranſactione certam obligationem inducente, in qua aliquod ſpeciale promittitur, taxatio promanat à natura ipſa, & qualitate actus geſti, quæ excludit, & negat cætera non promiſſa, & non conventa, *ad text. in l. Si de certa cod. de tranſact., l. Aquilana, & l. cum Tutoribus ff. eod. tit., Vrceol. de tranſact. q. 81. n. 5., & 7., Rota cor. Royas dec. 316. n. 25., dec. 351. n. 9., & ſeq. p. 16., & cum aliis in d. hujus cauſa dec. 1123. n. primo cor. Emer., & in ultima cor. Eminentiſſimo Priolo §. Et hinc non relevat*, ubi etiam quod cum Vaſſalli promiſerint Vintenium ſolvere in dicta certa fructuum ſpecie, ut liberarentur correſpectivè à certa onerum ſpecie, & qualita-

9 te, ſicut Communitas, & Homines Loci non poſsunt propriam libertatem extendere, ità

10 nec Baro fimbrias debet dilatare in exactione Vinteni ultra ſpecies conventas.

Succedit modo ſecundum fundamentum in

11 in obſervantia quatuor ſæculorum conſtitutum, quę ut DD. ponderabant, ſivè de per ſe conſideretur, ſive adhæſivè ad præmiſſa, & in prædictorum confirmationem, rem
12 ponit in claris. Porrò tàm ex aliquibus Teſtibus pro parte Ducisſæ adductis, quàm ex aliis firmiter examinatis pro parte Forenſium conſtat Vintenium exactum nunquam fuiſse, niſi ex tribus recenſitis fructuum ſpe-
13 ciebus, quæ quidem adeo longeva poſseſſio, ita ſolvendi ſufficientem præſtat titulum ad reſtringendam ſervitutem à Barone prætenſam, ut aliis allegatis tradunt *deciſiones editæ cor. Emerix* 1123. *n.* 4., & 5., & *deciſ.*
14 1172. *n. primo*, & multo magis declarat, & explicat præcedentis tranſactionis impor-
15 tantiam, itaut iſta ab obſervantia interpretationem recipiat, *Rota poſt Vrceol. de tranſact. dec.* 82. *n.* 5., *cor. Priolo dec.* 127. *n.* 12, & *in Firmana Primogenituræ ſuper tranſactione* 26 *Junii* 1713. §. *Quod eo magis cor. R. P. D. meo Criſpo*.

Neque ad eam deſtruendam allegari valent pauci quidam actus inveſtiturarum factarum de Olivetis, Pratis, & Hortis, ac
16 ſolutionum factarum ex fæno; nec non duo repetita Inſtrumenta annorum 1518., & 1592. ubi Vintenium promittitur etiam de Olivis, aliiſque fructibus. Reſpectu enim ad inveſtituras poſſunt intelligi compatibiliter cum tranſactione, & obſervantia, itaut Vintenium ex Olivetis, Pratis &c. deberetur, ſi, & quatenus ad diverſã reducerentur culturam, ibique aut legumina, vel frumentum ſereretur, aut Vites plantarentur. Reſ
17 pectu vero dd. Inſtrumentorum amplexi ſunt DD. reſponſiones datas in *deciſionibus bon. mem. Emerix.*, & *Emi Prioli* §. *Nec ad iſtum effectum*, & *ſeq.*, ſuperaddentes, quod cum conſtet à Barone poſseſsa fuiſse Jure proprio, ac privato nomine aliqua bona in Territorio ſui Feudi, poſsunt prędicti actus ad hæc bona referri, ſuper quibus licitum illi erat quicquid vellet paciſci, nec tranſactione ligabatur, itaut extendi non debeant ad contrariam iſtius interpretatio-
18 nem. Solutiones denique aliquando factæ de fæno, deſtruunt potius Ducisſæ prætenſionem, cum non ſint, ut ipſa prætendit in vigeſima parte, ſed in octava, vel ſeptima; ſignum evidens, quod Vintenium ex fęno, aliiſque fructibus ultra conventos in tranſactione non competebat.

His ita poſitis, non juvit iterum recurre-
19 re ad titulum univerſalis Dominii prætenſum in omnibus Prædiis Territorii Loci de Gadaneis, quaſi quod in illius ſequelam illimitatum debeatur Vintenium, ex quibuſcumque fructibus.

Quia quicquid ſit de hoc univerſali dominio, ſuper quo lis pendet in hoc noſtro Auditorio, & de ſententia à me ſuper illo jàm lata, cum prodierit in contumaciam, & non citatis, nec auditis Forenſibus hodiè comparentibus, ad quorum inſtantiam à Signatura Juſtitię cauſa commiſſa reperitur R. P. D. meo Criſpo; placuit Dominis reſponſio, quod Vintenium nullatenus deberi probatur ratione univerſalis dominii, vel in illius ſequelam, cum in pluribus locis Rev. Camera, aliique permulti dominio univerſali fundiario potiantur, & tamen non exigunt Vintenium de omnibus fructibus, ut hic prętenditur, ſed aliquam tantum partialem recognitionem, & id de facto oſtendit ipſamet ſupradicta Tranſactio, in qua nullum ſit verbum de dominio, ſolumque de Juriſdictione, ſervitute, correſpectivè ad quarum remiſſionem fuit promiſſa ſolutio ex tribus illis ſpeciebus frumenti, Vini, & leguminum; alias enim ſi Vintenium fuiſſet dominii ſequela, ſaltem per viam prætenſionis fuiſſet expræſſum in tranſactione.

Tollitque omnem difficultatem animad-
20 verſio illa, quod ſi Baro non obſtante aſſerto titulo univerſalis dominii in die tranſactionis eodem modo allegabili, quo nunc, adhuc devenit ad concordiam, & acceptavit limitatam ſolutionem Vintenii, non poteſt hodie D. Ducisſa ab ea reſilire, & illud prætendere ſub motivo d. univerſalis dominii, quia per tranſactionem antiqui tituli re-
21 manent extincti, aut ſaltem ita novati, ut ſtandum ſit novo titulo per ipſam tranſactionem attributo, *plenè Mart. de ſucceſſ. legal. p.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 15., & 16., *Vrceol. de tranſact. q.* 91. *n.* 14., *Rota in Faventina Fideicommiſſi de Paſiis* 7. *Maii* 1714. §. *Obſtecti cor. R. P. D. meo Criſpo*, aliàs in-
22 duceretur in eadem perſona incompatibilis multiplicatio titulorum, & Baro ſemel Dominus ex titulo univerſali fieret ſucceſſivè Dominus ex titulo particulari totaliter diverſo, quod in Jure repugnat, juxta literalem *text. in l.* 3. §. *Ex pluribus ff. de acquiren. poſseſſ.*, *ibique Doctores*. *Rota coram Bich. dec* 96. *n.* 6., *cum aliis in dec. præcedentis Inſtantiæ* §. *Nec jus cor. Eminentiſſimo Priolo*.

Nec demum relevat, quod modernis tem-
23 poribus, immutata Territorii cultura, adeò crevit Olivarum plantatio, ut ex fructibus in tranſactione expreſſis, Vintenium in exigua quantitate percipiatur, ideoque ad reparandum intollerabile damnum inde proveniens Baroni, ſive D. Ducisſæ hodiè comparenti, admittenda ſit ſubrogatio fructuum unius ſpeciei loco alterius, juxta id, quod eſt diſpoſitum ſuper materia decimarum in *cap. ſuggeſtum de Decimis*. Obiectum enim in facto deficit, quia talis immutatio Culturæ, & reductio Territorii, ubi eſſent Vineæ, aut Agri ſeminatorii ad uſum Olivarum probata adhuc non fuit; In Jure verò remanet inſufficiens, quia (quidquid ſit, an applicetur diſpoſitio d. textus circa decimas præſenti caſui) cum id tranſactionis reſolu-
24 tionem, ſivè reſciſsionem importaret ex capite læſionis, prius hæc eſſet in particulari judicio canonizanda, ut poſſet tranſactionis executionem retardare, ut advertit etiam deciſio Eminentiſſimi Prioli §. *finali*, & probant

bant auctoritates ſuperius allegatæ §. *Sancum*.

Et ita remiſſivè ſe habentes ad antecedentes deciſiones quoad nonnullos teſtes contra tranſactionis obſervantiam deponentes, & reliqua DD. reſponderunt utraque &c.

REATINA FIDEICOMMISSI SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 24. Aprilis 1716.

ARGUMENTUM.

Judex poteſt moderari ſuam inhibitionem, ſi Reus acta non traſportaret. In liquidandis penſionibus leviores probationes admittuntur, & ad tramites locationis intermediæ inter antiquas, & recentiores regulantur.

SUMMARIUM.

1 *Exequutio mandati in vim trium Judicatorum à Signatura cum clauſula* S. P. *canonizati, retardari nequit.*

2 *Judex devolutivi ritè ſuam moderatur inhibitionem, ſi Reus appellationem non proſequatur.*

3 *Amplia, etiam ſi Signatura reſcripſiſset cum clauſula* -- Refectis, & tranſportatis -- *quando Reus hujuſmodi conditionis adimplementum neglexiſset.*

4 *Liquidatio fructuum, ad dirimendas ulteriores lites, levioribus probationibus fieri poteſt.*

5 *Penſiones intermediæ in ea ſumma perceptæ præſumuntur, in qua perceptæ fuiſſent antiquæ, & recentiores, maximè ſi locatio de triennio in triennium decurriſset.*

6 *Amplia ſi ex aliis locationum inſtrumentis penſiones ad majorem ſummam aſcendiſse non probaretur.*

DECISIO DCCCCLIII.

Carolus, & Hieronymus de Jacobonis non adhuc acquieſcentes geminis Judicatis Rotalibus, alteri videlicet R. P. D. mei Anſaldi, atque alteri R. P. D. mei Falconerii, in quibus condemnati fuerant reſtituere Sororibus de Navis penſiones cujusdam Cymbæ trajectitię ab ipſis pendente lite perceptas in ſumma ſcut. 584., obtinuerunt à Signatura Juſtitię novam cauſæ commiſſionem directam Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto in hoc Sacro Tribunali tunc laudabiliter ſedenti: Cum autem ego in ejus locum ſubrogatus fuerim, propoſui hodiè ad inſtantiam dictarum Sororum congruum dubium, *an ſcilicet procedendum ſit ad legitimam exequutionem*, & DD. *procedendum eſse* reſponderunt.

Quod enim in genere Jacoboni reſtituere debeant fructus, ſivè penſiones à die motę litis retractas ex locatione d. Cymbæ trajectitię, non poteſt amplius in præſenti contro-
1 verti. Ipſi namque ad earum reſtitutionem condemnati reperiuntur in tribus ſententiis conformibus in ſequelam immiſſionis obtentæ à memoratis Sororibus ad eamdem Cymbam, tamquam ſuppoſitam fideicommiſſo q. Pauli ſenioris de Navis earum favore purificato. Cum autem Signatura Juſtitiæ dictarum ſententiarum exequutionè prçſervaverit cum clauſula *ſine præjudicio*, nullo pacto, aut ratione poteſt mandatum in eam cauſam relaxatum à Jacobonis impugnari, *Rota cor. Cavalcr. dec.* 495. *n.* 5., & *in rec. dec.* 145. *n.* 2. *p.* 12., cum aliis fusè deductis in *deciſionibus cauſæ, prima nempe 27. Junii* 1708. §. *Laura cor. R.P.D. meo Anſaldo*, & *ſecunda R.P.D. mei Falconerii 2. Julii* 1714. §. *Etenim*, & *noviter in Eugubina bonorum ſuper fructibus 23. Martii 1716. cor. Me*.

Eoque certius, quia dd. ſententiæ ob non
2 proſequutam in devolutivo appellationem tranſiverunt in rem judicatam, ac propterea Eminentiſſimus D. Cardinalis Scottus Judex ad Quem inhibitionem moderatus fuit, quam quidem, licet ſubinde Signatara reintegrari mandaverit ſub conſueta clauſula -- *tranſpor-*
3 *tatis*, & *refectis expenſis*, Jacoboni tamen ejuſmodi conditiones nunquam hactenus implere curarunt: unde in hoc rerum ſtatu, quatenus etiam dictas ſententias in devolutivo impugnare vellent, ſub obtentu, quod ipſi penſiones prædictas revera non exegerint, nihilominus propter obicem rei judicatæ, ac memorati reſcripti virtutem, audiri non poſſent, ut bene de more reſponſum fuit in *dec. precedentis inſtantiæ* §. *Quamobrem coram R.P.D. meo Falconerio*.

Unica igitur, quę ſupereſt difficultas verſatur ſuper liquidatione controverſarum
4 penſionum. Pro hac autem dirimenda DD. præ oculis habentes certiſſimam illam Juris regulam, qua traditum eſt in hujuſmodi quęſtionibus ad ſtatuendam quantitatem fructuum perceptorum leviores probationes ſufficere, *Rota dec.* 17. *n.* 3., & *dec.* 131. *n* 10. & *dec.* 223. *n.* 4. *cor. Emerix jun.*, & ſępe alibi, pro certo, & conſtanti habuerunt nullius exceſsus redargui poſſe liquidationem in præcedentibus Iudicatis conſtabilitam in
5 ſumma ſcut. 594. Conſtat enim ex publico Inſtrumento memoratam Cymbam locatam fuiſse anno 1676. pro annuis ſcutis 160., & cum eadem penſione illam conduxiſse anno 1701. Joannem Dominicum Blanchettum, prout ipſemet cum juramento deponit, & teſtatur Perottus, qui pro eo fidejuſſit. Quamvis autem prima ex prædictis locationibus non percutiat præciſè tempus, pro quo facienda eſt reſtitutio, dum hoc incipit ab anno 1698., uſque ad menſem Julii anni 1702.: Cum tamen facta appareat, cum expreſsa renovatione de triennio in triennium, quatenus partibus in ea permanere placuiſset, ac propterea penſio in illa conventa ſit uniformis alteri præſtitutæ in ſubſequenti locatione anni 1701., jure præſumi debet, eamdem quoque penſionem in intermediis locationibus, ſive renovationibus conventam, atque

6 exactam fuiſſe, *Rota dec. 592. n. 4., & ſeq. p. 18., & in Ferrarien. Fideicommiſſi ſuper fructibus 27. Aprilis 1708. §. Neque obſtare cor. Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto, & in Romana Domus, ſeu Palatii ſuper fructibus 10. Decembris 1710. §. Tantoque magis cor. R. P. D. meo Criſpo, et in Beneventa. na nullitatis teſtamenti ſuper fructibus 13. Februarii 1713. §. Tranſeundo coram Me, & in Romana Immiſſionis ſuper fructibus 27. Januarii 1726. §. Conſtito in fine coram R. P. D. meo Criſpo.* Præſertim verò quia alia non apparent ſtipulata Inſtrumenta locationum, ut advertit *d. Deciſio coram R. P. D. meo Falconerio §. Tento magis, ubi concordantes.*

Et ita remiſſivè in reliquis ad præcedentes deciſiones Cauſæ altera tantum parte reſponſum fuit &c.

FARFEN. BONORUN.

Veneris 24. Aprilis 1716.

ARGUMENTUM.

Spurius ſemper dicitur filius illius, à quo non ſolùm ſemper uti talis fuiſſet recognitus, verum quoque ab ejus conſanguineis, juncta etiam ſimilitudine vultus, ac diligentia, qua Pater in ejus ortu uſus fuiſſet tam erga ipſum, quàm ejus Matrem in omnibus neceſſariis parandis. In quibus hæc Patris diligentia, & cura conſiſtat, & cuſtodiæ ventris, ut filius verè dicatur, ex quibus probationibus, & conjecturis concludenter probetur, diſtinctè explicat ſequens

SUMMARIUM.

1 *Cuſtodia ventris optimè probatur, ſi mulier uſque ab infantia penes ſtupratorem, & ſub ſpe futuri matrimonii extitiſſet,* & num. 23.

2 *Amplia, ſi adeſſent Teſtes deponentes dictam mulierem non uti famulam, ſed uti filiam apud ſtuprantis Matrem extitiſſe, in eadem menſa fuiſſe verſatam, nec de domo umquam egreſſam fuiſſe, ſine Matris, aut Sororum ſtupratoris concomitantia.*

3 *Subamplia, ſi Teſtes deponerent, quod ſtupratori tantùm acceſſus ad illam patere potuiſſet.*

4 *Partus, ut dicatur ex tali Patre deſcendiſſe, ſufficit, quod probetur mulierem ſub ejus poteſtate, & arbitrio ſemper ſtetiſſe, & accurate:* amplia ut in num. ſeq.

5 *Filiatio probatur ex circumſtantiis, cum nemo ſit, qui tutò Patrem ſuum valeat demonſtrare.*

6 *Stuprator præſumitur ille, qui mulierem parituram alio tranſmiſiſſet.*

7 *Amplia, ſi obſtitiſſet aliis nuptiis ei magis congruis.*

8 *Subamplia, ſi nato puero ſtuprator ſuorum Antenatorum nomina imponi feciſſet, & linteamina ad Nutricem tranſmiſiſſet.*

9 *Adde, ſi paulò poſt Matrem, & puerum in ſuam domum reverti feciſſet, donec tandem ſervando fidem, Matrem deſponſaſſet.*

10 *Filius de illegitimo per ſubſequens fit legitimus.*

11 *Filiatio, ut probetur, multum defertur Parocho rationem adducenti, ob quam nomen Patris in libro Baptizatorum non adnotaſſet.*

12 *Nomen Patris reticitum præſumitur in Baptiſmo, ut ejus peccatum obtegatur.*

13 *Filiatio ſpurii arguitur ex ſimilitudine ejus vultus cum Patre, & ex publica voce, & fama, maximè ſi eſſet in parvo Oppido.*

14 *Aſſertio Matris dicentis ſuum partum eſſe ex ſtuprante natum, junctis adminiculis, plenè probat.*

15 *Amplia, ſi Pater donec vixiſſet, cum uti filium publicè, & palam agnoviſſet.*

16 *Subamplia, ſi in ultimis tabulis ſorore præterita eum hærede inſtituiſſet.*

17 *Adde ſi ſicuti talis filius fuiſſet recognitus à Stupratoris Conſanguineis, & ab ejus Matre cum prædilectione.*

18 *Amator facilè ſeducitur ad credendum prolem ex Amaſia natam, eſſe ab ipſo genitam.*

19 *Aſſertio Patris, & tractatio in filium non ſat eſt ad probandam filiationem adversùs cauſam non habentes à Patre.*

20 *Limita, ſi ultra Patris aſſertionem, concurreret recognitio in filium facta etiam à Conſanguineis, & à circumſtantiis adminicularetur.*

21 *Teſtes formiter repetiti, & fide digni, probantes cuſtodiam ventris, & puellæ honeſtatem, repellunt Teſtes viles in contrarium adductos.*

22 *Amplia, ſi iſti fuiſſent criminaliter inquiſiti, & ex capite falſitatis condemnati.*

23 *Subamplia, ſi per impudentiam plura de ſe ipſis inboneſta depoſuiſſent, & præ cæteris, quod eorum ars eſſet teſtimonium ferre.*

DECISIO DCCCCLIV.

Sub obtentu, quod Octavianus Camillus hæres univerſalis à Tyberio de Soldatis inſtitutus non ſatis probaſſet ſe eſſe ejuſdem Tyberii filium, ſemel atque iterum Rota cenſuit coram clar. mem: Card. Corrado dandam eſſe Catherinę immiſſionem ad bona quædam emphyteutica de directo dominio Abbatiæ Farfen. virtute novæ inveſtituræ ab eadem obtentæ, tamquam Sorore d. Tyberii, ut ex *geminis Deciſionibus, altera videlicet 9. Decembris 1644. inter recent. la 317. p. 9., & altera 23. Januarii 1647. impreſſa poſt Zacchiam quæſtion. Medicoleg. dec. 90.* Hodie autem poſt lapſum adeò longi temporis, & aliquot etiam inter partes ſubindè interpoſitas tranſactiones ex commiſſione Signaturæ Juſtitiæ ad inſtantiam Septimii, & Tyberii junioris ejuſdem Octaviani filiorum reintegrata quęſtione ſuper articulo filiationis, cum ego tamquam ſuffectus in locum

cum dicti clar.' mem. Card. Corradi propo-
ſuerim dubium, *an ſit ſtandum, vel receden-
dum à deciſis ſub dd. diebus, Domini quoad fi-
liationem à deciſis recedendum eſſe reſponde-
runt, & quo ad tranſactiones demandarunt,
quod particulariter videatur.*

Moti ſunt, ut ab antiquis reſolutionibus re-
cederent, quia ex novis probationibus ultra
antiquas hodie cumulatis plenè conſtitit An-
1 nam Octaviani Matrem, Virginem adhuc, &
puellam domi propriæ à Tyberio receptam,
fuiſſe addictam famulatui Tulliæ Matris, ac
ſub fide futuri matrimonii in eadem domo
ab ipſo Tyberio per illicitam conſuetudinem
loco juſtæ Uxoris continuò retentam fuiſſe,
& quidem ſub arcta, ac diligenti cuſtodia,
ut proindè in his rerum, factique circumſtan-
tiis in dubium venire nequeat, quin partus in-
terim conceptus ex ejus concubitu genitus
fuerit, ut per *Text. in l. Miles §. Defuncto
ff. ad l. Juliam de adulter.*, probat *Pacion.
alleg. civil.* 199. *n.*8. *cum ſeqq.*, *Paleott de
noth., & ſpur. cap.*21., *Menoch. de arbitr.
lib.*2. *cap.*89. *n.*18., *Rot. dec.* 332. *poſt ſecun-
dum vol. conſ. Farinac. nu.*3., *& in rec. dec.*
246. *n.*6. *p.*15.

Neque verò ſuper dicta mulieris cuſtodia
2 difficultas ulla eſſe poteſt; cum enim plures
teſtes formiter repetiti unanimiter conve-
niant illam non tamquam vilem famulam, ſed
ad inſtar uxoris, & tamquam ſuam à Tybe-
rio, & loco filiæ à Tullia ejus matre, uſque
adeò habitam, & tractatam fuiſſe, & eidem
menſæ omnes ſimul accumberent, neque un-
quam domo egreſſa fuerit, niſi una ſimul cum
memorata Tullia, aut comite aliqua ex ejus
3 ſororibus natu majoribus, cumque præterea
iidem Teſtes deponant aliis, quam Tyberio
acceſſum ad eam minimè patuiſſe, quia abſ-
conditam domi vitam agebat, & quotidie
ſub oculis illius, vel Tulliæ matris verſaba-
tur, negari non poteſt, quod ſatis diligenter
atque accuratè cuſtodita fuerit, ut in ſimili
caſu reſpondit *Rot. d. dec.* 332. *n.*1. *poſt conſ.
Farinacc.*, *& cor. Royas dec.*159. *n.*9., *& in
rec. dec.* 309. *n.*6. *p.*10., *& dec.*627. *num.*12.
*p.*19., *& in Viterbien. fideicommiſſi* 9. *Junii*
1703. §. *Et ob id cor. R.P.D. meo Anſaldo.*

Et nihilominùs ad effectum probandi con-
troverſam filiationem, quatenùs etiam diffi-
cultas aliqua ſuper dicta mulieris cuſtodia
4 haberi poſſet, ſufficeret illam domi retentam
fuiſſe ſub poteſtate, & ad arbitrium Tyberii.
Ex hac enim ſola circumſtantia jure præſumi
deberet, quod filius ex eo conceptus fuiſſet,
*Ancharan. conſ.*225. *ſub n.*5., *Cardin. Pa-
leot. de Noth., & Spur. cap.*22. *n.*4., *Rota
dec.*289. *nu.*4. *p.*1. *rec.*, *& in Romana fidei-
commiſſi de Gratia* 28. *Januarii* 1697. §. *Abſ-
que eo quod cor. Emo Priolo*, *& in Carpen-
toraten. filiationis* 14. *Januarii* 1704. §.
5 *Hoc jacto cor. Rmo Molines.* Longe autem
certiùs, quia id ipſum convincunt plures gra-
viſſimæ conjecturæ, quibus non dubium eſt
filiationem reſpectu Patris probari poſſe,
cum directa illius probatio vel ſit omninò
impoſſibilis, vel ſaltem adeò difficilis cenſea-
tur, ut nemo ſit, qui Patrem ſuum tutò de-
monſtrare valeat, *leg. Lucius, & ibi gloſſ. ff.
de cond. & demonſtr.*, *Bald. conſ.*437. *ad fin.
lib.*2., *Card. Paleot. de Noth., & Spuriis
cap.*21. *per tot.*, *Rot. cor. Comit. dec.*59. *n.*4.,
*& rec. dec.*314. *n.*2., *& dec.*431. *n.* 11. *& ſeq.
p.*6., *& dec.*310. *n.*1. *p.*11., *& dec.* 125. *nu.*2.
& 3., *& dec.*246. *n.*1. *p.*15., & relatis quibuſ-
dam Homeri verſibus *in Romana filiationis*
27. *Junii* 1681. §. *Et licet cor. bo.me. Urſino.*

Eas itaque percurrendo, primo loco ſe of-
6 fert, quod Tyberius, ut primùm puellæ ven-
ter concepto parto intumuit, veritus, ne rei
fama cum magno illius dedecore in patria
vulgaretur, illam alio parituram tranſmiſit,
videlicet apud Catharinam ſororem in Ter-
7 ra Poli degentem, atque interea aliis magis
congruis ejus conditioni nuptiis, oblata
quavis occaſione, conſtanti animo obſtitit.
Hujuſmodi namque cura & ſollicitudo, atque
adeò diligenter ſervata fides ſatis indicat il-
lum benè noviſſe, quod Mulier non alium,
quam Virum experta fuerat, ut de prima
circumſtantia dixit *Rot. dec* 627. *n.*11. *p.*19.;
& in terminis ſecundæ, *Caſtald. conſ.* 121.
*n.*9., *Rot. d. dec.* 139. *n.*9. *cor. Royas*, *& dec.*
309. *n.*6. *p.* 10. *rec.*

8 Præterea ſtatim ac partus in lucem pro-
diit, idem Tyberius Octaviani Camilli nomi-
na puero imponi juſſit, quæ ſuorum fuerunt
progenitorum, miſſiſque per Tulliam Nutri-
9 ce, & faſciis, infans non multo poſt, una cum
Anna Matre domum à Tyberio revocatus
fuit, ibique diligenter adductus, quouſque
tandem per ſubſequens matrimonium cum
eadem Anna juxta datam fidem legitim-
10 contractum, & ipſe quoque legitimus eva-
ſit. Hæc autem omnia præſumptionem filiaè
tionis plurimùm augent, ut de renovatione
nominis paterni, vel agnatorum dixit *Rota
coram Merlin. dec.*658. *n.*6., *& cor. Emerix
jun. dec.*533. *n.*5, *& in rec. dec.*151. *n.*2. *p.*13.,
*& dec.*512. *n.*6. *&* 7. *p.*10. Et de ſubminiſtra-
tione nutricis & alimentorum *Rot. coram
Merlin. dec.*488. *n.* 10, *& cor. Cerr. dec.*294.
*n.*4., *& in rec. dec.*212. *n.*8., *& dec.*627. *n.*13.
p. 19., *& in Romana filiationis* 4. *Februarii*
1699. §. *In hypotheſi cor. bo.me. Muto*, *& in
d. Carpentoraten. filiationis* 14. *Januarii*
1704. §. *Et ſanè cor. Rmo D. Molines*, & de
matrimonio poſtea contracto, *Rot. in d. Ro-
mana fideicommiſſi de Gratia citato* §. *Abſ-
que eo quod cor. Emo D. Card. Priolo.*

Haud relevante, quod in libro baptiſmali
infans deſcriptus fuerit ſine Patris nomine,
& tamquam Spurius; ultra quod enim id ac-
11 tum fuit Tyberio abſente, & (quemadmo-
dùm teſtatur Parochus, cui in ſubjecta ma-
teria plurimùm deferendum eſſe aliàs dixit
*Rot. cor. Ninot. dec.*13. *nu.*14.) ad ſugeſtio-
nem Catharinæ ejus Sororis, cujus intererat
infantem haberi pro Spurio, & vulgò quæſi-
12 to, ceſſat omnis difficultas, quia veriſimile
eſt nomen Patris ideò reticitum fuiſſe, ut
ejus peccatum obtegeretur, *Pariſ. conſ.* 10.
*n.*86.

n.86. lib.2., Decian. conſ.1.n.13.lib.3., Nogurol alleg.25. n.37., Rot. dec.238.n.15., & n.17. p.1. diverſ., & poſt ſecundum volumen. conſ. Farinac. dec.279. n.3., & coram Celſ. dec.226.n.13.

13 Prędictis accedit ſimilitudo vultus, & habitudinis corporis, publica vox & fama, præſertim in parvo oppido, & aſſertio ipſius
14 Matris, quæ ſimul juncta graviſſimam præbent controverſæ filiationis conjecturam, ut loquendo de ſimilitudine, latè firmat *Zacchias queſtionum Medicolegal. tom.1. tit 8. q.4.per tot., Rot. dec.314. n.11. & 12. p.6, & d. dec.309. n.5. p.10., & dec.627. n.17. p.19., & d. Viterbien. fideicommiſſi 1. Junii 1703. §. Iſta igitur cor. R.P.D. meo Anſaldo*, de publica voce & fama, *Rot. dec.472. nu.8. in fin.p.1., & dec.117. num.7. p.5., & d.dec.311. n.9. p.6., & dec.125. nu.11. & ſeq. p.15., & d. dec.627. n.15. p.19. rec*, & de dicto Matris, *Nogarol. allegat.25. n.60., & ſeq., Theſaur. dec.3. n.4. & 5., Rot. dec. 141. num.9. coram Priolo.*

15 Sed præ ceteris omnibus certiùs, & graviùs filiationis argumentum ex eo oritur, quod nedum Tyberius quouſque in humanis fuit Octavianum Camillum ſemper pro filio habuit, recognovit, ac publicè, & palam nominavit, ſed quod ſpeciali nota dignum
16 eſt in ultimo, cum quo deceſſit Teſtamento, illum uti talem, germana ſorore præterita, hęredem ex aſſe ſcripſit. Hæc enim inſtitutio tamquam actus filio apprimè congruus, & proportionatus, magnam, validamque conſtituit ejuſdem filiationis probationem, *Card. Paleot. de Noth., & Spur. cap.23. n.2., Rot. dec.238. n.12. p.1. div., & dec.743. n.5.p.18.*, & advertit *prima Deciſio hujus cauſę coram Corrado dec.317. n.16. p.9 rec.*

Immò verò non ſolus Tyberius, ſed etiam
17 ipſius Conſanguinei puerum pro ejus filio agnoverunt, & pręſertim Tullia Tyberii Mater, quæ cum alias filii amaſiam, & inhoneſtam eorum conſuetudinem juſto potiùs odio proſequi debuiſſet, non alia ſanè ratione dici poteſt, quod mulierem loco filiæ tractaverit, & puerum ex ea natum in nepotem recognoverit, niſi quia certò ſciverit illum non ex alio, quam ex filii concubitu ſuſceptum fuiſſe, ut in ſimilibus terminis benè advertit *Rot. cor. Vbald. dec.90. n.8., & in rec. dec.246. n.14. & 15. p.13. rec.*

Atque hinc corruit objectum, quod cum
18 amatores facilè ſeducantur ad credendum prolem ſibi ex amaſia natam eſſe, tractatus,
19 & aſſertio controverſi Patris non ſufficiat ad probandam filiationem, quando præſertim quęſtio eſt cum iis, qui cauſam ab ipſo
20 non habent. Id enim ſibi locum non vindicat, ubi, prout in caſu, cum tractatu & aſſertione Patris, concurrit etiam ſimilis recognitio & tractatus aliorum, quorum reſpectu prædicta erroris cauſa conſiderari nequit, & ulteriùs concurrunt tot conjecturæ, & argumenta, quibus aſſertio, & credulitas Patris coadjuvatur, ut aliàs reſpondit *Rot. d. dec.314. n.18. p.6, & dec.246. n.15. p.16., & dec.627. n.19. rec.*

Quamquam verò hæc omnia, ut par eſt ſimul juncta impulerint Dominos, ut ab antiquis reſolutionibus recederent, non tamen minùs moti fuerunt ex eo quod eiſdem antiquis reſolutionibus filiationem excludentibus, potiſſimam cauſam præbuit depoſitio quorumdam Teſtium pro parte Catharinæ, tunc inductorum, aſſerentium memoratam Annam de tempore, quo domi Tyberii dege-
21 bat, aliis quoque ſui copiam feciſſe, cum autem poſt editas dictas Deciſiones ex aliis Teſtibus omni exceptione majoribus de mandato Sacri Tribunalis formiter rep titis, & cuſtodiam mulieris optimè concludentibus, quæcumque inhoneſtatis nota ab illis Annæ
22 inpicta purgata fuerit; ac præterea præcisè ob cauſam falſæ depoſitionis contra honeſtatem Annæ in hoc judicio factę, alter ex dictis contrariis Teſtibus criminaliter inquiſitus, & alter ad Triremes damnatus fuerit;
23 omnes autem in genere ſint perſonæ viles, & in eorum examine per ſummam impudentiam plura de ſe ipſis faſſi fuerint, honeſtis auribus minimè digna, & præcæteris quod eorum ars & profeſſio erat Teſtimonium pro unoquoque ferre, ceſſare viſum eſt fundamentum dictarum Deciſionū tamquàm falſis probationibus innixarum, ad *Textum in leg. quarta §. Condemnatum ff. de re judicata, Rot. cor. Emerix dec.480 num.9, & dec.603. n.6.*, & ſæpè alibi.

Sed quia poſt editas eaſdem Deciſiones inter Ipſum Octavianum & Catharinam, plures initæ fuerunt tranſactiones, Domini pro eorum prudentia & maturitate illarum virtutem & efficaciam particulari examini reſervarunt, ſatis pro nunc habentes quo ad punctum controverſæ filiationis præjudicium Octaviano, & ejus filiis irrogatum contraria declaratione in præſenti reparaſſe.

Et ita utraque &c.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS.

Mercurii 29. Aprilis 1716.

ARGUMENTUM.

Patruus Adminiſtrator particularis certorum bonorum de dominio nepotum, de iis tantùm rationem reddere tenetur, & non de cęteris; ſicque alimenta eiſdem præſtitiſſet ratione adminiſtrationis, quæ donationem excludit, animus ea donandi in eo fuiſſe non præſumitur.

SVMMARIVM.

1 *Adminiſtrator optimam reddere dicitur rationem, ſi plus adminiſtrato ſe impendidiſſe probaret.*
2 *Adminiſtrator particularis certorum bonorum, poſtquam de eis rationem reddidiſſet, ad ultra non tenetur.*
3 *Adminiſtrator poſt redditam rationem reintegran-*

tegrudus eſt de impenſis alimoniæ præſtitæ illis, quorum bona adminiſtravit.

4 *Alimenta non præſumuntur donata à patruo nepotibus, quorum bona adminiſtravit*; & vide rationem in num. ſeq.

5 *Adminiſtratoris qualitas excludit conjecturam pietatis, & animum donandi.*

DECISIO DCCCCLV.

Circumſcripta ab Eminentiſſimo D. Cardinali Corradino tunc Sanctiſſimi Auditore ſententia lata in Tribunali Eminentiſſimi Vicarii, cujus virtute Sebaſtianus Maſſainus poſseſſionem cæperat nonnullorum bonorum particulari fideicommiſso ſuppoſitorum, Æconomus ex eadem Audientia Ermenegildo, & Caietano illius nepotibus deputatus, illum vocavit coram A. C., cui cauſa ex integro commiſsa fuerat, ut rationem redderet de fructibus ex dictis bonis perceptis tempore ejus poſseſſionis. Hic autem comperto ex relatione Periti Curialis, quod Sebaſtianus à die captæ, uſque ad diem dimiſsæ poſseſſionis exegerat ſcut. 486. 62. Et ex oppoſito pro cultura, & reparatione Vinearum, ac ſatisfactione Canonum, & quorumdam debitorum, ſolvere coactus fuerat ſcut. 741. 83., per definitivam ſententiam pronunciavit benè fuiſse ab eodem Sebaſtiano redditam rationem, eumque remanere creditorem in ſcut. 255 21.

Appellantibus ab hac ſententia Fratribus de Maſsainis, ſive eorum Æconomo, ac etiam memorato Sebaſtiano ipſorum Patruo, eo quod A. C. nullam in ea mentionem fecerat alimentorum ab ipſo nepotibus eo tempore præſtitorum, cauſaque mihi commiſsa, dedi dubium — *An conſtet de legitima redditione rationis, & pro qua ſumma ſit relaxandum mandatum*, — quod *in omnibus affirmativè, & pro ſumma à Sebaſtiano informante petita*, reſolutum fuit.

1 Enim verò cum ex relatione Periti ad hunc effectum judicialiter electi liqueat, Sebaſtianum plus accepto impendiſse in rem nepotum ſcut. 255. 21., ſatis conſtare videtur de legitima redditione rationis, & reſpectivè credito ejuſdem in dicta ſumma, prout à Judice primæ inſtantiæ declaratum fuit, ut in ſimili caſu poſt *Bald. in rubric. Cod. de fid. inſtrum. n. 62.*, reſpondit *Rot. cor. Dunozet. dec. 934, & in rec. dec. 491. p. 19. utrobique num. 1.* Non obſtante, quod ab ipſo probata non fuerit negativa aliarum exactionum ultra ſummas, quas ingenuè exegiſse faſsus fuit, quia

2 cum agatur de particulari Adminiſtratore certorum bonorum, ille, qui contendit majorem quantitatem ad ejus manus perveniſse, tenetur id concludenter probare, *Rot. coram Ludoviſ. dec. 220. n. 3., & cor. Peutinger. dec. 366. n. 5., & cor. Bich. dec. 380. n. 20., & coram Benincaſ. dec. 166. n. 4.*

Sed ultra hanc ſummam Domini cenſue-

3 runt relaxandum quoque eſse mandatum favore Sebaſtiani pro aliis ſcut. 200. ex cauſa alimentorum dd. ejus nepotibus præſtitorum de tempore, quo eorum bona detinuit, juxta calculum à Perito efformatum, videlicet ad rationem ſcutor. 7 pro quolibet in ſingulos menſes, ad quam etiam hodie ex conſenſu creditorum alteri ex eis alimenta miniſtrantur. Juris namque & æquitatis ratio non ſinit, quod ipſe jacturam ejus pati debeat, quod ultra redditus adminiſtratos, commodo, & beneficio nepotum impendit, *leg. Neſſennius*, & ibi *Bartol. nu. 5. ff. de negoc. geſtor.*, *Rot. in Romana fideicommiſſi de Avila ſuper reſervatis 21. Junii 1715 §. Et quidem cor. Me.*

4 Abſque eo quod hujuſmodi alimenta videri poſſint nepotibus à Patruo præſtita ratione affectionis ob ſanguinis conjunctionem, & ideò præſumi debeant animo non repetendi liberaliter donata. Quidquid enim ſit in aliis caſibus, utique ejuſmodi præſumptio locum habere nequit in præſenti hypotheſi, in qua agitur de Patruo, qui nepotum bona admini-

5 ſtrabat. Hæc namque adminiſtratoris qualitas conjecturam omnem pietatis donandi animum excludit, ut per *Text. in l. final. ff. de petit. hared.*, & *in d. l. Neſſennius ff. de negoc. geſt.*, & articulo formiter diſcuſso reſpondit *Rota in dicta Romana fideicommiſſi de Avila ſuper reſervatis coram Me.*

Et ita altera &c.

SPOLETANA IMMISSIONIS.

Lunæ 4. Maii 1716.

ARGUMENTUM.

Teſtamentum Mulieris nullum dici non poteſt, ex quo in eo præſentia Viri, & filiorum non interveniſset, juxta Patrium Statutum, quando favore Viri, & filiorum teſtata fuiſset.

Teſtamentum de jure validum ſemper validum, nec ex falſa hęredum credulitate nullum evadit; ſicuti è converſo nullum de jure ſemper nullum, nec ab erronea hæredum ſuppoſitione, & ratificatione validum efficitur. Mulier ſine ſolemnitatibus nullitatem teſtamenti ſibi præjudicialem acceptare prohibetur.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum ſemper datur, ſi ex capite injuſtitiæ ſententia eſſet læſiva.*

2 *Teſtamentum ab Actoris Authore approbatum, non poteſt ab Actore uti hęrede de nullitate redargui; ex quibus ejus validitas ratificata dicatur. Amplia, ut in num. 5.*

3 *Teſtamentum validum præſumitur, ſi ex ipſo detracta fuiſſet Trebellianica.*

4 *Trebellianica quando, & quare detrahatur?*

5 *Teſtamentum dicitur approbatum, ſi in eo nominatus prævio monitorio, vigore illius, immiſſionem poſtulaſſet.*

6 *Amplia, ſi illud in actis produxiſſet*, & n. 8.

7 *Nemo poteſt contra propriam confeſſionem venire.*

9 *Præſervatio jurium non prodeſt, niſi ſit juri conſentanea.*

10 *Præ-*

10 *Præſervatio jurium non eſt equiparabilis actibus ſeriò emiſſis, adeont ſi quis ſuper nullitate Teſtamenti jura ſibi præſervaſſet, talem nullitatem ob id verè admiſiſſe dicatur.*

11 *Nullitas teſtamenti à muliere acceptata abſque ſolemnitatibus, nec ipſi, nec ejus hæredibus nocere poteſt; amplia ut in* num. ſequent.

13 *Acceptatio nullitatis teſtamenti, quod de jure validum eſſet, non attenditur, & ad nullum effectum conſideratur;* & vide rationem.

14 *Teſtamentum de iure nullum, ex heredum, & intereſſe habentium approbatione non validatur.*

15 *Teſtamentum de jure validum ex erronea credulitate non fit nullum.*

16 *Statutum Spoletanum adimit facultatem teſtandi mulieribus ſine præſentia Viri, et filiorum.*

17 *Teſtamentum factum à muliere ſine præſentia Viri, & filiorum à Statuto requiſita, nullum non eſt ex hoc capite, quando favore dd. Viri, et filiorum diſpoſuiſſet.*

18 *Amplia, ſi Vir, et filii nunquam reclamaſſent.*

19 *Teſtamentum dicitur validiſſimum, ſi Deciſio Rotæ illius validitatem præſupponeret.*

20 *Amplia, ſi talis Deciſio à Partibus fuit acceptata.*

DECISIO DCCCCLVI.

SUcceſſionem in bonis hæreditariis Ludovicæ de Minicangelis ſibi debitam vigore ſubſtitutionis favore proximiorum in iſtius Teſtamento contentæ, poſt obitum Antoninæ, & Emerentianæ Teſtatricis filiarum, avocare curarunt Arronii ab illis de Leonibus, qui eadem bona occupaverant, tamquam hæredes ex Teſtamento dictæ Emerentianæ ultimo loco defunctæ; ideoque judicium inſtruxerunt ſuper immiſſione in vim *l. final. Cod. de edict. Div Adr. tollen.* coram R. P. D. meo Cerro, tunc A. C. meritiſſimo Locumtenente. Illi verò de Leonibus obtenta à Roſſana, à Bernardina quondam Franciſci, & à Franciſco Bartolino in effectu proximioribus ceſſione jurium, partis inſtantiam evitare ſtuduerunt, itaut Actores variare aliquando ſenſum coram eodem Judice coacti fuerint, proponendo ſcilicet Teſtamenti nullitatem, qua poſita ſibi uti hæredibus mediatis Antoniæ, alterius ex filiabus Ludovicæ ſucceſſionem pro medietate competere exiſtimabant. In his itaque terminis provido conſilio dictus R. P. D. meus Cerrus ſententiam tulit, in qua Arroniorum inſtantiam ſuper immiſſione vigore ſubſtitutionis propoſitam rejecit, & jura dicendi de nullitate Teſtamenti, ac ſuccedendi ab inteſtato iiſdem præſervavit.

Utentes propterea juribus reſervatis, novum iſti judicium inſtaurarunt, & ab inteſtato immiſſionem poſtularunt ad ſemiſsem hæreditarium Ludovicæ æqualiter ob ventum Antoninæ, & Emerentianæ, & favorabilem ſententiam ab eodem R. P. D. meo Cerro reportarunt, quę ob neglectam legitimo tempore appellationem, rei quoque judicatæ robur aſsumpſit. Obtenta tamen per illos de Leonibus opportuna commiſſione, eaque mihi directa, propoſui in audientia diei 2. Julii 1714. dubium -- *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* -- & quia eo tunc reſcriptum fuit -- *Dilata, et ſcribatur ſtrictè ſuper tranſmiſſione, et ratis* -- novo Dominorum examini ſub die 9. Decembris proximè præteriti cuauſam ſubieci, ſed rursùs reſcripſerunt -- *Dilata, et ſcribatur etiam ſuper validitate Teſtamenti* -- ſuper qua lato calamo Defenſores illorum de Leonibus informabant: ſed hodie tandem dubio tertia vice repropoſito, ſimpliciter, & ſine ulla diſcuſſione -- *Conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum* -- reſpon-
1 derunt: quia cum dicta ſententia ex capite iniuſtitię detecta fuerit læſiva, opus erat, ut tali remedio parti læſæ ſuccurreretur, ex vulgàtis iuribus,

Iniuſtitiam verò exindè Domini reſultare cenſuerunt, quod aſserta nullitas Teſtamenti Ludovicæ de Minicangelis, cæteroquin ab Arroniis Actoribus vindicare contendentibus medietatem ejus hæreditatis ab inteſtato, concludenti probatione demonſtranda, nullo modo ſubſiſtit, imò è contrario conſtat de validitate.

Hæc autem ex eo benè deducitur, quod
2 controverſum Teſtamentum uſque ab anno 1644. exaratum, multoties pro valido approbatum fuit, tam ab Auctoribus illorum de Arroniis, quàm ab ipſis met fratribus de Arroniis, hodie pro nullitate comparentibus. Siquidem non ſolùm Antonina filia Ludovicæ, à qua prædicti Actores mediatam cauſam habent, quouſque vixit maternum Teſtamentum ſemper ratum habuit, ac validum, ſed etiam Cyrillus Reſpiratus dictæ Antoninæ Vir, & hæres, ac immediatus pariter Auctor illorum de Arroniis, eamdem Teſtamenti validitatem facto proprio comprobavit. Cum enim deceſſiſset Antonina eius Uxor vigore reciprocæ ſubſtitutionis in Ludovicæ Teſtamento contentæ, reſtituit Emerentianæ ſuperſtiti medietatem bonorum provenientium à Teſtatrice, & poſseſsorum à dicta eius Uxore, factis dumtaxat detractionibus legitimę, & Trebellianicæ, ut conſtat ex tranſactione anni 1703., & ſucceſsivè etiam continuando actus comprobatorios ejuſdem Teſtamenti, inſtetit pro ſupplemento prędictarum detractionum, quas prætendit occaſione factæ reſtitutionis bonorum in totum non reſtituiſse. Quodque plus eſt hoc iudicium mortuo interim Cyrillo proſequutum fuit à Lentulo, & Cæſare de Arroniis, itaut, & iſti idem Teſtamentum approbaverint, præſertim ſubſcribendo Ca-
3 pitula compromiſſi initi anno 1695. Nam ſi Teſtamentum validum non fuiſset, nec potuiſset

tuiſset detrahi Trebellianica, nec peti ipſius
4 ſupplementum, dum talis detractio in premium tantummodo reſtitutionis provenientis ex eodem Teſtamento competeret, ad
tex. in l. mulier 22. §. *ultimo ff. ad Trebellian.*

Apertius verò ſimilis approbatio reſultat
5 ex Monitorio de anno 1702. ab Arroniis expedito coram R.P.D. meo Cerro, tunc in
Tribunali A.C. Juſdicente, in quo quidem
Monitorio petierunt immiſſionem ad bona
Ludovicæ, tamquam vocati in illius Teſtamento, addentes ulterius, quod cum jam
indè ab anno 1682. promotum fuiſſet ab Eme-
6 rentiana Judicium ſuper nullitate talis Teſtamenti, intermiſſum poſtea ob mortem
Gabriellis eorum Patris, illud omninò proſequi volebant, contendentes declarari præfatum Teſtamentum uti ritè ac rectè conditū
eſſe validum, & idcircò illud in actis eodem
tempore produxerunt; poſt hoc itaque factum, quis non videt quot Juris regulis repugnet, quod iidem hodie compareant ad
impugnandam ejuſdem Teſtamenti validitatem, cum cætero quin propriam confeſſio-
7 nem nemini liceat impugnare, *L. cum præcum Cod. de liberat. cauſ.*, & *cap. per tuas de probat* quodque ſemèl placuit, amplius diſplicere non debeat, *l Quod ſemel ff de regul. Juris*, & ſcriptura per productionem
8 factam in actis pro fundanda intentione
agentis, dicatur approbata, *Adden. ad Gregor. dec* 238. *num*.15., & *Rota dec*.171. *nu*.
13. *par*.18. *recent.*

Abſque eo quod propterea opponi valeat
e contrario, quod Emerentiana, à qua Jus
deſumunt illi de Leonibus nullitatem ejuſdem Teſtamenti acceptaverit, quodque ipſimet fratres de Leonibus plurièsJuſdicendi
de tali nullitate ſibi præſervaverint. Quan-
9 tum enim attinet ad hujuſmodi preſervativas,
ultra quod nullum indè jus alicui ex partibus
oriri poteſt, dum non habent vim, niſi ſubjectum præſervatum vere ſubſiſtat, factæ noſcuntur ad majorem cauthelam; ideoquè non
10 ſunt æquiparabiles actibus ſeriò emiſſis,
& opportunis temporibus ab Arroniis, eorumque Auctoribus, nulliuſque momenti reputantur, & nullo modo nocere poſſunt,
Rota deciſ.355. *num*.2. & 3. *cor. Coccino, dec*
309. *num*.13. *par* 15., & *dec*.110. *num* 14.,
ac dec.472. *num*.43. *par*.19. *recent*. Quoverò
ad acceptationem Emerentianæ, plures
concurrebant reſponſiones, & præſertim,
11 quod talis acceptatio facta fuit ſine ſolemnitatibus: unde neque ipſi, neque ipſius hæredibus potuit præjudicare, *Manſ. conſult*.57.
num.22. *tom*.10., *Conſtantin. ad Statut. Urbi annot*. 44. *num*.603. & *ſeq. tom*.2., *Rot. dec.*
373. *num*.11. *par*.17., & *deciſ*.9. *num*.27. *par.*
12 19. *rec*. Maxime quia nullus aderat Judicii
calor, nemo fuit præſens ad acceptandum, &
nemo unquam ex intervallo acceptavit, imo
è contra per tot actus fuit è contrario impugnata, *Manſ. conſult*.129. *num*.28., *Surd. deciſ*.196. *num*.12., & *ſeq.*, *Rota deciſ*.511.
num.5. *par*.1., & *dec*.270. *num*.2. *par*.2. *rec.*

Quod autem omnem apud Dominos tollebat in præſenti cauſa difficultatem, illud
erat, quod examinata intrinſecùs ſubſtantia
ſæpedicti Ludovicæ Teſtamenti, validum,
ōnibuſque numeris abſolutum repertum eſt.
13 Poſita verò illius validitate, nullatenus
erant attendendæ Partium acceptationes,
aut declarationes pro nullitate factæ, dum
in iis, quæ non à Partium voluntate, ſed à
juris cenſura dependent, confeſſiones, & declarationes contrarium importantes ejus,
quod Juris auctoritate aliter effectum eſt,
non habentur in ulla conſideratione, &
14 quemadmodum Teſtamentum de Jure nullum, non validatur hæredum approbatione
aut habentium intereſſe, *Rota dec*.194. *nu*.8.
coram Peutinger., ità è converſo Teſtamen-
15 tum validum improbari nequit, aut nullum
effici credulitate, aut confeſſione hæredum,
ſivè aliorum, qui ex cauſa inteſtata habeant
intereſſe, ut ducto argumento ex *Text. in l.
Ornamentorum ff de aur. & argent. legat.*,
notant plenè *Magdolen. de numer. Teſt. in Teſtamento cap*.8. *num*.15., & 22., *Manſ. de conſult*.129. *num*.20. & *ſeqq.*, *Rota deciſ*.98.
num 6. *par*.10. *rec.*, & *deciſ*.22. *num*.3. *p*.11.
ac deciſ.117. *num*.23. *coram Royas*.

Examinando itaque hujuſmodi validitatem,
ea patens reddebatur, ex quo Teſtamentum
Ludovicæ nullo vitio notatum erat, & exaratum depræhendebatur cum omnibus Juris
communis ſolemnitatibus, imò diſpoſitionem
continebat ſeriò ordinatam, & voluntatem
undequaque perfectam; neque nullitas de-
16 ſumi poſſe viſa eſt ex eo, quod Statutum Spoletanum teſtandi facultatem ſine præſentia
Viri, & Filiorum adimat Mulieribus, quæ
ſanè circumſtantia non concurrit in Teſtamento Ludovicæ. Quoniàm cum fuerit
17 hujuſmodi ſolemnitas inducta favore Viri
& Filiorum, atque ad obviandum fraudibus,
non poteſt ipſius defectus nullitatem inducere ejus Teſtamenti, in quo nulla fraus adſit,
& in quo tota diſpoſitio, Viri, & Filiorum favorem concernat, prout in præſenti caſu,
quo Vir fuit uſufructu in bonis filiorum honoratus ad formam *Text. in l. cum oportet C. de bonis, quę liber.*, *leg*.1. *cod. de bon. mater.*,
& in proprietate inſtituti fuerunt hæredes
Filii maſculi, juxta patrii ſtatuti diſpoſitionē,
& filiis maſculis fuerunt ſubſtitutæ fœminæ,
adeout in omni parte diſpoſitio concepta
videatur, habito reſpectu ad Virum, Filios,
Filiaſque, & cum perfecta maturitate; ma-
18 ximè etiam quia contra illud, neque Vir,
neque Filii unquàm hactenus reclamarunt,
quemadmodum latè diſcuſſo articulo, &
recedendo ab antea reſolutis reſpectu Teſtamenti ſupradictę Antoninę filię Ludovicę,
firmatum fuit in alia *Spoletana Succeſſionis*
14. *Martii* 1685. *per tot. coram bo. me. Rondinino*. In qua quidem deciſione non ſolum
ſuſtinetur pro valido, & firmo Teſtamentum Antoninæ, ſed etiam tale præſupponitur Teſtamentum Ludovicæ plenariè eo
tunc executioni demandatum, à cujus vali-

ditate arguitur ad validitatem alterius, ut in
19 §. 7. *ad majorem*: oriturque exindè aliud argumentum, quod ſi deciſiones hujus Tribunalis ſunt ſupponendæ, juxtà ſtylum, de quo plenè teſtatur eadem *Rot. dec.* 124. *nu.* 2. *coram Dunozz. Jun.*, & paſſim, non poteſt ampliùs hodie in diſcrimen revocari validitas Teſtamenti Ludovicę in dicta deciſione firmata; præcipuè quia talis deciſio repor-
20 tata fuit ab iiſdem Arroniis, eorumque Actoribus, juxta aliam regulam, de qua in *Firmana Primogenituræ* 19. *Februarii* 1712. §, *Hucuſque coram R.P.D. meo Falconerio. & in Eugubina fideicommiſſi* 19. *Januarii* 1714. §. *de fideicommiſſo coram R.P.D. meo Criſpo*.

Firmata ex huc uſque deductis Teſtamenti validitate, ſuperfluum Domini extimarunt examen aſſumere ſuper tranſmiſſione, & ratis, quod cœteroquin ſibi locum vindicaſſet, ſi ſucceſſio Ludovicæ decerni debuiſſet ab inteſtato.

Et ita in tertia Cauſæ propoſitione fuit reſolutum utraque Parte &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM.

Lunæ 4. *Maii* 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt revocatoria alterius ſub die 24. Novembris 1714.

Frater emens loca Montium in faciem Sororis Virginis in capillis, abſque ulla ſui favore reſervatione nec ſortis, nec fructuum; imò iſtos exigens uſque ad obitum, ſuę Sororis nomine, eidem dd. loca donare voluiſse pręſumitur, maxime ſi ob deceſſum communium Parentum, in illorum locum Sororis curam exercuiſset, ac ultra tàm arcta ſanguinis vincula, ageretur de Fratre pio, qui in Religionem ſe recepiſſet.

SUMMARIUM.

1 *Emptio facta à Sejo per Cajum cum pecuniis Titii poſt traditionem tranſit quidem in dominium Caii, ſed iſte poteſt compelli à Titio actione negociorum geſtorum ad pretii refuſionem.*

2 *Limita, ſi Titius animo donandi pecunias pro Cajo perſolviſſet.*

3 *Donatio tunc facta prę ſumitur de re empta pro alio, ſi ab emptore fuiſset libere tradita ei, cujus nomine emptio fuiſſet facta, antequam pecuniæ ſolverentur, & vide caſum.*

4 *Amplia, ſi Emptor in exburſatione pecuniarum nullam ſibi favorabilem cauthelam reſervaſſet. ſed liberè, & abſque ullo vinculo per medium ordinis Banco directi in faciem Sororis pretium ſolvi feciſſet;* amplia ut in n. 6., & 7.

5 *Animus repetendi excluditur, ſi ſolvens pecunias, vinculum ſui favore non curet, maxime ſi res ſit inter fratrem, & Sororem.*

6 *Amplia, ſi emptor donec vixiſset, nunquam pretii refuſionem poſtulaſſet.*

7 *Subamplia, ſi emptor fructus rei emptæ ſemper nomine Sororis exegiſset, & ſuos facere non curaſſet;* amplia ut in n. ſeq.

8 *Donatio de facili præſumitur in fratre favore Sororis, maximè ſi eſſet Homo pius.*

9 *Amplia, ſi ageretur de Fratre, qui loco Parentum Sororis curæ præeſſet, illamque dotare teneretur.*

10 *Pater præſumitur deſiderare nuptias filiarum, ſive in Domino, sivè in ſæculo, & à fortiori Frater, qui ſtatum aſſumere vellet.*

11 *Fructus locorum Montium pertinentes ad eum, qui in literis patentibus deſcriptus eſt, illi debent reſtitui, ſi ab alio exacti fuiſsent.*

12 *Creditor ſuas confundit actiones, ſi ſui debitoris hæres remaneat, & donec de hæreditate rationem non reddat.*

DECISIO DCCCCLVII.

Reſpondit Rota coram Me die 24. Novembris 1704 *non conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum* adverſus ſententiam latam in Tribunali Eminentiſsimi Vicarii favore Jacobi Carolii, & in judicatum ſubinde tranſactam per quam hæreditas Mariæ Magdalenæ condemnata fuerat ad reſtituendum pretium locorum decem Montis reſtaurati à Joanne Franciſco Fratre illius nomine emptorum: hodie autem ſu. poſitis novo examini fundamentis tunc editæ deciſionis, cum ea ex noviter deductis à Ven. Societate Sanctiſſimi Roſarii, in quam dd. loca obvenerunt titulo particularis fidecommiſſi ab eadem Magdalena ordinati, minus ſolida comperta fuerint, DD. non dubitarunt *à deciſis recedere*.

Et ſi enim vera ſit regula, cum qua proceſ-
1 ſum fuit in deciſione, quę revidetur, cum videlicet, cujus nomine cum aliena pecunia res empta fuit. fieri quidem rei emptæ Dominum poſt traditionem, ſed actione negociorum geſtorum cogi poſse ab eo, qui pecuniam numeravit, pretium, quod impendit, refundere. *l. prima, & l. multum intereſt. & l. qui alienam cod. ſi quis alteri, vel ſibi ſub alterius &c.*, ea tamen non ſemper, & indiſtinctè, ſed tunc ſolum locum habet, quando emptor ea mente fuit, ut negocium ejus ge-
2 reret, cujus nomine rem emit, ſecus vero ſi animo donandi pecuniam pro eo numeraverit, prout quandoque contingere probat *Textus in l. et ſi de tua* 9. *cod. de donat.*, & *in l. ſi filii* 16. *Cod. de donat. inter Vir., et Uxor.*

Ex pluribus autem, & quidem urgentiſſimis conjecturis DD. viſum eſt, donandi potius animo, quam Sororis negocium gerendi dd. loca Montium à Joanne Franciſco illius nomine comparata fuiſse. Si enim in hujuſ-
3 modi quæſtionibus ad effectum præſumendi donationem magno argumento eſſe ſolet apud Doctores, quod res nedum empta, ſed libere quoque tradita fuerit ei. cujus nomine empta fuit. *Additio ad Gloſs. in d. l. ſi filii*

filii verſ. judicas, *et ibi etiam Bartol.*, *An-*
gel., *et Salicet. n. 2. verſ. ſed illa modicum*
facit,idem Bartol. conſ. 178. *ex n.* 7. *vol.* 2.,
Mantich. de tacit. lib. 13. *tit.* 9. *nu* 23., *et*
tit 19. *n.* 2., potiori ſane ratione cenſeri de-
4 bet facta donario in præſenti, dum Joannes
Franciſcus nedum ſollicitus non fuit de re-
ſervatione Decreti, aut alia ejuſmodi decla-
ratione in literis patentibus pro ejus ſecuri-
tate apponenda, prout fieri moris eſt ab iis,
qui alteri pecuniam credunt ad emenda loca
Montium, ſed imò ex oppoſito mediante or-
dine directo Banco S. Spiritus pecuniam ſol-
vi mandavit ei, qui dd. loca Montium favo-
re Sororis liberè omnino, & abſque ullo pror-
ſus vinculo reſignaſset, prout etiam libere,
& abſque ullo vinculo in ejus faciem, ſequu-
ta reſignatione venditoris, transferri paſsus
fuit. Quamobrem in his rerum, factique
circumſtantiis, ne fatuus videri debeat, quod
5 intendens pretium repetere, decretum ſui fa-
vore reſervari neglexerit; ut advertit *Card.*
de Luc. de offic. vacabil. cap. 6. *n.* 9., omni-
no dicendum eſt, quod ideo dd. loca Mon-
tium libere, & abſque ullo nexu, vel condi-
tione Sorori empta eſſe voluerit, quia do-
nandi animo pretium numeraverat, *Card.*
de Luc. de regal. diſc. primo n. 3. *verſ primus*
caſus, *et diſc.* 24. *n.* 2., *et in Summ. cap. ſ.*
c. 5., *et de donat diſc.* 34. *nu.* 7., *et de Offic.*
venal. vacabil. cap 6. *n.* 15., *et de locis Mon-*
tium non vacab. cap. 2. *n.* 21.

Quod etiam bene ſuadet alia ſubſequens
6 facti circumſtantia, nam ipſe Joannes Fran-
ciſcus annis quindecim, quos vixit poſt hu-
juſmodi emptionem, nunquam expoſtulavit,
quod utique adeo diuturnum ſilentium, cum
de ſumma non tenui ageretur, in ſimplici ne-
gociorum geſtore exemplo eſſet mirabili, &
7 actenus inaudito; verum prætere a fruc-
tus, ſive redditus annuos eorumdem loco-
rum ſemper nomine d. Sororis, & cum ejuſ-
dem ordinibus exegit. Quamvis autem ejuſ-
modi actio non alio nomine fieri poſſet, quam
ejus, in cujus faciem cum aſſenſu Principis
loca translata fuerant, quemadmodum reſ-
pondit prçcedens deciſio §. *Minime refra-*
gante. Hoc tamen non obſtante, validam
exinde educi donationis conjecturam probat
ad literam optimus *text. in lege final. ff. de*
donat., ubi definitur perfectam donationem
eſſe, eo quia Avia mutuam pecuniam dede-
rat nomine Labeonis Nepotis, ejuſque pari-
ter nomine uſuras ſemper perceperat, pro-
batque ulterius ea validiſſima ratio, quod
nimirum ſecluſa donatione percipi nequiret,
quod dator pecuniç, eam tanto tempore ſibi
otioſam, atque alteri in fructu eſſe ſciens, &
prudens æquo animo pati potuerit, *ad text.*
in l. cum de indebito ff. de probat., *Rota dec.*
142. *n.* 10., *et dec.* 185. *n.* 18. *p.* 19. *rec.*

Neque vero in facto ſubſiſtit ſuppoſitum
8 d. prçcedentis deciſionis, quod agatur de
prçſumenda donatione inter perſonas peni-
tus extraneas. Emptio enim facta fuit à fra-
tre nomine germanæ Sororis; & quidem
Fratre jam Religioſo, notçque erga ſuos li-
beralitatis, ut conſtat ex pluribus pecunia-
rum ſummis pro dote neptum erogatis, & qui
inſuper memoratæ Magdalenç, utpote adhuc
Virgini in capillis, ſublatis jam tunc de me-
dio communibus parentibus, loco Parentum
erat, ut proinde inter perſonas adeo ſtricto
ſanguinis, & amoris nexu coniunctas, facilius
donatio ſit præſumenda, *Mantic. de tacit.*
lib. primo tit. 10. *n.* 8. *tit.* 19. *n.* 1., *et nu.* 7.,
Rota dec. 682. *n.* 20., *et ſeqq. cor. Merlin.*,
et dec. 305. *n.* 5. *p.* 2. *rec.*

Præſertim quia ultra ſanguinis, & amoris
9 impulſum, alia quoque juſtiſſima in eo vigebat
donandi cauſa, cum enim ex tribus Sorori-
bus altera jam nupta fuiſset cum dote ſcuto-
rum 1050, aliç vero duæ, videlicet memo-
rata Magdalena, & Joanna Victoria poſt obi-
tum Parentum inuptæ remanſiſſent, utique
ipſç eas dotare tenebatur, vel ut ab hæredi-
tate Parentum illas excluderet, juxta diſpoſi-
tionem *Statut. Urb. cap.* 145. *de ſucceſs. ab*
inteſt. lib. 1., vel ut munere, & officio op-
timi Fratris fungeretur juxta notata per DD.
& ſignanter *Cujac. in l. cum plures* 12. §. *Cum*
Tutor ff. de adminiſtr., *et pericul. Tutor.*
Cum igitur ipſe loca 12. Montis reſtaurati
nomine Magdalenç emerit, & totidem alia
S. Bonaventuræ nomine Joannç Victoriæ pa-
lam, & in aperto eſt, eam fuiſse ejus men-
tem, ut dd. loca Montium unicuique earum
pro congrua dote eſſent, atque ita facilior
fieret nuptiarum occaſio, ac ipſe quam ci-
10 tius ab earum cura, & cuſtodia exſolvere-
tur, quæ ſi cuilibet Patri familias gravis, &
ſollicitudinis plena eſſe ſolet, longe profec-
to gravior eſſe debebat Viro Religioſo, quem
in Congregatione S. Philippi Nerii jampri-
dem receptum, credere fas eſt, nil aliud ma-
gis cordi habuiſse, quam procul à Seculari-
bus curis, juxta Sanctiſſimum illius Inſtitu-
tum, Divinis tantummodo operá dare, ad ea,
quç in propoſito tradit *Adden. ad dec.* 523.
n. 130. *p.* 4. *tom.* 3 *rec.*

Quamquam vero ex actenus deductis pro
comperto habitum fuerit, donandi animo dd.
loca Montium à Joanne Franciſco Sororis no-
mine empta fuiſse, ac propterea locum non
eſſe actioni à Jacobo promotæ pro reſtitutio-
ne pretii, Nihilominus ſecluſa donatione,
& quatenus etiam prætium à Magdalena re-
ſtituendum fuiſset, ex alio quoque capite Do-
mini cenſuerunt momoratum Jacobum hodie
11 repelli poſse, quia nimirum in eam cauſam
primo loco imputandi eſſent fructus eorum-
dem locorum Montium ab ipſo Joanne Fran-
ciſco, dum vixit in ſumma ſcut. 712. nomine
Sororis exacti, dum iſti ſine dubio ad ipſam
Sororem pertinebant, in cujus faciem loca
translata fuerant, *l. qui aliena ubi Cujac.*, *et*
Gotbofred. in tot. litt. D., *et tot tit. Cod.*
ſi quis alteri, *vel ſibi*, *Manſ. conſ.* 719. *n.* 5.,
Rota dec. 628. *n.* 5. *cor. Coccin.*, *et dec.* 637.
n. 15., *et dec.* 937. *n.* 5. *cor. Dunoz.*, *et dec.*
103. *n.* 5., *et* 8. *cor. Merlin.*, *et dec.* 391. *nu-*
mero 23. *p.* 17. *rec.*

Pro reſiduo vero d. pretii, cum Iacobus
12 ex una parte ſit hæres Joannis Franciſci, & ex alia ſit hæres mediatus ipſius Magdalenæ, non reddita ratione hæreditatis iſtius, non poteſt convenire Societatem, in quam titulo particularis fideicommiſsi dd. loca Montium obvenerunt, cum actionem omnem eo titulo ſibi competentem cum qualitate hæreditaria debitoris confuderit, *l. si ei cui vendidit ff. de evict.*, *l quæ dotis ff. ſolut. matrim.*, *cum concordantibus*.

Et ita altera &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE GHISLERIIS.

Lunæ 11. Maii 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 11. Decembris 1713.

Laudum: quod ad certa deſignata bona fideicommiſſum reſtrinxiſſet, & ab Auctoribus fuiſſet acceptatum, operatur, ut hæredes contra illud venire nequeant; nec illud allegare poſſunt ſuper bonis, quę per ſubrogationem aliorum corporum liberorum à tali nexu ſoluta remanſiſſent, licèt probaretur, quod illa fideicommittens poſſediſſet.

Centenaria meliorem titulum de Mundo tribuit.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio, neceſſariis verificatis extremis, ſemper eſt concedenda; & quæ ſint iſta?*

2 *Identitas bonorum probatur ex hoc, quod teſtator de illis antiquitùs diſpoſuiſſet inter ſuos deſcendentes.*

3 *Amplia, ſi iſti eadem inter ſeſe diviſiſſent.*

4 *Subamplia, ſi ultimus hæres gravatus ex titulo dicti fideicommiſſi poſſeſſionem cepiſſet.*

5 *Exceptiones dubiæ, & turbidæ immiſſionem claram non retardant.*

6 *Petitio de re poſſeſſa à Poſtulante, rejicitur, ex regula juris* -- Fruſtra petis quod intùs habes.

7 *Concordia rarò datur inter Fratres.*

8 *Hęres gravatus ſi approbaſſet Laudum reſtrictivum fideicommiſſi ad certam limitatam ſummam; ſiquè talem reſtrictionem ejus Auctor approbaſſet, fideicommiſſum allegare prohibetur ſuper bonis, quæ libera ob tale Laudum remanſiſſent, licèt probaretur, quod à fideicommittente fuiſſent poſſeſſa.*

9 *Poſſeſſor bonorum virtute deſignati fideicommiſſi, non poteſt illud ſuper aliis bonis diſtinctis allegare.*

10 *Hæres fideicommiſſarius fideicommiſſum allegare nequit ſuper bonis in Tertios diſtractis, licèt à ſuo Auctore provenirent, quando in illorum locum fuiſſent per ſuum Auctorem alia bona ſubrogata, quæ ſub hoc titulo ipſe hęres poſſideret.*

11 *Bona fideicommiſſaria fiunt libera, ſi in illorum locum alia ſubrogentur, cum in iſta fideicommiſſi vincula transferantur.*

12 *Subrogatio etſi facta eſſet ab uno ex quatuor Fratribus, dicitur facta in locum totius fideicommiſſi, & non pro quarta parte tantùm, maximè ſi rei ſubrogatæ valor fideicommiſſum coæquaret*; & n. 17.; amplia, ut in num. ſeq.

13 *Centenaria tribuit omnem titulum validum, & adimit facultatem inquirendi de meritis rei geſtæ.*

14 *Subrogatio bonorum liberorum in fideicommiſſariis cadit ſub illis in ſubrogatione expreſſis, & non ſuper aliis.*

15 *Amplia, ſi in literis Apoſtolicis fuiſſet expreſſum, quod vendi volebat prędium ſubjectum fideicommiſſo talis deſignatæ perſonę.*

16 *Subamplia, ſi ex publicis inſtrumentis tranſactionum ſimilis erueretur expreſſio, & bona ſubrogata æquivalerent fideicommiſſariis.*

18 *Deciſio impugnari nequit ab illo, qui eam reportaſſet.*

19 *Factum proprium, & proprii Auctoris nemo impugnare valet.*

DECISIO DCCCCLVIII.

Dandam eſſe immiſſionem Marchioni Franciotto, aliiſque Fratribus de Tanara ad portionem Macelli, una cum jure exigendi datium, vulgò nuncupatum *del Retaglio*, vigore fideicommiſſi Capitanei Caroli de Ghiſleriis eorum favore purificati, & per rem judicatam canonizati, reſponſum fuerat, uſque ſub die 11. Decembris 1713. coram Me. Admiſſo autem ſubindè Marchione Antonio de Ghiſleriis poſſeſſore reo convento ad novam ex Dominorum benignitate audientiam, adeò intricatę per eum adductæ fuerunt exceptiones, ut cauſa ter repropoſita, nulla unquam capta fuerit reſolutio, edito in poſtrema propoſitione reſcripto, quod iterum proponeretur *videntibus omnibus Dominis*; ſed adhuc novæ diſcuſſioni ſubjectis rationibus hinc inde lato calamo deductis, ne quidem potuerunt Domini convenire, itaut præviſo obſtaculo cujuſdam ſententiæ editæ in Partibus, uſque de anno 1678. favore Senatoris Ghiſlerii, & in judicatum tranſactæ, reſcripſerint ſub die 28. Januarii elapſi anni, quod impetraretur commiſſio reſtitutionis in integrum à dicta ſententia, & una ſimul, quod concordaretur factum coram Me, ad effectum obtruncandi controverſias, quæ circa aliquas peculiares circumſtantias inter Partes emerſerant.

His demùm omnibus adimpletis, redierunt ad trutinam prędictæ meæ deciſionis fundamenta una cum dubio contemporaneè propoſito ſuper dicta re judicata, de quo in alia deciſione, & maturo rursùs examine ponderata firmiter ſubſiſtere comperta ſunt, non obſtantibus repetitis exceptionibus, ideòque prodiit in hodierna audientia reſponſum: *Standum eſſe in deciſis.*

1 Poſito

1 Poſito ſiquidem, quod Actores perſpicuè doceant de extremis omnibus in hoc judicio neceſſariis, ſcilicet de exiſtentia fideicommiſſi, ejuſque purificatione reſultante ex re judicata, prævia ſolemni renunciatione litis confirmata, ac de rei petitæ identitate legitimis documentis comprobata, optimo jure illorum favore decreta fuit immiſſio, ex plenè deductis, *dec.386. n.1.p.13.rec., in Peruſina fideicommiſſi 18. Junii 1714. §. Concurrebant cor. Emo D. meo Card. Scotto, & in Faventina fideicommiſſi ſuper domo 26. Junii 1715. §. Enim cor. Me, & paſſim.*

Præ cæteris verò, quæ ad probandam identitatem concurrebant, argumentis illa viſa
2 ſunt Dominis graviora, quod Cap. Carolus in ſuo ultimo elogio de portione controverſi Macelli particulariter diſpoſuit, tribuendo ſuis hæredibus ſuper ea conſequenda optionem, quodque in diviſionibus factis tam à primo loco, quàm à ſecundo loco ſubſtitutis inter bona ejuſdem fideicommittentis, portio prædicta fuit connumerata, quæ porrò facti demonſtrationes ſuperlativè probant identitatem, ut de diſpoſitione rei facta à Teſtatore, inquit *Rota in Maceraten. fideicommiſſi 4. Maii 1711. §. 2. cor. R. P. D. meo Aldrovando, & in Lucana fideicommiſſi ſuper exequutione 12. Junii ejuſdem anni §. Quod au-*
3 *tem cor. R.P.D. meo Criſpo*, & de diviſionibus inter ſubſtitutos, firmat pariter *Rota dec. 60. p.1. poſt Merlin. de pignor., dec.103. nu.16. ad ornat. Card. de Luc. de fideicom., & in citata Lucana fideicommiſſi ſuper exequutione §. Ad evitanda coram R.P.D. meo Criſpo*,
4 juncta præſertim poſſeſſione capta per ultimum hæredem gravatum titulo ejuſdem fideicommiſſi, quam etiam pro identitate probanda plurimum ponderat *Rota dec.264. nu. 14. cor Emerix jun., & cum aliis in Urbevetana fideicommiſſi 2. Martii 1711. §. Reſpectivè cor. Rmo D. Kaunitz Epiſcopo Labacen.*

Poſita ex his adeò clara Marchionis Franciotti actione, fruſtra opponebat Marchio Antonius poſſeſſor retentionem ſub eo titulo, quod controverſa portio Macelli non jam ad fideicommiſſum Capitanei Caroli pertineret, ſed eſſet potiùs ſubjecta antiquioribus diſpoſitionibus, vel Virgilii ſenioris, qui primogenituram ordinavit, vel Franciſci pariter ſenioris, qui aliud condidit fideicommiſſum, quas quidem diſpoſitiones ſui ipſius favore Marchio Antonius allegabat. Neutra tamen ex eis meruit à Dominis approbari.

Preter enim regulam, quod ſumus in ju-
5 dicio immiſſionis, in quo contra claram & limpidam actionem, (qualis profectò concurrit ex ſupra conſtabilitis in præſenti caſu) exceptiones dubiæ, & altiorem indaginem requirentes non attenduntur, ad tradit. *dec. 118. n.9.p.16., & dec.489. num.4.p.18.rec., cum aliis in citat. Urbevetana fideicommiſſorum 2. Martii 1711. §. Clariùs coram Rmo Kaunitz, & in Romana immiſſionis 15. Aprilis 1712. §. Non attento in fine coram Me.* Ex-
6 cludi penitùs viſa eſt aſſerta retentio ex eo, quod idem Marchio Antonius integraliter actu poſſideat quidquid ſub prædictis diſpoſitionibus comprehendi poteſt, itaut militet contra ipſum regula illa juris *fruſtra petis, quod intùs habes.*

Hoc autem fundamentum plenè convinci viſum eſt. Franciſcus enim ſenior in Teſtamento per ipſum condito anno 1493 univerſalem ſibi ſcripſit hæredem Virgilium filium, ejuſque filios, & deſcendentes maſculos in infinitum ſubſtituit, arctiſſimum particulare fideicommiſſum ordinando ſuper Palatio per ipſum magnificè conſtructo; Virgilius ſubindè prædictus ejus filius anno 1521. Primogenituram conſtituit favore Bonapartis, & Franciſci ejus filiorum, tributa ipſis facultate diſponendi de tertia parte bonorum immobilium tantùm, & anno 1522. Macellum controverſum proprio ære acquiſivit, & poſtmodùm deceſſit.

Succeſſerunt Virgilio Bonapars, & Fran-
7 ciſcus prædicti, & quoniam rara eſt concordia Fratrum, immediatè anno 1524. ad diviſionem omnium bonorum, quæ inter ipſos erant communia deventum eſt. Mortuo deindè Bonaparte plurimi creditores inſurrexerunt contra Virgilium juniorem, cæteroſque ejus filios, qui ſtatim allegando titulos avitarum diſpoſitionum, bona libera à fideicommiſſariis ſeparari inſteterunt, compromiſſaque controverſia in Laurentium à Pinu, & Galeatium Maluaſiam Juriſconſultos, ab his anno 1542. laudum prodiit, in quo firmarunt primogenituram Virgilii ſenioris eſſe valoris librarum 27125., & fideicommiſſum Franciſci ſenioris eſſe librarum 13000., ut in facto coram Me concordato §. 5.

In executionem hujus laudi ſubſequenti anno 1543. præfati Fratres, Virgilius nempè, Aloyſius, Franciſcus Maria, & Capitaneus Carolus ad diviſionem devenerunt, in qua Virgilio, uti primogenito in cauſam primogenituræ Virgilii ſenioris aſſignata fuerunt bona in contrada Altedi, in cauſam verò quartæ partis fideicommiſſi Franciſci ſenioris, & ſic pro libr.3250. tradita eidem fuit medietas Palatii, quod idem Franciſcus extruxerat, ſubjeceratque particulari fideicommiſſo. Pro reliquis verò tribus Fratribus remanſit medietas, ſeu portio Macelli, de quo nunc agitur, facto concordato §. 7.

Impetrata poſt hæc, anno nempè 1551., alienandi facultate à Summo Pontifice, Virgilius diſtraxit prædictum Palatium, quia verò in Brevi Apoſtolico ipſi injungebatur reintegratio fideicommiſſi, ideò anno 1553. emit bona quædam in contrada S. Auguſtini valoris librarum 13104., eademque expreſsè ſubrogavit in locum Palatii venditi, & fideicommiſſi à Franciſco ſeniore conſtituti. Non tamen hìc ſe continuit Virgilius, ſed anno 1557. vendidit bona ſupradicta Altedi Fratribus de Calvis, prout etiam ſucceſſivè vendita fuerunt bona S. Auguſtini illis de Davia.

Hinc

Hinc factum eſt, quod purificato fideicommiſſo, & primogenitura reſpectivè per obitum Lucretii favorẽ bon. mem. Franciſci Mariæ Ghislerii Epiſcopi Imolen., judicium immiſſionis de anno 1670. iſte introduxit contra dictorum bonorum poſſeſſores, eoque interim defuncto, inſtantiam proſequutus fuit Senator Franciſcus Auctor Marchionis Antonii rei conventi, obtentiſque pluribus ſententiis, re judicata Rotali confirmatis, pro immiſſione, tam ad bona Altedi, tamquam obnoxia primogenituræ Virgilii ſenioris, quàm ad illa S. Auguſtini, tamquam ſubjecta fideicommiſſo Franciſci ſenioris, tandem concordiam cum prædictis poſſeſſoribus iniit in eaque ſtipulata anno 1674. cum illis de Davia, dimiſſa fuerunt Senatori Franciſco bona S. Auguſtini, tamquam obnoxia fideicommiſſo Franciſci ſenioris in eadem prorsùs menſura & quantitate, juxta quam fuerant anno 1553. ſubrogata Palatio, ut ſupra vendito *Summ.* Marchionis Tanaræ diſtribut. 18. Junii 1714. *num. unico.* In alia verò tranſactione, quæ cum illis de Calvis anno 1683. fuit exarata, dimiſerunt iſti omnia illa bona Altedi, quæ Virgilio juniori obvenerant in diviſione ratione primogenituræ conditę à Virgilio ſeniore valoris librarum 27125., ut in *Summ.* per actores dato 11. Decembris 1613. *n.*3., *& in Facto concordato* §.12. Vigore harum tranſactionum poſſedit uſque ad obitum Marchio Franciſcus eademmet bona tum S. Auguſtini, tum Altedi, prout etiam hodie poſſidet Marchio Antonius ejus hæres, *eod. facto concordato* §.13.

Hac facti ſerie poſita, quocumque ſe vertat Marchio Antonius, ab allegata prætenſione
8 erit excluſus. Quantum enim attinet ad primogenituram, & ſi Macellum fuerit à Virgilio ſeniore illius conditore acquiſitum, adhuc non ſuffragari DD. viſa eſt, quia ſi à Judicibus compromiſſariis in præfato laudo reſtricta fuit, & limitata ad libras dumtaxat 27125., iſta reſtrictio toties fuit à Virgilio juniore, & ab Auctore ejuſdem Marchionis approbata, conſequens fit, quod alia bona ab hoc onere ſint immunia, & potuerit, quomodocumque in Cap. Carolum poſterioris fideicommiſſi conditorem tranſlata, ejus diſpoſitioni ſubjici, ut benè fuit dictum in *dec.* 545. *n.*4 *p.*18. *rec.*, *& in dec.*66. *nu.*13. *coram*
9 *Ubag.*, itaut cum hodie per eumdem Marchionem Antonium bona poſſideantur Altedi expreſsè pro dicta primogenitura aſſignata, & recognita, integraliter de illa ſit ſatisfactus, nec quidquam allud ex hoc titulo petere illi licitum ſit, quemadmodum relatis concordantibus, arguit deciſio, quæ revidetur §. *Quamobrem.*

10 Quo verò ad fideicommiſſum Franciſci, obſtat eadem exceptio, quod ſi Judices Compromiſſarii aſſem hæreditarium illius liquidarunt in libris dumtaxat 13000., ſi pro eadem ſumma loco Palatii dicto fideicommiſſo ſubjecti expreſſim ſubrogata fuerunt bona S. Auguſtini, ſi hæc bona alienata in illos de Davia, recuperata poſtmodum fuerunt à Senatore Franciſco Auctore Marchionis Antonii, ſi denique ab iſto pacificè hodie retinentur, jam indè patet, quod quidquid vigore iſtius fideicommiſſi ille ſibi poſſet arrogare, jam ſatis conſequutus eſt in bonis S. Auguſti-
11 ni, quodque proinde Macellum cum jure, de quo agitur, quamvis ab initio eſſet fideicommiſſarium, poſtea tamen liberum evaſerit, ſtatim ac facta fuit ſubrogatio bonorum S. Auguſtini pro tota importantia fideicommiſſi, itaut illius prætenſionem non liceat ex hoc titulo ampliùs allegare, *Rota in Bononien. fideicommiſſi Annibalis de Urſis* 13. *Maii* 1709. §. *Quoniam hoc coram R.P.D. meo Aldrovando*, *& in Urbevetana fideicommiſſorum* 2. *Martii* 1711. §. *Inſpectivè coram Reverendiſſimo Domino meo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*

12 Neque obſtat, quod ſubrogatio prædicta dici debeat facta à Virgilio pro ſola quarta parte fideicommiſſi Franciſci ſenioris, quæ ipſi obvenerat, non autem pro aliis quoque tribus partibus, quæ obtigerant aliis fratribus. Ceſſat namque objectum ex facto, dum clara eſt litera inſtrumenti, in quo Virgilius ſubrogans bona S. Auguſtini loco Palatii ab ipſo diſtracti, expreſſis, diſſertiſque verbis profeſſus fuit ſe ſubrogare prædicta bona pro quantitate lib. 13000., quanti æſtimatum, liquidatumque fuerat fideicommiſſum Franciſci ſenioris, habita etiam relatione ad laudum, & ad ſubſequutam diviſionem, ut benè obſervavit *Rota dec.*435. *n.*3. *&* 11. *p.*19. *rec.*,
13 & ſtante hac literali expreſſione, non eſt inquirendum poſt lapſum duorum ferè ſeculorum, quibus eadem ſubrogatio firmiter ſervata fuit, cur Virgilius ita ſe geſſerit, poteſt enim exindè præſumi, quod intervenerit quilibet poſſibilis titulus, cujus vigore dictus Virgilius potuerit, ac debuerit talem facere ſubrogationem pro integra quantitate fideicommiſſi, ut benè reſpondit *Rota in Faventina fideicommiſſi* 13. *Februarii* 1705. §. *Neque obſiſtit coram eodem Reverendiſſimo Labacen., confirmat.* 16. *Januarii* 1708. §. *Etenim coram bo. me. Omauna*, *& in Peruſina Pecuniaria* 16. *Martii* 1714. §. *Minùs refragante coram R.P.D. meo Falconerio*, & rejiciendo hanc ipſam exceptionem aliàs allegatam ab illis de Davia contra Auctorem Marchionis Antonii agentem ad recuperationem horummet bonorum, ita reſpondit *Rota dec.*8. *num.*3., *& dec.*135 *p.*18., & pleniùs *dec.*435. *n.*23. *&* 24 *p.*19. *rec.*

14 Minuſque dici poteſt, quod hæc ipſa ſubrogatio facta dici debeat promiſcuè, atque indiſtinctè, tam pro primogenitura Virgilii ſenioris, quàm pro fideicommiſſo Franciſci. Recurrit namque reſponſio, quod in inſtrumento emptionis bonorum S. Auguſtini, Virgilius junior declaravit illa velle ſubjicere fideicommiſſo Franciſci loco domus alienatæ., ut etiam *Rota dicta dec.*435. *nu.*3. *&* 11. *p.* 19.
15 *rec.* Idque ipſum confirmatur ex pluribus facti circumſtantiis; in literis enim Apoſtolicis

ſan. me.

ſa. me. Julii Tertii ad inſtantiam ipſius Virgilii junioris expeditis narratur Palatium, quod vendi volebat obnoxium eſſe fideicommiſſo Franciſci ſenioris, & in eiſdem literis injuncta fuit ejuſdem fideicommiſſi reintegratio, ut ſupra dictum eſt §. *Impetrata*, & advertit pariter *Rot. dec.*8.*n.*7.,*dec.*135.*nu.*1.
16 *p.*18., & *dec.*435.*n.*1.,& 26.*p.*19.*rec.* Rursùs in inſtrumento tranſactionis initæ cum illis de Calvis anno 1683. exponitur, quod Senator Franciſcus recuperaverat bona S. Auguſtini, tamquam ſubjecta fideicommiſſo Franciſci ſenioris, ut *in Summario pro Marchione Tanara diſtributo* 12. *Junii* 1713. *num.*3. *lit. C.*, ac demùm clariùs id conſtat ex alio inſtrumento tranſactionis celebrato cum illis de Davia anno 1674., in quo exponitur, quod Virgilius junior vendiderat Palatium ſuppoſitum fideicommiſſo Franciſci ſenioris, & quia vigore Brevis Apoſtolici reintegrare tenebatur dictum fideicommiſſum, idcircò anno 1553. parendo legi Pontificiæ, ſubrogaverat bona S.Auguſtini valoris lib.13104 loco Palatii venditi, & fideicommiſſi Franciſci liquidati per antiquum laudum in lib.13000. ut in *Summario eorumdem actorum dato* 18. *Junii* 1714.*num.unico.*

Patet itaque ex his, quod dicta ſubrogatio bonorum S. Auguſtini facta fuit pro fideicommiſſo Franciſci, non autem pro primogenitura Virgilii, pro qua fuerunt ſubrogata bona Altedi valoris libr. 27125., ut in
17 *dec.*545.*in principio*, & *n.*1.*p.*18 *rec.*, & de facto bona prædicta tempore factæ ſubrogationis erant valoris correſpondentis eidem quantitati, ut pariter ait *Rota in d.dec.* 545. *num.*8.*p.*18., itaut penitùs excludatur, quod ſubrogatio bonorum valoris lib. 13104. tam pro fideicommiſſo, quàm pro primogenitura
18 facta fuerit, & prędicta deciſio, cum fuerit obtenta ad inſtantiam Senatoris Franciſci Auctoris rei conventi, nequit ab iſto hodie impugnari, reſiſtente regula, de qua plenè *Rota dec.*299.*n.*8.*p.*11.,*dec.*626.*num.*22.*p.*18.*rec. to.*2.,& *paſſim alibi.*

19 Prout neque licitum illi eſt cæteros actus prædictarum tranſactionum, laudi, & ſubrogationum refricare, cum omnes, vel fuerint jam approbati, vel emanaverint ab eodem Senatore Franciſco ejus Auctore, ex rationibus plenè deductis *in deciſione*, quæ revidetur §. *In idem*, & *ſeq.*, ad quam Domini relativè ſe habuerunt.

Et ita in quinta cauſæ propoſitione omnibus Dominis ſuffragantibus, ac Partibus plenè informantibus reſolutum &c.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI DE GHISLERIIS SUPER RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Lunæ 11. *Maii* 1716.

ARGUMENTUM.

Virtus ſubrogationis eſt, quod ſi bona libera æqualis valoris, cujus ſunt fideicommiſſaria, in iſtorum locum, & cum eiſdem vinculis ſubrogentur, eadem bona fideicommiſſaria libera fiunt.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum, conſtito de ſententiæ injuſtitia ſemper conceditur.*

2 *Hæres gravatus ſi in locum bonorum fideicommiſſariorum ad ſe ſpectantium accipiat tot bona libera, non poteſt fideicommiſſum allegare ſuper aliis bonis, licet à ſuo Auctore poſſeſſis.*

3 *Amplia, ſi citato eodem ejus Auctore, emanaſſet ſententia ſuper jure poſſidendi ea bona, in quorum locum alia fuiſſent ſubrogata, quæ in rem judicatam tranſiiſſet.*

4 *Hæres rem judicatam paſſam à proprio Auctore non poteſt impugnare*, & vide caſum.

5 *Sententia non ligat non Citatos*, & *uti res inter alios acta non attenditur.*

DECISIO DCCCCLIX.

IMmiſſionem conceſſam in Deciſione coram Me edita die 11. Decembris 1713. Marchioni Franciotto, aliiſque Fratribus de Tanara ad portionem Macelli, una cum Jure exigendi datium *del Retaglio*, tamquam obnoxiam fideicommiſſo condito à Cap.Carolo de Ghisleriis purificato, & per plures ſententias canonizato eorum favore, evitare ſategit Marchio Antonius de Ghisleriis allegando retentionem ſibi competentem vigore aliarum præcedentium diſpoſitionum præſeferentium Primogenituram à Virgilio Seniore inſtitutam, & fideicommiſſum à Franciſco pariter Seniore ordinatum, ſub quibus petitam Macelli portionem fuiſſe compræhenſam aſſerebat; obtentaque adverſus prædictam Deciſionem nova Audientia in ſucceſſivis Cauſæ propoſitionibus, plura in aſſumpti comprobationem deduxit, & præcæteris ſententiam latam in partibus de anno 1678. favore Senatoris Franciſci ejus Auctoris, in qua iſti conceſſa fuerat immiſſio, ad controverſam portionem Macelli cum prędicto Jure Datii vigore Primogenituræ ordinatæ à Virgilio Seniore.

Quoniam verò ex Juribus per Actores adductis allegatam retentionem nullatenus habere locum Domini prænoſcebant, ſed è contra obicem faciebat dicta ſententia in Judicatum tranſacta, reſcripſerunt in propoſitione Cauſæ diei 28. Januarii elapſi anni, quod impetraretur Commiſſio reſtitutionis in integrum. Ea itaque obtenta, propoſui in hodierna Audientia duo Dubia, Alterum -- *An ſit ſtandum, vel recedendum à Deciſis*, & alterum, *An conſtet de re Judicata, ſeù potiùs de cauſis reſtitutionis in integrum*, & quemadmodum Domini non dubitarunt primo reſpondere pro perſiſtentia in deciſis, ut in contemporanea deciſione, ita quoque reſcripſerunt ſecundo *conſtare de Cauſis reſtitutionis in integrum*.

1 Reſolutionis fundamentum ex Injuſtitia dictæ

dictæ ſententiæ deſumptum fuit, qua concurrente, reſtitutio in integrum denegari non debet, *ad Text. in cap. primo de reſtit. in integr. cap. Ex litteris, & l. 4. §. Condemnatum ff. de re judic. cum aliis vulgat.*

Iniuſtitia verò evidenter promanare exinde viſa eſt, quod fuit conceſſa Immiſſio Marchioni Franciſco ad controverſam Macelli portionem, uti cadentem ſub primogenitura Virgilii Senioris, quando tamen, ut plenè conſtat ex dicta mea contemporanea Deciſione Primogenitura prædicta ab Arbitris,
2 antiquo jam tempore fuerant in libris 27125. dumtaxat liquidata, & pro ea fuerant Virgilio Juniori aſſignata Bona Alfedi correſpondentia eidem quantitati, ex quo ſanè facto, neceſſario dicendum erat, quod alia Bona à tali onere eſſent immunia, & quamvis ab eodem Primogenituræ conditore acquiſita, ſub illius tantum nexu, & vinculo minimè caderent, *Peregrin. de fideicommiſſ. art. 7. n. 32., Rota dec. 340. num. 4., & 5. par. 19. rec., & in Romana Immiſſionis 15. Aprilis 1712. §. Non attento cor. Me.*

Eoque libentius in hunc ſenſum Domini devenerunt, ex quo prædicta ſententia pro-
3 diit citato Marchione Nicolao Tanara, uti Patre, & legitimo adminiſtratore Marchionis Cæſaris aliorumque ejus, & dictæ Marchioniſſæ Lucretiæ Ghiſleriæ filiorum, qui Macellum minimè poſſidebat, & fuit lata tempore, quo nondum iſti noverant exiſtentiam, & purificationem fideicommiſſi conditi à Capitaneo Carolo ipſorum favore, undè ſequuta deindè per rem Judicatam Canonizatione eorum Juris, & vocationis ad tale fideicommiſſum, non poteſt Marchio
4 Franciottus ſucceſſivè vocatus præpediri, quin Macelli medietatem ex dicto titulo conſequatur, immutato rerum ſtatu ratione dictæ ſententiæ, quæ diverſo tempore ac diverſo caſu emanavit, ex adductis in *Romana Immiſſionis 2. Decembris 1699. §. Verùm cor. R. P. D meo Anſaldo, & in Cæſenaten. Legitimæ ſuper Bonis Emphytheuticis 20. Aprilis 1703 §. Nec demum cor. bo. me. Pio.*

Hæ met rationes locum habent etiam reſpectu alterius ſententiæ per eumdem Franciſcum paulò poſt reportatæ contra Epiſcopum Zanum cum pari Immiſſione ad Macellum productis titulis, tàm fideicommiſſi Franciſci Senioris, quàm prædictæ Primogenituræ Virgilii, à qua quidem ſententia eodem tempore ad majorem cauthelam fuit etiam obtenta ſimilis commiſſio reſtitutionis in integrum, quià Primogenitura, ut dictum jam eſt conſiſtebat in Bonis Alfedi, fideicommiſſum verò Franciſci conſiſtebat in Bonis Sancti Auguſtini in illius locum per Virgilium Juniorem expreſsè ſubrogatis, ut in contemporanea Deciſione §. *Quo vero, & ſeqq.*

5 Multoque minùs vim facere poterat iſta ſententia, quia lata contra d. Epiſcopum, Marchionibus de Tanara non citatis; undè utpotè res inter alios acta, iſtis nocere non poterat; *Rota dec. 550. num. 1. & 4. coram Bich., & in Romana Expurgationis Fovei 18. Martii 1715. §. Atque his poſitis coram Me, & paſſim alibi.*

Et ità ſaffragantibus omnibus Dominis, & partibus &c.

ROMANA DOTIS.

Veneris 15. Maii 1716.

ARGUMENTUM.

Eſt in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Rota in expeditione cauſæ, ſi plures ſint inter Partes quæſtiones, nè ullum ei irrogetur præjudicium, punctum, ſuper quo cadit expeditio, ſolet individuare.*

DECISIO DCCCCLX.

INſtantibus Petro Franciſco, aliiſque Fratribus de Inghiramis pro expeditione cauſæ inter ipſos ex una, & Cæſarem Amadeum ex alia vertentem coram Me juxta deciſionem editam 2. Maii proximè præteriti ſuper ſolutione reſidui Dotis ſcut. 2000. promiſſi à Catarina Nunez Mariæ Felici ipſorum Matri, eam concedendam Domini cenſuerunt, extenſa hac brevi deciſione, in qua nè præjudi-
1 cium ullum alicui ex partibus irrogatum ſit reſpectu aliarum litium inter ipſas vertentium, declarari voluerunt, quod non intendunt approbare liberalitatem, ſeu donationem prædictæ Catharinæ, de qua in dicta deciſione ad effectum collationis in legitimam, ſed id reſervarunt cognoſcendum in ſuo particulari judicio adhuc pendente.

Et ità &c.

FIRMANA IMMISSIONIS.

Veneris 15. Maij 1716.

ARGUMENTUM.

Fratricida licet ob tantum crimen ſe ipſum incapacem reddat ſuccedendi in bonis fideicommiſſariis, quæ à Fratre occiſo poſſidebantur, attamen ejus crimen non impedit proprio filio jàm nato, & à fideicommittente contemplato, ac de crimine innocenti, illius purificationem, etiam excluſivè quoad ulteriores ſubſtitutos, nec in his terminis idem filius à radice infecta provenire dicitur, ſecus tamen ſi ageretur de tranſmittenda hæreditate ipſius Fratricidæ in proprios filios.

SUMMARIUM.

1 *Fæminæ ex Maſculis præferuntur Maſculis ex fæminis, quando à Fideicommittente ſubſtitutæ priùs fuiſſent ſub nomine Filiorum de Maſculis, ante ſucceſſionem Maſculorum ex Fæminis.*

2 *Filii Fratricidæ non percipiunt emolumentum*

tum ſucceſſionis fideicommiſſo immediatè ex perſona Patris delinquentis, & num.6.

3 *Maximè ſi non ex perſona Patris, ſed proprio, uti ab Avo vocati ad fideicommiſſum ab illo ordinato vocarentur*, & num.5.

4 *Patricida ob tam nefarium crimen Nepotibus ab eorum Avo ad fideicommiſſum vocatis non præjudicat*, & num.11.

6 *Filii privantur ſucceſſione in hæreditate Patris, ſi iſte atrociter deliquiſſet.*

7 *Cauſa delicti illa dicitur, quæ promanat ex eiſdem actis, ex quibus delictum probatur.*

8 *Amplia, ut hoc procedat maximè contra Fiſco adhærentes, & ab eo jus deſumentes.*

9 *Subſtitutus ſi in florinda ætate morte violenta deficiat, ob quam filios non potuiſſet ſuſcipere, jus eum filios habuiſſe fingit, &* vide caſum.

10 *Teſtator præſumitur cogitaſſe de morte naturali Filiorum, & non de violenta.*

11 *Conſtitutus tertio loco, crimen committens, & impediens nè ſecundo loco ſubſtitutus ſuccedat, perdit quidem ex cauſa criminis fideicommiſſariam hæreditatem, non autem præjudicat ſuis filiis innocentibus jam natis, qui eſſent à Fideicommittente vocati.*

12 *Filius delinquentis vocatus ab Avo ad fideicommiſſum, propter Patris delictum non dicitur provenire à radice infecta, ſi fuiſſet innocens, ac delicti incapax.*

13 *Conditio purificata, in odium delinquentis tantum habetur, ac ſi non fuiſſet.*

14 *Vocatio plurium Perſonarum ab una eademque conditione obitus alterius ſine filiis dependens eodèm jure purificatur, & rejicitur quoad omnes.*

15 *Conditio mortis* ſine filiis *ſubſtitutioni appoſita, non intelligitur de morte ficta, ſeù Civili, ſed de naturali dumtaxat.*

16 *Teſtator ſi parificaſſet mortem civilem ſubſtitutorum cum morte naturali, ad effectum excludendi Fiſcum, non indè ſequitur, quod ſucceſſionis ordo ab eo præſcriptus immutetur*, & num.18.

17 *Amplia, ſi ſubſtituti excluſio in caſu criminis, & fictio obitus ejuſdem non fuiſſent perpetuæ, ſed temporaneæ, donec Principis gratiam recuperaſſet.*

19 *Delinquens pro vere, & naturaliter mortuo non reputatur, donec reintegrationis ſpe fulciatur.*

20 *Proximitas quoàd Fæminas vocatas conſideranda eſt illa, quæ tangit Fæminas exiſtentes in linea Heredum inſtitutarum.*

21 *Limita, quoàd illas expreſsè contentas in ſubſequenti ſubſtitutione, quæ in diſpoſitione Teſtatoris particularem haberent ſedem*, & vide rationem in num. ſeq.

22 *Subſtitutio ſibi met ipſi non poteſt dari.*

DECISO DCCCCLXI.

ADſpirantes Joannes Vincentius Caliſtus, & Joannes Antonius Torolus ad univerſalem ſucceſſionem in bonis fideicommiſſariis Joannis Antonii Paſſari; Fratricidium à Philippo filio fideicommittentis perpetratum in perſonam Caroli, vertere ſatagebant in perniciem Annæ filiæ interfectoris. Quamvis enim deficientibus filiis maſculis Caroli evidens eſſet in Teſtamento dicti Fideicommittentis ſubſtitutio favore filiarum fœminarum Philippi, adhuc contendebant, quod in præſenti caſu Anna ſuccedere non potuiſſet, utpotè quæ ſucceſſionem acquiſiviſſet mediante execrabili nece ejus Patrui ad hunc effectum procurata; tantoquè magis, quia ſi Carolus non fuiſſet in ætate adhuc viridi interfectus, potuiſſet filios maſculos ſuſcipere, & ceſſare facere conditionem ſui obitus ſinè filiis maſculis, ſub qua tantum erat concepta vocatio Annæ, & filiarum fœminarum Philippi. Adhuc verò fuit ipſorum inſtantia rejecta non ſolùm coràm R. P.D. de Gentilibus Judice ab A.C. deputato, ſed etiam in noſtro Auditorio coràm R.P. D. meo Falconerio, cui cauſa fuerat in gradu appellationis commiſſa, prævia deciſione edita 13. Maii elapſi anni, ad cujus formam ſententia extitit promulgata.

Nec diverſum Judicium ſortiti ſunt hodiè coràm Me, cui ulterioris appellationis commiſſio delegata fuit; propoſito namquè dubio -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda* -- Domini, concurrente pari ejuſdem validitate, atquè Juſtitia, *confirmandam eſſe* reſponderunt.

Siquidem validitas non revocabatur in dubium, Juſtitia verò ſolidiſſimis fundamentis in deciſione præcedentis inſtantiæ comprobata, indè emergere viſa eſt, quod Joannes Antonius Paſſarus fideicommittens, ſcriptis ſibi hæredibus Carolo, & Philippo ejus filiis, plùres ſubſtitutionum gradus deſignavit, primoque loco ad fideicommiſſum invitavit eorumdē hæredum, vel alterutrius eorum filios maſculos, ſi adeſſent, ſin minus filias fœminas ultimi morientis, & his non exiſtentibus fœminas proximiores ultimo maſculo decedenti, hiſque etiam deficientibus ſubſtituit proprias filias, earumque deſcendentes maſculos ex maſculis in infinitum, undè juxta ſeriem hujus diſpoſitionis conſtat, quod defuncto Carolo, nulla poſt ſe relicta prole, nequè maſculina, nequè fœminina, ſucceſſio in ejus bonis; & paulò poſt in tota hæreditate fideicommiſſaria per ſubſequutum obitum Philippi, delata eſt ad Annam iſtius filiam, utpotè quę literaliter vocata legitur, deficientibus filiis maſculis hæredum primo inſtitutorum, nequè locus eſſe poteſt poſteriori ſubſtitutioni Joannis Vincentii Caliſti,
1 & Joannis Antonii Toroli deſcendentium à filiabus fœminis Teſtatoris, utpotè quæ fuerunt ultimo loco ad fideicommiſſum invitatę, ad *Text. in leg. cum Teſtam. ff. de hæred. inſtit., Rot. dec.* 116. *nu.*6. *par.*18. *dec.*627. *num. primo part.* 19. *Rec., in Bononien. Immiſſionis* 20. *Martii* 1709. §. *Hæc autèm coram R. P.D. meo Criſpo, & in Peruſina Fideicommiſſi* 26. *Iunii ejuſdem anni* §. *non relevante coram Rmo P.D. meo Molines Decano.*

Agnoſcebant Actores obſtaculum, quod ab exiſtentia Annæ adverſus eorum petitionem promanabat; ideòquè ex pluribus illam de medio tollere ſatagebant, opponentes in primis, quod Philippus ſuum Fratrem ſub iſta deteſtabili prçordinatione interemerit, ut ſcilicèt filiæ aditus ad univerſam fideicommiſſi ſucceſſionem aperiretur, undè illam omni jure excludendam ſubjungebant, nè ex dolo paterno, & ex adeò execrabili crimine lucrum capere videretur.

Argumentum autèm iſtius excluſionis minimè ſubſiſtere Domini cenſuerunt, procedendo eum firmatis in *egregia Deciſione præcedentis inſtantiæ* §. *Huc uſque*, & *ſeqq.* Non
2 ſumus enim in caſu, quo filii Fratricidæ emolumentum ſucceſſionis immediatè ex
3 perſona Patris delinquentis conſequantur, ſed in caſu, quo filii ex ipſorum vocatione in Avi Teſtamento contenta proprium Jus deſumunt præciſivè à Patris delicto, quo ſanè caſu inconcuſſa videtur ſententia, quod Patris crimen viam ipſis non præcludat, quin poſſint ex propria perſona, proprioquè ipſorum jure in fideicommiſſo ſuccedere, aliàs enim Innocentes pœnam luerent alieni facinoris, contra omnem juris diſpoſitionem benè deſumptam ex *Text. in leg. ſancimus cod de pœnis*, *leg. crimen ff. eodem*, & *Can. crimen. 1. quæſt.4.*, ut aliis Juribus adductis firmitèr tenent cum concordantibus in *Deciſione R. P. D. mei Falconerii relat. dicto §. Hucuſque*, *Peregrin. de Jure Fiſci lib.2, tit.2. num.4.*, & *lib.5. tit.1. num.112. in fin.*, *Paſchal. de patr. poteſt. par.5. cap.8. num.13.*, & *ſequentibus*, & firmavit etiam *Rota in Romana fideicommiſſi 23. Junii 1712. §. quæ eo facilius coram bo. me Caſſarello*, & *in Carpentoraten. fideicommiſſi 26. Junii 1719. §. quo poſito in fin. coram eodem*.

Et præter hanc generalem regulam, pun-
4 ctuales etiam concurrunt auctoritates, quibus plenè firmatur in fortioribus terminis Parricidii, quod Patris crimen Nepotibus non præjudicet ex proprio Jure venientibus, ità *Rovit. conſil.11. num.10.*, & *per tot. conſil. 12. pariter. per tot.*, & *præſertim nu.26. lib. 2.*, *Spad. conſil.245. num.3.* & *ſequen. lib.3.*, *Hieronym. de Rois ſelect. obſervat. Jur. par. 2. cap 78. nu.15.*, & *ſequen.*, *Rota dec.479. num.22.*, & *ſeq. part.5. rom.3.*, & *dec.366. num.13.*, & *ſeq. par.11. rec.*

5 Nequè hæc ſententia limitationem recipere valet, ex quo fratricidii crimen fuerit à Philippo ad captandam filiæ ſucceſſionem præordinatum: adhuc enim Anna ex eadem ratione vocationis ex propria perſona, & independenter à Perſona Patris delinquentis potuit ſuccedere, quià paternum delictum non fuit cauſa proxima, & immediata ſucceſſionis, ſed ſolummodò accidentalis, & remota, quæ ad hunc effectum non attenditur, nec propterea valuit delictum Patris filiæ jàm natæ, ac pœnitus innocenti Jus illud auferre, quod non ab eo, ſed à Teſtatoris beneficentia receperat, ut cum aliis in *Deciſione præcedentis inſtantiæ allegat. §. ſicut ex facto*, plene probant *Bartol. in leg. cum ratio §. fin. ff. de bon. damnat.*, & *in leg. final. num.7. ff. ſi quis aliquem teſtar. probib.*, *Farinac. quæſt.120. num.45.*, & *46.*, *Theſaur. quæſt. forenſ. 80 in princip.*, & *num.3.*, & *ſeq. lib.3.*, *Capyc. Galeot. lib.2. controv.33. à nu.37.*, & *num.48.*, & *egregiè Noguerol. allegat.12. num.192.*, & contrariæ auctoritates procedunt tantùm ad excluſionem ipſius
6 Delinquentis, vel cum ſuppoſito, quod deſit vocatio illius filiorum, ut præcæteris eſt *Mandell. Alb. conſ.678.*, id claris literis aſſerens in fine dicti conſilii, *Cenſal. ad Peregrin. de fideicom. artic.31. §. Contra filios*, & *§. Primo*, & *ita ſimiliter. alii*.

Sed ulterius ceſſat quoque ex facto aſſerta præordinatio, dum ex plurium Teſtium depoſitionibus in hac parte conformibus, & ex ipſa ſententia criminali lata contra Philippum fratricidam conſtat de alia cauſa delicti,
7 ſcilicet quod Carolus bona paternæ hæreditatis diſſipabat, & ideò inter Fratres plures lites tàm civiles, quam criminales emerſerant, & ex his litibus inimicitia, & odium inter ipſos, quæ quidem cauſa, ut promanans ex eiſdem actis, ex quibus probatur delictum, unicè eſt attendenda, præſertim con-
8 tra adhærentes Fiſco, & ſuum Jus exindè deſumentes, ex notatis per *Surd conſ.50. n. 20. lib.1.*, *Menoch. de præſumpt. lib.1.*, *præſumpt.51. num 28.*, *Cyriac. controverſ.554. num.26.*, *Bonden. collect. legal.36. nu.121.*, *Cenſal. dec. Lucen.31. nu.18.*, & pleniſſimè probat *citata Deciſio R. P. D. mei Falconerii §. Nequè iſthæc*, & *ſeqq.*

Minuſque relevans viſa eſt altera Actorum aſſertio, quod cùm Ius Annç reſpectu ſucceſſionis in bonis Caroli eſſet merè eventuale, & dependens à conditione obitus illius *ſinè Filiis*, quemadmodum hæc conditio, ſi non fuiſſet in florida ætate interfectus, potuiſſet impleri, ità habeatur etiam in odium delicti pro adimpleta, & ſicut Anna non potuiſſet ſuccedere, ſi filios vel filias Carolus ſuſcepiſſet, ità nequidem poſſit ſuccedere in præ-
9 ſenti, dùm à Jure fingitur illos ſuſcepiſſe, tanto magis quia conditio illa videtur ſupponere naturalem Hominis interitum, ad quem
10 Teſtator potuit reſpicere, non autem violentam interfectionem, de qua ille non prçſumitur cogitaſſe.

Recurrit enim fatalis illa reſponſio, quod id procedere quidem poſſit contra ipſummet delinquentem, ex cujus ſane facto datum eſt
11 per necem gravati impedimentum, quin impleretur conditio exiſtentiæ filiorum iſtius, ſecus autem contra filiam d. delinquentis, doli, & machinationis inſciam, ac totaliter innocentem, quç de tempore commiſſi delicti nequidem cum Patre convivebat, ſed educationis cauſa extra Patriam morabatur in Monaſterio, ut ponderando illius nativitatem, & exiſtentiam antè delictum,
12 propter quam dici non poteſt provenire ex infecta radice, *per text. in l. 1. ff. de bon-*

dam-

damnat., *et can. non imputantur* 1.*queſt.* 4., obſervant *Meres de majorat. p.* 2., *quaeſt.* 4. *illat.* 2. *n.* 22., *et ſqq.*, *Rota dec.* 830. *n.* 8. *cor. Seraph.*, *dec.* 479. *n.* 27. *p.* 5., *et dec.* 366. *n.* 14. *p.* 11. *rec.*, & juncta filię innocentia cum ignorantia delicti Paterni, concludunt *Spad. conſ.* 245. *n.* 12. *lib.* 3., *Theſaur. quaeſt. for. cap.* 80. *n.* 3. *verſ. tanto magis lib.* 3., & proſequitur *Rot. cit. dec.* 366. *n.* 14. *p.* 11., cum aliis in deciſione praecedentis inſtantiae §. *Conſtabilito cor. R.P.D meo Falconerio*, & in
13 puncto, quod conditio purificata ex dolo, & delicto, habeatur, ac ſi non fuiſſet purificata in odium delinquentis tantum, *Caſtren. in l. Si ab Hoſtibus* §. *Si Vir num.* 2. *ff. ſolut. Matrim.*, *et Petrus Barboſ.* ibidem §. *fin. n.* 5. *verſ. hac igitur ratione*, *et nu.* 6., *ac ſeq.*

Eoque fortius id procedere debet, quia ſi contraria admitteretur intelligentia, quod regula praedicta locum haberet, non in odium delinquentis dumtaxat, ſed etiam in praejudicium aliorum proprio jure venientium per fictionem obitus occiſi cum filiis,
14 jam inde conſequens eſſet, quod non ſolum Anna ex iſta ratione remanſiſſet excluſa, ſed & omnes aliae perſonae, quae in ſubſequentibus ſubſtitutionum gradibus ſunt vocatae, cum omnium vocatio pendeat aequè, ac vocatio Annae ab eadem conditione obitus Caroli ſine filiis, & ſic eodem jure deberent excludi etiam Actores, qui ab obitu Caroli ſine filiis jus deſumunt eorum ſucceſſionis.

Paris denique irrelevantiae viſum eſt DD. poſtremum argumentum hodiè validius inculcatum, & ex eo deductum, quod cum Teſtator in defectu Maſculorum ſubſtituerit filias faeminas natas ab ultimo maſculo ſupervivente, & in caſu illarum non exiſtentiae vocaverit aliam faeminam ultimo maſculo morienti proximiorem, ſub hac vocatione minime venire poſſit Anna uti filia Philippi, dum ille ex Teſtatoris voluntate, qui delinquentem haberi debere pro mortuo per menſem ante commiſſum delictum expreſsè declaravit, Carolo interfecto ſupervixiſse dici non poteſt, ſed cenſeri debeat factus locus ſubſtitutioni faeminarum proximiorum Carolo, qui juxta talem interpretationem habendus eſſet pro ultimo defuncto.

Placuit enim reſponſio, quod mortis con-
15 ditio appoſita ſubſtitutioni praedictae Faeminarum non intelligitur de morte ficta, ſive civili, ſed de morte dumtaxat vera, & naturali, ſecundum quam certum eſt, quod Philippus Carolo ſupervixit, & Annam filiam expreſsè ſubſtitutam poſt ſe reliquit; non
16 obſtante purificatione mortis civilis cum naturali volita per Teſtatorem, quia volita fuit ad diverſum certum effectum excludendi Fiſcum, ut demonſtrat totus diſpoſitionis contextus, ideoque ultra iſtum caſum operari non debet, nec trahi valet ad immutandum ordinem ſuccedendi à Fideicommittente praeſcriptum, ut generalibus omiſſis, in puncto reſpondit *Rota dec.* 593. *n.* 2. *p.* 2. *rec.*
17 praeſertim quia Delinquentis excluſio, & fictio illius obitus non fuit perpetua, ſed temporanea dumtaxat, donec fuiſſet in gratiam Principis reſtitutus, quo ſanè caſu clarius convincitur, praedictam purificationem
18 ad ſolam excluſionem Fiſci volitam fuiſse, non autem ad alios effectus, quia durante
19 ſpe reintegrationis, Delinquens pro verè, & naturaliter mortuo reputari non poteſt, *ad text. in l. intercidit* 58. *ff. de condit.*, *et demonſtrat.*, *Onded. conſ.* 55. *n.* 38., *et* 39. *lib.* 2., & pleniſſimè *Surd. conſ.* 90. *n.* 23., 27., *et* 33., *et per tot. lib. primo*.

Ac demum advertebant DD., quod etiam
20 ſi juxta ſenſum Actorum Carolus ſuperſtes dici potuiſſet Philippo, adhuc tamen ex ſubſtitutione Faeminae proximioris ultimo defuncto ſuccedere debuiſſet Anna, cum talis proximitas eſſet conſideranda reſpectu ad Faeminas exiſtentes in linea ipſorum haere-
21 dum inſtitutorum, & nullatenus ad ſucceſſionem aſpirare, uti proximiores Faeminae, potuiſsent illorum Sorores eorumdem Actorum Auctrices, quia iſtę erant in ſequenti tantum ſubſtitutione expreſsè contentae, ac particularem ſedem in diſpoſitione Teſtatoris habuerant, ſecundum quam ſi potuiſſent venire ſub pręcedenti ſubſtitutione Faeminarum proximiorum ultimo defuncto, di-
22 ci deberent ſibimetipſis ſubſtitutae, quod quantum repugnet, plenè probāt *Giovagnon. conſ.* 75. *n.* 9. *lib.* 1., *Bellon. jun. conſ.* 11. *ſub n.* 52., *Rota dec.* 214. *n.* 14. *p.* 9 *rec.*, *et dec.* 1340. *n.* 6., *et ſeqq cor. Emerix. jun.*

Et ita remiſsivè ſe habentes ad luculenter deducta in deciſione praecedentis inſtantiae DD. reſponderunt utraque &c.

CAESENATEN., SEU CERVIEN. BONORUM SUPER PRAELATIONE.

Veneris 5. *Junii* 1716.

ARGUMENTUM.

Eccleſia terminata linea primi inveſtiti tenetur emphytheuſim renovare favore illius Conſanguineorum, qui jure ſanguinis ſuccedunt, de ęquitate Bartoli; quo vero ad bona ſimpliciter Eccleſiae appodiata, hęc uti allodialia, libere ad haeredem ejus, qui illa appodiavit, devolvuntur, & iſtum inveſtire etiam tenetur.

SVMMARIVM.

1 *Inveſtitura de bonis propriis Eccleſiae in emphytheuſim conceſsis renovatur favore Proximiorum ſolum jure ſanguinis primo inveſtito, ex pacto, et providentia.*
2 *Limita ſi ageretur de bonis ſimpliciter Eccleſiae appodiatis, in quibus non debetur renovatio jure ſanguinis proximiori, ſed illi, quem ultimus Poſſeſſor haeredem ſcripsiſset.*
3 *Bona eſſe ſolum appodiata Eccleſiae, et ad inſtar allodialium, non vero emphytheutica, optime probatur ex deciſionibus ſuper ſimili quaeſtione emanatis.*

4 *Bona allodialia, finita inveſtitura, Eccleſia pro ſe retinere non poteſt, nec de eis alium quemcumque, neglectis Proximioribus, inveſtire poteſt.*

5 *Appodiatio ſimplex libertatem non tollit.*

6 *Bona licet allodialia, et alienabilia, poſſunt tamen ex particulari privilegio primæ inveſtituræ ſubyci Juri determinato favore certarum perſonarum ex providentia primi Acquirentis.*

7 *Bona allodialia ex pacto, et providentia primi acquirentis in vocatorum jus cadunt, ſub conditione tamen, quatenus ſcilicet inveſtitus, et poſſeſſor ea non alienet.*

8 *Bona allodialia in ultimo vocato remanent libera, ad inſtar fideicommiſſariorum in ultimo hærede fideicommiſſario.*

9 *Inveſtitura de bonis Eccleſiaſticis ſi petatur in vim æquitatis Bartoli, præſupponit defectum omnium in prima inveſtitura vocatorum.*

10 *Condonatio, & remiſſio in re propria intelligi nequit, cum implicet, & in re aliena legatum liberationis præſefert.*

11 *Renovatio inveſtituræ debetur hæredi primi Inveſtiti de bonis Eccleſiaſticis, ſi ſit ad ſolos maſculos reſtricta.*

DECISIO DCCCCLXII.

Lucretia de Ugolinis, quę in præcedenti inſtantia contrariam ſententiam coram Me paſſa fuerat, ſedente adhuc in Rota Emo D. Cardinali Scotto, ne mutatis ſubinde ſedibus, & veteri Turno ob illius promotionem penitus interverſo, appellationis beneficio fraudaretur, novam cauſæ cognitionem ex reſcripto Signaturæ Juſtitiæ mihi iterum delegari curavit: Undè hodiè propoſui dubium -- *An ſententia Rotalis eſſet confirmanda, vel infirmanda* -- & DD. *confirmandam eſſe* reſponderunt.

Nulla enim ſuper illius validitate erat inter partes contentio: Juſtitia autem quamvis acriter impugnaretur ex eo, quod Lucretiæ potius tanquam proximiori, quàm Violanti Fantaguzziæ hæredi Aſcanii debita eſſet renovatio inveſtituræ controverſorum bonorũ quæ ab illo poſſidebantur ex conceſſione Eccleſiæ Cervienſis, DD. tamen placuit diſtinctio luculenter firmata in geminis deciſionibus, quæ ſententiam de more præceſſerunt, altera videlicet 3. *Junii* 1714., & altera 8. *Aprilis* 1715. Quod nimirum aut res eſt de
1 bonis propriis Eccleſiæ in emphytheuſim conceſſis ex pacto, & providentia, & in hoc caſu cum novatio nil aliud ſit, quam prorogatio antiquæ inveſtituræ, debeatur ob id proximiori, & attento ſolum jure ſanguinis, cujus favore proceſſerat providentia primæ inveſtituræ, juxta vulgatam æquitatem Bartoli in *l. prima §. permittitur nu. primo ff. de aqu. quot., & æſtiv.* Aut vero agitur de alia
2 ſpecie bonorum, quæ ab origine per Laicos poſſeſſa, ob ingruentem ſubinde vim belli, quo univerſa propemodum Italia per factiones partium vaſtata eſt, commendata, & ſubiecta fuerunt Eccleſiæ protectioni, eique, ut ajunt ſimpliciter appodiata. Et in hoc altero caſu, quia ex d. appodiatione nullum irrogatum fuit præjudicium primævæ bonorum allodiationi, & libertati de illis ad libitum diſponendi, renovatio idcirco non debetur jure ſanguinis, ſed ad inſtar ſucceſſionum in aliis bonis omnino indifferentibus, illi ſolum competit, quem ſibi ultimus poſſeſſor, proximiori neglecto, hæredem inſtituit, ut aliàs firmavit *Rota dec. 52. n. 6., & 7. coram Celſ, & in recent. dec. 621. num. 9., & 10. p. 19., & in Bononien. Fideicommiſſi Alexii de Urſis ſuper portione Annibalis 27. Junii* 1710. *§. Deciſio vero cor. R. P. D. Aldrovando.*

3 At vero hodiè ambigendum amplius non erat, quin controverſa bona non eſſent verè, & propriè emphyteutica Eccleſię Cervienſis, ſed ejus dumtaxat protectioni antiquitus commendata, ac proindè ad inſtar allodialium, cum qualitas iſta jàm plenè ſtabilita fuiſſet in alio Judicio ad inſtantiam ipſius Lucretiæ contra Ludovicum de Ugolinis, qui ab Epiſcopo renovationem obtinuerat, ut conſtat ex *deciſione in Ceſenaten., ſeu Cervien. bonorum 19. Junii* 1713. *cor. R. P. D. meo Criſpo*, ubi quod iſta bona nullatenus differunt ab allodialibus, & hæreditariis ſalvo jure Laudemii, & Canonis debiti Eccleſiæ, confirmata coram Me 4. Junii 1714., quæ ſanè deciſiones veniunt de ſtylo ſupponẽdæ.

4 Nilque refert, quod iſta allodialitas conſideranda ſolum ſit in ordine ad Eccleſiam Dominam directam, ne finita inveſtitura valeat bona pro ſe retinere, aut alium quemcumque malit, neglectis proximioribus, inveſtire, quemadmodum in eo Judicio à Lucretia allegata fuit, non vero ad effectum, ut etiã præjudicet pacto, & providentiæ habitæ in inveſtitura favore certarum perſonarum de ſanguine, quarum reſpectu nullo modo alienatio permitti debet.

5 Quandoquidem aliud eſt, quod bona ſint allodialia de ſui natura ratione primævæ libertatis, quam ſubſecuta appodiatio non abſtulit; & aliud omnino diverſum, quod non
6 obſtante iſta naturali alienabilitate ſubiciantur ex particulari lege primæ inveſtituræ ſpeciali, ac determinato juri favore certarum perſonarum ex providentia primi acquirentis, qui ſicuti poterat non acquirere, ita potuit ſuper ipſis bonis adiicere veluti quamdam ſpeciem fideicommiſſi: Iſto enim caſu quidquid ſit, an ejuſmodi particularis proviſio, à qua oritur Jus favore omnium comprehenſorum impedire valeat intermedium inveſtitum, nè in præjudicium aliorum ſucceſsivè vocatorum bona alienare valeat; cum etiam in his terminis veriùs de Jure videatur, quod attenta qualitate allo-
7 diali, nullum jus ex pacto, & providentia primi acquirentis quæſitum cenſeatur vocatis, niſi ſub conditione, quatenus precedens inveſtitus, & poſſeſſor non alienet, *Gobb. de per-*

permiſſ. Feudi, & Emphiteuſ. alienat. quæſt. 6. n. 54., Rota dec. 20. num. 8. poſt obſerv. Mellii, & in Vaden. Emphit. 7. Junii 1709. §. *Hinc non obſtat cor. Eminentiſſimo Scotto, & in nullius, ſeu Forolivien. Caſtri Vallis Oppii* 12. *Junii* 1711. §. *Neque de præmiſſa cor. Me, & in Ferrarien. renovationis inveſtituræ* 18. *Aprilis* 1612. §. *Verum in hypotheſi cor. R. P. D. Criſpo*.

Illud utique certum eſt, & ab omni con-
8 troverſia exemptum, quod in ultimo vocato ſicuti ceſsat quodcumque aliorum præjudicium, ita bona remanent omninò alienabilia juxta primævam eorumdem naturam, & conditionem, non ſecus ac bona fideicommiſſaria in ultimo ad ſucceſſionem invitato. Proptereaque cum Aſcanius eſſet ultimus ex comprehenſis in præcedentibus inveſtituris, jure riteque potuit de dd. bonis diſponere in excluſionem Lucretiæ Sororis, quæ in illis comprehenſa non erat, eademque bona nunquam poſſederat, & de facto confu-
9 git ad petendam renovationem virtute æquitatis Bartoli, quæ procul dubio ſupponit defectum omnium in præcedenti inveſtitura vocatorum, ut bene concluſum fuit in *prima deciſione Cauſæ* §. *Minuſque, & ſeq., & in altera* §. *Neque iſta, & ſeq.*

Agnoſcens ex his omnibus Lucretia titulum, & qualitatem proximioris ſibi parum proficuum eſſe pro obtinenda petita renovatione, petebat ſaltem illum ſibi pro medietate concedi tanquam hæredi memorati Aſcanii ultimi poſſeſſoris, una cum Violante illius Uxore, ſed in hac etiam parte ejus obiectio ex facto corruebat; perlecto enim tenore Teſtamenti liquidiſſimo conſtat, Aſcanium reſpectu propriorum bonorum unicam ſibi, & univerſalem hæredem ſcripſiſſe Violantem Uxorem: Verum quia maxima pars bonorum tam liberorum, quàm Emphyteuticorum ſub ejus hæreditate cadentium ſibi communia erant, ac pro indiviſo poſſeſſa cum Lucretia Sorore, ideo facta illorum ſeparatione, non aliter, quàm in medietate ad ſe ſpectante Uxorem ſibi hæredem inſtituit. Pro alia vero medietate, quæ propria erat Lucretiæ Sorori, hoc tantum illi beneficium contulit, quod cum plures ſuper ejus portione prætenſiones haberet, eo quia magnam pecuniarum vim, quàm propriis laboribus coegerat in rem communem, ac totius familiæ commodo impenderat, eas omnes illi liberaliter remiſit. Quamobrem dum loquendo de dd prætenſionibus dixit -- *Con tutto cio le tralaſcia, e vuole, che la nobile Signora Lucrezia ſua Sorella ſia Padrona aſſoluta dell'altra metà de beni della caſa &c.* tantum abeſt, quod illam hæredis titulo honorare voluerit, ut potius ex oppoſito iis verbis apertè faſſus fuerit, d. medietatem ad ſe minimè pertinere, dum aliàs nimis ineptum fuiſſet dicere, quod ſuper ea jura, & prætenſiones habebat, quarum remiſſio, & condonatio ſicuti quoad rem propriam re-
10 mittentis intelligi non poteſt, ita in re aliena non aliud, quam ſimplex legatum liberationis præſefert, juxta terminos *text. in l. 1., & tot tit. ff. de liberat. legat., & tradita per Card. de Luc. de legitima diſc.* 15. *ſub n. 7., Rota dec. 3. n. 6. p. 11. rec.*

Cum itaque bona controverſa non eſsent de illa ſpecie bonorum emphiteuticorum, quæ Teſtator ex conceſſione aliarum Eccleſiarum cum Sorore communia habebat, ſed
11 ad ipſum particulariter pertinerent ex lege inveſtituræ ad ſolos maſculos reſtrictæ, planum, & evidens redditur totum, atque integrum Jus petendi renovationem in iiſdem bonis ad ſolam Violantem devolutum fuiſse, tanquam unicam, & univerſalem hæredem ultimi maſculi, in quo præcedens inveſtitura terminavit, ut ad rem proſequitur ſecunda deciſio Cauſæ §. *Penultimo*.

Et ita remiſſivè in reliquis ad plenè deducta in deciſionibus præcedentis inſtantiæ, utraque parte informante reſponſum fuit.

PERUSINA CANONICATUS.

Veneris 5. Junii 17.6.

ARGUMENTUM.

In paritate vocum, ille eſt ad Beneficium inſtituendus, qui habens medietatem vocum, pro altera medietate gratiam Apoſtolicam reportaverit, nec gratia dicitur ſubreptitia, dummodò Ordinarius ante illam manus non appoſuiſſet. Fundator deſerens duabus familiis pro æquali jus nominandi, intelligitur inter eas voluiſſe voces dividere.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus vocum medietatem habens, ſicuti & alter, iſti præfertur in inſtitutione, ſi à Sanctiſſimo gratiam derogationis alterius medietatis vocum impetraverit.*

2 *Amplia, etiamſi alter excluſus gratiam reportaſſet ab Ordinario, ſive ab ipſo Papa, quando prima dictæ eſſet poſterior.*

3 *Gratia Apoſtolica tunc dicitur ſubreptitia, quando eſt poſterior illa, quæ ab Ordinario fuiſſet conceſſa.*

4 *Declaratio de voluntate Teſtatoris illa attendenda eſt, quæ provenit ab hærede fiduciario à Teſtatore relicto.*

5 *Amplia, ſi talis declaratio fuiſſet in judicio approbata*; & num. 8.

6 *Juſpatronatus declaratum per hæredem fiduciarium ſpectare ad Proximiores ex mente defuncti, nulla facta antianitatis mentione, tribuit facultatem inter illos nominandi pro æquali.*

7 *Patronus non habet facultatem alterandi legem à Fundatore expreſſam, vel eam immutandi addendo, vel minuendo.*

8 *Amplia, ſi lex data à Fundatore ſic, & ſic, in contradictorio judicio ſit approbata.*

9 *Amplia, ſi taliter fuiſſet in erectione ab Ordinario confirmata.*

10 *Fun.*

10 *Fundator, ſi ad jus nominandi duas ex familiis ſibi proximioribus vocaſſet, & iſtæ tres eſſent, ex eiſdem ætate minor excludenda foret.*

11 *Juſpatronatus activum ordine ſucceſſivo ad vocatos pertinens non regulatur ab ingreſſu pro ulteriori progreſſu, & ordine ad nominationes.*

12 *Fundator, qui ad jus nominandi ad Beneficium non unam, ſed plures vocaſſet familias, intelligitur ſe diviſim uni ab altera vocem dediſſe.*

13 *Juſpatronatus activum quando eſt clarum, & perſpicuum, & ex lege fundationis ad unum ſpectare reperitur, neceſſe non eſt ad ultimum ſtatum recurrere;* amplia ut in nu. ſeq. & 16.

15 *Subamplia, ut neque poſſeſſio Auctoris ultimi Patroni iſti ſuffragari valeat.*

16 *Ultimus ſtatus non attenditur, ſi clarè conſtet, quod ille, qui ultimo loco nominavit non eſſet de illis à Teſtatore volitis.*

DECISIO DCCCCLXIII.

Reſpondit Rota die 27. Junii 1714. coram Eminentiſſimo Domino Card. Scotto controverſum Canonicatum adjudicandum eſſe Joanni Antonio, & intrare arbitrium pro retardatione literarum Apoſtolicarum tam Ludovici, quàm Petri Pauli collitigantium. Verùm poſtea per tres uſque vices ſuppoſitis novo examini fundamentis tunc editæ deciſionis, nulla ob ſuffragiorum paritatem, videntibus etiam in ultima quinto & ſexto, capi potuit reſolutio. Tandem hodie ſublato de medio Petro Paulo, qui interim liti ceſſit, cum ſuffectus in locum ejuſdem Eminentiſſimi Scotti exquiſiverim *ab omnibus Dominis, An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis*: reſponſum fuit favore Ludovici pro *receſſu à deciſis*.

Fundamentum reſolutionis in eo poſitum
1 fuit, quod ex duobus collitigantibus hodie ſuperſtitibus, unuſquiſque pro ſe numerat medietatem vocum, Ludovicus videlicet tamquam præſentatus à Clara ejus matre, & Jo. Antonius tamquam præſentatus à Sororibus de Ciccis. In hac igitur paritate vocum, cum Ludovicus à Sanctiſſimo obtinuerit gratiam pro præſentato cum derogatione alterius medietatis, dubium non eſt, quin præferri debeat Jo. Antonio in aſſequutione Canonicatus, *Rota dec.667. n.19.p.18., & in Romana Cappellaniæ S. Nicolai 28. Junii 1709. §. Amaritudo, & in Majoricen. Beneficii 6. Decembris ejuſdem anni §. Quaque cor. R.P. D.meo Anſaldo, & in Sorana juriſpatronatus 22. Januarii 1712. §. Concluſio cor. R.P. D.meo Falconcrio.* Non obſtante prætenſa gratificatione per ipſum obtenta ab Ordinario in ſententia lata 12. Octobris 1712. Nam
2 cum gratia Apoſtolica ſit in tempore anterior, tamquam ſignata ſub die 8. ejuſdem menſis, utique anteponenda venit cuicumque alteri, ſive ab Ordinario, ſive etiam ab ipſo Papa poſtea conceſſæ, *Rota coram Mantic. dec.248.n.3., & dec.264.n.4.p.10., & dec. 153.n.8., & dec.424.n.1.p.18.rec., & in Majoricen. Beneficii 6. Decembris 1709. §. De reliquo cor. R.P.D. Anſaldo, & in Melphicten. Beneficii 26. Junii 1711. §. Occaſionem cor.
3 Emin. Priolo.* Et hinc etiam fit, quod ſubreptitia dici non poſſit; tunc enim hoc vitio notanda fuiſſet, quando ſententia, & gratificatio Ordinarii præceſſiſſet, ut perperàm ſupponit *Deciſio quæ revidetur §. Demùm.*

Neque in facto ſubſiſtere viſum fuit, quod juſpatronatus activum ex voluntate Guidonis de Jordanis illius Fundatoris declarata per Virginiam ejus hæredem fiduciariam reſervatum fuerit favore duorum Proximiorum, qui etiam eſſent præ cæteris ætate ſeniores. Proptereaque cum Clara, quæ Ludovicum præſentavit comparativè ad Sorores de Ciccis ſit ætate junior, nullam partem prætendere valeat ſaltem pro hac vice in jure præſentandi ad controverſum Canonicatum, ſed è converſo illud potiùs pro utraque voce reſidere videatur in dictis Sororibus æquè proximis, atque inſuper ætate majoribus, ut latè fuit dictum in *dicta dec. Eminent. Scotti §. Neque ambigendum.*

Si enim attendenda ſunt verba Teſtamenti memorati Guidonis, ex iſtis profectò ſolùm reſultat juſpatronatus reſervatum ſimpliciter fuiſſe duobus proximioribus ipſius Teſtatoris abſque ulla qualitate ſenioritatis;
4 ſin verò potiùs ſervanda eſt declaratio facta per Virginiam hæredem fiduciariam ſuper hoc jurepatronatus activo 9. Januarii 1651.,
5 prout revera ſervari debet, tamquam approbata, & canonizata primo loco per Judicem ab A.C. deputatum, & ſubindè ab hoc ſacro Tribunali in geminis luculentiſſimis deciſionibus *cor. clar. me. Card. Carpineo, inter recen. la 294., & 404.p.14.* ad quarum ſucceſſivè formam & tenorem anno 1666. erectus fuit ab Ordinario Peruſino Canonicatus, & reſer-
6 vatum juſpatronatus. Et cum in hac etiam declaratione nil aliud legatur, niſi quod juſpatronatus ſpectare debebat ad duos Proximiores, & quod iſti juxta voluntatem defuncti erant tres familiæ, ſcilicet Joannis Baptiſtæ, & Julii Cæſaris de Columbis, Ludovici de Ferrettis, ac Eliſabetthæ de Alexiis hodie de Ciccis, ut refert *Rota d.dec.294 ante num.1.*; planum & evidens redditur ſolam qualitatem proximitatis in dictis tribus familiis conſideratam fuiſſe, non enim illam ætatis, cujus inibi nulla penitùs mentio facta fuit, *Rota cor. Pænia dec.471. n.9. & 10., & cor. Ubald. dec.166. num.4. & 5., & in rec. dec. 374.n.2.p.17.*

Et hoc poſito vanum eſt diffugere ad aliam declarationem ſucceſſivè emiſſam ab eadem Virginia 24. Septembris 1658. Recognitum namque fuit per Dominos eam non reſpicere juſpatronatus activum, ſed paſſivum tantùm, quod hodie non eſt in quæſtione, cum aliud in illa teſtata fuerit Virginia, quàm quod mens Guidonis ſibi oretenùs commiſſa fuerat, quod *perſona pro dicto Canonicatu obti-*

nendo

nendo eſſet de proximioribus attinentibus ipſius Teſtatoris. Quamvis autem ſequendo eamdem declarationem Capitaneus Jo. Baptiſta de Columbis, & Ludovicus Ferrettus in eodem actu contextualiter nominaverint in Canonicum Nicolaum de Ciccis de tertia familia proximiorum fundatoris, & occaſione iſta enunciaverint nominationem prędictam ad ſe pertinere tamquam proximiores, & ſeniores. Non indè tamen argui poteſt, quod revera neceſſaria eſſet dicta qualitas ſe-
7 nioritatis, dum non erat in eorum facultate repoſitum legem fundationis, ſola proximitatis prærogativa, contentam per ſimplicem enunciativam addendo, ſeu minuendo, in aliquo alterare, aut immutare, ut in puncto reſpondit *Rota in Aſten. Prioratus de Coſta ſuper Pertinentia* 6. *Martii* 1711. §. *De-*
8 *nique cor. R. P. D. meo Anſaldo*. Præſertim poſtquam illa in contradictorio judicio conſtabilita, & canonizata fuerat ſolemni re judicata, & mandato Rotali, *Rota dec.* 19. *n.* 11. *& ſeqq p.* 10., *& dec.* 224. *n.* 12. *p.* 12., *& in Compoſtellana Parrochialis* 17. *Junii* 1697. §. *His tamen cor. Eminent. Priolo, & in Cremoneen Beneficii* 14. *Maii* 1706. §. *Majora coram*
9 *Reverendiſſimo Kaunitz*; ac ſucceſſivè in actuali erectione Canonicatus ab Ordinario approbata, *Rota in Lucana Beneficii* 17. *Junii* 1709. §. *Inſuper cor. R. P. D. meo Falconerio, & in Aſten. Prioratus* 11. *Junii ejuſdem anni* §. *Non attenta coram Me, & in Senogallien. Canonicatus de Lucbis* 23. *Jun.* 1710. §. *Inutiliterque, & in Vicen. Beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *Ex quibus cor. R. P. D. meo Aldrovando*.

10 Vel ad ſummum admitti poteſt prærogativam ætatis in primo ingreſſu neceſſariam fuiſſe, concurrentibus tribus familiis æque proximis, quia cum Teſtator voluiſſet juſpræſentandi ad duos tantùm pertinere debere, alia ratione excludi non poterat tertia ex dictis familiis, quàm ſub ea, quod in pari proximitate major ætas præferretur. Verùm hæc recipi nullo modo poteſt in præſenti, dum extincta familia de Columbis, duæ tantùm remanſerunt ex proximioribus Teſtato-
11 ris, & inſuper agitur de ſucceſſivè vocatis ad iuſpatronatus activum, quorum reſpectu ipſimet Capitaneus Joannes Baptiſta, & Ludovicus in relato actu anni 1658. reſervarunt ius, & facultatem eligendi in futuris vacationibus ſimpliciter, ſola prærogativa proximitatis attenta, ut apertè præſeferunt verba illa -- *Dicti DD. Electores reſervarunt, & reſervant ſibi, et ſucceſſivè aliis proximioribus, ad quos nunc, et pro tempore ſpectat, et ſpectabit, electionem, et præſentationem perſonę pro dicto Canonicatu aſſequendo*. In his enim adeò diverſis facti circumſtantiis iuſtum locum ſibi vindicat receptiſſima illa iuris conclusio, quod non eſt ab ingreſſu capienda regula pro ulteriori progreſſu, ut pluribus adductis dixit *Rota in Romana juriſpatronatus* 1. *Junii* 1708. §. *Non obſtantibus cor. R. P. D. Aldrovando*.

Cæterùm ſuper hoc puncto DD. animadvertebant difficultatem omnem ex eo removeri, quod dato etiam, quod in ſucceſſivè vocatis neceſſaria eſſet iſta ætatis prærogativa. Id tamen non aliter intelligendum foret, quàm diſcretivè in unaquaque ex duabus familiis hodie ſuperſtitibus, non verò comparativè ad perſonas exiſtentes in alia familia.
12 Cum enim Teſtator non unam, ſed plures familias iuxta declarationem Virginiæ contemplatus fuerit, ne contra illius mentem utraque vox in una coaleſcat, & vocatio directa ad plures in ſubſtantia reſtringatur ad unam propter qualitatem, debet iſta in qualibet earum ſeparatim attendi, itaut potior ſit prærogativa familiæ, ſive lineæ iam admiſſæ, quam ętatis, *Card. de Luc. de fideicom. diſc.* 17. *n.* 8. *et* 11., *Rota in Auximana juriſpatronatus* 27. *Junii* 1702. §. *Quin obicem, et* §. *fin. cor. R. P. D. Anſaldo*, & priùs *in Mediolanen. Cappellanię* 9 *Maii* 1701. §. *Mauritius cum ſeqq. et* 5. *Maii* 1702. § *Non minori coram Eminent. D. Card. Priolo*. Et in hoc ſenſu dubium non eſt, quin Clara, quæ Ludovicum præſentavit, ſit etiam ſenior in ſua familia, cum ſit unica filia alterius Ludovici de Ferrettis primi admiſſi, qui antiquam litem in *Rota* ſubſtinuit *coram clar. me. Card. Carpineo*, ut conſtat ex *dictis deciſ.* 294., *et* 404. *p.* 14., & ex *diſc.* 182. *Card. de Luc. in tract. de fideicom., et allegat. Rodulphini* 162.

13 Atque hinc cum ex hactenus deductis clarum & perſpicuum ſit iuſpatronatus activum controverſi Canonicatus ex lege fundationis pro una ex duabus vocibus ad Claram pertinere, inutile viſum fuit Dominis quæſtionem ultimi ſtatus aſſumere, an ſcilicet eadem Clara per præſentationem eius nomine factam in ultima vacatione à perſona conjuncta, licèt ſine mandato procuræ, conſtituta fuerit in quaſi poſſeſſione præſentandi, iuxta deducta per *Lambertin. de jurepatr. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 4. *art.* 17. *num.* 9. *et ſeqq., et n.* 14., *et lib.* 2. *p.* 2. *q.* 2. *art.* 14. *n.* 3. *in fine*, maximè quia
14 ipſe ſciens eamdem præſentationem eius nomine expletam ex filii interventu, & affixione edictorum numquam reclamando, ratam illam habuiſſe videtur, idem *Lambertin. de jurepat. lib.* 2. *p* 1. *art.* 17. *q.* 4. *num.* 19., *Sanchez Conſil. moral. lib.* 2 *cap.* 30. *dubit.* 71. *n.* 8., *Rota in Urbanien Canonicatus* 23. *Januarii* 1697. §. *fin. coram Reverendiſſimo dell'Olmo*: ſive
15 potiùs an poſſeſſio Ludovici ſenioris eius patris ipſi quoque ſuffragari valeat ad effectum, ut pręſentatus ab ea inſtitutionem obtineat, *Rota in Bononien Beneficiorum de Caſtello ſuper exequutione literarum* 12. *Decembris* 1712. §. *fin. cor. R. P. D. meo Criſpo, et in Salernitana juriſpatronatus* 11. *Martii* 1715. §. *Memorata coram R. P. D. Falconerio, et* 13. *Januarii* 1716. *cor. R. P. D. meo Criſpo*.

His inquam prætermiſſis quæſtionibus, tanquam in præſenti minimè neceſſariis ob claram pertinentiam dictæ vocis, illud ſolùm addu-

addendum cenſuerunt, quod licèt in ultima præcedenti vacatione præſentaverit etiam Camillus de Vulpibus, non ideò tamen ſuſtinèri poteſt illius familiam ultra alias duas conſtitutam fuiſſe in quaſi poſſeſſione præſentandi, indè inferendo, quod ad conſtituendam medietatem vocum ſola Claræ præſen-
16 tatio non ſufficiat; quandoquidem cum familia de Vulpibus non ſit de illis tribus, quas Virginia dixit, ſibi pro proximioribus à Teſtatore nominatos, & ſignificatos fuiſſe in declaratione emiſſa 9. Januarii 1651., & à Rota ſubindè approbata, planè conſequitur nullum legitimum ſtatum eius favore conſtitui potuiſſe per dicti Camilli præſentationem propter apertam fundationis reſiſtentiam iuxta regulam, quam firmat ipſa *Deciſio, quæ revidetur §. Conſequens in fine*.

Et ita videntibus omnibus Dominis utraque parte &c.

ROMANA, SEU CIVITATIS PLÆBIS CAUTHELÆ ANGELI.

Veneris 12. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

Si per hæc verba fuiſſet Teſtator locutus -- *Inſtituo hæredem Franciſcum filium Victoris mei nepotis, ejuſque filios hæredes, & ſucceſſores* -- Fœminæ ex eodem Franciſco deſcendentes non per fideicommiſſariam, ſed per ſimplicem vulgarem vocatæ intelliguntur; ſi de tranſverſali ageretur diſpoſitione, quia charitatis, & affectionis ordo reſpectu ſubſtitutorum poteſt conſiderari, non autem neceſſitas eoſdem ſubſtituendi.

SUMMARIUM.

1 *Subſtitutio vulgaris ex quibus diſpoſitionis verbis volita à Teſtatore dicatur.*
2 *Vulgaris expirat, ſi inſtitutus hæreditatem adeat.*
3 *Limita, ſi Teſtatoris mens fuiſſet, ut fideicommiſſum inſtitueretur.*
4 *Subſtitutio concepta per verba directa, & civilia nempe* -- Hæredem inſtituit, & eſſe voluit -- *vulgaris dicitur:*
5 *Subſtitutio patris, & filiorum à teſtatore concepta cenſetur per vulgarem, ſi agatur de teſtamento tranſverſali, & non aſcendentali fideicommiſſo*: & vide rationem.
6 *Amplia, ſi teſtator inſtitutum, ejuſque filios, & hæredes collectivè vocaſſet, quia id non importat fideicommiſſariam, ſed vulgarem, deficientibus verbis futuri temporis tractum præſeferentibus.*
7 *Subamplia, ſi filii inſtituti ſimul cum patre de tempore teſtamenti non eſſent nati, erga quos affectio non præſumitur.*
8 *Filii in conditione poſiti non dicuntur diſpoſitivè vocati; ſed ſi pater adeat, cenſetur præſervata ipſis tantùm legitima ſucceſſio in illius bonis.*
9 *Teſtator, ſi ad piam cauſam fideicommiſſum ordinaſſet in caſu obitus à ſe inſtituti abſque filiis, non ideò cenſetur, quod eoſdem fideicommiſſi onere voluerit gravare.*
10 *Legitimitas, ut dicatur volitum fideicommiſſum in filiis inſtituti à teſtatore mixta conjectura cenſetur, & nimis vaga.*
11 *Clauſula codicillaris in teſtamento appoſita non eſt apta ad extendendum fideicommiſſum in filios inſtituti, ſi teſtamentum jure directo valeret.*

DECISIO DCCCCLXIV.

INſtantibus R. P. D. Pompeio, ac Cæſare filiis, & hæredibus Antonii de Amadeis pro exequutione Mandati à R. P. D. meo Cerro tunc A. C. relaxati contra bona poſſeſſa per Franciſcum de Battaglinis illius debitorem in ſumma ſcut. 928. 60., ſeſe oppoſuerunt Maria Lucretia, & Maria Magdalena ejuſdem Franciſci filiæ, allegantes vulgatam cauthelam ab Angelo traditã in lege à Divo Pio §. ſi ſuper rebus ff. de re judicata vigore aſſerti fideicommiſſi à Cæſare eorum Propatruo ordinati, ſed eamdem contrariam ſortem, quam coram R. P. D. Anſideo in Tribunali A. C. paſſæ fuerunt, hodiè quoque coram Me expertæ fuerunt in noſtro, dum propoſito dubio, *An ſit procedendum ad legitimam &c.*, Domini *affirmativè* reſponderunt.

Et ſanè cum circa validitatem, & juſtitiam dicti Mandati nulla eſſet inter Partes diſſenſio, unica, quæ ſupererat difficultas circa illius exequutionem ſuper dictis bonis propter oppoſitum titulum fideicommiſſi, ceſſare ſtatim viſa fuit ex lectura Teſtamenti memorati Cæſaris de Battaglinis, qui de bonis
1 ſuis diſponendo per ea verba -- *Univerſalem hæredem inſtituit Franciſcum filium dicti Victoris ejus nepotem, ejuſque filios hæredes, & ſucceſſores* -- non aliter ad ejus ſucceſſionem dictas Mulieres Franciſci filias vocaſſe videtur, quàm per vulgarem, iuxta celebrem Theoricam Cumani in *l. cum ita §. In fideicommiſſo num. 40. ff. de leg. 2.*, & *in l. Gallus §. Quidam rectè n. 7. ff. de liber. & poſthum.*, quàm priùs etiam tradiderat *Bartol. in d. §. Quidam rectè n. 2.*, & poſtea ſequuti ſunt communiter Doctores omnes, & conſtantiſſimè amplexa eſt *Rota*, ut videre eſt in *deciſ. 266. n. 2.*, & *dec. 357. n. 1 p. 1.*, & *dec. 18. n. 16. p. 12. rec.*, & *coram Ubald. dec. 313. n. 1.*, & *coram Emerix dec. 56. num. pariter primo*, & *in Romana, ſeu Reatina Fideicommiſſi de Vincentinis 14. Junii 1697. §. Etenim coram*
2 *bon. mem. Muto.* Quæ quidem vulgaris per aditionem Franciſci earum Patris ſtatim expiravit, juxta *Text. litteralem in l. poſt aditam Cod. de impub.*, & *aliis ſubſtit.*

3 Quamvis autem ab hac regula, & communi opinione recedi conſueverit, ubi conſtet defunctum ea mente fuiſſe, ut potiùs fideicommiſſum inſtitueret; Domini tamen præ-
4 miſſo, quod hic agebatur de ſubſtitutione concepta per verba directa, ac merè civilia, ibi -- *hæredem inſtituit, & eſſe voluit* -- quæ de ſui natura vulgari, ac directè non etiam

fidei-

fideicommiſſariæ, & obliquæ ſubſtitutioni accomodantur, ut in ſpecie firmat *Ramon. dec.90. n.50.*, *Rot. dec.56. n.2. coram Emerix jun.*; quodque inſuper res erat de teſtamento tranſverſalis non aſcendentis, in quibus terminis, cum ſolùm conſiderari poſſit reſpectu ſubſtitutorum ordo charitatis, & affectionis, non autem neceſſitatis illos inſtituendi, ſubſtitutio Patris, & filiorum potiùs cenſetur facta per vulgarem, quàm per fideicommiſſariam, ut in propoſito advertunt *Peregrin. conſ.33. n.24., & ſeq. lib.3.*, *Card. de Luc. de fideicom. diſc.91. n.15.*, *& diſc.94. ſub n.9.*, *Rot. cor. Burat. dec.386. nu.2., & in rec. dec.357. n.1., & ſeq.*]

5 Ulteriùs ponderabant nullam adeò gravem, atque urgentem conjecturam pro parte dictarum Mulierum adductam fuiſſe, ut eſſet à regula, & verborum proprietate recedendum; eas namque breviter percurrendo, nil penitùs ad hunc effectum concludere

6 videbatur, quod Teſtator collectivè vocaverit Franciſcum, ejuſque filios, hæredes, & ſucceſſores; nam deficientibus aliis verbis, tractum futuri temporis in infinitum præſeferentibus, ſola, & ſimplex collectiva vocatio Patris, & filiorum, apta non eſt importare fideicommiſſariam, cum benè & commodè intelligi, & verificari valeat per vulgarem, ita videlicet, ut ſi Pater adire nolit, vel non poſſit, ejus filii hæredes, & ſucceſſores ſecundo gradu inſtituti, Teſtatoris hæreditatem directè conſequantur, & in his terminis eſt originalis Theorica Bartoli, & Cumani communiter recepta, ut aliàs reſpondit *Rota dec.207. coram Ludoviſ.*, ubi præciſè agebatur de vocatione *hæredum*, *& ſucceſſorum* ipſius inſtituti, ut colligitur ex *nu.1.*, *& in Romana immiſſionis 19. Januarii 1693. per tot. coram Molines*, ubi res erat de vocatione *omnium filiorum*, *& deſcendentium*, & ſæpè alibi.

Minùs urget, imò potiùs retorquetur alia

7 conjectura, quod filii non eſſent nati de tempore Teſtamenti; ex hoc enim ipſo magis inveriſimile redditur, quod voluerit Teſtator per fideicommiſſum gravare Franciſcum nepotem favore ipſius filiorum, erga quos, utpotè adhuc neque natos, neque progenitos, nulla affectione ferri poterat, ut in puncto advertit *Ramon. dicta dec.90. n.4., & nu.40 cum ſequen.*

Minùs pariter momenti eſt aliud argumentum ex eo deſumptum, quod iidem filii poſiti fuerint in conditione, & Franciſco ſine iis decedente ſubſtituta per fideicommiſſum

8 cauſa pia. Ex poſitione enim filiorum in conditione de jure argui nequit diſpoſitiva ipſorum vocatio, ſed ſuppoſito quod Pater adeat, cenſetur ſolùm ipſis præſervata legitima ſucceſſio in hæreditate paterna, juxta celebrem *Gloſſ. in L. Lucius p.2. ff. de hæred. inſtit.*, ut in puncto reſpondit *Ramon. d. dec.90. nu.55.*;

9 fideicommiſſum verò ordinatum favore cauſæ piæ in caſu obitus Franciſci ſine filiis, extendi non poteſt ad caſum contrarium, quo Franciſcus cum filiis deceſſerit, ut proſequitur idem *Ramon. d. dec.90. num.56., & ſeqq.*, benè *Rot. dec.496. n.9. & ſeqq. coram Cavaler.*, *& dec.33. n.6., & ſeqq. cor. Ubaldo.*

10 Miſtam denique Domini fecerunt conjecturam elicitam ex qualitate legitimitatis in dictis filiis à Teſtatore conſiderata, & ex clauſula codicillari in fine Teſtamenti appoſita; illa namque, tamquam nimis vaga, & debilis paſſim à Doctoribus, & Tribunalibus

11 rejicitur. Hæc verò, cùm teſtamentum jure directo valere poſſit, apta non eſt naturam ſubſtitutionum, & verborum proprietatem obligare, ut pluribus adductis concordantibus, concludit toties laudatus *Ramon. dicta dec.90. n.54. & num.55.*, *Rota coram Ubald. dec.33. n.9.*, *& coram Emerix dec.88. nu.4.*, ubi concordantes.

Et ità utraque &c.

IMOLEN. REPARATIONIS AGGERUM.

Lunæ 15. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

In materia expurgationis fluminum, ſive aquæductuum, conſuetudini multum defertur, ad effectum judicandi, quis ad hæc teneatur; licèt enim de jure, communibus ſumptibus fieri debeat, in uſum hodie pertranſivit, quod ad adjacentes poſſeſſores pro rata tangente pertineat.

Pacta licèt de jure ſtrictè ſervanda ſint; Judex tamen in iis, quæ uti ex accidenti provenientia, pactoque non conſiderarunt, prudenti judicio, utriuſque Partis indemnitati conſulere poteſt, & arbitrari, ne illa de licitis fiant illicita, & læſiva.

SUMMARIUM.

1 *Pacta ſunt ſervanda, & conventiones exequendæ.*

2 *Pacta eo magis ſunt adimplenda, quoties eſſent correſpectiva, & altera ex partibus ſuæ ſatisfeciſſet obligationi.*

3 *Refectio aggerum fluminis, ad quem pertineat, conſuetudini multum defertur.*

4 *Aquæductus ſumptibus compoſſeſſorum adjacentium expurgandus eſt, & fons manutenendus.*

5 *Conſuetudo veritatis habet pro ſe præſumptionem, ſi per publicum inſtrumentum fuiſſet à litigantium auctoribus approbata, & qui contrarium prætendit, probare tenetur.*

6 *Qualitas hæreditaria ex poſſeſſione bonorum hæreditariorum reſultat.*

7 *Amplia, ex acceptatione obligationis, quam defunctus contraxiſset.*

8 *Hæres ex perſona propria ad ſui auctoris obligationem tenetur, maximè ſi illam re, & verbis recognoviſset.*

9 *Obligatio ſecundo loco facta non poteſt intelligi* Rebus in eodem ſtatu permanentibus,

bus, ſi non eſſet ad primam obligationem, & ad contentam in illa correſpectiva, ſed ad novam progrederetur.

10 *Ripæ manutenendę ſunt à Compoſſeſſoribus adjacentibus.*

11 *Refectio aggerum non ſolùm ſpectat ad adjacentes, ſed ad cæteros quoque compoſſeſſores pro rata, & menſura bonorum, per quos aggeres ab inundationibus præſervantur.*

11 *Obligatio clara, interpretatione nova indiget, vel à jure, vel aliundè deſumpta.*

13 *Caſus fortuiti ſub generali conventione, & diſpoſitione non veniunt.*

14 *Reparatio aggerum fieri debet ab illo, qui remotæ inundationis comodum ſentit, illorum cauſa.*

15 *Obligatio Cameralis in tranſactione appoſita, ex capite læſionis altioris indaginis non retardatur.*

DECISIO DCCCCLXV.

SAnterni Fluvius Maſſæ Lombardorum agros circumfluens, hyemalibus aliquando aquis ita conſuevit excreſcere, ut damnum finitimis non tantùm fundis, ſed etiam univerſo ejus loci territorio minaretur; opus propterea fuit illius impetum diverſis temporibus, elevatis magno ſumptu aggeribus coercere, & præſertim anno 1689., quo Comites Roccus, & Joſeph de Tedeſchis, ac Baldiſſerra Gagliardus poſſeſſores bonorum eidem adjacentium ſe impares prænoſcentes expenſis neceſſariò pro re complenda ſubeundis, opem in reparandis, reficiendiſque ripis, & aggeribus à Communitate memorati loci reportarunt, in cujus beneficii correſpectivitatem ſeſe illi obligarunt -- *Rinforzare, riparare, & alzare al biſogno le ripe di detto fiume di rimpetto à loro beni à tutte ſue ſpeſe, e quelle ſempre mantenere in modo, che ſervino di buona difeſa all' inondazioni, ſenza pretendere mai più alcun ajuto della Communità &c., volendo poter eſſer' aſtretti in ogni caſo di biſogno alle neceſſarie riparazioni, rinforzo, & alzamento d'argini contigui à loro beni &c.*, eamdemque obligationem, occaſione qua opus in dies perficiebatur, pluries repetierunt.

Cum autem ſubindè fluminis alveus ob limi, ac terræ depoſitionem impar factus eſſet recipiendis aquis, ſi quando imbrium ratione, aquæ in majori fluerent quantitate, poſthabita prædicta obligatione, adhuc Communitas (ut deponunt Teſtes) in caſibus extraordinariæ excreſcentiæ, & irruptionis ſuam opem præſtare conſuevit, ſed quia prætenſionem nuperrimè excitavit omne onus totaliter ad Comites Tedeſcos, & Gagliardum pertinere, hinc re ad Curiam Legationis Ferrariæ delata, deciſum inibi fuit, expenſas neceſſarias pro conſtructione, reparatione, atque elevatione aggerum ſpectare ad omnes intereſſatos poſſidentes in Territorio Maſſæ, expenſas verò parvas intra flumen ipſum faciendas pertinere ad Comites Tedeſcos, & Gagliardum poſſeſſores adjacentes. Non tamen ita placuit R.P.D. Anſideo, tunc A. C. Locumtenenti, ad quem Communitas appellaverat, dum iſte ſententiam revocatoriam protulit antecedentis judicati, & in omnibus Tedeſcos, & Gagliardum cenſuiſſe condemnandos; undè ulteriori appellatione mihi delegata, propoſui hodie dubium -- *An, & quis teneatur ad refectionem, reaptationem, elevationem, & manutentionem aggerum, & riparum tam intra, quàm ſupra flumen* -- eique Domini reſponderunt -- *teneri Comites de Tedeſchis, & Gagliardis* -- juxta tamen modum inferiùs explicandum.

Litteralis enim eſt, juxta verba ſuperiùs receſita, iſtorum obligatio manutenendi, reaptandi, & prout opus fuerit reficiendi omnibus ſuis ſumptibus, & expenſis aggeres, atque ripas cum expreſſo etiam pacto, quod Communitas, aliique poſſidentes remotiores nihil contribuere teneantur, omnis enim
1 æqui, bonique ratio poſtulat, ut pacta ſerventur, & partium conventiones debitè demandentur executioni, ad *Text. in l.1. ff. de pact., l. juris gentium §. Prætor ait ff. eodem, & l. hoc amplius in fin. ff. de reg. jur.*

Præſertim quia non ſolùm talis obligatio aſſumpta fuit correſpectivè ad auxilium, & operas à Communitate voluntariè præſtitas;
2 undè ſicut Communitas adimplevit, & quidem in parte, etiam judicialiter coacta, ita quoque juſtum eſt, ut ex parte ſua propriam obligationem prædicti Comites de Tedeſchis, & Gagliardis adimpleant, ut probat aliis relatis *Rota dec.657. n.21. & ſeqq. p.18. rec.*; verùm etiam proceſſit relativè ad antiquam conſuetudinem, ad cujus formam memorati poſſeſſores adjacentes ad omnia pro-
3 miſſa jam tenebantur, neque dubium eſt, multum in hac aquarum materia conſuetudinem operari, *l.1. §. Denique ff. de aqu. pluv. arcen., l. hoc jure §. Ductus aquæ ff. de aq. quotid. & æſtiv., Capol. de ſervitut. ruſtic. præ-*
4 *dior. q.66. n.120., Franc. Marcb. dec. Delfinat. 111. n. 10. p 2.*, itaut exindè induci etiam queat, quod manutentio, & excavatio aquæductuum, quamvis de jure publicis fieri deberet expenſis, fiat nihilominus ſumptibus poſſeſſorum adjacentium fundorum, ut docent *Cyriac. controv.576. n.27., Romaguer. ad Conciol. ſuper Statut. Eugub. lib.6. rub. 22. n.4., Pacichel. de diſtant. cap.8. n.16.*

Neque iſtam conſuetudinem licitum hodie
5 eſt impugare, quippe quia probatur ex confeſſione Auctorum eorumdem de Tedeſchis, & Gagliardis explicitè emiſſa in publico inſtrumento præfatæ illorum obligationis, pro cuius veritate ſtat omnis præſumptio, onuſque eſt Partis errorem, & falſam cauſam prætendentis, illam per claras, ac dilucidas probationes juſtificare, alioquin omnis interpretatio capienda eſt, per quam talis confeſſio juſtificetur, & actus ſubſtineatur, *Text. in l. Verùm ff. de minor., l. nam & poſtea §. Si minor ff. de reg. jur., Actolin. reſolut.92. nu. 11., Urceol. de tranſact. q.96. num.5., Rot. ad*

Card.

ornat. Card.de Luc. tom.1. lib.4. dec.10.n.8., & dec.59. num.32. coram R.P.D. meo Anſaldo.

Abſque eo quod comparentes hodie in hoc judicio allegare valeant ſeſe neque dicta obligatione, neque dicta confeſſione ligari, utpote qui jure veniant proprio, & independenter ab iis, qui eaſdem obligationem,
6 & confeſſionem emiſerunt. Etenim præter quod illamet bona retinent, quæ illi poſſidebant, & quorum intuitu inita fuit conventio, ex qua poſſeſſione qualitas hæreditaria rectè tali caſu præſumitur, *Rota dec. 329. num.13. p.10. rec.*, *in Peruſina dotis 20. Junii 1701. §. De aditione, et ſeq. coram cldr.me. Card. Caprara*, & *in Romana fideicommiſſi de Palmeriis 27. Junii 1703. §. In partibus co-*
7 *ram Me.* Ceſſat difficultas ex facto, dum ipſimet non ſolùm in executionem inſtrumenti initi anno 1689. cum eorum auctoribus acceptarunt conſignationem majoris partis laboreriorum à Communitate expletæ, ſed etiam judicialiter complementum operis decerni ab ea promiſſum à Cardinali tunc Legato obtinuerunt, Iſtaque occaſione, novam ipſi obligationem fecerunt pro manutentione operis conſignati, undè negare hodie non
8 poſſunt ſeſe hæredes eſſe, itaut etiam teneantur ex propria perſona, poſtquam toties re, ac verbis defunctorum obligationem ratificarunt, & novam pro illius implemento obligationem emiſerunt, *Urceol. de tranſact. q.13. n.24., & ſeqq., & q.100. nu.28. & 29.*, *Rota dec.302. n.5., et dec.324. n.5. et 6. p.15. rec.*

Minuſque relevat, quod omnis obligatio
9 intelligenda veniat, rebus in eodem ſtatu manentibus, itaut quatenus hodie aggeres, & ripæ ad majorem altitudinem, & reſpectivè latitudinem ſint redactæ, amplius dicta obligatio non obſtringat. Poſtrema enim Comitum de Tedeſchis, & Bartholomei de Gagliardis obligatio modernum reſpicit ſtatum, dum fuit in publico inſtrumento finalis conſignationis factæ à Communitate repetita de anno 1708., & ulterius prædicta concluſio non eſt viſa applicabilis caſui noſtro, in quo Partes de futura mutatione cogitarunt, & ad illam ſpecialiter reſpexerunt, ſeſe etiam ad tenorem futuræ mutationis obligando, ut latè tradunt *Alciat. conſ.3. n.8. lib.4.*, *Manſ. conſult.90. n.36. tom.10.*, *Palm. nep. allegat. 42. n.22.*

Nec maioris ſubſiſtentiæ viſa eſt altera il-
10 lorum animadverſio, quod nempe ipſi ſeſe obligaverint tantum ad manutentionem riparum, prout jus expoſuit, cum poſſideant agros adjacentes, juxta deducta per *Harprett. in §. Riparum n.3., et in §. Inſula n.9. inſtit. de rer. diviſ.*, *Arias de Meſ. var. reſol. lib.2. cap.44.*, *Gobb. conſult.103. num.24.*, & cum aliis *Rmus Zaul. ad ſtatut. Favent. lib. 2.*
11 *tom.5. rub.27. n.11.* Non verò ad manutentionem, & refectionem aggerum, quorum quidem refectio non ad eos ſolùm pertinet, qui proxima, & adjacentia poſſident prædia, ſed ad cæteros quoque poſſeſſores pro rata, & menſura bonorum, quę per eoſdem aggeres ab aquarum exundantium damno præſervantur illeſa, ad *Text. in l. per Bithyniam C. de immunit. nem. conced. lib.10.*, & latè tradita per *Coſt. de Rat. qu.27. num.3.*, *Pigant. ad Statut. Ferrar. lib.4. in addit. ad rubr.2. n.4. et ſeqq.*, *Bonden. collect. jur.47. n.41.44.52.57.*, & ferè per *tot. tom.2.*, *Manſ. conſult.655. n.1. ad 7.*, & *Gobb. de aqu. p.29. n.1. et ſeqq.*

Non enim dubitarunt DD. certiſſimas eſſe huiuſmodi iuris diſpoſitiones, ſed ſolùm in præſenti locū habere non poſſe cenſuerunt, ubi litteralis eſt obligatio, non ſolùm quoad riparum, ſed etiam quoad aggerum manutentionem, ac refectionem. In primo namque inſtrumento anni 1689., ita ſubdit -- *Volendo poter eſſer aſtretti in ogni caſo di biſogno alle neceſſarie riparazioni, rinforzo, et alzamento d'argini contigui &c.*, & in poſtremo anni 1708. expreſsè dicitur -- *obligandoſi mantenere detta arginatura*, -- quæ quidem verba ſatis de per ſe indicant, an partes ad formam iuris ſe continere voluerint in manutentione riparum, vel eamdem obligationem aſſumere etiam quoad agge-
12 res; ubi verò clara admodùm eſt obligatio, non indigemus alia explicatione, vel à iure, vel aliundè deſumpta, ad *celebr. tex. in l. ille, aut ille ff. de legat.3.*

13 Quoniam verò certi quoque iuris eſt, caſus fortuitos, inſolitos, & inopinatos ſub generali conventione, ac diſpoſitione non venire, ut probant per *Text. in l. quæ fortuitis ff. de pignor. act.* *Bald. conſ. 119. verſ. in contrar. lib.1.*, *Natt. conſ.440. n.17.*, *Pacion. de locat. cap 49. n.44.*, & in terminis *Rota coram Burat., dec.210. n.7. et ſeqq.* Obligationem à Tedeſchis, & Gagliardis aſſumptam circa prædictam riparum, & aggerum reparationem limitarunt Domini iuxta modum, quod nempe evenientibus huiuſmodi caſibus, per quos extraordinario aquarum impetu aggeres vaſtentur, ac diſrumpantur, poſſint iſti Communitatem cogere ad præſtandas operas, & auxilium neceſſarium in reparatione, quemadmodùm aliàs conſuevit, ut deponunt plurimi Teſtes, *ſumm. prædictorum poſſeſſorum n.1., et 4.*, cum æquum ſa-
14 nè ſit, quod ſi velit commodum ſentire, & utilitatem evitandæ ſui Territorii inundationis, incommodum quoque ſentiat impenſarum, ex quibus huiuſmodi damni averſio reſurgat, ad *Text. in l ſi Tertius 6. §. Si ex plurimum ff. de aqu. pluv. arcen.*, *Cyriac. controv.576. num.21. et ſeq.*, *Rmus Zaul. ad Statut. Favent. lib.5. rubr.10. n.4. et 5.*, *Rota in Bononien. Aquarum 14. Decembris 1699. §. Neutra coram R. P. D. meo Anſaldo.* Et hinc Domini ceſſare exiſtimarunt
15 etiam objectum aſſertæ læſionis, quia caſibus, de quibus in tranſactione non fuit cogitatum, hoc modo proviſum remanet, & ſi quæ læſio aliundè poſſet concurrere, diſcuti deberet in particulari iudicio, non retar-

data interim exequutione obligationis Cameralis,

Et juxta hunc modum utraque parte &c.

PERUSINA IMMISSIONIS SUPER CAUTHELA ANGELI.

Veneris 19. *Junii* 1716.

ARGUMENTUM.

Filius hæres Patris ad ejus arcendos Creditores Cauthelam Angeli allegare non poteſt, ſi illorum pecuniis bona hæreditaria à debitis certis fuiſſent vindicata, & niſi de hæreditate paterna prius redditionem rationis reddidiſset, ſique eam vigore fideicommiſſi etiam deduceret, de bonorum identitate per coſinium deſignationem ſtrictè edocere tenetur.

SUMMARIUM.

1 *Cauthela Angeli non ſubſtinetur, ſi allegata ſit ab hærede generalis debitoris ex titulo cenſus accollati, quando tamen eadem accollatio ad ipſius hæredis comodum protenderet.*

2 *Retentio bonorum non competit hæredi, ſi auctor illius ſuper illis debita contraxiſſet anteriora.*

3 *Cauthela Angeli allegata vigore fideicommiſſi ab hærede debitoris, qui de iſtius hæreditate rationem non reddidiſſet non attenditur.*

4 *Amplia in caſu, quo de bonorum fideicommiſſariorum identitate non conſtaret.*

5 *Identitas bonorum ad effectum ea retinendi virtute fideicommiſſi, non probatur per hoc, quod iſtius ſtatus genericè tantum firmatus eſſet.*

6 *Cauthela Angeli allegata ſuper certis ſtabilibus abſque ulla deſignatione certorum bonorum cum ſuis vocabulis, & Confinibus, non ſubſtinetur.*

7 *Hæres fideicommiſſarius ſuper bonis liberis ſui auctoris ad arcendos illius Creditores, fideicommiſſum non poteſt allegare.*

8 *Fideicommiſſum aſcendentale tenetur ad reſtitutionem dotis ab hærede gravato perceptæ.*

9 *Fructus dotis, ad quam fideicommiſſum teneatur, ex illius fructibus ſolvi debent.*

10 *Fructus dotis ſolvendi ſunt de proprio ab illo, qui percepiſſet fructus bonorum doti ſubiectos.*

11 *Cauthela Angeli non ſubſtinetur, ſi allegata ſit vigore fideicommiſſi, quod ex ſubſtitutorum præmorientia in hærede ipſius debitoris expiraſſet.*

DECISIO DCCCCLXVI.

AD effectum impediendi executionem mandati de immittendo ad unam ex novem partibus Molendini in vocabulo *Ponte Forcione*, bonorumque eidem adiacentium dotalium Vincentiæ Uxoris Sfortiç deMonteſperellis, & alterius mandati executivi pro ſcutis 555. 53. pro complemento nonæ partis ejusdem dotis, ac pro fructibus d. ratæ Molendini decurſis à die obitus ejusdem Sfortiæ, relaxatorum primo loco in partibus, & deinde in tribunali A. C., ac ſucceſſivè in duabus ulterioribus inſtantiis cor. R.P.D. meo Anſaldo, & coram Me favore Ven. Monaſterii S. Julianæ Peruſiæ ex perſona Sororis Hiacynthæ filiæ, & legitimæ hæredis memoratæ Vincentiæ, noviſſimè canonizatorum a Signatura Juſtitiæ cum clauſula *ſine præjudicio*; oppoſuit Paulus Æmilius Reus conventus vulgatam cauthelam ab Angelo traditam *in l. à Divo Pio* §. *Si ſuper rebus ff. de re judicata*, quam tamen hodiè congruo dubio per Me propoſito, DD. *non obſtare* reſcripſerunt,

Et ſummo quidem jure. Nam quatenùs, ad impediendam executionem mandati de immittendo, opponebatur à Paulo Æmilio titulus cujusdam cenſus in ſorte ſcutor. 300. impoſiti à Sfortia cum fidejuſſione ejusdem Vincentiæ Uxoris, & ſucceſſivè accollati per Petrum Paulum de Saxis in diminutionem pretii quorumdã bonorum ipſi venditorum à Scipione Sfortiæ filio, & auctore ipſius Pauli Æmilii, DD. ponderabant nullum exindè ejus favore oriri potuiſse legitimum retentionis titulum quoad dd. bona dotalia; quia
1 cum Scipio prædictus fuerit hæres d. Sfortiæ Principalis debitoris, quodcumque commodum ex dicta accollatione reſultans, fui ipſius beneficio, & favore ceſſit, dum ea mediante liberatus fuit à debito ſibi incumbente, tamquam Patris hæredi, unde ſicuti ex hoc capite ipſe Scipio agere nequiret contra maternam hereditatem, imo potiùs in caſu mo-
2 leſtiarum illam relevare teneretur, ita neque poteſt Paulus Æmilius ejus heres retentionem allegare, *Rot. dec.* 306. *n.* 29. *p.* 6., *& dec.* 135. *n.* 8 *p.* 16. *rec.*, & ſepe alibi.

Quatenus autem pro retardanda executione alterius mandati executivi allegatus fuit titulus quorumdã antiquorum fideicommiſsorum: Placuit reſponſio, quod quidquid ſit de iſtis fideicommiſſis, cum Paulus
3 Æmilius mediante perſona d. Scipionis ſit heres memorati Sfortiç debitoris d. dotis, quouſque legitimam d. hæreditatis rationem non reddat, nulla poteſt cauthela juvari, *Rota dec.* 145. *n.* 4., *& ſeqq. p.* 12., *& dec.* 307. *n.* 7., *& ſeqq. cor. bo. me. Benincaſa*, *& in Eugubina bonorum ſuper fructibus* 27. *Martii* 1715. §. *final. cor. Me*, *& in Cajetana Cauthela Angeli* 29. *Junii ejusdem anni* §. *Illius namque cor. Emo D. meo Cardinali Scotto*,

Præſertim quia, ſi ſermo ſit de fideicom-
4 miſſis à Ludovico de Colis, & Julio Beccato ordinatis, nullibi conſtat de identitate bonorum ſub illis cadentium, cum ex laudis, & concordia ad hunc effectum productis, ſolum habeatur, quod fideicommiſſum Julii, deductis deducendis, remanebat in ſolis ſcutis 52.; illud vero Ludovici in ſcut. 3846. 70. con-

conſequendis ſuper bonis *Montis Colognolę*,
& Villæ Manſionis; unde ex his, licet ſta-
5 bilita videri poſſit quantitas, non tamen di-
ci poteſt firmata certa ſpecies bonorum ad
effectum concludendi identitatem in præ-
ſenti Judicio prorſus neceſſariam, *Rota cor.
Coccin. dec.* 1200. *n.* 5., *&* 6., *& cor. Cer-
6 ro dec.* 95. *n.* 5., & de facto Cauthela Ange-
li ex titulo dictorum fideicommiſſorum alli-
gata fuit abſque ulla deſignatione certorum
bonorum cum ſuis vocabulis, & Confinibus,
prout fieri debuiſſet, juxta praxim relatam à
Ridolphin. p. 1. *cap.* 9. *n.* 12.

Si vero loquamur de fideicommiſſo Julii
Montiſſperelli Avi Paterni memorati Sfor-
tię, intrat inevitabile dilemma, quod aut in
7 manibus Pauli Æmilii ejus mediati hęredis
exiſtunt bona libera ejuſdem Sfortiæ debito-
ris, & ſuper his ab eo nequit impediri exe-
8 cutio. Aut vero bona libera non exiſtunt,
& in hoc altero caſu effugere non poteſt
executionem ſuper bonis eidem fideicom-
miſſo ſubiectis, quod cum ſit aſcendentale,
diſtrahi procul dubio valet ex cauſa reſtitu-
tionis dotis, *ex vulgat. remed. ath. res quę C.
Comm. de legat.*, de quo in his terminis *Ro-
ta d. dec.* 95. *n.* 9. *cor. Cerro*.

Neutiquam obſiſtente, quod ſupradictum
mandatum compræhendat etiam fructus dic-
tæ quotæ, ſeu partis dotis decurſos à die
obitus Sfortiæ debitoris, qui tamen non niſi
9 ex fructibus bonorum fideicommiſſariorum
ſolvi debent; ut enim bene firmatum fuit in
deciſione Cauſæ cor. R.P.D. meo Anſaldo
10 25. *Junii* 1714. §. *fin.*, Paulus Æmilius tene-
tur ad reſtitutionem dictorum fructuum, non
tamquam uſurarum dotalium, ſed tamquam
ab eo indebitè perceptorum ex bonis ſtabili-
bus d. Vincentiæ de ſui natura fructiferis, &
pro nona parte delatis ad Monaſterium jure
ſucceſſionis, ac propterea in dubium venire
nequit, quin etiam de proprio ad illorum
refuſionem condemnari valeat, ut in his ter-
minis alias reſpondit *Rot. in d. Eugubina
bonorum ſuper fructibus* 26. *Martii* 1715. §.
Atque ex his cor. Me.

Tandem ſi res ſit de fideicommiſſo ab Iſa-
11 bella ordinato, & cum hoc per pręmorien-
tiam ſubſtitutorum expiraverit in Scipione
hęrede Sfortiæ, nullum impedimentum præ-
ſtare valet, ex adductis per *Rot. in Bononien.
Evictionis ſuper Cauthela Angeli* 2. *Julii*
1714. §. *Ut enim cor. R.P.D. meo Falcone-
rio*.

Et ita utraque &c.

FERRARIEN. CAMBII.

Veneris 19. *Junii* 1716.

ARGUMENTUM.

Mulier de nullitate Contractus excipere non poteſt ob defectum ſolemnitatum in cambio, quod paſſivè contraxiſſet, ſi illius pecuniis propriis auctoris Creditores dimiſiſſet, quo caſu, ex cauſa utili, ejus ſubſtinetur obligatio.

Fideicommiſſum quando dicatur à Teſtatore ſuper aliquibus bonis tantum Inſtitutum, ſequens explicat.

SUMMARIUM.

1 *Creditum ex publico ſcatens Inſtrumento, ulteriori probatione non indiget.*

2 *Inſtrumentum publicum paratam habet exequtionem.*

3 *Obligatio mulieris, & minoris, de ſolemnitatum defectu non redarguitur, ſi ambo contractum ſibi ipſis utilem iniiſſent.*

4 *Contractus à Muliere initus dicitur utilis, ſi pecuniis ex illo provenientibus bona ſui auctoris à deliberatione vindicaſſet*, & nu. 6., & 11.

5 *Ratificatio contractus nulli abſque nullitatis ſcientia facti, & juris non datur.*

7 *Fideicommiſſum non dicitur inſtitutum à Patre favore filiorum ſuper deſignatis bonis, de quibus partialem diviſionem inter eos fieri juſſiſſet, antequam ad fideicommiſſi inſtitutionem deveniret*, & vide caſum.

8 *Verba Teſtatoris* -- In tutti gli altri ſuoi beni &c.-- *ſtant excluſive ad alia bona prius nominata, & de quibus prius particulariter diſpoſuiſſet.*

9 *Amplia, ut per eadem verba ſi fideicommiſſum ſecum ferrent, excluſa remanerent ab illius nexibus cętera bona, de quibus prius locutus fuiſſet.*

10 *Subamplia, ſi ex notula bonorum in Teſtamento inſerta appareret, quod Teſtator poſſediſſet alia bona, ultra illa, quæ prius inter filios dividi juſſiſſet.*

12 *Exceptio de nullitate contractus turbidam exequtionem obligationis factæ à Muliere vel minori non retardat.*

13 *Contractus utilis dicitur Mulieri ex hoc ſolo capite, quod per illum ſe à litibus liberaſſet.*

14 *Cedens creditum clarum, & juſtum à Ceſſionario acceptum, ad nil ultra tenetur, niſi ad ei tradendum documenta in forma probanti, ex quibus realitas crediti reſultaret.*

DECISIO DCCCCLXVII.

Cambium in ſorte ſcutorum mille contractum à Margarita Fieſchi Vid. rel.: Pandul-
phi de Elephantutiis cum ſolidali obligatio-
ne Antonii ejus filii favore Senatoris Marci
de Bondelmontibus, ceſſum ab iſto fuit An-
tonio de Canonicis, cujus hæredes cæperunt
uſque de anno 1710. contra Margaritam age-
re coram Locumtenente civili Ferrariæ pro
Capitalis reſtitutione, ac ſolutione Recam-
biorum, ſed allegata per debitricem nullita-
te contractus, nunquam fuerunt auditi. Seſe
propterea verterunt contra Cedentem, eum
coram eodem Judice, & deinde cor. R.P.D.
Pro Legato Ferrariæ pulſantes, ut præſta-
ret nomen ceſſum pro bono, vero, & reali,
& faceret tale, propter quod conſequi poſ-
ſent

ſent à debitoribus dictum creditum ceſſum, aliàs contra eumdem relaxaretur mandatum pro ſorte, & fructibus, ut ſunt verba inſtantiæ, cui prædictus Judex indulſit.

Delata per appellationem Cauſa ad Curiam d. Senatoris hæredes onus aſſumpſerunt demonſtrandi veritatem, & realitatem, d. Cambii, productiſque cor. R.P.D. Anſideo tunc A. C. Locumtenente diverſis Juribus utilitatem Margaritæ in d. contractu firmantes, declarari obtinuerunt ſe ad aliud non teneri, quam ad traditionem dd. documentorum, fueruntque ab impetitis abſoluti.

Inhærentes huic Sententiæ Creditores, petierunt coram eodem Judice relaxationem mandati executivi contra bona hæreditaria Margaritę, & Antonii, ſed iſtorum hæredes cauſam remitti obtinuerunt ad A.C. met, ad quem omnes Cauſæ contra hæreditatem prędictam introductæ, fuerant remiſsæ ex decreto R.P.D. Auditoris Sanctiſſimi, renovataque coram iſto petitione d. mandati, oppoſitaque per Reos conventos nullitate contractus, paſſi ſunt Actores contrarium Judicatum, quo mediante illi fuerunt abſoluti.

Hinc devoluta appellationis cauſa ad noſtrum Auditorium, triangularis fuit quęſtio cor. Me. Dum illi de Canonicis, ſive à Bondelmontibus hæredibus Cedentis, ſive ab Elephantutiis hęredibus Margaritæ, & Antonii debitorum ſatisfactionem conſequi debere non diffidebant; propoſui itaque ad eorum inſtantiam dubium -- *An conſtet de credito, itaut ſit relaxandum mandatum, & contra quem* -- & DD. *conſtare de credito, & eſſe relaxandum mandatum juxta modum* inferius exprimendum reſponderunt, hoc eſt contra bona hæreditaria Margaritæ, & Antonii.

Creditum ſiquidem favore illorum de Canonicis habentium ampliſſimam ceſſionem
1 ſibi factam à Senatore Marco de Bondelmontibus, ex inſtrumento publico creationis Cambii reſultabat, in quo ſolidalem cum Margarita ejus Matre obligationem ſuſcepit etiam Antonius Elephantutius ejus filius; conventis fructibus, ſive recambiis ad rationem ſcut. ſex pro quolibet anno, & centenario.
2 Hoc autem inſtrumentum omni legalitate exaratum, dubium non eſt, quin actionis fundamentum conſtituat, plenamque faciat probationem; cumque munitum etiam ſit conſuetis clauſulis, & obligatione camerali, conſequens quoque eſt, quod ejus vigore relaxari debeat pro Creditore mandatum.

Difficultas itaque reſtringebatur ad ultimam Dubii propoſiti partem, ſcilicèt *contra quem* hujuſmodi mandati relaxatio decerni deberet, cùm quiſque ex reis conventis in alium refundere tale onus contenderet: Domini verò cenſuerunt eſſe relaxandum contra bona hęreditaria Margaritę, & Antonii, quippè quia eorum obligatio in Inſtrumento Cambii eſt litteralis.

Nec quicquam profuit allegata nullitas reſpectu utriuſque, ex quo ſcilicet Margarita, uti Mulier, & Antonius, uti minor non ſervando ſolemnitates à Ferrariæ Statutò præſcriptas *Rubr.* 90., & 91., invalide ſeſe obligaverint. Occurrebat enim reſponſio,
3 quod rem ſuam utilitèr in iſto contractu ambo geſſerunt, ideoque par erat, quod ex defectu ſolemnitatum illum impugnare non poſſent, ex traditis per *Pigant. ad idem Stat. rubr.* 90. *num.* 76. *fol. mihi* 412., & in terminis *Stat. Urb.* pluries firmavit *Rot. præſertim dec.* 462. *num.* 3. & 4. *par.* 18. *Recen.*, *dec.* 9. *num.* 6. *poſt Card. de Luc. de Dot. tom.* 1.

Utilitas verò prædicta plenè probabatur, quia cùm Antonius de Fieſchis Margaritæ frater uti debitor reſtitutionis capitalis duc. 150. una cum Livellis decurſis, paſſus fuit ad inſtantiam fratrum de Venier expeditionem mandati in Urbe Veneta à Magiſtratu nuncupato *del Mobile*, cujus vigore ſuper bonis hæreditariis dicti Antonii facta fuerat executio, ac ſucceſſivè ſervati termini pro illorum deliberatione, Margarita cauſam ha-
4 bens ab eodem Antonio mediante ceſſione ejus hæreditatis reportata à Cecchina illius hærede ex Teſtamento, cum pecuniis à Senatore Marco de Bondelmontibus ſibi traditis dimiſit præfatos creditores, & bona liberavit ab imminenti deliberatione, cum igitur cambium controverſum ex dd. pecuniis fuerit ſubindè conſtitutum, innegabilis eſt utilitas, quæ ex eo provenit, dum eo mediante ſolutum fuit debitum bonis infixum, & una ſimul exempta bona ab imminenti deliberatione, ex latè deductis per *Conſtant. ad Statut. Urb. annot.* 44. *art.* 6. *num.* 690., 691., ubi cæteri concordan.

Reſpectu verò Antonii de Elephantutiis
5 quicquid ſit de ratificatione contractus, quę in eo majore jam facto deduci prætendebatur ex quibuſdam actibus ſolutionis fructuum, & præordinatæ extinctionis, qui ſatis eſſe minimè viſi ſunt non docto de ſcientia nullitatis facti, & juris, juxta plenè firmata *in Piſauren, ſeù Fanen. Cenſus ſuper reſervatis* 16. *Decembris* 1712. §. *Poſita, & ſeqq. cor. R.P.D. meo Anſaldo*, proceſſerunt DD. cum eodem ſenſu, quod ipſi con-
6 tractus fuerit utilis, nam cum Margarita hæredem illum inſtituerit, & bona exindè redempta poſſederit, certum eſt, quod ipſe quoque particeps fuit ejuſdem utilitatis.

Abſque eo quod hujuſmodi utilitas excludi poſſet ex eo, quod bona exempta ab imminenti deliberatione ſubjecta eſſent fideicommiſſo à Sebaſtiano Fieſchi ordinato, & purificato favore ejuſdem Margaritæ, & Antonii Elephantutii filii, ex quo ſanè titulò potuiſſent dicta bona defendi à moleſtiis illatis per Creditores Antonii de Fieſchi.

Etenim omiſſis aliis reſponſionibus latè per Informantes adductis, placuit præ ceteris illa, quod prædictum fidecommiſſum, bona, de quibus agitur, non poterat compræhendere: recurrendo namque ad Teſtamentum Sebaſtiani, voluntas ità erat concepta, quod pe-

7 peracta priùs inter Gabrielem, & Antonium filios partiali diviſione, & aſſignatione bonorum ſtabilium, ad fideicommiſſi inſtitutionem per hæc verba devenit -- *in tutti gl'altri ſuoi beni, mobili, immobili, azioni, ragioni, livelli, crediti &c. tanto nel Ferrareſe, che nel Veneziano, &c. inſtituiſce &c.* – ex
8 quibus conſtat, quod ſicuti dicta verba ſtant excluſivè ad alia bona antea deſignata, & inter hæredes per viam partialis diviſionis partita, *Rot. dec.53. nu.17. par.13., dec.586. num.8. par.18. rec., & in Illerden. hæreditatis de Gomar.4. Junii 1703. §. Et quidem coram R.P.D. meo Anſaldo*, ita quoque
9 fideicommiſſum ab illa inſtitutione, prædictiſque verbis dependens, comprehendit quidem cætera omnia Teſtatoris bona, non verò illa, quæ cadunt ſub præcedenti exceptuatione, imò iſta à fideicommiſſi vinculo penitus excepta remanent, plenè *Urceol. conſult.45. num.29., & 30., Rot. cor. Priolo dec.378. num.5., & 6. coram Emer. Jun. dec. 796. num 1.*, & proſequitur *in cit. Illerden. hæreditatis de Gomar §. Et quidem cor. R.P. D. meo Anſaldo, aliiſque relatis*, dictum fuit *in Eugubina fideicommiſſi ſuper Canthela Angeli 5. Aprilis 1715. §. Id ipſum coram Me*.

10 Maximè quia ex ipſamet notula bonorum, quæ per Sebaſtianum in ſuo teſtamento fuit inſerta, clarè liquet de exiſtentia aliorum bonorum præter priùs diviſa, in quibus cadere potuit fideicommiſſum, bona autem in villa *di Gavelle* per creditores Antonii Fieſchi executata de illis erant, quæ in prælegato, & memorata diviſione aſſignata fuerant eidem Antonio, undè non poterant fideicommiſſi titulo ab imminenti ſubhaſtatione liberari, firmumque ſtat, quod utiliter ſe geſſerit Margarita, & Antonius, ſi à tali pe-
11 riculo mediante Cambio cum Senatore de Bondelmontibus contracto illa eximerunt, juxta auctoritates allegatas §. *Utilitas*, quæ
12 omnia ſaltèm negari non poteſt, quo minus altiorem indaginem requirerant, itaut non niſi mediante lite Margarita poſſet bona prędicta eximere vigore fideicommiſſi à ſubhaſtatatione, attentis etiam detractionibus, quæ ex eodem Sebaſtiani fideicommiſſo potuiſſent Filiis hæredibus gravatis competere,
13 unde evidens fit ex hoc quoque capite Margaritæ utilitas in controverſo contractu, dum eo mediante ſeſe ab omnibus hiſce litibus, & inſpectionibus, non modicam diſcuſſionem requirentibus, liberavit.

14 Poſito ex his, quod cambium ſubſiſtat, ac pro illius ſatisfactione rectè agatur contra bona prędictorum coobligatorum, Margaritę ſcilicet, & Antonii de Elephantutiis, ſunt in tuto etiam hæredes præfati Senatoris Marci de Bondelmontibus, qui idem creditum ceſſit Auctori illorum de Canonicis, ſatiſque eſt, quod ipſi jura omnia, ex quibus talis crediti realitas, ac ſubſiſtentia demonſtratur in forma probanti actoribus extradiderint, ut probant *Cyriac. contr.375. nu.15., Urceol. conſult. for. cap.2. num.6., Rot. cor. ſa.mem. Gregorio XV. dec.579. num.1., & ſeq., ibique Adden. num.4., & coram Merlin. dec.508. num.2. verſ. reſponſum fuit.*

Et ità Partibus auditis &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunæ 22. Iunii 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt revocatoria alterius ſub die 20. Martii hujus anni.

Odioſa cum ſemper ſint reſtringenda, obid Judex, quando agitur de declarando incurſu in pænam ob contraventionem Teſtatoris præcepto adverſus hæredem, ſemper pro excluſione potius pænæ, quam è contra in re dubia ſtare debet.

Hæres fidejubere prohibitus, in pęnam à Teſtatore nominatam incidere non dicitur, ſi contractus, in quo fidejuſſiſſet, ad proprium commodum tenderet, ubi caſus prohibitus non intelligitur.

SUMMARIUM.

1 *Prohibitio Teſtatoris erga hæredes de non fidejubendo, nec cedulas bancarias favore tertii exponendo, non cadit in illo, qui cedulam exaraſſet, cujus tamen commodum ad ſe pertineret.*

2 *Extenſio de caſu ad caſum in materia pænali non datur, ubi rationis diverſitas concurrat.*

3 *Ex poſito cædulæ bancariæ, eſt actus ad fidejuſſores referibilis.*

4 *Fidejuſſio pro tertio, ſi ſimul ad fidejubentis commodum protendat dicitur mixta, quæ non cadit ſub prohibitione de non fideiubendo pro aliis*, & vide rationem in ſequenti numero.

5 *Pæna abſque dolo, & voluntate contraveniendi Teſtatoris præcepto per medium fidejuſſionis non datur.*

6 *Pæna incurritur à taliter prohibito, quando per fidejuſſionem mixtam, ſe negocium ſibi utile, & proprium gerere credidiſſet.*

7 *Pertinentia bonorum probatur per hoc, quod illorum Dominus in ultima voluntate de illis ad libitum diſpoſuiſſet, & uſque ad obitum eorum fructus percepiſſet.*

8 *Relatum virtualiter continetur in referente.*

9 *Contractus novus non dicitur initus ab eo, qui de exigibilitate cambii à ſemetipſo caſſi ſe obligaſſet*, & vide rationem, & n.11.

10 *Fidejuſſio, ſuſceptio obligationis pro tertio in ſe dicitur.*

12 *Pæna à Teſtatore cominata in caſu contraventionis ut excludatur, ſemper benignior interpratatio ſumenda eſt favore contravenientis*, & num.18.

13 *Probitio teſtatoris hæredibus facta de non fidejubendo pro tertio, non extenditur ad obligationes profluentes, ex natura propriorum contractuum, qui non cenſentur probibiti.*

14 *Ver-*

14 *Verba in odioſis, prout ſonant, intelligenda ſunt, & non extendenda.*

15 *Conventio non dicitur ab hærede incurſa, ſi ad actum obligationis pro tertio deveniſſet in ſequelam diſpoſitorum à Teſtatore particulariter, licet in genere fidejubere prohibuiſſet.*

16 *Scriptura ab actore producta, non poteſt ab ipſo in parte favorabili accipi, & in contraria reici, ſed uti jacet, & tota ſimul ſumenda eſt.*

17 *Periurium non præſumitur volitum ab illo, qui contractum præventivè iuratum, in morte ratificaſſet.*

18 *Judex de in judicando de incurſu in contraventionem, in dubiis, & arbitrariis, ſemper pro excluſione pœnæ ſtare debet, præſertim contra illum, qui de tali pœna cauſam foveret lucrativam.*

DECISIO DCCCCLXIII.

PUtabant hodiè defenſores Ven. Hoſpitii Invalidorum Urbis potiori jure agere ad conſequendam utramque pœnam ab eo petitam juxta duplicem contraventionem commiſſam à Hyacintho circa præceptum non fidejubendi, nec cedulas bancarias pro quavis perſona exponendi rigoroſè injunctum in teſtamento Hieronymi ejus Patrui, jàm enim in deciſione coram Me edita 14. Junii anni præteriti obtinuerant per Sac. Tribunal approbari contraventionem, quam Hyacinthus poterat incurrere, exponendo de anno 1710. pro Salvono Emptore Caſtri Galeriæ cedulam bancariam, ac pro ea decerni pœnam in ſcut. 500., rejecta altera contraventione quæ dependebat à contractu anni 1703. inito cum Cæſare Almon, ex quo iſte actus colluſivus eſſet, ac ſuſpectus de falſitate, undè cum interim admiſſo ad cauſam eodem Cæſare vindicante realitatem, & ſubſiſtentiam ſui crediti, reſponſum fuiſſet iſtius favore juxta aliam deciſionem coram Me editam 20. Martii currentis anni, in hac iterum audientia confirmatam, conſequens indè deſumebant, quod ex hoc quoque cōtractu altera promanaret contraventio, & etiam alia pœna ad formam dicti teſtamenti in ſcutis mille deberetur.

E contra creditores ejuſdem Hyacinthi poſita etiam prædictorum contractuum exiſtentia atque validitate, neutram deberi pœnam ſubſtinere conabantur, ex quo non importarent contraventionem præcepti Hieronymi, quod ſtrictè erat interpetrandum, & actus tantùm rigoroſæ ſuſceptionis in ſe alieni debiti videbatur compræhendere, & de facto Domini, licèt in alia cauſæ propoſitione habita dicta die 20. Martii proximè elapſi non potuiſſent in reſolutione convenire, in præſenti audientia hunc ſenſum amplexi ſunt, & reſponderunt -- *Recedendum eſſe à deciſis, & nullam pœnam deberi.*

Et ſanè diſtinguentes actus, ex quibus pro parte Hoſpitii deſumi contraventio, ac reſpective pœna prætendebatur, receſſus à deciſis quoad expoſitionem cedulæ Bancariæ occaſſione emptionis Caſtri Galeriæ indè cauſam habuit, quod memoratum Feudum deliberatum extitit à congregatione Baronum Salvono pro perſona nominanda, ſecutaque nominatione in perſonam Jo. Baptiſtæ Palazzeſchi, iſte ſucceſſivè declaravit omne commodum in dicto contractu ad Hyacinthum Patrem pertinere, ac de facto iſte ſupradicti Feudi poſſeſſionem accepit, curavit in Baronem, ac Dominum ſe à Vaſſallis recognoſci, illudque uſque ad obitum poſſedit, ac ſuper eo arctiſſimum fideicommiſ-
1 ſum, & primogenituram conſtituit. Conſtat itaque, quod ſi exponendo iſta occaſſione cedulam Bancariam Galeriæ, non alienam, ſed propriam rem geſſit, neque cadit talis actus ſub cenſura præcepti de non fidejubendo, dum Patruus prohibuit quidem fidejubere pro aliis, non vero ſeſe obligare ad proprium commodum, & quia agitur
2 de materia pœnali, ac etiam diverſitas rationis concurrit, de uno ad alium ex iſtis caſibus fieri non poteſt extenſio, *Rolan. à Vall. conſil. 43. nu. 53. lib. 4., Rodulph. alleg. 41. num. 6. & 7.*, & plenè *Rota in Romana caducitatis 3. Julii 1702. §. Subnixa coram R.mo D. meo Decano.*

Non obſtante, quod dictum Caſtrum Galeriæ verè emptum fuerit ad commodum cl. me. Ducis Odeſcalchi itàut Hyacinthus nihil, præter purum nomen haberet in hac emptione, juxtà recognitionem bonæ fidei per eum exaratam favore dicti Ducis. Fuit enim ſemper Hyacintho præſervata Juriſdictio, retentio tituli Marchionis, ac totalis adminiſtratio tàm Juriſdictionis, quàm reddituum dicti Feudi, itaut penes Ducem, ſolum Caſtri dominium reſideret, ideoque remanet firmū, quod expoſitio cedulæ ceſſit commodo ipſius Hyacinthi, dum ea mediante hæc omnia acquiſivit, pro quibus poterat ſeſe apertè obli-
3 gare, & ſaltem negari non poteſt, quod etſi ad fidejuſſionem talis actus eſſet referendus,
4 adhuc ratione commixtionis proprii intereſſe ipſius fidejuſſoris, ſpeciem quandam fidejuſionis mixtæ conſtitueret, quæ ſub pœnali diſpoſitione loquente in caſu ſimplici, & prohibente fidejuſſiones unicè peractas in gratiam tertii, non veniret, juxta deducta per *cit. Rolan. à Vall. d. conſil. 43. ſub. nu. 43. lib. 4.*, & *Rota in Spoletana cauthelæ Angeli 27. Junii 1701. §. Perperam coram Em.o D. meo Cardinali della Tremoille*, ea
5 ratione, quod ſicùt pro incurrenda pœna requiritur dolus, & voluntas contraveniendi,
6 ità hæc ceſſant, quando Hyacinthus propter commixtionem proprii intereſſe, & pro acquirendo titulo, & adminiſtratione dicti Feudi, juſtè credere potuit ſibi licitum eſſe dictam cedulam exponere, & hæc ſufficiunt ad excuſandum à pœna, *Rota dec. 168. num. 17. par. 19 rec.*, & *in citata Romana caducationis 3. Julii 1702. §. Subnoxa cor. R.mo D. Molines*, & *in Romana Hæreditatis de*

Ru-

Ruſpolis 13. *Junii* 1704. §. 39. ubi concordantes coram eodem.

Minuſque urgente, quod dicta tituli, juriſdictionis, & adminiſtrationis præſervatio ſolum ceſſerit in commodum Jo. Baptiſtę filii, adeout pro iſto Hyacinthus actum geſſerit fidejuſſionis expreſsè à Teſtatore prohibitum etiam pro ipſo filio, juxta deducta §. *fin.* deciſionis, quæ revidetur. Quoniam objectum ceſſat ex facto, animadvertendo non ſolum, quod ex Jo. Baptiſtæ declaratione habetur ipſum in dicta præſervatione, & acquiſitione nudum nomen dumtaxat habuiſſe, omneque commodum fuiſſe Hyacinthi Patris, verum
7 etiam quod idipſum confirmatur ex ſubſequtis actibus, per quos conſtat, titulum, juriſdictionem, adminiſtrationem reddituum, aliaque omnia exercita ſemper fuiſſe per Hyacinthum uſque ad diſponendum de his omnibus tanquam de re propria in ultima voluntate cum onere ſtrictiſſimæ Primogenituræ, ut fuit dictum etiam in ſuperiori §. *Et ſanè*, qui porrò actus dubium eſſe non poteſt, quin plenariam pertinentiam probent favore dicti Hyacinthi.

Neque contradicit mandatum Procuræ ad capiendam poſſeſſionem exaratum à dicto ejus filio. Id enim factum fuit in ſequelam prædictæ declarationis, & cum expreſſa individuali relatione ad illam, undè ſi virtua-
8 liter relatum continetur in referente, non poteſt exindè contrarius ſenſus deduci.

Facilius vero exiſtimarunt DD. non deberi pœnam, neque ullam fuiſſe incurſam contraventionem ex altero contractu inito cum Cæſare Almon. Non quidem ex quo ſimulatus eſſet, ac de falſitate ſuſpectus, ut fuerat dictum in deciſione, quæ revidetur, ſed ex quo admiſſa illius legalitate juxtà deciſionem editam 20. Martii proximè præteriti, & confirmatam in hac eadem audientia,
9 talis contractus non importaret, niſi meram obligationem Hyacinthi pro exigibilitate cambii antecedenter per ipſum ceſſi favore ejuſdem Cæſaris Almon, qua quidem poſita antecedenti Cambii ceſſione, fidejubendo Hyacinthus, novum contractum non iniit, mi-
10 nuſque alienam in ſe ſuſcepit obligationem, quod propriè dicitur fidejubere, ut explicat *Rota cor. San. mem. Greg. XV. dec.* 554. *n. primo, cor. Peutinger. dec.* 157. *n.* 7., & *dec.* 96. *n.* 21. *p.* 11. *rec.*, ſed ſuam adimple-
11 vit, dum jam ex natura contractus, & legis miniſterio pro exigibilitate Cambii favore Ceſſionarii remanſerat obligatus, *ad Text. in l. Qui fundum* §. *Qui agrum ff. de contr. Empt.*, & *l. Si Venditor in princ. ff. de action.*, *Surd. conſ.* 411. *n.* 15. *lib.* 3., *Gratian. diſcept. for. cap.* 547. *n. primo*, *Rota dec.* 639. *n.* 4. *cor. Merlin.*, *cum aliis vulgar.*

Quæ ſanè interpretatio eo libentiùs eſt
12 admittenda, quia agitur ad duriſſimum, & odioſum finem exinde inducendi in Hyacintho delictum contraventionis voluntati ejus Patrui, & incurſum in pænam ab eo comminatam, in quibus terminis omnis benignior interpretatio ſumi debet pro delicti, & pœnæ excluſione, maximè quia talis eſt ſpiri-
13 tus, & ratio diſpoſitionis, quæ propterea ad obligationes venientes ex natura contractus extendi non debet, juxta regulam, quod
14 verba in odioſis intelligi debent, prout ſonant, & neque ex rationis identitate, ad alia protrahuntur, *Cap. Odia de regul. Jur. in* 6., *Gratian. diſcept.* 17. *n.* 21., & *diſcept.* 722. *n.* 20., *Rota dec.* 423. *n.* 10. *p.* 29. *rec.*, & paſſim alibi.

Et ulterius qualiſcumque ſit iſte contractus, ſemper excuſabilis ex alio capite ab incurſu pœnæ Dominis viſus eſt, ex quo nem-
15 pe Hyacinthus ad talem obligationem devenit in executionem voluntatis Hieronymi Teſtatoris ejus Patrui, qui ut exprimitur in eodem folio obligationis ita vivens convenerat ibi -- *Perchè il medemo Signor Ceſare Almon diede li ſcudi* 6333. 33. *al Signor Girolamo per pagarli &c. con animo, e ferma intentione, che io infraſcritto mi ci obligaſſi come principale &c. Per il che &c. m'obligo &c.* -- Quod ſi itaque Hyacinthus ad hujuſmodi actum proceſſit in adimplementum voluntatis Patrui Teſtatoris, & conventionis ab eo factæ, dici non poteſt, quod ex hoc capite illius diſpoſitioni contravenerit, & pænam luere debeat comminatam in caſu, quo ex ultronea ſua voluntate alienas in ſe aſſumeret obligationes, ut de ſe patet.

Abſque eo quod ſuffragetur reſponſio, quod talis Patrui conventio aliunde non probetur, quam ex ſola aſſertione Hyacinthi. Quoniam cum hujuſmodi expreſſio legatur in illo unico, & individuali folio, ex quo deſumit Hoſpitium ſuæ intentionis fundamentum pro conſecutione pœnæ, inde fit, ut eam
16 nequeat impugnare, cum de jure non liceat unam, eandemque ſcripturam, quæ pro fundamento actionis fuit ab Actore producta, in parte approbari, & in parte reprobari, ut plenè probant *DD. in cap. Cum venerabilis de exception.*, & plene relatis concordantibus firmat [*Rota in Romana Depoſiti* 11. *Decembris* §. *Accedit cum ſeqq. cor. Me.*

Præſertim quia folium prædictum ubi talis expreſſio continetur, fuit recognitum à Hieronymo per duplex publicum Inſtrumentum, & cum jurata aſſertione vera fuiſſe, & eſſe omnia, & ſingula in eo contenta,
17 quæ verba etiam ad prædictam conventionem ratione ſuæ univerſalitatis referuntur], itaut niſi vera illa fuiſſet, dicendum eſſet, Hieronymum in periurium incurriſſe, & licet proximè moriturum, fuiſſe immemorem æternę ſalutis, ut ad arguendam veritatem ſimilium declarationum, ſæpius advertit *Rota*, & *præſertim in Maceraten. Cambii* 12. *Decembris* 1704. §. *Præterea coram Eminentiſſimo D. meo Cardinali Scotto*, & *in Carpentoraten. Pecuniaria* 25. *Jun.* 1714. §. *Abſque eo quod cor. R. P. D. meo Falconerio*, & in puncto iſtius met folii dictum fuit in deciſione edita favore Almon. 20. Martii proximè præteriti §. *Et ſane coram Me.*

Pro coronide demum DD. advertebant,
18 quod pronior eſſe debebat in præſenti caſu judicantium Animus ad contraventionum excluſionem, quia Creditores Hyacinthi rei conventi ad illius ſolutionem, cauſam fovent oneroſam, aguntque ad damnum vitandum, è contra vero Hoſpitium cauſam fovet merè lucrativam,& ad lucrum captandum agit, juxta regulam, de qua *DD. in l. fin. §. Licentia C. de jur. deliber*, *Rota decif.* 563. *n.* 11. *cor. Dun. jun., dec.* 795. *n.* 27. *cor. Emer. jun.*, *& dec.* 604. *n.* 1. *p.* 19. *rec.* Et ita utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA, SEU' CAMBII.

Lunæ 22. *Junii* 1716.

ARGUMENTUM:

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 20. Martii 1712.

Scriptura de falſitate ſuſpecta non dicitur illa, quæ ſuum habuiſſet effectum.

Deciſiones Sacræ Rotæ circa ea, de quibus obiter loquuntur, non ſunt paſſim allegandæ.

SUMMARIUM.

1 *Scriptura jurata, & per Inſtrumentum recognita dicitur validiſſima, maxime ſi in Judicio fuiſset approbata.*

2 *Amplia, ſi vigore illius debitor pulſatus, ſummam in ea contentam perſolviſſet*, & num. 3.

4 *Folium deſtitutum requiſitis in lege ſcripturas, antidatæ exceptione laborat.*

5 *Deciſiones Sacræ Rotæ de iis, quę obiter enunciant, non ſępe allegandę ſunt.*

DECISIO DCCCCLXIX.

Controverſia per Ven. Hoſpitium Invalidorum Urbis excitata ſuper ſolutione pęnæ impoſitę per Hieronymum Palazzeſchium Hiacyntho ejus hæredi, quoties fidejuberet, aut Cædulas Bancarias exponeret pro alieno negocio, anſam dedit Creditoribus ejuſdem Hyacinthi, quod & ipſos contractus, ex quibus contraventiones deduci prætendebantur, impugnarent, & de facto quoad contractum initum cum Cæſare Almon obtinuere iſto inaudito declarari pœnam non deberi, eo quod ſimulatus eſſet, ac de falſitate ſuſpectus, juxta *dec. editam* 14. *Junii* 1715. *coram Me*.

Neceſſe propterea fuit eidem Cæſari Creditori, ut prævia commiſſione admiſſionis ad cauſam compareret ipſe ad vindicandam non ſolum propriam exiſtimationem, ſed etiam ſui crediti ſubſiſtentiam, & realitatem, curavit itaque congruum proponi dubium, & favorabile reſponſum habuit in Audientia diei 30. Martii proximè pręteriti pariter coram Me, adverſus quam reſolutionem acquieſcere profitebantur Creditores antedicti, ſed revera adeo varias proponebant exceptiones, ut DD. cenſuerint iterum Partes eſſe audiendas; hinc igitur factum eſt, quod Dominos hodie requiſivi, *An ſtandum eſſet in primo, vel in ſecundo loco deciſis*, & reſponſum accepi pro perſiſtentia *in ultimo loco deciſis, juxta tamen modum inferius exprimendum*.

Quo ſiquidem ad ſubſiſtentiam, & realitatem Crediti Cæſaris Almon, omni facilitate proceſſit reſolutio: recurrebant enim ea fundamenta, quæ in præterita deciſione la-
1 tius fuerunt expenſa, & præ cæteris, quod Hyacinthus controverſam crediti ſcripturam per duo publica Inſtrumenta recognovit, addita jurata aſſertione circa veritatem omnium contentorum in illa, quodque pluries illius veritas, ac legalitas fuit in Judicio approbata, & denique quod paſſis per hæredem
2 Hyacinthi vigore ejuſdem ſcripturæ judicialibus moleſtiis, à Creditore, ſe ille vertit contra principalem Cambii debitorem, & iſte ſtatim perſolvit abſque exceptione ſcuta ſex millia una cum fructibus, quæ porro omnes
3 circumſtantiæ ponunt in tuto ſubſiſtentiam, ac realitatem controverſi folii, ſive Apocę, & omnem colluſionis, & falſitatis maculam abſtergunt, *ut in d. dec.* 20. *Martii proximè præteriti §. Et ſane cum duobus ſeq.*

Obſtricti Creditores hiſce rationibus, aliiſque ibidem deductis pro reijcienda ſimulatione, falſitate, cæteriſque eorum exceptionibus, admittebant in genere pręcedentem reſolutionem, ſed ſe læſos aliundè à firmatis in deciſione conclamabant.

Proponebant enim in primis, quod in ſimplici facti enarratione aſſertum fuerat, actum fidejuſſionis emiſſum à Hyacintho favore Cæſaris contigiſſe de anno 1705., quando tamen
4 folium, unde hic actus deſumitur, utpote deſtitutum notoriis requiſitis *Text. in leg. ſcripturas*, antidatæ patitur exceptionem, nec rectè firmari valet d. tempore fuiſſe exaratum. Secundo ſeſe inde pati damnum poſſe aſſerebant, quod in §. *Quo vero* ejuſdem deciſionis dicitur conſueviſſe Hyacinthum in libris ſuii negocii pro magnificanda propria idoneitate deſcribere credita ad ſe non ſpectantia, & è contra omittere debitorum deſcriptionem, id, quod illegalitatem dictorum librorum concluderet, omnemque illis fidem adimeret.

In his terminis DD. probe noſcentes, quod
5 hujuſmodi quæſtiones ad cauſę præſentis reſolutionem minimè conferebant, & de facto hæc omnia obiter tantum in d. mea deciſione fuerant enunciata, nec proinde earum diſcuſſionem aſſumere opus erat, cenſuerunt (ut cæteroquin cuicumque aſſerto creditorum præjudicio, & timori ſatisfieret) declarandum in præſenti, quod neque quoad folii datam, neque quoad librorum legalitatem quicquam firmare, aut firmaſſe intelligebant, remittentes totaliter hujuſmodi inſpectionum examen ad congruum Judicium; ſatis in reliquo exiſtimantes firmam eſſe ſubſiſtentiam, ac realitatem Crediti Cæſaris Almon de

de præterito ab eiſdem Creditoribus impugnatam.

Et hic fuit modus, juxta quem, utraque Parte informante, fuit reſolutum &c.

ROMANA DOTIS, ET LUCRI DOTALIS SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 22. Junii 1716.

ARGUMENTMU.

Teſtator, ſi ſuumCreditorem de pingui aſſe hæredem ſcripſiſſet, ſemper ſuum debitum in illo compenſandi animum habuiſſe præſumitur, ex eademque rationis paritate alimenta lauta, loco fructuum dotalium Viduæ ſubminiſtrata præſumuntur.

SUMMARIUM.

1 *Fructus dotales à die ſequtæ interpellationis, Mulieri debentur.*

2 *Fructus dotis, & quarti, Mulieri non debentur, ſi illorum debitor hæres remanſiſſet, qui animum illos compenſandi habuiſſe præſumitur, amplia ut in* nn. 3. 9., & 12.

Interpellatio de fructibus facta operatur, ut iſti legis miniſterio debeantur.

4 *Compenſatio à fortiori volita à Teſtatore præſumitur de ſuo debito, ſi Creditorem ſuum inſtitueret hæredem, ſi debitum eſſet certum, & clarum.*

6 *Amplia, ſi talis animus compenſandi in Teſtatore, ex conjecturis deduceretur, & in quibus iſtæ conſiſtant.*

7 *Teſtator à fortiori cum ſua hæreditate fructus dotales Nurui debitos compenſare voluiſſe præſumitur, ſi in eodem teſtamento prohibuiſſet, quod neptis ſimiles dotales fructus ad eam alimentorum loco ſpectantes in proprios uſus erogaret, imò diſpoſuiſſet, quod in magis congruam domus ſubſtentationem illos erogare teneretur.*

8 *Teſtator præſumitur potius ſollicitus de utilitate Neptis, quam ſit de Nuru.*

9 *Fructus dotales cedunt loco alimentorum.*

10 *Fructus dotales in alimentis per Mulierem receptis compenſati præſumuntur, ſi lautam alimoniam percepiſſet.*

11 *Dos præſumitur deveniſſe ad manus Soceri, ſi iſte filii Sponſi bona adminiſtraſſet, & Pater ob id ad reſtitutionem dotis teneatur.*

12 *Amplia, ſi filius animi imbecillitate ſemper laboraſſet.*

13 *Compenſatio fructuum dotalium Mulieri debitorum cum alimentis illi præſtitis, durare poteſt uſque ad illius obitum, & interpellatio facta de eiſdem fructibus ab eadem, favore ſuorum hæredum poſt obitum reviviſcit.*

14 *Vidua extantibus filis, uſufructũ tantum quarti dotalis gaudet.*

15 *Uſusfructus quarti dotalis, defuncta Matre, favore filiorum remanet cum proprietate conſolidatus.*

DECISIO DCCCCLXX.

IN Judicio coram cl. me. Cardinali Taruſio tunc A. C. Locumtenente agitato inter Annam Mariam Victoriam Aquavivam Viduam relictam Alexandri Cucchii ex una, & Iuſtinam ejus filiam, Uxorem in ſecundis nuptiis Equitis Dioniſii de Mareſcottis ex altera ſuper reſiduo dotis ſcut 3725., lucro dotali ſcut. 1250., eorumque fructibus eidem Annæ Victoriæ debitis, petita fuit ex iſtius parte mandati exequutivi relaxatio, & in omnibus obtinuit. Sed Cauſa per commiſſionem cum clauſula *ſi quid exequendum*, ad noſtrum Auditorium delata, fuit coram clar. me. Cardinali Caprara diſputatum congruum dubium, & reſolutum quoad dotem, & Quartum affirmativè, ſed quoad fructus reſervata fuit eorum inſpectio particulari examini, ut ex deciſione edita 26. Februarii 1698.

Quamvis abinde citra inter eoſdem Dominos de Mareſcottis à Franciſca Juſtina cauſam habentes, & DD. de Marſciano ex perſona d. Annæ Mariæ Victoriæ venientes, plures cor. R.P.D. meo Anſaldo in locum d. Cardinalis Capraræ ſubrogato, diſcuſſæ fuerint controverſiæ cum ſeparata commiſſione ſuper redditione rationis à Mareſcottis petita, tàm ab eadem Anna Maria Victoria, quàm à Comite Philippo de Marſciano, nihilominus d. fructuum inſpectio reaſſumpta non fuit, niſi coram Me, cui cauſæ inter dd. partes vertentes fuerunt commiſſæ pariter per ſeparatas commiſſiones: ideoque cum aliis dubiis datis in Audientia diei 2., & 6. Decembris proximè præteriti, dedi diſputandum etiam iſtud -- *An mandatum A. C. ſit exequendum, & novum relaxandum pro fructibus Dotis, & Lucri* -- Sed edita tantum reſolutione ſuper legitima executione mandati pro dote, & lucro, quoad d. dubium reſponſum fuit *Dilata*, prout etiam quoad alia, quæ redditionem rationis concernebant. Hodie vero iterum omnibus repropoſitis, quoad redditionem rationis, reſponſum fuit, ut in contemporanea Deciſione, pro confirmatione ſententiæ Rotalis, ſuſpenſa tantum reſolutione ſuper partitis reſervatis, & quoad dd. fructus, prodiit reſcriptum -- *Mandatum A. C. non eſſe exequendum, & novum eſſe relaxandum pro fructibus Dotis tantum, juxta modum* inferius exprimendum.

Hujc reſolutioni in prima parte cauſam dedit ejuſdem mandati iniuſtitia. Ab anno enim 1681., quo deceſſit Alexander Annæ Mariæ Victoriæ Conjux, uſque ad annum
1 1692. nulli fructus debebantur, quia Dos, utpote quantitativa, merum creditum pecuniarium evaſerat, neque ulla hoc tempore ſequuta fuerat interpellatio, & proindè uſuræ dotales currere non potuerunt, *Rota poſt Salgad. in labyrint. Creditor dec. 27. n. 7., & 8., dec. 178. n. 7., & ſeq. cor. ſan. mem. Alexandro VIII., & paſſim alibi.*

Abinde vero citra, quamvis eſſet ſequuta in-
2 terpellatio ex alio fundamento eoſdem fruc-

tus indiſtinctè neque ex dote, neque ex lucro debitos fuiſse DD. cenſuerunt; quippe quia cum fuiſſet eadem Anna Maria Victoria cohæres cum Alexandro inſtituta pinguis ſui patrimonii à Jo. Angelo dicti Alexandri Patre, utique tale relictum factum cenſeri debet animo compenſandi cum fructibus dotalibus eidem hæredi cæteroquin debitis, ut ex *text. in l. Mulier §. Cum proponeretur verſ. Quod ſi ff. ad Senat. Conſult. Trebellian.*, *ibique Gloſſ. verſ. Non lucratur, & in l. quod de bonis §. Quod accuſ ff. ad l. falcid.*, *Card. de Luc. de Dot. diſc.* 120. *n.* 4., *& plenè Rot. dec.* 257. *n.* 15. *p.* 7. *rec.*

Neque obſtat, quod debitum Dotis, &
3 conſequenter etiam ejus fructuum reſpectu Jo. Angeli Patris dici debeat voluntarium, quod de jure nullam admitteret compenſationem; præmiſſo ſiquidem, quod hic non agitur da compenſando Capitale, ſed ſolos fructus ejuſdem Dotis, ceſſat hujuſmodi dif-
4 ficultas, quia facta interpellatione dicti fructus non ex mera amplius voluntate, ſed ex
5 Juris miniſterio, legiſque neceſſitate debentur, & propterea verificata debiti neceſſarii qualitate, intrat procul dubio compenſatio, ut optime probant *Rovit. conſ.* 25. *n.* 1., *& ſeq. lib. primo*, *Roland. de Lucr. Dot. quæſt.* 96., *Fenzon. ad Statut. Urbis lib.* 1. *cap.* 131. *n.* 50., *Merlin. Pignattell. controv. forenſ. cap.* 44. *n.* 8. *cent.* 2., *Rota cor. Cavaler. dec.* 318. *n.* 1., *cor. R. P. D. meo Anſaldo dec.* 93. *n.* 69., *& dec.* 348. *nu.* 2., *& per tot. p.* 14. *rec.*

6 Eoque fortius hæc procedunt, quia ex urgentibus conjecturis volita oſtenditur à Jo. Angelo hujuſmodi compenſatio, prætèr enim generales illas ductas ex qualitate bonorum relictorum, quæ ſunt illamet prò reſtitutione ejuſdem dotis, & eorundem fructuum ſolutione hypothecata, ut advertit *Rota in d. dec.* 93. *num.* 66. *coram R. P. D. meo Anſaldo*, & ex quantitate pinguis relicti longè tranſcendentis debitum prædictorum fructuum, juxta deducta *per Card. de Luc. diſc.* 15. *num.* 4., *Rot. dec.* 255. *num.* 11. *par.* 7. *recen.*, concurrebant aliæ particula-
7 res circumſtantiæ id ipſum ſtrictius comprobantes, & præcipuè, quod in legato locorum montium facto in cauſam Dotis Franciſcæ Juſtinæ Nepti, Jo. Angelus explicitè injunxit, nè fructus d. Dotis illa poſſet percipere, ſed cum iis provideretur decentiori familiæ manutentioni; prout ipſe vivendo conſueverat, quemadmodum refertur in contemporanea deciſione ſuper controverſia redditionis rationis § *Abſque eo quod*, unde, ſi alimenta præſtanda eidem Nepti cum fructibus hæreditariis ſuccedere debebant ex voluntate teſtatoris loco fructuum dotalium,
8 à fortiori idem dicendum eſt reſpectu fructuum dotalium debitorum Norui ejuſdem Teſtatoris penitùs extraneæ, alioquin iſta melioris conditionis eſſet, quam illa, ut de ſe patet.

Suadetque volitam compenſationem optima quoquè ratio inde deducta, quod ſicut
9 uſuræ dotales ex diſpoſitione Statuti Urbis debentur titulo alimentorum, ut aliis relatis firmavit *Rota dec.* 727. *num.* 11. *par.* 18. *rec.*,
10 ita cum ſatis lauta alimenta Anna Maria Victoria conſequuta fuerit ex hæreditate debitoris dotis, in eaſdem uſuras dd. alimenta debent imputari, nè alias eadem hæreditas cogatur ad duplicatam ſolutionem alimentorum, quod nec Teſtator voluiſſe credi poteſt, nec æquitas, & Juſtitia pati ſolent, *l. bona fides ff. de regul. Jur.*, & in iſtis terminis latè tradunt *Cephal. conſ.* 244. *num.* 18., *&* 21., *Odd. conſ.* 75. *num.* 2, *& per tot.*, *Barboſ. in lege* 2. *in princ. num.* 39. *ff. ſolut. matrim.*, & probat cum aliis *Rota dec.* 493. *num.* 10., *&* 11. *part.* 18. *recen.*

Minùs relevat, quòd debitor dotis, & fructuum non eſſet Jo. Angelus teſtator, ſed Alexander Vir. Quoniam advertebant inprimis Domini, quod tempore receptæ dotis, Alexander erat ſub poteſtate Patris, & ille ejus bona adminiſtrabat, quo caſu ex juris præſumptione, quod dos ad manus ejuſdem
11 Patris devenerit, ipſe effectus eſſet ejus debitor, juxta *Text. in l. ſi cum dotem §. Tranſgrediamur ff ſolut. matrim.*, ibique plenè *Barboſ. num.* 7., *juncto etiam §. Ergo cum dos*, *Surd. dec.* 47. *num.* 6., *& ferè per tot.*, *Card. Luc. d. ſc.* 162. *num.* 25, *de Dot.* Et ulterius, quod, & ſi vere debitum fructuum do-
12 talium non ad alium pertinuiſſet, quam ad d. Alexandrum, tamen non ſolum ex quo attenta ejuſdem imbecillitate mentis, cenſeri poſſet voluiſſe iſtius officium adimplere, ſeu etiam quià concurrunt alia ſupra relevatæ conjecturæ, adhùc dicendum eſſet, voluiſſe Jo. Angelum hujuſmodi compenſationem, ut probat *Carol. Anton. de Luc. de Hæred. confident. cap.* 11. *num.* 3. *verſ. Martius*, & in terminis *Rovit. alleg. conſ.* 25. *num.* 4. *lib.* 1., & conferunt deducta *dec.* 875. *num.* 12. *coram Merlin.*, *& dec.* 67. *num.* 72. *cor. Arguel.*

Et hæc quoad primam partem reſolutionis. Quo verò ad ſecundam, in qua dictum fuit -- *novum mandatum eſſe relaxandum pro*
13 *fructibus dotis tantum*, juxta modum, fundamentum in eo fuit, quod hactenus firmata compenſatio per obitum Annæ Mariæ Victoriæ ceſſavit: & proindè cum jam ſequuta fuiſſet legitima interpellatio, iſtius vigore creditum fructuum quodammodò revixit, itaut illi proculdubio, uſque ad effectivã ejuſdem dotis reſtitutionem debeantur, ut plenè firmavit *Rota dec.* 457. *per tot. cor. Coccino*, *& poſt Conſtat. ad Statut. Urb. dec.* 92. *num.* 1., *&* 2., *ubi concordantes.*

14 Non tamen hæc ratio procedit quoad fructus petitos ex lucro, quia cum extantibus filiis acquiſitum fuiſſet Annæ Mariæ Victoriæ, quoad uſumfructum dumtaxat, remanente proprietate in hæreditate Alexandri Viri juxta notorium Urbis ſtatutum, de quo *Rota dec.* 419. *n.* 21. *par.* 16. *rec.* & paſſim alibi, utiquè per obitum ejuſdem Annæ Mariæ Victoriæ conſolidato cum proprietate uſu-

uſufructu, ampliùs ejus fructus ab Hæredibus illius peti non poſſunt, eorumque creditum abindè citrà extinctum eſt.

Et ita juxta hunc modum Domini reſponderunt utraque.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS.

Lunæ 22. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt duarum præcedentium confirmatoria emanatarum ſub diebus 3., & 7. Septembris 1714.

Vidua Tutrix filiæ à Socero relicta, de rigida rationis redditione quærenda non eſt, immo bene adminiſtraſſe præſumitur, ſi cũ ſplendore à teſtatore prædilecto familiam aluiſſet maximè ſi in ejus, & domus ſubſtentatione fructus tantum unius cenſus in tali manutentione erogaſſet, quando teſtator etiam facultatem ei dediſſet, ut in eadem manutentione illius ſortem erogaret. Inventario de bonis Viri pro reddenda ratione non indiget, ſi Vir mentecaptus vixiſſet, & ejuſdem Soceri adeſſet inventarium. Quæ expenſæ pro Nobilis puellę alimonia requirantur, eas diſtinctæ demonſtrat ſequens.

SUMMARIUM.

1 *Expenſæ pro manutentione familiæ cum curru, famulis, & ancillis, ſi excederent ſcut.* 140. *menſtruatim, exceſſivæ non dicuntur* & num. 4.

2 *Amplia, ſi teſtator familiam ſplendide alere præcepiſſet*, ac amplia ut in num. 5.

3 *Subamplia, ſi Tutrici facultatem dediſſet, ut pro domus manutentione cenſus ſortem diſtraheret.*

4 *Adminiſtrator præſumitur fructus omnes cenſus erogaſſe in manutentione domus ſibi à Teſtatore commiſſæ, ſi ob exceſſivitatem ſumptuum ipſe Teſtator facultatem dediſſet alienandi ſortes cenſuum, ad expenſas reparandas.*

6 *Curatrix à redditione rationis per teſtatorem liberata, non poteſt de ea ab hæredibus rigidè quæri, maximè ſi hæreditaria capitalia intacta ſervaſſet.*

7 *Amplia, ſi fructibus cenſus tantũ uſa fuiſſet in manutentione familiæ, quando de voluntate Teſtatoris, etiam ſortem potuiſſet alienare.*

8 *Teſtatorem non unum, ſed plures famulas detinuiſſe, ex quibus ejus verbis probetur.*

9 *Redditio rationis de bonis hæreditariis legitime fieri nequit, ſi hæreditarium deficiat inventarium.*

10 *Inventarium licet iniuſtum, ſi hæredes pro valido in Judicio approbaſſent, & per tranſactionis Inſtrumentum omnino eſt attendendum.*

11 *Amplia, ſi in eo omnia capitalia reperirentur deſcripta, & quæſtio in fructibus tantum verſaretur.*

12 *Deciſiones non ſunt applicabiles, ſi propoſitiones in eis firmatæ in diſparibus terminis verſarentur.*

18 *Inventarium hæreditarium de bonis filiis pro reddenda ratione non requiritur, quando adſit illud patris, ſecundum quod adminiſtrator rationem reddat*, & vide rationem in numero ſequenti, ac amplia ut in num. 15.

14 *Filius mentecaptus nil præſumitur acquiſiviſſe, & imo de bonis Paternis vixiſſe.*

15 *Tutrix filiorum non indiget inventario de bonis Viri mentecapti, ſed ſatis eſt, quod ad tramites inventari illius Patris rationem redderet, & à Judice fuiſſet in Tutricem electa.*

16 *Filia ingrediens Monaſterium pro diſſolutione ſponſalium tantum, animo quanto citius, exeundi, non præſumitur currus, & famulos dimiſiſſe, immò quid ultra pro eadem diſſolutione obtinenda erogaſſe.*

17 *Expenſæ funeris, & alemoſinarum a nobili Teſtatore relictarum aſcendentes ad ſcuta* 369. 87. *non dicuntur exceſſivę.*

18 *Adminiſtrator quantam ſummam, quotque fructus bonorum Pupilli percæpiſſet, quotque in illius manutentione errogaſſet, ex peritia Judiçiali benè probatur.*

19 *Expenſæ pro manutentione nobilis Puellæ in ſtatu nuptiis proximo, non ſunt regulandæ ad tramites illarum de tempore antecedenti, cum de ſtylo majores illæ præſumantur.*

20 *Adminiſtrator, ſi debitor unius partitæ remaneret, eam cum ſuo præcedenti oredito liquido, & æquivalenti validè compenſat.*

21 *Vidua ex hæreditate Viri expenſas pro unius anni manutentione ſibi acquirit, juxta ſtatutum Urbis cap.* 133.

22 *Compenſatio de facili admittitur, ſi res ſit de partitis hinc inde claris, & inter ſanguine coniunctos ad lites reſecandas agitur*

DECISIO DCCCCLXXI.

SEntentiam Rotalem, à R.P.D. meo Anſaldo latam ſuper ſufficienti redditione rationis favore comitis Philippi, & Caroli Pii de Marſcianis ſuper unoquoque ſtatu adminiſtrationis, vel per Annam Victoriam iſtorum auctricem, vel per ipſum comitem Philippum exercitæ, juxta deciſiones diſtinctim coram eo evulgatas 3., & 7. Decembris 1714., *confirmandam eſſe* in gradu ulterioris appellationis interpoſitę ab Agamemnone, aliiſque de Mareſcottis, hodiè Domini reſponderunt.

Non enim ab exceptionibus, iterum repetitis ab iiſdem de Mareſcottis, ullo modo concutebantur fundamenta dictarũ deciſionum præcedentis inſtantiæ: nàm procedendo pro faciliori reſolutione cum diſtinctione ſtatuum, eo tunc à Dominis ſtabilita. Quantum attinet ad primum ſtatum complectentem adminiſtrationem ab Anna Victoria expletam, ab anno 1671., quo obiit Joannes Angelus ejus Socer, ad annum 1681., quo deceſſit Alexander Cucchius ejus Vir, & ſic

& ſic per decennium, non erat in quæſtione, quod integerrima ratio redderetur de omnibus capitalibus hæreditariis ejuſdem Joannis Angeli, totaque controverſia reducebatur ad fructus exindè perceptos, circa quos videndum erat, an fuerint eo decennio integrè per Annam conſumpti in manutentione domus, & familiæ, vel potius in eorum adminiſtratione cum aliquali culpa, aut dolo ſe geſſerit.

In hac autem re Domini præmittebant, quod juxta peritiam judicialiter confectam, hujuſmodi fructus aſcendunt ad ſcuta 16759., quæ partitæ per calculum arithmeticum in totum tempus dictæ adminiſtrationis oſten-
1 dunt, fuiſſe impenſa quolibet menſe ſc. 140. circiter, hæc verò ſumma nullatenus exceſſiva videri potuit, habito reſpectu ad neceſſarium tractamentum familiæ, de qua agitur in præſenti, cum manutentione Currus, Equorum, duorum famulorum, & totidem Ancillarum, quando Teſtator ipſe eandem
2 familiam ſplendidè alendam præceperat, ut ponderavit deciſio præcedentis Inſtantiæ ſuper primo ſtatu 3. Decembris 1714. §. *Adhuc coram R. P. D. meo Anſaldo*, & alias dictum fuit *in Romana Pecuniaria, ſeu redditionis rationis* 22. *Januarii* 1709 §. *Expediti coram eodem*.

3 Eoque fortius, quia idem Joannes Angelus ſciens quid, & quantum in tali Familiæ manutentione eſſe poſſet neceſſarium, facultatem conceſſit Annæ Victoriæ curatrici relictæ ſui viri, & reſpectivè illius filii, alienandi ad eundem effectum etiam cenſum ſcutorum quatuor millium, quem tamen iſta præſervavit intactum, unde dicendum procul dubio videtur, quod ſi ſolos fructus in
4 prædictam cauſam erogavit, multò minùs impendit eo, quod ex præcepto Teſtatoris potuiſſet impendere, itaut omnes dicti fructus in cauſam omninò licitam, imò neceſſariam, & à Teſtore præſcriptam, fuerint conſumpti, ut cum aliis in dicta deciſione relatis §. *Superaddito*, probat *Rota deciſ.* 400. *num.* 2. *coram ſa. me. Innocen. X.*, *& dec.* 461. *num.* 7., *& ſeq. cor. Card. Cerro*

Accedente ulterius duplici facti animadverſione, quod nempe in prædicta quantita-
5 te menſtruorum ſcutor. 140. compræhenſæ remanent impenſæ factæ pro funere ipſius Teſtatoris, eleemoſyne, celebrationes Miſſarum, per ipſum injunctæ, & ſolutio compoſitionis factæ cum Rev. Fabrica Sancti Petri, aſcendentes ad ſcut. 2222., necnon emptio quorundam Argentorum, & Mobilium, quæ, finita cauſa, fuerunt per Annam Victoriam reſtituta, quodque agitur de cura-
6 trice à redditione rationis plenariè per Teſtatorem abſoluta, cum qua propterea admodum rigoroſè procedendum non erat,
7 itaut inſpecto, quod Capitalia omnia integrè præſervaverit, cenſum ſupradictum, quamvis permiſſum eſſet, non diſtraxerit, ac ſumma bona fide procedendo, etiam mobilia, cum fructibus hæreditariis empta, ſponte reſtituerit, dicendum ſit, non ſolum dolo, ſed etiam omni culpa vacaſſe, ac fideliter, & laudabiliter ſeſe in adminiſtratione geſſiſſe.

Abſque eo quod ſubſiſtat, Teſtatorem voluiſſe, aliquid ex fructibus hæreditariis inveſtiri in commodum Franciſcæ Juſtinæ Auctricis Dominorum de Mareſcottis. Id enim penitus excludi viſum fuit ex eo, quod relictis eidem Franciſcæ Juſtinæ nepti titulo legati locis Montium 75. in cauſam ſuæ dotis, expreſſe curatrici facultatem dedit impendendi in eadem familiæ manutentione, etiam fructus iſtorum locorum Montium, addita ratione, *acciò detti miei Eredi poſſino con più commodità mantenere Carozze*, *Serve*, *e Servitori*, & quamvis ſubdiderit, *come l'hò mantenute. e mantengo Io*, adhuc tamen hæc verba nullam reſtrictionem inducunt, dum non probatur, diverſimode ſe geſſiſſe AnnamVictoriam, nec regit in facto, quod teſtator unicum famulum retineret,
8 contrarium ſuadentibus, non ſolum mox relata particula ejus diſpoſitionis, quæ loquitur in plurali, ſed etiam receptis legati ſcutorum decem, cuilibet ex famulis in eodem teſtamento relicti, & quietantiis Sarcinatorum pro veſtibus ad illorum uſum confutis.

Quicquam non obſtante, quod adhuc ad
9 reddendam legitimam rationem deficiat Anna Victoria, ſive Domini de Marſcianis, hodie ex ejus perſona comparentes, in ſalutari principio exhibitionis legitimi invètarii, cum illud ab eadem Anna confectum, pluribus laboret defectibus. Fuit namque talis exceptio inutilis à Dominis exiſtimata, dùm ejuſdem Oppoſitores illud hactenus habuerunt pro valido, & uti legale approbarunt
10 non in Judicio duntaxat, ſed etiam ultimo loco in tranſactione inita anno 1713., in qua ad ipſius formam, bona ibidem deſcripta, receperunt, undè vi letur ipſis obſtare regula *Text in l. quod ſemel ff. de regul. Jur.*, cum aliis vulgaribus; præterquamquod ad effe-
11 ctum, de quo hic, & nunc agitur, parum illud contuliſſet, dùm exiſtentibus, prout eſt extra controverſiam, capitalibus, tota quæſtio reducitur ad reddendam rationem de iſtorum fructibus, circa quos nihil ex Inventario deduci poſſet, ut ponderavit pariter deciſio R. P. D. mei Anſaldi ſuper primo ſtatu § *finali*.

Sicut etiam ſuper defectu librorum tutelarium plenè ſatisfacit eadem Deciſio, ad quam propterea in hac parte ſe remiſſivè Domini habuerunt, ſicut etiam quoad argumenta deducta ex minori taxatione expenſarum pro manutentione familiæ, aliàs facta ab hoc noſtro Auditorio *in Romana Legati de Vlcis* 27. *Junii* 1708. *coram Rmo D. meo Molines*
12 *Decano*, cum ibidem demonſtretur ex pluribus facti circumſtantiis diverſitas illius controverſiæ à præſenti, propter quam citata Deciſio remanet inapplicabilis.

Et hæc quoad primum ſtatum. Quo verò ad

ad ſecundum reſpicientem adminiſtratio-
nem, ab Anna Maria Victoria retentam tu-
torio nomine Franciſcæ Juſtinæ unicæ filię,
ſuſceptæ ex matrimonio cum prædicto Ale-
xandro à die 15. Auguſti 1681., quo idem
Alexander deceſſit, uſque ad diem 23. Martii
anni 1684., quo eadem Anna ad ſecunda vo-
ta tranſivit cum Comite Philippo de Marſ-
ciano, non abſimilis fuit Dominorum ſenſus,
etiamſi duo iterum proponerentur obiecta,
13 quorum primum ex eo ducebatur, quod in
aſſumptione huius adminiſtrationis inventa-
rium hæreditatis Alexandri confectum non
fuerit, & alterum ex eo, quod taxatio manu-
tentionis domus eſſet ad ſummam valdè infe-
riorem ea, quam proponebant illi de Marſ-
cianis, reducenda, ſaltem pro anno, quo Fran-
ciſca Juſtina permanſit in Monaſterio.

Reſpectu enim primi inventarii defectum
non allegabilem Domini cenſuerunt, ſuppo-
ſito alio inventario, iam antea de bonis Joan-
nis Angeli, Patris Alexandri confecto, in
quo etiam Loca Montium, provenientia ex
dote Annæ Victoriæ, & cantantia in credi-
tum Alexandri deſcripta leguntur, dum at-
14 tento, quod prædictus Alexander erat men-
te captus, facile eſt credere, cum ſolis bonis
hæreditariis Patris obiiſſe, neque de pro-
prio quicquam, dum viveret, acquiſiviſſe,
15 itaut in aſſumptione huius adminiſtrationis
nova inventarii confectione Anna Maria Vi-
ctoria non indiguerit, ſatiſque fuerit, ut in
Tutricem Franciſcæ Juſtinæ filiæ à compe-
tente Judice confirmaretur, ut probat Deci-
ſio præcedentis inſtantiæ ſuper ſecundo ſtatu,
§. *finali coram R. P. D. meo Anſaldo*.

Reſpectu verò ſecundi obiecti, facilis quo-
que occurrebat reſponſio ex facto, dum
16 Franciſca Juſtina Monaſterium non educa-
tionis gratia ingreſſa fuit, ſed ex cauſa diſ-
ſolvendi ſponſalia, quæ ſecum contracta Vir
imparis conditionis aſſerebat, itaut etſi de-
geret in Monaſterio, adhuc tamen quia, re
compoſita, poterat quantò citiùs egredi, &
hæc illius ſpes erat, nequaquam neceſſe pu-
tatum fuit famulos, aut ancillas dimittere,
aut equorum diſpendium pro modico tem-
pore evitare, imò præter has conſuetas pro-
prię manutentionis expenſas, contigerunt
aliæ hoc tempore, quas tali occaſione, ten-
tandi iudicialiter, & extraiudicialiter receſ-
ſum à ſupradictis ſponſalibus, credendum eſt
fuiſſe neceſſarias.

Hiſque obiectis confutatis, & dempta par-
tita ſcutorum 1249. 82. particulari examini
reſervata, de qua in ſeparato dubio, neque
hodie reſolutum, contemporaneè actum fuit,
17 tota queſtio erat ſuper partita *d'uſcita ge-
nerale* ſcut. 369 88., quæ de exceſſu non poſ-
ſe redargui pariter viſa eſt, cum legata non
ſolùm, & eleemoſynas comprehenderet, ſed
etiam impenſas funeris Alexandri, quæ pro-
cul dubio ad ipſam Franciſcam Iuſtinam per-
tinebant.

Hinc Domini ad tertii ſtatus diſcuſſionem
tranſeuntes, in quo redditio rationis, non
ab Anna Maria Victoria exigebatur per
Mareſcottos, ſed à Comite Philippo, qui,
inito cum eadem matrimonio, adminiſtratio-
nem bonorum Franciſcæ Juſtinæ per ſeme-
ſtre circiter geſſit, donec nempe iſta quoque
nupſit Joſepho de Marſciano, memorati Phi-
18 lippi nepoti, firmum in primis habuerunt,
quod iuxta periti relationem ex fructibus
bonorum Franciſcæ Juſtinæ ad manus Admi-
niſtratoris prædicti non pervenerant, niſi
ſcuta 435. 31., & indè deſcendebat, quod
cum Comes Philippus pro eiuſdem Franciſcæ
Juſtinæ manutentione impendiſſet ſcut. 625.,
remanebat ipſe in tali ſtatu creditor ſcutorum
189.

Neque obſtare viſum fuit, quod adeò bre-
vi tempore tot pro Franciſca Juſtina expen-
ſæ non potuerint eſſe neceſſariæ, quoniã ad-
19 vertendum erat, huiuſmodi tempus præce-
dentium temporum exemplo iudicari non
poſſe, cum eo tunc Franciſca Juſtina, iuve-
nili florens ætate, de proximo matrimonium
eſſet contractura. Quæ quidem circumſtantia
maiores, ut experientia docet, ſumptus exi-
git, ultra quod in eadem ſumma continentur
etiam conſuetæ annuorum legatorum, &
eleemoſynarum ſolutiones, itaut multò mi-
nùs dici poſſit exceſſiva, ut probatum fuit in
Deciſione alterius inſtantiæ ſuper tertio ſta-
tu 7. Decembris 1714. §. *De nullo coram R.
P. D. meo Anſaldo*. Omiſſa inſpectione par-
titæ ſcut 400. pro annua ſumma, quam in Ca-
pitulis, cum Joſepho Sponſo initis, ſibi ea-
dem Juſtina reſervaverat, eaque ad congruum
iudicium, ut in §. *finali* eiuſdem Deciſionis
reiecta.

Supereſt denique poſtremi ſtatus examen,
in quo quæritur de adminiſtratione, defun-
cto Comite Joſepho, eiuſdẽ Franciſcæ Juſtinæ
Viro, per Comitem Philippum reaſſumpta,
& per annum uſque ad ſecundas illius nuptias
cum Equite Dionyſio de Mareſcottis conti-
20 nuata. In eoque pro faciliori cauſæ reſolu-
tione Domini præmittebant, quod ſi quæ
ſumma credito Comitis Philippi in hoc ſtatu
non correſponderet, adhuc aderant compen-
ſanda ſcuta illa 189., quorum ille creditor in
antecedenti tertio ſtatu remanſerat.

Et de facto guſtatis iterùm pręteritæ reſo-
21 lutionis fundamentis, conſtitit, quod ſepo-
ſitis expenſis primi ſemeſtris, debitis ab hæ-
reditate Viri defuncti pro viduili, iuxta Sta-
tutum Urbis *cap.* 133., expenſæ pro alio ſe-
meſtre non iuſtificabantur, niſi in ſcut 239.,
22 quibus ſe creditorem conſtituere poſſet Co-
mes Philippus, una cum alimentis eidem
Franciſcæ Juſtinæ præſtitis. E contra verò
certum erat, ex iſtius redditibus ad eius ma-
nus deveniſſe ſcut. 594. 43.; undè etſi iſta
ſumma, præfatis expenſis, & alimentis ſine
ullo exceſſu correſpondens potuiſſet exiſti-
mari, ut etiam advertit deciſio prioris in-
ſtantiæ ſuper quarto ſtatu dicta die 7. Decem-
bris 1714. §. *Cumque deductis coram R. P.
D. meo Anſaldo*, adhuc tamen eandem
compenſationem ad obtruncandas quaſcum-
quæ

que quærimonias iterùm Domini approbandam cenſueruut.

Et ita remiſsivè in reliquis omnibus ad ſæpedictas Deciſiones, in præcedenti inſtantia ſuper unoquoque ſtatu particulariter evulgatas, reſponſum fuit in ſecunda cauſæ propoſitione utraque &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM.

Lunę 22. Iunii 1716.

ARGUMENTUM.

Hęc eſt confirmatoria alterius ſub die 28. Novembris 1714.

Immiſsio ad certa deſignata bona fideicommiſſaria, quam contra aliquos ex compoſſeſsoribus hæres gravatus reportaſset, etiam contra cæteros, ex paritate rationis, verificatis neceſsariis extremis, ei concedenda eſt.

Theorica Oldradi ceſsat, ſi ex coniecturis erueretur, quod Teſtator progreſſivum fideicommiſsum ordinare in eius ſucceſsores, & ſubſtitutos intellexiſset, eaſdemque coniecturas diſtinguit ſequens

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio conceſsa in contradictorio judicio contra legitimos contradictores hæredi fideicommiſsario ad certa loca montium, ſi eadem militet ratio ad alia loca ex eodem fonte provenientia, concedenda eſt adversùs alios detentores in primo judicio non citatos*, & n. 10.

2 *Subſtitutio Seii in caſu obitus Titii ſine filiis, expirat, ſi iſte cum filiis decederet.*

3 *Limitatur, ſi adeſsent conjecturæ, quod Teſtator progreſſivum fideicommiſsum ordinare intellexiſset, et quę ſint iſtæ*, vide in num. ſequenti.

4 *Fideicommiſsum deſcenſivum volitum à Teſtatore dicitur, ſi reciprocè maſculos de ſuis maſculis vocaſset, et in eorum defectu fæminas, et demùm piam cauſam, ob quæ ceſsat ſententia Oldradi.*

5 *Teſtator ſic diſponens, dat intelligere ſe noluiſse coarctare ad momentàneum caſum obitus hæredis cum filiis.*

6 *Amplia, ſi agnationem contemplaſset, fæminas excludendo per modum regulæ, et linea maſculina terminata, fæminam vocaſset, cum obligatione aſsumendi nomen, arma, et inſignia ſuæ domus*, amplia ut in num. ſequenti.

8 *Subamplia, ſi Teſtator prohibuiſset alienationes non ſolùm de univerſali, ſed etiam de particulari fideicommiſso, ſub pæna caducitatis, etiam ex titulo legitimæ, vel dotis, vel in totum, vel in parte.*

9 *Hæredes dicantur vocati per fideicommiſsariā potius quàm per vulgarem, ſi teſtator alienationem ex quovis titulo etiam dotis, et legitimę prohibuiſset, ne ſua bona in exteros devenirent.*

10 *Malum jus alicujus, ex litigantibus deducitur, ſi plerique illorum eadem jura foventium liti ceſſiſsent.*

DECISIO DCCCCLXXII.

POſt editam coram Me favorabilem DD. de Caſalibus Deciſionem 28. Novembris 1714. ſuper confirmatione ſententiæ latę in antecedenti inſtantia à R.P.D. meo Anſaldo declarantis illis debitam ex perſona bon. mem. R.P.D. Bernardini eorum Patrui immiſsionem ad loca montium ſubiecta vinculo particularis fideicommiſsi conditi á Sertorio ſeniore de Teophilis, agnoſcentes aliqui ex Poſseſsoribus Reis conventis malum ius, quo in impugnanda adeò clara actione utebantur, liti ceſserunt, conſenſum pręſtando translationi locorum ab ipſis detentorum favore eorumdem Fratrum de Caſalibus, & pro huiuſmodi effectu literas Patentes in actis dimittendo.

Adhuc tamen, quia deindè ab aliis alia pariter loca cum eodem vinculo retineri notitiam habuerunt, hos quoque in iudicium coram Me vocari curarunt, conceſsa de conſenſu ad hunc effectum nova audientia, & concordato dubio -- *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis, et an ſit danda immiſſio ad alia loca montium* -- : ex his verò aliqui, ut fortaſse hodiernam propoſitionem effugerent habito recurſu ad R.P.D. Signaturæ Juſtitię Auditorem tamquam noviter tantum contenti, ad R.P.D. meum Anſaldum primæ inſtantiæ Judicem reſpectu ad ipſos cauſam remitti obtinuerunt. Alii verò adhuc coram Me acquieſcentes permanſerunt; undè diſputatio præſentis dubii ad iſtos tantùm reſtricta fuit, prodiitque hodie reſolutio eiſdem iura ſua deducere negligentibus, *Standum eſse in deciſis, et eſse dandam immiſſionem ad alia loca montium.*

1 Eadem fundamenta utrique parti reſolutionis cauſam prębuerunt, quia ſi ſubſiſtebant rationes, ex quibus aliàs coram R. P. D. meo Anſaldo DD. Fratribus de Caſalibus conceſſa fuerat immiſſio; & ex quibus ſententiam ab eo latam eſse confirmandam dictum fuerat coram Me; indè conſequens erat, quod non ſolùm in deciſis eſset hodie perſiſtendum, ſed etiam nova concedi deberet immiſsio ad alia loca habentia in literis Patentibus idem vinculum fideicommiſsi conditi à Sertorio ſeniore de Theophilis ſuper domo, & translati per Breve ſan. me. Urbani VIII. in memorata loca montium.

Has itaque rationes examinando, firmiter ſubſiſtere DD. viſum fuit, quod concurrerent fervore Actorum omnia extrema in præſenti judicio neceſſaria. Abſque eo quod vocationis fundamentum everti exindè poſſit,

2 quod Teſtator filium natu majorem Margaritæ vocaverit in caſu obitus Bernardini ſenioris ſine filiis, ideòque cum iſte deceſſerit cum filiis, omnis ulterior ſubſtitutio expiraverit, juxta vulgatam *Theoricam Oldrad. conſ. 21.*

3 Poſita enim regula, quod ab hujuſmodi *Theorica* recedi debeat, quoties ex conje

cturis

ſturis contraria Teſtatoris voluntas deſumatur ordinandi fideicommiſſum progreſſivũ, & deſcenſivum ad ſucceſſivè vocatos, & ſubſtitutos, juxta deducta cum aliis allegatis in deciſione, quæ revidetur §. *Quoniam, in Romana fideicommiſſi de Alveris* 12. *Januar.* 1712. §. *Hujuſmodi, & ſeq. cor. R.P.D. meo Criſpo*, talis efficaciæ viſæ ſunt illæ, quę in hypotheſi concurrebant, ut ſanè de tali voluntate dubitari ampliùs non poſſet.

4 Teſtator ſiquidem non ſolùm maſculos deſcendentes ex ejus filiis reciprocè inter ſe ſubſtituit, iiſque non exiſtentibus, filias fæminas, ſed etiam in eorum defectu ordine quodam retrogrado Margharitam ſuam filiam ſubſtituit, eique filium natu majorem, imò etiam tranſverſales vocavit in eorum linea, ſubſtitutiones aliis factas repetendo, & demùm Hoſpitale Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum; ex hac verò ſubſtitutionum efformatione tot perſonas, gradus, ac tempora complectente, quemadmodùm datur intelligi noluiſſe Teſtatorem illas dependere à fortuito caſu obitus hæredis inſtituti cum filiis, ita argumentum exindè ſumitur non obſtante talis conditionis purificatione pro fideicommiſſi progreſſivitate ad alios vocatos & receſſu à ſententia *Oldradi*, ut præter adductos in dicta mea deciſione §. *Et ordiendo*, firmat latè *Rota in Urbanien. fideicommiſſi* 13. *Februarii currentis anni* §. *Præter coram*
5 *R.P.D. meo Criſpo*, quamvis digreſſus iſte allegetur ad extendendum fideicommiſſum à maſculis agnatis ad cognatos deſcendentes ex fæmina, quia adhuc voluntas indè Teſtatoris explicatur non ſe coarctandi ad momentaneum caſum obitus hæredis cum filiis, ut reſpondit Deciſio pręcedentis inſtantiæ 4. *Junii* 1714. §. *Etenim coram R. P. D. meo Anſaldo.*

Succedit altera æque valida conjectura,
6 ex agnationis contemplatione reſultans, quæ quidem clarior eſſe non poteſt, dum præter vocationem maſculorum, & lineę maſculinæ, adeſt excluſio fæminarum per modum regulę, & terminata vera ſuæ familiæ agnatione, volita fuit à Sertorio ejuſdem continuatio artificialiter, & ficte, injuncta filio natu majori Margharitæ aſſumptione inſignium, & cognominis de Theophilis cum pæna caducita-
7 tis ad favorem proximioris, & quanti ſit ponderis hujuſmodi conjectura pro effectu, de quo hìc agitur, cum aliis in utraque alia deciſione deductis plenè habetur *in Narnien., ſeu Sabinen. fideicommiſſi* 15. *Februar.* 1713. §. *Progrediendo coram R. P.D. meo Anſaldo, & in allegata Urbanien. fideicommiſſi* §. *Addita etiam, & ſeq. coram eodem R.P.D. meo Criſpo.*

8 Minoris denique cenſeri non poteſt efficaciæ illa, quæ ex arctiſſima prohibitione alienationis non in univerſali dumtaxat fideicommiſſo, ſed etiam in particulari condito ſuper domo (cujus vinculo ſubiecta ſunt loca montium) cum pari pæna caducitatis, fuit omnibus inſtitutis, & ſubſtitutis injuncta, præſertim cum expreſſione quoad d. domum, *quod nec etiam prætextu legitimæ, dotis, ac dotium in toto, vel in parte diſtrahi poſſet.* Hoc enim non tantùm indicat Teſtatoris affectionem, & quidem valdè particularem erga
9 rem, de qua ita diſpoſuit, ſed hæredes quoque ad eam vocatos per fideicommiſſariam potiùs, quàm vulgarem oſtendit, ut præ cæteris firmatum fuit *in Bononien. fideicommiſſi de Roſſenis* 17. *Martii* 1702. §. *Et quarta coram bo.me. Muto*, dum præſertim diſponendo circa eamdem domum, & prohibendo ex ea remotionem armorum vocavit *in excogitabilem caſum*, quod ea umquam in extraneos deveniret, & in utraque deciſione ponderatum fuit §. *final.*

10 His omnibus hodie accedebat, quod aliqui, ut in facto dictum eſt, ex poſſeſſoribus controverſorum locorum montium, editas hactenus reſolutiones acceptarunt, literas Patentes dimiſerunt, & translationi ad favorem Actorum conſenſerunt, qui quidem actus reſpectu omnium eamdem cauſam habentium mali juris agnitionem in impugnada adeò clara actione præſeferunt, ut dictum fuit in *Melevitana deprędationis quoad Demetrium* 22. *Februarii* 1712. §. *Ac dum cor. Eminent D. meo Cardinali Priolo, & in Piſauren. Vallatorum ſuper bono jure* 21. *Martii proximè præteriti coram R.P.D. meo Rouault. de Gamaches.*

Et ita DD. relativè ad cæteras deciſiones unica tantum &c.

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ.

Veneris 26. *Junii* 1716.

ARGUMENTUM.

Juſpatronatus cum habeat præſumptionem pro ſe, quod ſub fæudi venditione, cui adeſſet annexum, non caderet, niſi mentio de hoc ſpecialis fieret, & per Apoſtolicum Breve declararetur, ob id eò fortiùs in tali venditione non fuiſſe compręhenſum probatur, ex quo illius poſſeſſor in Vacationibus præſentaſſet ad excluſionem feudatarii, iſteque ulterius ab hoc actu non reclamaſſet.

SUMMARIUM.

1 *Juſpatronatus cadit ſub venditione omnium bonorum allodialium ejuſdem Caſtri, in quo eſt, accedente tamen Brevi Pontificio,* & vide caſum.

2 *Juſpatronatus quod ſit Caſtro annexum non præſumitur, ſed ab allegante eſt probandum*, & n. 11.

3 *Juſpatronatus reſervatum hæredibus, & ſucceſſoribus, reſpicit hæredes univerſales, non illos particularium bonorum.*

4 *Juſpatronatus, quod ſit inter bona allodialia connumeratum, & non fæudi annexum, probatur, ex quo poſſeſſor allodialium præſentaſſet, non reclamante Domino ipſius fæudi.*

5 *Juſpatronatus dicitur jus honorificum, & inæſtimabile per ſe ipſum.*

6 *Juſpatronatus fęudo annexum, iſti pretium longè auget.*

7 *Juſpatronatus fœudo annexum non dicitur, ſi in illius venditione nulla mentio facta fuiſſet de illo.*

8 *Juſpatronatus connumerari inter bona allodialia Caſtri probatur ex iſtorum venditione, in qua de eo ſpecialis fieret mentio, & quod in illa compræhenderetur.*

9 *Juſpatronatus, ut probetur ad quem prius pertineret, declarationi à primo acquirente de hoc factæ totaliter defertur.*

10 *Juſpatronatus eſſe fęudo annexum non probatur per hoc, quod illius poſſeſſor præſentaſſet ad illud uti fęudi Princeps, cum hæc ennunciativa merè demonſtrativè ſe habere cenſeatur, et ad meram honorificentiam ſit reſcribilis.*

11 *Juſpatronatus non cadit ſub venditione fęudi ubi ineſt.*

12 *Legitima eſt quota bonorum, non hæreditatis.*

13 *Legitimarius particularis ſucceſſor dicitur.*

14 *Juſpatronatus, tamquam jus hæreditarium, in legitimarium non tranſit, ſed remanet favore hæredis univerſalis.*

15 *Aſſignamentum debitum Cappellanis, ſolvi debet à poſſeſſoribus bonorum Cappellaniç ſubjectorum pro rata unicuique tangente.*

16 *Debitum annuale certum, & per antea ſolutum à debitore, eadem ratione ſolvendum eſt in futurum.*

DECISIO DCCCCLXXIII.

INformante tantùm Joſepho Tano præſentato per D. Hieronymum de Alteriis ad unam ex Cappellaniis erectis à bo. me. R.P.D. Scipione Sancta Cruce in Oppido Caſtri Viani, Domini cenſuerunt conſtare de jurepatronatu s favore ejuſdem D. Hieronymi, & ab eo deberi aſſignamentum Cappellanis pro duabus ex tribus partibus, pro alia verò tertia parte deberi à D. Principe Gaſpare ipſius Patre.

1 Quod enim juſpatronatus pertineat ad D. Hieronymum, viſum eſt in dubium revocari non poſſe, cum illud à Marchione Antonio de Sancta Cruce memorati Scipionis hærede, prævia approbatione, & licentia à ſan. mem. Clemente X per ſpeciale Chirographum eidem conceſſa, translatum, & ceſſum fuerit, unà cum venditione cæterorum bonorum allodialium in eodem Caſtro, & Territorio exiſtentium favore cl. mem. Principis Angeli de Alteriis, à quo D. Hieronymus tanquam hæres univerſalis cauſam habet, ad *Text. in cap. 1., et cap. cum ſæculum de jurepatr., et in Clement. plures eod. tit., Rot. cor. Barat. dec. 183. n. 1. cum aliis in dec. 11. n. 17. cor. bo. me. Bencaſa.*

2 Abſque eo quod opponi valeat juſpatronatus prędictum annexum eſſe eidem Caſtro, ac proindè potiùs pertinere ad D. Principem Gaſparem illius Dominum, & Baronem. Aſſumptum enim aſſertæ annexionis non probatur in facto, prout cæteroquin plenè, & concludenter probandum eſſet, ut in ſpecie reſpondit *Rota dec. 885. n. 11. cor. Emer. jun.*;

3 imò verò potiùs excluditur, tum quia juſpatronatus reſervatum fuit pro hæredibus, & ſucceſſoribus, quæ ſanè reſervatio compræhendit hæredes, & ſucceſſores univerſales, non autem hæredes, & ſucceſſores bonorum particularium, ut aliàs ad excludendam annexionem huiuſmodi dixit *Rota d. dec. 885. n. 12. coram Emer.* Tum, & certiùs quia antequam Caſtrum, & bona allodialia in poteſtatem Principis Angeli devenirent, cum diviſim à ſeparatis Dominis, poſſiderentur, Ca-

4 ſtrum videlicet cum juriſdictione Territoriali à Domo Urſina, & bona allodialia à familia de Sancta Cruce, occurrentibus tamen vacationibus dictarum Cappellaniarum, hæc ſolùm ad illas pręſentavit, imò quod plus eſt anno 1663. unam ex illis ad Caſtrum Petræ Fortis, auctoritate Apoſtolica, tranſtulit ſcientibus, & patientibus Dominis de Urſinis eiuſdem Caſtri Viani Dominis, & Baronibus, quod quidem ab ipſis permiſſum non fuiſſet, ſi iuſpatronatus fæudo adnexum extitiſſet,

5 cum huiuſmodi iura honorifica certo pretio

6 per ſe inæſtimabilia, quando tamen fæudo inſunt, illius valorem, & æſtimationem maximè augeant, ex adductis per *Card. de Luca de jurep. diſc. 2. n. 13., Rot. dec 697. n. 3 p. 1., et dec. 46. n. 9 p. 9.*, & ſæpè alibi.

7 Præterea cum à DD. de Urſinis Caſtrum cum iuriſdictione venditum fuerit Principi Angelo, nec verbum quidem fuit inter Partes habitum de dicto iurepatronatus, & è

8 converſo cùm bona allodialia in eodem Caſtro, & Territorio exiſtentia ab eodem Principe empta fuerunt, Marchio Antonius de Sancta Cruce illorum venditor expreſſis verbis ceſſit, & tranſtulit in emptorem iuſpatronatus dd. Cappellaniarum, illa excepta, quæ ad Caſtrum Petrę Fortis iam pridem translata fuerat, & ſucceſſivè occurrentibus vaca-

9 tionibus idem Princeps emptor nominando, & præſentando ad dictas Cappellanias, ſemper aſſeruit illas olim fuiſſe de iurepatronatus DD. de Sancta Cruce, nunc verò ad ipſum & eius hęredes pertinere vigore inſtrumenti rogati per acta Belli Notarii A.C. ſub die 20 Januarii 1674, quo mediante venditio bonorum allodialium celebrata fuit. Huiuſmodi autem factum, & declaratio primi acquirentis quantæ ſit virtutis, & efficaciæ nemo eſt qui ignoret, ut in propoſito advertit *Surd. conſ. 305. n. 32. et ſeq., et conſ. 351. n. 24. lib. 3., Rot. dec. 125. n. 7 p. 14 rec., et in puncto d. dec. 885. n. 16. cor. Emer. jun.*

Neque adverſùs prædicta ullam vim facit, quod tam in acquiſitione d. iuriſpatronatus,

10 quàm in ſucceſſivis nominationibus à Principe Angelo factis, ipſe aſſumpſerit, atque adhibuerit titulum Principis Viani; nam cum ipſe non expreſſerit ſe acquirere, & præſentare tamquam talis, dicta ſimplex enunciativa apta non eſt operari effectum aſſertę annexionis, optimè *Surd. conſ. 423. n. 21. et 22., Rot. dec. 119. nu. 11. p. 19. rec.*, neque cenſetur taxativè appoſita, ſed ſolùm demonſtrativè ad maiorem honorificentiam, prout de facto

in

in præſentationibus additus quoque fuit titu-
11 lus *Ducis Monteruni*, quamvis ratione huius ſeudi nullum procul dubio ius quoad controverſum patronatum eidem Principi ineſset, ut in his terminis advertit *Lottber. de re beneſ. lib. 2 q. 9. à n. 54.*, & meliùs *Rot. in toties laudata dec 885 n. 15. cor. Emer.*

Atque ex his penitus excluſa prætenſa annexione iuriſpatronatus cum ſæudo Viani poſseſso per D. Principem Gaſparem, minus eidem ſuffragari poſset, quatenus prętenderet tertiam ſaltem partem in dicto iurepatronatus, quod poſt obitum Principis Angeli eius Patris ſibi adiudicari obtinuerit per Judices compromiſsarios in cauſam legitimæ tertiam partem bonorum, & iurium hæreditariorum ſub illius hæreditate cadentium;
12 quandoquidem cum legitima ſit quota bono-
13 rum, non hæreditatis, & legitimarius cenſea-
14 tur ſolùm particularis ſucceſsor; iuſpatronatus idcircò tanquam ius hęreditarium non potuit in ipſum tranſire, ſed cum ipſa hæreditate remanſit favore D. Hieronymi univerſalis hæredis, ut diſcuſso formiter articulo reſpondit *Rot. dec. 413., et dec. 560. nu. 1. et. 2. p. 12. rec.*

Et ex hac eadem ratione DD. deſumpſerunt fundamentum ſecundæ partis præcenſi-
15 tæ reſolutionis; nam cum aſſignamentum Cappellanis debitum ſit onus infixum bonis à Marchione de Sancta Cruce venditis Principi D. Angelo, procul dubio ſolvi debet pro rata à poſseſsoribus eorundem bonorum, & ſic pro duabus ex tribus partibus à D. Hieronymo, & pro alia tertia parte à Principe D. Gaſpare, ne alias iſte ſubducto eiuſmodi onere, plus ſua tertia parte in bonis hęreditariis Principis D. Angeli eius Patris ex cauſa legi-
16 timę conſequatur; & de facto cum ad hanc rationem utrumque hactenùs ſuam ratam perſolviſse conſtet, nemo eorum conquæri poteſt, quod eodem iure etiam impoſterum cenſeantur, iuxta *Text. in l ſed et Julianus §. Proindè ff. ad Macedon.*, & tradita per *Rot. in Lauden. penſionum 4. Decembris 1715. §. Majorem coram Me.*

Et ita Joſepho tantùm informante, & iura D. Hieronymi à quo præſentatus fuit in pręſenti deducente, reſponſum fuit.

EADEM VITERBIEN. CAPPELLANIÆ SUPER INSTITUTIONE.

Veneris 26. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

1 *Præſentatus à patrono legitimo, inſtituendus omninò eſt, maximè, ſi alter compręſentatus liti ceſsiſſet.*

2 *Pater non acquirit uſumfructum in bonis filii ab Avo provenientibus, ſi idem Avus in eo nepotem tantum inſtituiſſet, et ab eo voluiſſet eumdem filium excludere.*

DECISIO DCCCCLXXIV.

UNa cum dubio ſuper pertinentia iuriſpatronatus, propoſui hodie etiam alterum ſuper inſtitutione, quam Domini *Ioſepho informanti dandam eſſe* reſponderunt, tum
1 quia ipſe præſentationem obtinuit à D Hieronymo de Alteriis, ad quem ſpectare iuſpatronatus reſolutum fuit in altera contemporanea deciſione, tum etiam quia Bernardinus de Sanctis pręſentatus à Principe D. Gaſpare iam liti ceſſit, ac renunciavit, & in actis proteſtatus eſt, ſe nolle proſequi, neque adherere appellationi per eumdem Dominum Principem interpoſitæ à ſententia in partibus lata ſuper inſtitutione favore Joſephi. Quamobrem in his terminis inſtitutio ab hoc petita denegari nullo modo poteſt, *Rot. dec. 599. n. 24. p. 4. tom. 2. rec.*

Non obſtat, ſi dicatur ſpectare ſaltem ad Dominum Principem uſumfructum in bonis adventitiis D. Hieronymi eius filii, ac propterea præſentationem, tamquam fructum iuriſpatronatus ad eum pertinere. In codicillis
2 enim à Principe D. Angelo conditis anno 1704., expreſsis verbis vetitum fuit, ne uſuſfructus hæreditatis ſuę, quam in præcedenti teſtamento D Hieronymo nepoti reliquerat, ipſius Patri quæreretur, undè locum ſibi vindicat diſpoſitio *Text. in l. Cum filiofamilias ff. de legat. 1., et in autb. excipitur Cod. de bonis, quę liberis &c.*

Et ita altera &c.

ILLERDEN. ANNUÆ PRESTATIONIS.

Veneris 16. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

Manutentio in poſſeſſione exigendi annuas preſtationes à Religione Hyeroſolimitana retardari nequit ſub prætextu, quod ædem non ab ea, ſed à magnis ſuis Prioribus fuiſſent ſemper ſolutæ, quia iſti eam repreſentant, & uti illiùs adminiſtratores conſiderantur.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio in executione annuæ præſtationis non poteſt denegari, ſi probetur, quod exigens ſit in longa, & pacifica poſſeſſione illam exigendi.*

2 *Manutentio ut concedatur, plurimum deſertur titulo claro, & bono Juri.*

3 *Decimæ primitiæ, oblationes, & Jura Sepulturæ ex cauſa Belli non ceſſant.*

4 *Manutentio in exactione decimarum retardari nequit ſub prætextu devaſtationis bonorum propter Bellum, &* n. 5.

6 *Ratio, quæ non militat debitori annuarum præſtationum ad effectum retardandi manutentionem in illarum exactione, neque militat favore ſucceſſorum.*

7 *Recollectio tenuis unius anni, in materia annuarum præſtationum, compenſatur cum fertili antecedenter percepta, & in futuris nec ſub prætextu tenuitatis retardatur annua præſtatio.*

8 *Magni*

8 *Magni Priores Religionis Hyeroſolimitanæ ſunt meri adminiſtratores bonorum, & redditu um illius Eccleſiæ.*

9 *Manutentio in exactione annuæ præſtationis retardari nequit, ex quo quis non exegiſſet à vero debitore, quando perſona, quæ ſolviſſet debitorem ipſum repræſentaret.*

10 *Manutentio in exactione annuæ præſtationis actori competens, etiam illius ſucceſſorem afficit.*

11 *Exceptio, quod quis in Judicio non fuiſſet citatus, opponi nequit, ſi iſte à mandato relaxato appellaſſet.*

DECISIO DCCCCLXXV.

ADverſus Mandatum de manutenendo in quaſi poſſeſſione exigendi certam annuam præſtationem partim in ſpecie, & partim in pecunia relaxatum à R.P.D. meo Falconerio ad formam deciſionis coram ipſo editæ die 4. Maii 1714. favore Capituli Cathedralis Eccleſiæ Illerden, contra Sacr. Religionem Hyeroſolimitanam, & Magnum Cathaloniæ Priorem, commiſſa mihi per Signaturam Juſtitiæ appellationis cauſa cum facultate manutenendi, quem de jure, propoſui hodie congruum dubium, *An, & cui ſit danda manutentio*, quam DD. Capitulo dandam eſſe reſ-

1 cripſerunt, nedum quia ab eo doctum fuit de longa, & pacifica quaſi poſſeſſione exigendi à Magnis Prioribus pro tempore, eamdem Religionem repræſentantibus d. annuam præſtationem, quæ operatur, ut petita manutentio denegari non valeat, *Rota in Gneſnen. Decimarum 16. Januarii 1716. §. Juſtitia cor. R.P.D. meo Althann., & in Ceſenaten manutentionis 10. Februarii 1716. §. Reſolutione cor. R.P.D. meo Criſpo, & in Forolivien. manutentionis 24. Aprilis 1716. §. Ea quidem cor. d. R. P. D. meo Althann.*

Verum & certiùs quia ex antiquiſſimo Inſtrumento unionis Eccleſiæ de Corbins cum omnibus illius Juribus, & pertinentiis factæ anno 1272. à Guillelmo tunc Epiſcopo Illerden. favore Ordinis Equitum Templariorum, in cujus locum, & jura ſucceſſit Religio Hyeroſolimitana, cum expreſſa reſervatione annuæ præſtationis libr. 34. monetæ Jaccenſis, necnon certæ quantitatis frumenti, Ordei,

2 & Avenæ, illico apparuit de titulo, & bono jure Capituli, quod ſine dubio plurimum juvat, ut manutentio concedatur, ut ultra auctoritates adductas in deciſione præcedentis inſtantiæ, dixit *Rota in Barchinonen. annuæ præſtationis 11. Januarii 1704. §. Hinc, & 5. Maii ejuſdem anni §. primo cor. Me*, & alibi ſæpe.

Neque obſtare DD. cenſuerunt, quod cum ab anno 1702. ratione Bellorum, quibus Principatus Cathaloniæ vallatus fuit, impedita remanſerit bonorum cultura, & conſequenter libera poſſeſſio, & perceptio fructuum Eccleſiæ de Corbins, cogi nequeat Religio ad præſtationem annualitatum durante eodem bello decurſarum, cum præſertim illa pro majori parte reſervata ab initio fuerit, & ſucceſſivè ſemper exacta à Capitulo ſuper eis dem fructibus naturalibus in ſpecie.

Ultra quod enim nullibi hactenus probatum fuit, quod ob cauſam memorati Belli, nulli omnino fructus ex bonis dictæ Eccleſiæ percepti fuerint, neque de cætero veriſimi-

3 le eſt, quod etiam defecerint Decimæ, Primitiæ, oblationes, jura Sepulturæ, & hujus generis alia, una ſimul cum conceſſione d. Eccleſiæ in ordinem Templariorum, & ſucceſſivè eo ſuppreſſo in Sac. Religionem Hye-

4 roſolimitanam tranſlata. Ac proinde hac probatione deficiente nequit interim retardari manutentio favore Capituli, ut in proximis terminis reſpondit *Rota dec. 841. n. 4. cor. Buratt., dec. 56. n. 10. cor. ſa. me. Alex. VIII.*

Placuit reſponſio, quod quatenus etiam

5 hæc probatio haberetur, non ideo tamen poſſet Religio evitare pro d. tempore ſolutionem, & præſtationem annuam in d. Inſtrumento conventam, tum quia illa promiſſa fuit non tantum de fructibus Eccleſiæ unitæ, verum etiam de bonis propriis ipſius Ordinis Equitum Templariorum, quorum Jura tàm activa, quam paſſiva transfuſa fuerunt in Religionem Hyeroſolimitanam ejus loco in om-

6 nibus ſubrogatam; unde ſicuti d. exceptione juvari non poſſet ordo Equitum Templariorum, ita neque juvari valet Sac. Religio Hyeroſolimitana, quæ in illius locum, & jura ſucceſſit, *Rota dec. 52. n. 11. cor. Cerro, & dec. 561. n. fin. p. 18. rec., & in Romana multiplici 17. Februarii 1697. §. Ac proinde cor. Rmo Molines.*

Tùm & certiùs quia de jure cautum habe-

7 mus, quod is, qui ad præſtationem aliquam quotannis tenetur de fructibus certi fundi, vel certorum bonorum, non excuſatur ab illa propter ſterilitatem, quæ per aliquot annos contigerit, ſed dummodo ſalva manſerit rei ſubſtantia, ſi quid damni uno, vel altero anno ſibi illatum fuit, compenſare debet cum fructibus, & fertilitate antecedentium, & ſubſequentium annorum, ut in terminis titularis obligati ad ſolvendam penſionem, latè conſuluit *Alex. de Nevo apud Gigan. de penſ. qu. 62. num. 21., Lotter. de re benefic. lib. 1. quæſt. 39. n. 66. cum ſeqq., Rota cor. Burat. dec. 841. n. 4., & cor. Duran. dec. 369. n. 6.*

Minus etiam obſtare viſum fuit, quod quaſi poſſeſſio Capituli verificetur ſolum contra Magnum Priorem Cathaloniæ, non verò contra Sac. Religionem, quæ nunquam ſolvit, ac propterea contra ipſam actio pro manutentione nullo modo dirigi poſſit. Præmiſſo enim, quod Dominium Eccleſiæ de Corbins, ejuſque jurium, & pertinentiarum virtute ſupra expoſitæ conceſſionis, & ſucceſſivæ ſubrogationis ſemper extiterit, & hodiè etiam exiſtat penès ipſam Sac. Religionem, non vero penès Magnos Priores pro tempore,

8 qui ſolum reputantur meri adminiſtratores bonorum, & redditu um d. Eccleſiæ, & de eis aliquam tantum partem percipiunt, reliquum vero in commune Ærarium ipſius Religio-

ligionis fideliter conferunt, ut in apertis verbis diſponit *Stat. 1. de communi ærario*, & dixit *Rota cor. Seraph. dec. 1337. n. 11., & dec. 1460. n. 4., & cor. Mantic. dec. 230. n. 1., & ſeqq.*

Domini animadvertebant dd. annuas præſtationes jure peti poſſe ab ipſa Sac. Religione per viam manutentionis, quamvis ab ea
9 Capitulum nunquam directè exegerit, quia ſufficit ad hunc effectum, quod eas perceperit à Magnis Prioribus repræſentantibus in hoc ipſam Religionem ex d. antiquo contractu principaliter, & directè obligatam, ad ea, quæ in ſimilibus terminis tradunt *Poſth. de manut. obſ. 35. n. 81., Adden. ad Greg. dec. 275. n. 23., Rot. dec. 508. n. 1., & ſequen. p. 2. rec.*

Preterea ex alio etiam fundamento objectum corruere videbatur, quia cum poſt obitum Magni Prioris Serelta, qui in dd. annuis præſtationibus defecit, Sac. Religio ad formam ejus Statutorum in omnibus illius bonis jure ſpolii ſucceſſerit, hoc ſaltem nomine
10 bene riteque potuit contra ipſam dirigi actio pro eiſdem præſtationibus conſequendis, cum ex titulo, & præcedenti poſſeſſione contra Auctorem, de jure concedenda ſit manutentio contra ſucceſſorem, & hæredem, *Rota d. dec. 508. n. 2. p. 2. rec.*

Minime ſubſiſtente, quod Religio citata,
11 atque audita non fuerit, hujuſmodi namque exceptio hodiè amplius ab ea opponi non valet, cum pro ejus parte appellatum fuerit à mandato de manutenendo in præcedenti inſtantia relaxato, ad ejus pariter inſtantiam commiſſa mihi fuerit per Signaturam Juſtitiæ appellationis cauſa, & tandem hodiè à Capitulo pluriès monita, atque intimata ipſa jura ſua viriliter defenderit.

Et ita utraque &c.

FOROLIVIEN. JURISPATRONATUS.

Veneris 26. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

Epiſcopus ſibi Jus nominandi ad Jura patronatus non acquirit ex hoc, quod ipſi à Teſtatore illorum electio fuiſset commiſſa.

In declaratione pertinentiæ Juris patronatus, obſervantiæ nullimodè defertur; bene vèro in dubio, ſi ex Teſtatoris diſpoſitione eadem pertinentia colligi nequiret.

SUMMARIUM.

1 *Dominium probatur ex verbis in genetivo caſu prolatis favore eorum, in quos leguntur directa.*

2 *Fœminæ poſſunt eſſe capaces juriſpatronatus activi tantum, quæ veniant ſub nomine vocatorum deſcendentium.*

3 *Obſervantiæ, in materia nominationis ad jus patronatus, multum defertur.*

4 *Erectio Canonicatuum Epiſcopo commiſſa, reſervationem juris nominandi privativè ad ipſum, aut cumulativè cum Patrono à Teſtatore ſcripto non importat, amplia ut* in n. 6.

5 *Admiſſus ad jus nominandi ab Ordinario cum clauſula* ſi, & in quantum *nullum jus validum acquirit.*

7 *Teſtator, qui diſcretivo modo, & accuratè ſuam voluntatem aperiendo, hæredem ad Iuſpatronatus activè nominaſſet, dat intelligere, quod à ſe non nominatos ſemper excluſos voluerit.*

8 *Voluntas ſtat pro ratione in homine de ſuis rebus diſponente.*

9 *Voluntas Teſtatoris, ubi clara eſt, ſub debili obtentu paris, vel majoris rationis ad caſum ab illo expreſſe nolitum nunquam extenditur.*

10 *Obſervantia præterita, neque in linea interpretationis, neque præſcriptionis contra claram Teſtatoris voluntatem attenditur.*

11 *Amplia, ſi ageretur contra Succeſſores jure proprio venientes, & prædeceſſorum facto ſtare non obligatos.*

12 *Obſervantia ſtat loco legis, quæ à Teſtatore volita præſumitur, quando nulla diſtinctio in jure nominandi ex ejus teſtamento inter compatronos erueretur.*

13 *Actus, qui utrique parti opponi poteſt, neutri ſuffragatur.*

DECISIO DCCCCLXXVI.

VErtente coram Me controverſia ſuper inſtitutione inter duos præſentatos ad Canonicatum vacantem per obitum Franciſci Silvii de Torellis, veriti illi de Auguſtinis, qui alterum præſentaverant, ne præjudicium aliquod eorum Juribus irrogaretur, & ſimul cupientes, ut pertinentia Juriſpatronatus, tàm activi, quàm paſſivi, ſaltem pro tribus ex quatuor Canonicatibus fundatis à Joanne Baptiſta de Auguſtinis in eorum familia privativè conſtabiliretur, per ſpecialem, ac ſeparatam Commiſſionem admitti curarunt ad cauſam, & per me ſubſcribi dubium -- *An, & ad quos, & ſuper quibus Canonicatibus ſpectet Juſpatronatus activum, & paſſivum*, quod hodie cum DD. propoſuerim, reſponſum accepi, *Juſpatronatus Activum, & paſſivum ſpectare ad Auguſtinos, & Thaurellios juxta modum*, videlicet pro tribus Canonicatibus ad Auguſtinos, pro quarto verò nunc vacante ad Thaurellios.

Ac nulla quidem fuit difficultas pro firmanda in genere hujuſmodi pertinentia, tàm activa, quàm paſſiva favore dd. Familiarum. Nimis enim clara ſunt ea verba Teſtamenti memorati Joannis Baptiſtæ fundatoris, *debba farſi, & erigerſi quattro Canonicati, cioè trè della Fameglia degl' Agoſtini, & uno della deſcendenza della Signora Eliſabetta Moglie &c., del Signor Paolo Torelli*; ea nam-
1 que tamquam in genitivo caſu prolata dominium, & pertinentiam præſeferunt favore eorum, in quos directa leguntur, neque ullo pacto reſtringi valent ad ſolum Juſpatrona-

natus paſſivum, cum de ſui natura ſint æquè apta activum ſignificare; Immò perneceſſe activum ſignificent, cujus duntaxat capaces
2 ſunt Fæminæ, ſub Familiæ, & Deſcendentiæ appellatione in d. diſpoſitione, dubio procul comprehenſæ, prout aliàs occaſione controverſiæ exortæ ſuper altero ex dd. Canonicatibus latè reſpondit *Rota in Forolivien. Canonicatus 5. Februarii 1714. §. Cum enim, & ſeq. cor. R. P. D. meo Falconerio*, ubi
3 etiam ad rem ſubditur hanc interpretationem eo libentius recipiendam eſſe propter ſubſequutam uniformem obſervantiam, juxta quam occurrentibus pro tempore vacationibus, utraque Familia ſemper præſentavit, & præſentationes plenum effectum ſortitæ fuerunt.

Abſque eo quod ſuper d. Patrunatu Jus ullum ſibi aſſerere poſſint Epiſcopus, & Communitas Foroliv i en.; quandoquidem ipſis
4 commiſſa ſolum legitur executio Teſtamenti, atque erectio dictorum Canonicatuum, quod utique nullo pacto importat reſervationem Jurisſpatronatus privativè, aut cumulative, cum dictis duabus familiis, ut in ſimilibus terminis dixit *Rota in Barcbinonen. Beneficii 5. Decembris 1685. §. Parum etiam cor. cl. me. Cordinali Matthejo*. Et de facto quoties occurrentibus vacationibus præſentare tentarunt ad aliquem ex dd. Canonicatibus, eaſdem plerumque perſonas, quæ ab Auguſtinis, & Thaurellis præſentatæ fuerant, ſemper ab iſtis eorum præſentationes contradictæ, atque impugnatæ fuerunt, ne-
5 que aliter ab Ordinario admiſſæ, quàm cum clauſula *ſi, & in quantum*, quod bene demonſtrat nullum jus ipſis revera competiiſſe, ex adductis per *Rotam in Olomucen. Jurisdictionis 19. Januarii 1683. §. Tertiam obiectum, & §. Rurſus cor bo. me. Muto, & in Majori en. Beneficii 9. Martii 1711. §. Abſque eo quod cor. bo me. Caſſarello, cum quibus inclinando in illorum excluſionem tranſiit d. Deciſio Forolivien. Canonicatus §. Quoniam cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Et quamvis in caſu, quo dicti Canonicatus
6 erigi non poſſent Teſtator præceperit, quod erigerentur duo beneficia ſimplicia adiudicato eorum Jurepatronatus Epiſcopo, Communitati, Auguſtinis, ac Thaurellis; Dominis tamen viſum fuit non bene exindè deduci, quod ità etiam diſpoſitum cenſeri debeat in alia ſuperiori parte Teſtamenti, in qua Teſtator demandavit erectionem quatuor Canonicatuum, quæ jam ſuum effectum ſortita eſt; Immo potius ex oppoſito argumentum ducentes à diſcretivo loquendi modo inter unum, atque alterum caſum per Teſtatorem adhibito, ſubdebant in excluſionem Epiſcopi, & Communitatis, quod ſicuti idem
7 Teſtator in caſu, quo voluit illis reſervare Juſpatronatus cumulativè cùm dictis duabus Familiis, diſſertiſſimis verbis voluntatem ſuam aperuit, ita è contrario, quando id non dixit, ſed ad ſolos Auguſtinos, & Thaurellios verba direxit, ibi -- *Cioè trè della famiglia delli Agoſtini, & uno della Deſcendenza d'Eliſabetta Moglie di Paolo Torelli* -- id noluiſſe cenſetur, ut argumento *Text. in l. Unica §. Sin autem Cod. de caducitat. tollen.* dixit in puncto *Rota in d. Forolivien. Canonicatus §. Quoniam in fine cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Neque hìc inquirenda eſt ratio, cur potius ità in uno, quàm in altero caſu diſpoſuerit,
8 cum agatur de Teſtamento Hominis de rebus ſuis diſponentis, cui propterea pro ratione voluntas eſt, *Barthol. in l. Iam hoc jure ff. de vulgar., & pupillar., Rota deciſ. 279. n. 18. p. 13., & dec. 638., & n. 7. p. 18. rec.* Et qui reſervationem Jurisſpatronatus favore Epiſcopi, & Communitatis, ità ſtrictè limitavit ad caſum, quo erectio dictorum Canonicatuum ad effectum perduci non poſſet, mediantibus illis clauſulis, *allora, in tal caſo, e non in altra maniera*, ut niſi ejus vo-
9 luntas penitùs interverti velit, aut ratio recti ſermonis obliqua interpretatione turbari, datum non ſit Judici eamdem reſervationem ad caſum omnino contrarium erectionis dd. Canonicatuum producere, & extendere ſub debili obtentu paris, vel etiam majoris rationis, *Rota dec. 93. n. 17., & dec. 606. n. 19. p. 19., & in d. Forolivien. Canonicatus §. Quoniam cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Ex iiſdem ſupra relatis Teſtamenti verbis, facilis etiam apparuit diſtributio in genere dd. Canonicatuum inter dd. duas familias, ita videlicet, ut pro tribus Juſpatronatus pertineat ad Auguſtinos, pro quarto vero ad Thaurellios; licet enim retro elapſis temporibus, tàm Auguſtini, quàm Thaurelli ad omnes quatuor Canonicatus promiſcuè, atque indiſtinctè præſentaverint, & præſertim in ultima vacatione anni 1710., cujus occaſione prodiit toties laudata deciſio Forolivien cor. R. P. D. Falconerio, in præſenti ta-
10 men Judicio cum agatur de ſtabilienda pertinentia Jurisſpatronatus, præterita obſervantia, neque in linea interpretationis, neque in linea præſcriptionis attendi valet ad effectum, ut utraque familia par, & æquale jus in omnibus habeat, contra claram, & apertam voluntatem Fundatoris explicitam illis verbis hic denuo non abſre repetendis, *cioè trè della Famiglia degl' Agoſtini, & uno della Deſcendenza della Signora Eliſabetta Moglie &c., del Signor Paolo Torelli*. Et
11 multo minus in præjudicium eorum, quos non conſtat dd. cumulativis, & promiſcuis præſentationibus conſenſiſſe, & cœteroquin Jus, & vocationem ſuam à Judicio, & providentia Fundatoris independenter à quocumque alio deſumunt, ad tradita per *Rot. dec. 284. n. 10 p. 1., & in Firmana Jurispatronatus 21. Aprilis 1704. §. finali cor. bon. me. Muto, & in Imolen. Iurispatronatus 27. Ianuarii 1710. §. Abſque eo quod cor. Me.*

Unica igitur, quæ ſupererat difficultas, tota reſidebat in adiudicando in ſpecie uno ex dd. quatuor Canonicatibus Familiæ de
12 Thaurellis, & pro hac dirimenda quæſtione

ne DD. advertentes nullam regulam deſumi poſſe à Teſtamento Jo. Baptiſtæ Fundatoris, cum in eo nulla fuerit facta ſpecialis diſtinctio, cenſuerunt procedendum eſſe cum obſervantia, itaut ſicuti uſque de anno 1667., quo erecti fuerunt dd. quatuor Canonicatus, in uno ex eis inſtitutus fuit Franciſcus Silvius de Thaurellis, & in cæteris tribus illi de Auguſtinis, ita pariter nunc, & in poſterum, idem ordo ſervari debeat, atque eadem diſtinctio, quod nimirum ad Canonicatum olim poſſeſſum à memorato Franciſco Silvio, & modo per ejus obitum prima vice vacantem Juſpatronatus tam activum, quàm paſſivum competat illis de Thaurellis deſcendentibus ab Eliſabetta; pro aliis verò tribus Canonicatibus utrumque juspatronatus pertineat ad familiam de Auguſtinis, cum nemo conqueri valeat, quod deficiente lege fundationis, id quod hactenus obſervatum fuit ejus loco habeatur, juxta *text. in l. Diuturna ff. de legibus*, & dixit hodie *Rota in Viterbien. Cappellaniæ ſuper bono jure cor. Me*.

Haud ſubſiſtente objectio, quod vacante altero Canonicatu per liberam dimiſſionem Joannis Urſicii Auguſtini, iſte ad præſentationem illorum de Thaurellis collatus fuerit Franciſco Marcheſio ſub aſſertiva, quod eſſent illius unici Patroni; unde ex hac præſentatione videantur dictum Canonicatum hodie adhuc plenum ſibi appropriaſſe, & præelegiſſe; objectio enim ceſſat ex facto, quia præſentatio facta per Thaurellos non fuit privativè, neque cum aliqua aſſertiva,
13 quod ipſi ſolum eſſent illius Patroni, & præterea Marcheſius reportavit quoque diſtinctam nominationem ab illis de Auguſtinis, ac proinde hujuſmodi actus cum utrique parti eodem modo opponi poſſit, neutri ſuffragatur, *ad text in l. Cum quæritur 16. ff. de adminiſtrat. Tutor. Rota dec. 664. num. 6. p. 19. tom. 2. rec., & in Romana immiſſionis 18. Februarii 1715. §. Et demum cor. Me*.

Et ita utraque &c.

FOROLIVIEN. CANONICATUS SUPER INSTITUTIONE.

Veneris 26. Junii 1716.

ARGUMENTUM.

Si velis, vide.

SUMMARIUM.

1 *Literæ Apoſtolicæ ſubreptitiæ non ſunt exequendę, & ex quibus dicantur tales.*

2 *Præſentatus à legitimo Patrono inſtituendus eſt.*

3 *Deſcendens ex familia à fundatore ad jus patronatus paſſivum nominata abſq; præſentatione à Patrono facta eſt inſtituendus, cum ab ipſo fundatore habeatur pro nominato.*

DECISIO DCCCCLXXVII.

IN ſequelam eorum, quæ reſoluta fuerunt in altero dubio ſuper pertinentia, Domini progredientes ad reſolutionem iſtius à Me contemporaneè propoſiti ſuper inſtitutione, dixerunt, *literas non eſſe exequendas, & inſtitutionem dandam eſſe Antonio*. Poſito enim, quod Canonicatus, de quo agitur, vacans per obitum Franciſci Silvii de Thaurellis ſit privativè quoad omnes alios de Jurepatronatus iſtius familię tam activo, quam paſſivo, ut latè probatum fuit in alia deciſione ſuper pertinentia per totam, & præſertim §. *penultimo*, duo de plano conſequuntur,
1 alterum nempè, quod literę Apoſtolicæ Serughi non ſint exequendę, tamquam ſubreptitię ob non factam expreſſionem, quod Canonicatus prædictus debebatur uni ex deſcendentibus Eliſabethę de Acconciis Uxoris Pauli Thaurelli, & inſuper non verificatæ in alia parte, quod nempè idem Canonicatus eſſet de Jurepatronatus activo familiæ de Auguſtinis, à quibus idem Joannes Baptiſta Serughi pręſentatus fuit, ut alias firmavit *Rota dec. 665. num. 17. & ſeq. p. 18., & in Barchinonen. Beneficii 17. Februarii 1713., §. E' converſo, & §. Præterea coram R. P. D. meo Aldrovando*.

2 Et alterum quod inſtitutio omninò debeatur Antonio, nedum quia ipſe præſentatus reperitur ab illis de familia de Thaurellis, qui
3 ſunt veri Patroni; ſed, & certius quia cum ipſe ſit ejuſdem familię, ac deſcendens à memorata Eliſabetha, nulla indiget Patronorum præſentatione, ſed perindè habetur, ac ſi ab ipſo Fundatore nominatus fuiſſet, *Rota in Valentina Beneficii 8. Decembris 1713. § Clara, & in Gerunden. Juriſpatronatus 4. Februarii 1715. § Imò, & prima Julii ejuſdem anni §. ſicut coram Me*.

Et ita utraque &c.

EUGUBINA RENUNCIATIONIS.

Mercurii prima Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Pater, ſi neque à filia, neque ab illius viro actualem renunciationem umquam referre curaſſet, quam propter dotem illa paternis Bonis in actu ſponſalium ſe facturam promiſiſſet; eandem filiam ad ſuam ſucceſſionem, una cum cæteris filiis abilitare voluiſſe præſumitur, & ad id probandum, teſtes etiam informes, leveſque probationes, accedentibus præſertim adminiculis, admittuntur, ac ratificatione unius ex filiis coęquale intereſſe habentis.

SUMMARIUM.

1 *Pater cenſetur abſolviſſe Filiam nuptam à confectione renunciationis favore ejuſdem, ſi eam nunquam, nec à filia, nec à genero, donec vixiſſet, poſtulaſſet, & vide rationem.*

2 *Filiam, licet occaſione nuptiarum, & propter dotem Patri renunciaturam promiſiſſet, attamen eo non reclamante, & numquam*

quam actum renunciationis poſitivè poſt-lante, ad jura conſucceſſionis cum fratribus regreditur.

3 *Probationes omnes quoquo modo Patris voluntatem demonſtrantes admittuntur, quando agitur de reintegranda filia ad conſucceſſionem de voluntate Patris, nec requiritur ſcriptura, nec ſolemnitates.*

4 *Amplia, ut etiam coniecturæ ſufficiant*, & num. 6.

5 *Subamplia, ut etiam duos Teſtes admittantur, cęteroquin minus idonei, immò etiam mulieres, ac parte non citata, ad perpetuam examinati.*

6 *Mater admittitur ad teſtificandam mentem viri ſavore filiæ communis pro iſtius reintegratione ad conſucceſſionem cum fratribus, licet propter dotem filia renunciare promiſiſſet.*

8 *Pater, quod in mente reintegrare filiam ad conſucceſſionem in tali caſu habuerit, ex quo facto, illiuſque verbis probetur.*

9 *Verba prolata à Patre favore filiæ --* che doveſſe ſuccedere, e che foſſe erede -- *determinatam, & completam præſeferunt voluntatem.*

10 *Reintegratio filiæ ad conſucceſſionem in hęreditate Paterna ex mente Teſtatoris ſi ratificetur per actum publicum, & juratum ab uno ex coæquale intereſſe habentibus, ulteriori probatione non indiget.*

11 *Amplia, et ſi iſte idem abſolutionem petiiſſet à tali juramento, quando ad effectum agendi illam poſtulaſſet.*

12 *Abſolutio à juramento in confeſſionem per actum publicum emiſſo non datur, donec cauſa, ob quam abſolutio petatur, pro juſtà non canonizetur.*

13 *Hæres non poteſt defuncti ſui Auctoris factum impugnare.*

14 *Bona Avi, quando per illius obitum cum bonis Patris commixta remanent, non poſſunt ab iſtius filiis uti disjuncta conſiderari, ſed uti totum patrimonium*, & vide rationem.

15 *Promiſſio filii de renuntiando propter dotem favore Patris abſque ulla involutione cauſæ de futuro concepta, neque ullum præſeferente reſpectum ad reintegrationem ſibi à Patre concedendam, ad caſum ſucceſſionis non extenditur, ſed ſuam portionem teneretur fratribus reſtituere.*

16 *Renunciatio filiæ in ſæculo nubentis, eſt ſtrictius interpretanda.*

17 *Pater, etſi præſumatur ſe uniformare voluiſſe ſtatuto feminarum excluſivo in renunciatione filiæ, talem ceſſare facit pręſumptionem, quando de ſua contraria voluntate ex fortiori præſumptione conſtaret*, amplia ut in num. ſequenti.

DECISIO DCCCCLXXVIII.

IN Capitulis occaſione nuptiarum Thereſiæ Janninæ cum Mattheo de Luca exaratis, inter utriuſque Parentes ſtatutum fuit, quod dos diverſis vicibus perſolvenda aſcendere deberet ad ſcut. 2750. monetę Urbini, quodque Thomas Sponſi Pater Thereſiam Sponſam renunciare faceret omnibus bonis Paternis, Maternis, & Avitis favore Joſephi de Janninis ejus Patris, illiuſque hęredum, & ſucceſſorum; & hęc eadem Capitula ſucceſſivè ratificarunt, & approbarunt per publicum Inſtrumentum, non ſolum idem Thomas Pater, ſed etiam Matthæus filius, & in eorum ſequelam partem promiſſæ dotis receperunt.

Renunciationem verò ibidem conventam donec vixit Sponſæ Pater, neque unquam Sponſus curavit, neque unquam ille expetivit, ſolumque iſtius hæredes nuperrimè coram A.C. met pro illius adimplemento inſteterunt, ac de facto relaxari mandatum ad factum, & de gravando contra bona hæreditaria Thomę, & perſonam, & bona propria Matthei obtinuerunt; a quo tamen mandato commiſſa mihi fuit per Signaturam Juſtitię appellationis cauſa cum reſcripto *ſi quid exequendum*, ad cujus formam propoſui hodiè congruum dubium, eique reſponſum habui negativum, ſcilicet *mandatum A.C. non eſſe exequendum.*

Quamvis enim literalis ſit obligatio in recenſitis actibus aſſumpta per Thomam de Luca, & confirmata per Matthęum filium curandi, quod Thereſia ſponſa bonis Pater-

1 nis, Maternis, & Avitis renunciaſſet, adhuc tamen quia promiſſio iſta reſpicit perſonam Joſephi Sponſæ Patris dumtaxat, qui juri, & Beneficio proprio poterat ad libitum cedere, ac de eo diſponere favore cujuſvis perſonę, & etiam renunciatarii, ut plenè dictum fuit *dec.85.n.1.. & ſeq. coram Sa:me: Gregorii XV., in Romana immiſſionis* 2. *Martii* 1711.*§. ſuperfluum coram Emo D.meo Card. Scotto, & in Romana renunciationis* 3. *Julii ejuſdem anni §. Præmiſſis coram R.P.D. meo Aldrovando*; hinc eſt, quod cum ſubindè idem Pater non ſolum numquam amplius hujuſmodi renunciationem curaverit, ſed ejus voluntatem, quod filia ſibi ſuccederet æqualiter cum ejus fratribus, ac reſpectivè filiis, pluries vivens, & etiam proximè moriturus manifeſtaverit, à pręcedenti promiſſione faciendæ per filiam renunciationis, videtur ejus Conjugem, alioſque obligatos abſolviſſe, nè actum nemini profuturum te-

2 nerentur explere, ex ejus enim voluntate quamvis expleta fuiſſet renunciatio, adhuc illius obſtaculum remotum extitiſſet etiam in pręjudicium hęredum, & ſucceſſorum, & renuncians ad jura conſucceſſionis plenarium regreſſum obtinuiſſet, ut plenè probant *Torr. de pact. futur. ſucceſſ. lib.1. cap.7.num.* 18., *& ſeq., Galerat. de renunciat. lib. 2.cap.* 5. *num.* 31., *de Luc. eod. tract. diſc.*13.*nu.*6., *& Rot. in dicta Romana renunciationis* 3. *Julii* 1711. *§. Adverſus coram R. P.D. meo Aldrovando.*

3 Neque opponi poteſt, quod de iſta voluntate non conſtet, niſi per Teſtes, quando ad removendum obſtaculum promiſſionis initæ in

in publico inſtrumento neceſſaria fuiſſet ſcriptura. Quoniam cum verſemur in diſpoſitione Patris inter liberos, qualis procul dubio dici poteſt reintegratio filię ad conſucceſſionem, certum eſt, omnes ſolemnitates remiſſas eſſe, omneſq; ſpecies naturalis probationis quoquo modo Patris voluntatem demonſtrantis admitti, *ad Text. in l. hac conſultiſſima §. ex imperfecto Cod. de Teſtam.*, &
4 *in l. fin. Cod. Famil. Erciſc.*, ubi quod ſufficiunt etiam conjecturæ, & indicia *Rubr. de Teſtam. cap. 21. n. 90. ad 102.*, & *cap. 25. nu. 86.*, & *ſeq.*, *Card. de Luca eod. tract. diſc. 27. num. 6.*, *Rota in Firmana Teſtamenti 28. Aprilis 1692. §. 1. coram clar. mem. Card. Caccia, confirmat. 5. Maii 1707. §. 2. coram Emo D. Cardinali Scotto*, & *in Aſculana ſucceſſionis 9. Maii 1707. §. Ceſſante coram R.P.D. meo Anſaldo*, & *in Romana Immiſſionis ſuper validitate Schedulæ 29. Aprilis 1709. coram Reverendiſſimo Domino meo Molines Decano*, & in ſpecie,
5 quod duo etiam Teſtes admittantur, & admittantur Mulieres, aliæque perſonæ cæteroquin ad teſtificandum minus idoneę, *Gloſ. in Auth. Quod ſine, verb. ut minus Cod. de Teſtam.*, *Amat. in §. fin. verſ. Etiamſi inſtit.*, *idem Amat. var. reſol. par. 2. reſol. 9. n. 6.*, *Mart. de ſucceſſ. legal. par. 4. quæſt. 7. n. 5.*, & *8.*, *Rub. de Teſtam. ubi ſupra num. 7.*, *Rot. dec. 312. num. 4. coram Card. Cerro*, & *dec. 470. nu. 10. par. 19. rec. tom. 2.*, & quamvis parte non citata fuerint ad perpetuam tantum examinati, ut præ cæteris firmat *Rot. dict. dec. 312. nu. 4. coram Card. Cerro*, & *in Romana hæreditatis 25. Novembris 1715. §. Ipſamque coram R.P.D. meo Falconerio, ubi de privilegiata Cardinalis diſpoſitione*.

Examinando itaque probationes in præ-
6 ſenti caſu deductas, non duo quidem teſtes, ſed plurimi in eodem dicto conformes plenè deponunt firmiſſimam fuiſſe Joſephi Jannini voluntatem, poſtquam viderat (contra ſpem conceptam tempore quo filiam nuptui dederat) illam filios progenuiſſe, ut ęqualiter cum filiis maſculis, quorum alter jam erat in ſacris conſtitutus, alter verò Clericali Tonſura initiatus beneficia Eccleſiaſtica poſſidebat, & hactenus uxorem ducere non cogitabat, etiam illa ſuccederet; duo ſiquidem ex his teſtibus ità determinato animo illum declaraſſe teſtati ſunt -- *Che mentre ſua figlia faceva figli, eſſo voleva aſſolutamente, che foſſe erede in tutta la ſua eredità &c. egualmente con li due figli maſchi* -- Alter non diſſimiliter inquit, Joſephum ità loquutum eſſe -- *E trovandomi due figli maſchi, & una femina, voglio che tutti egualmente habbino la ſua parte* -- Alter denique de hac eadem voluntate non ſolum Joſephi Patris, ſed, & Caterinæ Matris per hęc verba teſtimonium peribet -- *Li ſudetti Signori Giuſeppe, e Caterina diſſero aſſolutamente, che eſſi volevano, che nella loro robba ſuccedeſſe la detta Tereſa egualmente con li ſudetti fi-*
7 *gli maſchi* -- Et hoc ipſum aliis teſtibus pluries retulit etiam eadem uxor Joſephi, quæ veluti communis Mater omnium filiorum, dici debet omni major exceptione, *ad Text. in l. non ſolum, verſ. de uno ff. de rit. nupt.*, & notat in propoſito *Rota dec. 64. num. 2. coram Emerix Sen., dec. 58. nu. 6. p. 15.*, & *dec. 269. n. 13.* & *ſeq. p. 16. rec.*

8 Et in hac eadem voluntate Patrem continuaſſe uſque ad extremum vitæ ſpiritum ex eo patet, quod (ſicut deponunt alii Teſtes, qui fuerunt pręſentes) provocatus à conſanguineo ad conficiendum teſtamentum favore agnationis ad formam alterius conditi ab ejus fratre prædefuncto, reſpondit, *che avendo trè figli ſoli, cioè due maſchi, & una femina, tutti gl' erano tanto &c., eſſer ſua volontà, che doveſſero ſuccedere egualmente li detti maſchi aſſieme con la femina* -- Undè multò magis confirmatur Paterna voluntas circa reintegrationem Thereſiæ ad conſucceſſionem. Neque dici poteſt, quod fuerit pręparatoria ad teſtandum, dum fuit prola-
9 ta per verba adeò determinata, & abſolutè diſpoſitiva de præſenti, *che doveſſe ſuccedere, che foſſe erede*, & ſimilia, ut latè advertit *Rub. de Teſtam. cap. 6. num. 117. cum ſeqq.*, *Boſſ. de Teſtam. inter liber. tit. 10. § 6. num. 263.*, & *ſeqq.*, *Torr. de pact. futur. ſucceſſ. lib. 3. cap. 12. ſub nu. 49. verſ. Opiniones*, *Rot. poſt eumd. dec. 61. nu. 1.*, & *ſeq.*; & *dec. 418. num. 41. par. 12. rec.*

10 Additque his omnibus non modicam efficaciam explicita confeſſio Joannis Baptiſtæ alterius ex hodiernis actoribus, qui in publico, juratoque inſtrumento approbavit Thereſię ſororis factum circa aditionem Paternę hęreditatis pro tertia parte ad ipſum ſpectante, quæ ſanè confeſſio ab uno ex habentibus coequale intereſſe ſerio emiſſa, partem relevat à quocumque ulteriori onere, & vincit omne genus probationis, ut plenè dictum fuit *in Aſculana ſucceſſionis 9. Maii 1701. §. ſolumque coram R.P.D. meo Anſaldo*, *in Romana Pecuniaria 6. Februarii 1713. §. Abſque coram R. P. D. meo Falconerio*, & *in Romana ſupplementi 15. Maii ejuſdem*
11 *anni §. Omnemque coram Me*. Etiamſi idem Joannes Baptiſta ſucceſſivè curaverit abſolvi à juramento in hoc actu ſuſcepto. Quippè quia id factum fuit dumtaxat ad effectum
12 agendi, ideòque non deſtruit potentiam confeſſionis, & publici inſtrumenti, uſquequo non fuerit canonizata cauſa ſub qua petita fuit abſolutio, *Rot. dec. 268. n. 3.* & *4.*, *dec. 1338.*, & *dec. 1450. num. 4. coram Coccin.*, *dec. 180. nu. 27. par. 9. rec.*, & *dec. 24. nu. 6. poſt Conſtantin. ad Statut. Urbis*.

Non obſtat, quod prædicta locum quidem habere queant reſpectu bonorum Paternorum, & Maternorum, non autem reſpectu bonorum avitorum, quorum etiam promiſſa fuit renunciatio, ideoque ſaltem quoad iſta
13 promiſſio veniat adimplenda. Cum enim Actores ſint eorum Patris cohæredes, nequeunt factum reintegrationis ab eo volitæ

impugnare ex *vulgat. jur.*, & ulterius cum
14 Avus prędeceſſerit Patri, ejuſque hæreditas iſtius bonis commixta fuerit, jam dicta bona amplius avita dici non poterant, dum in his terminis non attenditur origo, & cauſa mediata bonorum, ſed immediata tantum, & qualitas illa, in qua de tempore delatæ ſucceſſionis reperiuntur, & juxta quam non poſſunt amplius uti Avi patrimonium dijudicari, ſed uti Patris, ut in ſimilibus terminis probat *Spad. conſ. 353. num. 3., & per tot. lib. 2, de Luca de renunc. diſc. 9. num. 4.*, & firmat *Rot. poſt Torr. de pact. futur. ſucceſſ. dec. 166. num. 1., & in Romana Immiſſionis 3. Decembris 1714. §. replicatio coram Me.*

Minuſque relevat, quod Paterna voluntas circa filiæ conſucceſſionem poſſit eſſe compatibilis cum renunciatione, itaut poſſit quidem iſta ſuccedere, ſed teneatur portionem
15 ſuam fratribus reſtituere. Cum namque renunciationis promiſſio ità concepta ſit, ut nullam involvat cauſam de futuro, neque ullus in ea videatur habitus reſpectus ad reintegrationem faciendam à Patre, ad hunc quoque caſum extendi non debet, cum ſimus
16 præſertim in renunciatione emittenda à nubente in Sæculo, quæ ſtrictius ſemper fuiſſet interpretanda, plenè *Rot. dec. 272. num. 4. part. 15. rec., in Peruſina Immiſſionis 15. Januarii 1706. §. renunciatio coram Emo D. meo Cardinali Scotto, & cum aliis in Romana renunciationis 9. Maii 1710. §. Eoque facilius coram Emo Dño meo Cardinali Priolo.*

Abſque eo quod denique ullam faciat vim
17 ſtatutum fęminarum excluſivum; quia ſi exindè deduci non poſſet, niſi ſola præſumptio, quod Pater ſe illi uniformare voluiſſet, utique talis præſumptio ceſſat, & vincitur à potentiori, dum conſtat de contraria ipſius voluntate, *Mantic de conjectur. lib. 6. tit. 7. num. 13, & 14., de Luc. de ſucceſſ. diſc. 6. num. 5., Rota deciſ. 137. num. 8., & 9. coram Coccin., & dec. 122. num. 10 poſt Conſtan-*
18 *tin.*, etiamſi de tali voluntate conſtet ex minùs ſolemni, & imperfecta, quoad ſolemnitates, diſpoſitione, quia adhùc valida reputatur etiam quoad filias per ſtatutum excluſas, ut benè probant *Guglielm. de Benedict. in cap. Raynutius §. Teſtamentum il pr. nu. 81. de Teſtam., Mart. de ſucceſſ. leg. par. 1. qu. 13. num. 4., & p. 4. quæſt. 7. art. 1. ſub n 17., & 18., Buſſ. de Teſtam. inter liber. ubi ſupra num. 14., Torr. de pact. lib. 1. dict. cap. 7. nu. 21., Rota in Firmana Teſtamenti 6. Maii 1707. §. 10., & 11. coram Emo D. Meo Card. Scotto.*

Et ita utraque &c.

EUGUBINA IMMISSIONIS.

Mercurii 1. Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Hujus deciſionis, tam in præſenti Summario, quam in illo proximè præteritæ deciſionis ſuper renunciatione de hac eadem cauſa habes.

SUMMARIUM.

1 *Filii non poſſunt impedire ſorori conſucceſſionem in bonis communis Patris, licet illa renunciare promiſiſſet in actu dotationis, quando iſta fuiſſet Patris mens*, & n. 6.

2 *Filius paternam voluntatem ſequi tenetur.*

3 *Voluntas patris de reintegranda filia ad ſucceſſionem cum filiis optimè probatur ex jurata aſſertione unius ex iſtis.*

4 *Amplia, ut ad probandam talem mentem Patris, etiam teſtes non repetiti admittantur, concurrente ratificatione unius ex fratribus præſertim.*

5 *Excluſio fæminarum non eſt allegabilis à fratribus adversùs ſororem, quam communis Pater ad conſucceſſionem reintegrare voluiſſet.*

DECISIO DCCCCLXXIX.

IN judicio à Fratribus de Janninis inſtructo contra fratres de Luca ſuper adimplemento promiſſionis ſuſceptæ in Capitulis matrimonialibus ab eorum Patre, & ab altero ex ipſis in inſtrumento publico confirmatæ circa renunciationem emittendam à Thereſia Jannina Mattheo de Luca nupta, relaxatum quidem fuit mandatum ad factum, & de gravando favore inſtantium, ſed tamen præſervata extiterunt jura eidem Thereſię quoad conſucceſſionem pro æquali in Paterna hęreditate, una cum ejus fratribus. Quæ quidem Jura hodiè deducendo coram Me, contemporaneè ad propoſitionem alterius dubii ſuper executione dicti mandati per Signaturam interim ſuſpenſa, proponi curavit etiam iſtud -- *An ſit danda immiſſio* -- Et quemadmodum Domini *negativè* reſponderunt quod alterum, ita quod præſens reſponderunt *affirmativè*.

Conſecutiva enim erat hujus reſolutio,
2 quia ſi non obſtante promiſſione de renunciando, fuerat Thereſia ex Patris voluntate ad hujus hæreditatem reintegrata, coequaliter cum ejus fratribus debebat ſuccedere, neque talis conſucceſſio poterat ab illis controverti, dum nihil adeò decens eſt, quam
2 ut filii Paternæ obſequantur voluntati, ad *Text. in §. Plurima verſ. diſponat Auth. de nupt. cav. ult. voluntas 13. quæſt. 2., Marant. reſponſ. 30. num. 17., & ſeq., Rot. dec. 388. num. 1. p. 19. rec.*, alibique paſſim.

Minuſque de hujuſmodi Patris voluntate dubitari poteſt, dum plenè firmata fuit in contemporanea deciſione ex dicto duorum
3 Teſtium totaliter conformium, & ex facto etiam Joannis Baptiſtæ de Janninis alterius ex fratribus, qui conſucceſſionem ſororis approbavit per actum publicum; itaut in hac parte ad evitandam inutilem repetitionem, ſufficiens Dominis viſum ſit remiſſivè ad dictam deciſionem ſe habere, ubi contrariis etiam obiectionibus pro deſtruenda eadem vo-

volutâte allegatis plenè reſpondetur, ponderantes inter cętera, quod etſi Teſtes à Mattheo de Luca Viro Actricis deducti, non ſint formiter examinati, adhuc tamen concurrente præſertim dicta confeſſione pro effectu probandæ diſpoſitionis Paternę favore filiæ, attenduntur, *Rot. dec.2167. num. 24. coram Coccin., dec. 312. num. 4. coram Card. Cerro, & dec. 470. num. 10. p. 19. rec.*, *tom.* 2. cum aliis allegatis §. *neque opponi in fine ejuſdem deciſionis.*

5 Neque eſt allegabilis fæminarum excluſio ex ſtatuto Pergulæ, aut decretis Ducum Urbini, quia ſi Pater à ſtatutaria diſpoſitione receſſit, & ſe potiùs conformem fecit diſpoſitioni juris, admittendo tam mares, quam fęminam pro ęquali, utique ceſſat omnis ex-
6 cluſio, & è contra hujuſmodi voluntas eſt exequenda, ut dictum fuit etiam in contemporanea deciſione §. *finali.*

Et ita utraque &c.

ROMANA CAMBIORUM.

Mercurii 1. Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Creditor cambii activi, in quo duo adeſſent ſolidaliter obligati, ſi uni ex iſtis illud cædat cum obligatione de exigibilitate, & realitate ceſſionarius ſimul debitor non dicitur a ſua obligatione tantum liberatus, ſed in eo jura contra debitorem ceſſum, ſimulque coobligatum exercibilia, & in caſu inexigibilitatis etiam adverſus ipſum cedentem translata dicuntur.

SUMMARIUM.

1 *Sententia injuſta, rei judicatę robur numquam aſſumit, ſemperque ab illa in integrum conceditur reſtitutio.*

2 *Cedens cambium cum obligatione, de illius exigibilitate, eam uſque ad expeditionem mandati à ceſſionario non reperta, tenetur illius favore ad quanti intereſt refundere;* amplia ut in num. ſeq., & 4.

4 *Pacta, & conventiones contractus omnes informant.*

5 *Creditor cædendo ſuum creditum favore coobligati in illo cum clauſula ſolidali, quando dicatur voluiſſe eundem conſiderare tamquam tertium, non debitorem ultra illius liberationem à fidejuſſione.*

6 *Clauſula* -- ut -- *cauſam finalem importat.*

7 *Obligatus ſolidaliter, ſi à creditore ceſſionem crediti illius, a creditore cum obligatione de exigibilitate reportet, à fidejuſſione tantum non liberatus ſed verus factus creditor dicitur;* amplia ut in. n. ſeq.

DECISIO DCCCCLXXX.

Ex ceſſione ſibi facta per Philippum Buſſium, acquiſivit Joannes Antonius Pettus duo cambia, alterum in ſorte ſcut. 500. proveniens à Petro Fontana ſub fidejuſſione ejuſdem Petti; alterum verò ſcut. 200. proveniens ab Angela Antonia Politangela ſub illius tantum obligatione. Pro conſecutione ſortis, & fructuum utriuſque Crediti egit Pettus contra debitorem ceſſum, reportat iſque mandatis, & factis pluribus diligentiis pro illorum exequutione, ſed inutilitèr, cum omnia bona fuiſſent à Creditoribus anterioribus occupata, ſe ſubindè vertit contra Antonium Garullum donatarium univerſalem Philippi Buſſii cedentis, & coram A. C. Cincio mandata obtinuit executiva, adverſus quę per Signaturam juſtitiæ reſcriptum fuit S. Q. E., & commiſſa cauſa R. P. D. meo Criſpo, pręvia deciſione ędita 27. Junii 1711., fuit decreta mandati executio quoad Cambium ſcut. 200., quo autem ad aliud ſcut. 500. lata fuit ſententia Garulli abſolutoria.

Hæc ſententia ob non interpoſitam debito tempore appellationem tranſitum fecit in rem judicatam; ideoque Pettus, qui illam impugnare ſatagebat, opus habuit ad eamdem Signaturam juſtitię recurſum facere pro reſtitutione in integrum obtinenda, & reportato favorabili reſcripto, cauſam mihi delegari curavit, propoſui itaque hodiè dubium -- *An conſtet de re judicata, ſeu potiùs de cauſis reſtitutionis in integrum* -- & reſponſum habui *conſtare de cauſis.*

Reſolutionis fundamentum in eo fuit,
1 quod dicta ſententia ex pluribus facti circumſtantiis hodie rectiùs ponderatis detegebatur injuſta, ideoque numquam potuit rei judicatæ robur aſſumere, & debita eſt Petto illam paſſo reſtitutio in integrum, ex plenè deductis *deciſ. 103. n. 1. coram Emerix Jun. in Bononien. ſubhaſtationis 1. Julii 1707. §. conſtitit coram Rmo D. Kaunitz Epiſcopo Labacen., & in Melevitana Mareſſiallatus 24. Aprilis currentis anni § undè cauſa coram R. P. D. meo Cerro.*

Injuſtitia verò exindè viſa fuit emergere, quod Philippus Buſſius Garulli Auctor in inſtrumento ceſſionis cambii de quo agitur,
2 promiſit Petto illud eſſe verum, reale, & exigibile, ſeſeque illud in tali ſtatu ſemper, & in perpetuum fore conſervaturum, ac velle teneri de exigibilitate, evictione, & ad omnia damna. Unde ſi adhibitis omnibus diligentiis contra Fontanam originarium cambii ceſſi debitorem, uſque ad omnimodam diſcuſſionem ejus bonorum, idem cambium repertum eſt prorſus inexigibile, commiſſa utique dici debet ſtipulatio favore Petti ad formam prędictæ conventionis, & Buſſius obligatus remanſit pręſtare illius exigibilitatem, *Mangil. de evict. quæſt. 144. num. 30., Rot. poſt Oleam de Ceſſ. Jur. deciſ. 35. num. 1., in Novarien. Perunnaria 26. Junii 1711. §. Minuſque coram R. P. D. meo Anſaldo, & in Romana Dotis 4. Decembris 1713. §. Prędictis coram R. P. D. meo Criſpo.*

Neque ex eo, quod Pettus vigore fidejuſſionis in Creatione Cambii emiſſę reperiebatur obligatus in ſolidum cum Fontana ad illius ſolutionem, dici poteſt, quod ceſſio ſubinde

inde ab ipſo obtenta referatur ad ſimplicem ejuſdem liberationem à tali debito, non verò etiam ad translationem jurium exercibilium contra Buſſium cedentem, ut in deciſione *R.P.D. mei Criſpi §. contrarium, & ſeq.* Putarunt enim Domini nullatenus id proce-
3 dere, quoties, prout in præſenti caſu, creditor, cui facta fuit ſolutio, nedum ceſſit debitum non exactum, & reale de facto, verùm etiam ulterius illud eſſe exigibile promiſit, ac ſemper, & in perpetuum tale futurum eſſe, proindeque teneri velle ad exigibilitatem, evictionem, & omnia damna, ut conſtat ex inſtrumento ceſſionis, ubi poſt completum ejuſdem ceſſionis actum, hujuſmodi effrenata promiſſio litteraliter continetur ità - *alias in eventum contrarii teneri voluit de ſorte, & fructibus, ut ſupra, ac exigibilitate, evictione &c., ac ad omnia damna, de quibus &c.* In his namque terminis par-
4 tium pacta, & conventiones, quę regulariter contractus omnes informant, non prædictam tantum liberationem, ſed etiam promiſſam exigibilitatem debent dubio procul importare, *Caſtren. in l. 1. Modeſtinus 76. num. 1. ff. de ſolut., de Pont. conſ. 6. num. 6., & ſeq. Roderic. de annuis reddit. lib. 2. quæſt. 16. num. 61. verſ. adverte, Rocca diſput. jur. cap. 135. num. 13.*

Clarius verò id ipſum dignoſcitur ex alia
5 ejuſdem inſtrumenti parte, in qua Buſſius creditor cedens, Pettum ceſſionarium expreſsè liberavit à fidejuſſione per hunc aſſumpta in eodem contractu, expreſſa ratione ibi -- *ut hujuſmodi promiſſio ſuum ſortiatur effectum*; cum in hoc caſu clariſſimè pateat noluiſſe cedentem amplius habere, aut conſiderare ceſſionarium loco fidejuſſoris, & in ſolidum obligati, ſed verè loco tertii, in quo de obſervanda exigibilitatis promiſſio-
9 ne nullo modo poſſet dubitari. Hoc ſuadente prę cæteris illa liberationis ratione ad eamdem promiſſionem relata, & concepta per clauſulam *ut*, quæ cauſam finalem ejuſdem liberationis importat, ad *Text. in l. emptori ff. de evict. Bonden. collect. legal. 8. nu. 58., & collect. 38. num. 10. lib. 2., Suminiat. contr. 130. num. 27. Rot. Januen.* penès *Balducc. in collect., deciſ. & rer. judicat. tit. de legat. deciſ. 14. n. 25., & deciſ. 55. nu. 24.*

Ex iiſdem quoque rationibus ceſſare viſa ſunt cętera præteritæ deciſionis fundamen-
7 ta, cum poſito, quod perſona Petti ceſſionarii conſideranda ſit uti merè tertii totaliter à prętita fidejuſſione liberati, jam amplius dici non poteſt, quod actio, & paſſio concurrant in eodem ſubjecto, quando contra Buſſium agitur pro adimplemento promiſſæ exi-
8 gibilitatis; quodque læſionem importet actio contra cedentem hodiè intentata, ſuppoſita eadem liberatione, paritèr non ſubſiſtit, quia ſicut Buſſius poterat quandocumque Pettum à fidejuſſione ſępedicta liberare, ità etiam potuit in actu faciendę ceſſionis, ut de ſe patet.

Et ità utraque &c.

TOLETANA CANONICATUS.

Mercurii 1. Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Statutum Primitialis Eccleſiæ Toletanæ non admittit Canonicos, niſi bene, de eorum ſanguinis puritate edoceant, iſta ex Teſtibus probari poteſt, immo concludentiſſimè probata remanet, ſiquis, vel eſſet ipſe, vel habuiſſet parentem ſacræ Inquiſitionis Miniſterio, & moderamini addictum. Puritas ſanguinis, ad impuritatem pertranſit, ſi vel ipſe, qui ad canonicatam aſpiraret, vel ejus Prædeceſſores fuiſſent ab eodem ſacro Tribunali Inquiſiti, & Pænitentiati.

SUMMARIUM.

1 *Literę Apoſtolicę in forma gratioſa expeditę juſtificatione non indigent.*
2 *Puritas Sanguinis ſemper præſumitur in illo, qui Beneficium petit, ad quod, citra illius probationem, aſpirare proiberetur in Eccleſia Toletana.*
3 *Puritas ſanguinis, ſicut præſumitur, ſemper ob id contrarium aſſerenti ineſt onus de impuritate docendi.*
4 *Puritas ſanguinis etiam per teſtes probatur* amplia ut in numero ſequenti.
5 *Teſtes ſcientiæ cauſam adducentes dicuntur concludentes.*
6 *Teſtes pauci confunduntur in dicto aliorum plurium, & qualitate præponderantiorum* & num. 26.
7 *Deponentes de dicto alterius non concludunt.*
8 *Teſtis deponens de proprio Judicio, & unicus ſemper reiicitur.*
9 *Teſtes ſeſe referentes ad judicium, & alterius Teſtis credulitatem non admittuntur, ne plus copiæ, quam originali credatur.*
10 *Statutum Collegii S. Crucis, & S. Phidelphonſi Toleti reicit Canonicatuum prætenſores, de quorum ſanguinis impuritate rumor tantum ſtreperet.*
11 *Excluſio volita ab uno ſtatuto propter aliquam cauſam, non operatur extra caſus ſub illos non comprehenſos.*
12 *Puritas ſanguinis dicitur probata in Hiſpaniis, ſi quis obtineret ſe deputari in familiarem S. Officii, vide rationem.*
13 *Pænitenſiatus à Sac. Inquiſitione ſi eſſet ſanguine purus impuritatem contrahit.*
14 *Inquiſitos ſanguinis ex eo, quod Prædeceſſores ſui fuiſſent à Sacra Inquiſitione Pænitenſiati, ex indentitate ejuſdem, & familiæ probanda eſt,* amplia ut in num. ſequenti.
16 *Diverſitas familię bene infertur ex diverſitate patriæ,* amplia ut in n° ſequenti, & 22
18 *Tribunal Sacræ Inquiſitionis non præſumitur quod voluerit deputare perſonam cum reo ſanguine conjunctam ad fabricationem proceſſus adverſus illum.*
19 *Infames reputantur etiam conſanguinei Pænitenſiatorum à Sac. Inquiſitione, & ab*

ab onorificis officiis, & miniſteriis repelluntur.

20 *Probatio non deſcendentiæ, nec conſanguinitatis cum perſonis à Sacra Inquiſitione Penitenſiatis per negativam coarctatam facta, validiſſima reputatur, ſi de ea à Sacra Inquiſitione teſtimonium ferretur.*

21 *Amplia, ſi tales probationes, qui feciſſent, cum titulis onorificis, nobilibus armis, & inſignis tumulo conditi fuiſſent.*

22 *Subamplia ſi concurrerent circumſtantię familiæ diverſitatem præſeferentes.*

23 *Proceſſus completus dicitur, ſi ejus conditor de recto ſui muneris implemento declarationem referre ſtaduiſſet.*

24 *Literæ Apoſtolicæ ſunt illico exequendæ*, amplia ut in num. ſequenti.

25 *Probationes relevantiſſimæ neceſſariæ ſunt adverſus publica documenta, ſi de retardandis Apoſtolicis literis ageretur.*

DECISIO DCCCCLXXXI.

SAnguinis puritatem in admittendis ad Eccleſiaſticas Dignitates à celebrioribus Hiſpaniæ Eccleſiis juxta particularia ſtatuta requiſitam, præſcribit etiam ſtatutum primitialis Eccleſiæ Toletanæ auctoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmatum, diſponendo, quòd in illius Capitulum admitti non poſſint, niſi nobiles Clerici, aut literis præditi, qui ab antiquis Chriſtianis nulla Hæbreorum, aut Saracenorum, aut Hæreticorum macula infectis originem ducant, quod ne comparente aliquo ad petendam poſſeſſionem alicujus Canonicatus, Portionis, ſeù Cappellaniæ ibidem exiſtentis, deputetur unus ex ipſius Eccleſię Canonicis ad perquirendas in petente qualitates ſuprà enunciatas.

Ad formam iſtius Statuti Joſeph Fernandez Jubera proviſus à Sanctiſſimo Domino Noſtro de Canonicatu prædictæ Eccleſiæ, qui in Menſe reſervato vacaverat, uſque de Anno 1709., non ſolum literas Apoſtolicas coram Decano Exequutore deputato præſentavit, ſed etiam exhibita ſuæ deſcendentiæ Genealogia, deputari Canonicum commiſſarium pro deſumendis probationibus circa ſanguinis puritatem obtinuit.

Deventum itaque rigoroſè fuit ad hujuſmodi inquiſitionem non ſolum in ipſis Toletana, & Segutina Civitatibus, ſed etiam in Villa Matriti, & in terra Aquævivæ, examinatiſque innumeris teſtibus, clauſus eſt juſſu ejuſdem Canonici commiſſarii proceſſus per Notarium, delatuſque ad Capitulum, à quo tamen, uſque ad hæc tempora nunquam Joſeph, ſivè admiſſionis, ſivè rejectionis ſententiam potuit reportare, ideoque ſua intereſſe putavit ad Sanctam Sedem Apoſtolicam à tamdiu retardata canonicatus poſſeſſione reclamare, obtentaque commiſſione cauſæ huic Sac. Tribunali directa, ac Sanctiſſimi manu ſignata, & expleta per ipſum compulſatione probationum, quas canonicus commiſſarius collegerat, curavit à me in locum Eminentiſſimi mei Cardinalis Scotti ſubſubrogato, ſubſcribi, ac proponi in hodierna audientia dubium -- *An litteræ Apoſtolicæ ſint exequendæ* -- cui *affirmativè* -- Domini reſponderunt.

1 Cum enim fuiſſent in forma gratioſa expeditæ, nulla ulteriori indigebant juſtificatione, celeremque exequutionem promerebantur ex vulgatis Juribus.

Neque poterant retardari, ex quo ad formam Statuti Eccleſiæ Toletanæ non conſtaret de Sanguinis puritate quoad Joſephum proviſum. Quoniam ſatis iſte fundatam ha-

2 bet intentionē in aſſiſtentia, & præſumptione Juris, juxta quā unuſquiſque pręſumitur, quod ſit purus, & de ſanguine puro deſcendat, ut agendo de hoc ipſo Statuto Eccleſiæ Toletanæ, aliiſque ſimilibus ſtatutis conſtanter reſpóndit *Rota dec.* 166.*nu.*32. 39, & 40., *dec.* 185. *n.*2., & 3.*p.*1. *dec.* 196., *n* 4.2.*dec.*333.*n.*6. & *ſeq. par.*11., & *dec.*246. *n.*4. *par.*12., *cor. Merlin.dec.*368.*n.*1., *cor.Duran. dec.*131. *n.*1. *coram Alexand.VIII. dec.*75.*nu.*11., adeout

3 ſemper oppoſitori onus incumbat objectivam impuritatis exceptionem probationibus plenè concludentibus demonſtrare, cùm cæteroquin omnis dibietas hujuſmodi maculam reſpuat, ut conſentaneè docent *Valenzuel. conſ.*90. *nu.*24. 62., & *ſeq. tom.*1., *Ricciuol. de Neophit. cap.*7. *num.*18. aliiſque relatis proſequitur *Rota d. dec.*177. *num.*31. *par.*1. *dec.*333. *num.*6. *par.*11., & noviſſime dictum fuit *in Pacen. Canonicatus* 26. *Junii* 1715. §. *Et Jure quidem coram* R. *P.D. meo Falconerio*, & 24. *Aprilis hujus anni* §. *Ad effectum cor. R.P.D. meo Criſpo, confirmata in hac audientia coram Eodem.*

Aſſumpto autem per Dominos probatio-

4 num adductarum examine, tantum abfuit, quod de ulla impuritatis macula in Joſepho conſtiterit, ut potiùs exindè evidenter puritas apparuerit. Diſtinguendo enim Teſtes à Canonico Commiſſario in diverſis locis examinatos, ſi de illis octo agendum eſt, qui in Terra Aquævivæ, aut de aliis decem, & ſeptem, qui in Villa Matriti fuerunt examinati, utique omnes de puritate Sanguinis tam Joſephi, quam illius Majorum inconcuſsè depoſuerunt; ſi verò de aliis agendum eſt, qui uſque ad numerum triginta unius fuerunt examinati in Civitate Seguntina, ex his profectò, exceptis duobus, cæteri viginti novem circa eamdem puritatem Joſephi, ejuſque omnium Aſcendentium exactiſſimas emiſerunt depoſitiones: hi verò Teſtes, non

5 ſolùm quia ſunt in numerò valdè conſpicuo, ſed etiam quia Viri ſunt omni excepiione majores, & ad probationes faciendas fuerunt à Canonico Commiſſario electi, plenèque cauſam ſcientiæ reddunt, omnino ſunt attendendi, *Maſcard. de probat. concluſ.*1344. *n.*3. *Rota coram Dunozet. Jun. dec.*432. *n.*7. cum aliis *in Melevitana Mareſciallatus* 23. *Aprilis currentis anni* §.*Eadem coram R.P.D. meo Cerro.*

Neque ulla ratio de iis duobus tantum haberi

haberi poteſt, qui de infectione lineæ Joſephi depoſuerunt, ex quo familia Iſabellæ de Torres quintæ ejus aviæ fuerit à Sacra Inquiſitione pœnitentiata, & in conſuetis Tabellis, quę Sambenniti nuncupantur inſcripta,
6 habent namque contradictores tot alios ſupra relatos Teſtes, uſque ad numerum 54. de puritate Teſtimonium perhibentes, quorum dicta in iſtorum diſcordantia debent procul dubio prævalere, ut in propoſito notant *Ricciol. de Neophit. d. cap.7. num.22., Lar. de Anniv., & Capell. lib.2. cap.4. nu.56., & 58., & in punto Rota cor. Mantica dec.274. num 11., & 12., dec.167. nu.12. dec.185. n.9. par.1. rec., & in citata Pacen. Canonicatus 24. Aprilis hujus anni §. fin. coram R.P.D. meo Criſpo*, & ulterius aliunde ſuſpicionem
7 ſubortam de allegata infectione non deducunt, quam ex dicto cujuſdam Canonici Ruituerata, qui in familiaribus colloquiis aſſeritur revelaſſe Patruum Joſephi ex hac ratione non fuiſſe admiſſum ad Collegium S. Crucis, undè multo minùs hic deponendi modus concludit, ſicut enim dicto Canonico
8 unico Teſti, ac de judicio proprio teſtanti fides præſtanda non eſſet juxtà regulam, de quâ plenè *Rot. poſt Poſth. de manut. dec.129. num.10. dec.235. nu.4. par.4. diverſ. dec.78. num.15. coram Vbago, & dec.8. num.5., & dec.77. num.16. coram R.P.D. meo Anſaldo*, ita nequè illam promerentur dd. duo Teſtes
9 ſeſe ad Judicium, credulitatem, & verba illius referentes, nè plùs credatur copiæ, quam originali, ut alias dixit Rota *dec.538. num.18. coram Burat., dec.545. num.7. part. 18. dec.397. num.10. par.19. recentior., & in Romana Hæreditatis ſuper articulis 4. Maii proximè præteriti §. Improrabilis coram R. D. meo Cerro*.

Ceſſat vero in univerſum, ſi quæ exindè oriri poſſet amaritudo, examinando prædictâ rejectionẽ Patrui Joſephi proviſi, à memorato Collegio S. Crucis, ſiquidẽ in hujuſmodi
10 Collegio, prout in aliis conſimilibus, & pręcipuè in Collegio S. Idelphonſi, à quo paritèr rejectus aſſeritur alter ex aſcendentibus Joſephi, Hieronymus Jamon nuncupatus, viget Statutum ſummo rigore ſervatum, quod quicumque rumor, etiam falſus ſuper impuritate, ſufficiat, ut quis admitti non debeat, prout tradunt *Amaya in Apolog. pro Statut. Colleg. Concheu. num.2., & ſeqq. Eſcobar. de purit. ſanguin. par.1. quæſt. 12. §.3. num.46., & num.15. in fine, & par2. quæſt. 7. num.6.*, ideoque non valet illatio de iſta eſcluſione à Collegio ad excluſionem in caſu
11 noſtro prętenſam à Capitulo propter ſtatuta non falſum, ſed verum, & plenè probatum impuritatis rumorem requirentia, juxta firmata in ſupra allegatis deciſionibus, & præſertim *in Pacen. Canonicatus coram RR.PP. DD. meis Falconerio, & Criſpo*.

Rurſus concurrit, quod evidens eſt error præſuppoſiti rumoris, qui cauſam dedit pręfatæ rejectioni, & hoc uno dumtaxat argumento demonſtratur. Præter enim quod duo ex Teſtibus, qui tunc temporis id depoſuerunt, ſe poſtea ſtimulis conſcientiæ moti expreſſe retractarunt, veniam petendo, & contrarias Epiſtolas conſcribendo illi Collegiali, qui proceſſum informativum conſtruxerat, & præſertim unus id explevit, tempore, quo erat in articulo mortis conſtitutus, urgens ea videtur animadverſio, quod idem Joſephi
12 Patruus à decreto ſuæ rejectionis recurſum habuit ad Sacrum Tribunal Inquiſitionis, ſeſe qualificari adductis majoribus ſuæ puritatis probationibus poſtulando. obtinuitque iis peractis in familiarem S. Officii deputari, id, quod factum non fuiſſet, niſi dicto Tribunali omninò falſa viſa fuiſſet impuritatis exceptio jam antea contra eumdem allegata, itaut ex hoc actu omnis ſiniſtra opinio debeat penitùs removeri, ut firmavit in his terminis *Rota coràm Duran. dec.316. num.2., coram Merlin. dec.368. num.9. in fine, & dec. 2446. ſub num 5. par.12., & in dicta Pacen. Canonicatus 26. Junii 1715. coram R.P. D. meo Falconerio, & 24. Aprilis mox elapſi coram R. P. D. meo Criſpo utrobique §. fin.* confirmata, ut diximus, in hac eadem audientia coram Eodem.
13 Abſque eo quod ullatenus obſtet in contrarium, quod verè de anno 1546. quædam Iſabella de Torres inter Joſephi Aſcendentes connumerata, fuerit de familia pœnitentiata per idem S. Inquiſitionis Tribunal, ideoque ex ea, ſanguinis impuritatem ejus contraxerit deſcendentia, non enim id ſuf-
14 ficit prò huiuſmodi effectu, ſed neceſſe etiam eſt demonſtrare per univocas probationes dictam Iſabellam, à qua proviſus originem ducit, eſſe de illamet Familia de Torres, quæ fuit pœnitentiata, cum ex hac Familiæ identitate robur probationis dependeat, ut in ſpecie reſponſum fuit in allegata Pacen Canonicatus coram R.P.D. meo Falconerio § *Quibus etiam*, & coram R.P.D. meo Criſpo §. *Vltra defectum*, ubi concordan. Id, quod non ſolum unquam probatum non extitit, ſed imò contrarium evidenter conſtare fecit Joſephus, nempè Familiam illam de Torres, quæ fuit pœnitentiata, diverſam prorſus eſſe ab alia, à qua deſcendit Iſabella de Torres in ejus genealogia reperta.
15 Familia ſiquidem illa, quæ ex dicti Tribunalis ſententia condemnata fuit, licèt ejuſdem ſit cognomenti de Torres, nativa erat, & originaria Civitatis Seguntinæ, Iſabella verò de Torres quinta Joſephi Avia nativa erat, & originaria Oppidi Aquævivæ in Ducatu Medinæ Cæli exiſtentis; ex hac autem
16 Patriæ diverſitate, ad familiæ quoque diverſitatem rectè infertur, ut benè obſervat *Cyriac. controv.281. num.27. Rota deciſ.74. numero 4. poſt Vivian. de Jurepatr. deciſ. 246. nu.8. par.12. rec. & in Forolivien. loci Concilii 3. Julii 1711. §. Quod autem Franciſcus cor. Reverendiſſimo Domino meo Card. Scotto*.
17 Confirmat hanc ipſam Familiæ diverſitatem

tem animadverſio, quod cum anno 1546. eſſet S. Inquiſitionis Secretarius Alphonſus Fernandez Maritus Annæ Filiæ Iſabellæ de Torres, iſte tamquã miniſter ejuſdem Tribunalis proceſſum compilavit contra illos de Familia Torres pœnitentiatos, ideoque rigide contra eos ſe geſſit, ut vigore dicti proceſſus fuerint omnes illi de dicta Familia peblicè flammis concremati, quæ circumſtantia ſtrictè convincit Iſabellam de Torres matrem Annæ non fuiſſe de Familia pænitentiatorum, quia
18 credibile haud eſt, voluiſſe dictum Tribunal providè adeo, ac prudenter ſe gerens deputare perſonam ſanguine conjunctam ad proceſſum conficiendum contra Reos de execrabili hæreſis crimine, argumento ducto ab inveriſimili, juxta regulam, de qua *Rot. dec.* 278. *num* 20. *par* 17., *dec.*20. *num.*9. *par.*18., *& dec.* 19. *num.*2. *par.*18. *rec.*

Maximè, quia idem Fernandez etiam poſt contractum matrimonium cum Anna Filia, ut dictum eſt, Iſabellæ, adhuc in miniſterio Sac Inquiſitionis continuavit, fuitque S. Officii famiiaritati aggregatus, quando tamen
19 quoque modo ſanguine conjuncti cum taliter condemnatis habentur pro infamibus, & repelluntur ab honorificis officiis, & miniſteriis, ut teſtantur, *Roman. ſingular.*107. *Azeued. in Cur. Piſan.*2 *par. cap.*12. *nu.*23., *Maſtril de Magiſtrat. cap.*12. *num.*50. 51., *&* 64. *Eſcobar. de purit., & nobil tat. quæſt.* 1. §.4. *num.*26., *& ſeqq.*, *& Rota dec.*246. *num.*5. *part.*12. *rec.*

20 Hiſque accedit Teſtimonium quoque ipſius Sacri Tribunalis S. Officii Conchen., quod recognitis proceſſibus olim factis contra illos Familiæ de Torres Civitatis Seguntinæ, perſpectaque genealogia omnium eorum Aſcendentium, deſcendentium, & tranſverſalium, teſtatur nullam in illis reperiiſſe fœminam, quæ haberet hoc nomen Iſabellę de Torres, per quam quidem atteſtationem præcedenti matura inſpectione proceſſuum, & genealogiæ extraditam, probari videtur negativa coarctata, quod inter perſonas à Familia pœnitentiata deſcendentes, numquam fuerit Iſabella, itaut ad abſtergendam hujuſmodi maculam omninò debeat attendi, ut ſemper conſuevit S. Rota, prout ex *dec.* 921. *num.*3. *coram, Pen. dec.*78. *n.* 13. *coram Coccin.*, *n.*5. *dec.*835. *cor. Manzaned.*, *dec.*368. *num.*9., *&* 10. *coram Merlin.*, *& deciſ.*463. *num.*7. *par.*5. *recen. tom.*2.

Nec minoris denique relevantiæ argumentum deducitur ex eo, quod eodem fermè
21 tempore, quo illi de Torres Seguntini fuerunt de ordine S. Officii combuſti, Iſabella de Torres obiit, & ſepulta fuit in Clauſtro Eccleſiæ Cathedralis, una cum ejs Marito cum titulis quidem valde honorificis in utroque tumulo, ita -- *Hic jacet honorabilis D. Iſabella de Torres Uxor D. Alphonſi Molina -- Hic jacet honorabilis D. Alphonſus Molina maritus Iſabellę de Torres* -- inſculptis præterea ibidem non propriis tantum ſtegmatibus, ſed etiam illis ipſius Capituli Seguntini, quod quidem id nullatenus permiſiſſet, niſi plenè ipſi conſtitiſſet memoratam Iſabellam nihil habere agere cum perverſis Hæbreis, paulo antea extremo ignis ſupplicio affectis. Quocirca tot concur-
22 rentibus circumſtantiis Familiarum diverſitatem demonſtrantibus, nequit de illa ampliùs dubitari, ut in longe debilioribus terminis dictum fuit coram *Coccin. dec.*1343. *in rec. deciſ.*186. *num.*6. *part* 3., *dec.*366. *num.*4. *part* 5. *in Feroliuten. loci Conſilii* 5. *Maii* 1704. *cor. Rmo D. meo Molines Decano & in alia* 3. *Iun.*1711. *cor. Emo D. Card. meo Scotto.*

Horum omnium rationum efficaciam probè noſcentes contrarii Defenſores, probationes actenùs non fuiſſe completas aſſerebant, ideòque immaturè ad cauſæ reſolutionem deveniri non poſſe, aſſerentes præcæteris atteſtationem Portionarii Manzani poſt alios omnes Teſtes examinatos factam ſuper eadem aſſerta deſcendentia Joſephi ab Iſabella de Torres ſanguinis impuritate laborante. Domini verò hujuſmodi exceptionem pœnitus illegalem cenſuerunt, tùm quia de
23 perfectione proceſſus plenè conſtat, non ſolum ex illius inſpectione, cum ſit conflatum ex depoſitionibus ſeptuaginta, & ultra teſtium, magnoque cumulo Scripturarum, verum etiam quia poſt recepta omnia jura neceſſaria, fuit à Canonico Commiſſario clauſus, & obſignatus, reportata ulteriùs à Capitulo ſolemni declaratione ſuper recto ſui muneris implemento, tum etiam quia agitur
24 de exequutione litterarum Apoſtolicarum à multis retrò annis expeditarum, quæ cæteroquin ex omni juris principio celerrimam promerentur exequutionem, *Rot. cor. Priol. dec.*345. *num.*7., *in Valliſoletana Beneficii* 19. *Novembris* 1708. §. *Etenim coram R. P. D. meo Falconerio, & in Cæſaraguſtana Beneficii* 13. *Januarii* 1710. *à* §. *Nedum coram R. P. D. meo Aldovrando*, adeout non debeat eſſe in libito Contradictorum novas procurando Teſtium atteſtationes, contra alioquin clara ſuperius expenſa argumenta diutiùs illam protrahere, contra quæ ſanè
25 argumenta, utpotè ex authenticis, publiciſque documentis deducta, non niſi relevantes probationes attendi poſſent, *Rot. dec.* 453. *num.*1. *cor. Duran.*, *dec.*142 *n.*6. *par.*6., *& in Burgen. Juriſdictionis ſuper remiſſoria* 19. *Februarii* 1714. §.1. *coram R. P. D. meo Falconerio.*

Quo vero ad poſtremam dicti Portinarii depoſitionem, ſatis eſſe DD. viſum eſt, quod
26 erronea convincatur ex huc huſque deductis circa diverſitatem Familiæ Iſabellæ ab altera illorum, qui fuerunt condemnati.

Et ità utraque &c.

VELITERNA CAUTHELÆ ANGELI.

Mercurii prima Iulii 1716.

ARGUMENTUM.

Filius, ſi ad arcendos Patris Creditores avitum allegaret fideicommiſſum illis manus non ligat,

quin jura legitimæ, & Trebellianieæ Patri competentia adverſus illud exercerent, ſique dotem allegaret maternam, quam per confeſſionem de recepto iſta ſimpliciter probaret, ſique propriosCreditos anteriores ex retrovenditione cenſuum ſui favore relata allegaret, quos ære proprio ſeſe extinxiſse prætenderet omninò reiciendus eſset.

SUMMARIUM.

1 *Creditor Inſtrumentarius, & limpidus utendo Iuribus ſui debitoris, poteſt deducere ex fideicommiſſo legitimam, & Trebellinnicam illi competentes.*

2 *Legatum titulo oneroſo relictum, non imputatur legatario in legitimam*, & vide rationem in n. ſeq.

3 *Legitima non recipit onus, cum libera debeat eſſe.*

4 *Prohibitio detrahendi legitimam ſcripta à Teſtatore in ultimis Tabulis, ſi in Codicillis in hac parte Teſtamentum revocaſſet omnino evaneſceret.*

5 *Teſtator quando dicatur non prohibuiſſe ſuis hæredibus diviſionem bonorum.*

6 *Mutatio voluntatis inſtantanea in uno, eodemque actu non datur.*

7 *Trebellianica, licet poſſit virtualiter prohiberi, nihilominus non omnes admittuntur Coniecturæ ad id ſuadendum, ſed illæ tantum, quæ Iudicis animum moverent.*

8 *Prohibitio ſimplex diviſionis à fideicommittente volita non extenditur ad prohibitionem detrahendi Trebellianicam; Et quid requiratur ac hoc probandum.*

9 *Trebellianicà, ut dicatur à Teſtatore prohibita, agnationis contemplatio, volita reſtitutio integræ hæreditatis, & alienationis prohibitio requiruntur.*

10 *Trebellianica quando dicatur conſumpta ex fructibus perceptis à Nepote fideicommittentis.*

11 *Diſpoſitio textus in lege* Jubemus, *non habet locum, ſi de tempore conditi fideicommiſſi primus hæres fideicommiſſarius probibuiſſet, adeout Nepos, tamquam filius, conſideraretur.*

12 *Solutio Dotis ad effectum arcendi Creditores in vim Cauthelæ Angeli per confeſſionem de receptione probatur.*

13 *Amplia, ut talis confeſſio neque hæredes ipſius confitentis afficiat.*

14 *Confeſſio de recepto eo magis præſumitur ſimulata, ſi cauſa ſimulandi adeſſet, nempè imminentes Creditorum moleſtiæ.*

15 *Amplia; ſi in lucem prodiiſſet de tempore, quo motum fuiſſet judicium àCreditoribus adverſus allegantem cauthelam Angeli;* ſubamplia, ut in n. ſeq.

17 *Inſtrumentum ſimulatum, quod in parte principali, & eſſentialiſſima corrueret, corruere facit cætera omnia in illo contenta.*

18 *Pater, ſi quatuor dies poſt emiſſam confeſſionem de recepto favore Uxoris, emancipaſſet filium, qui poſtea ſuos cenſus paſſivos ære proprio redemiſſe appareret, omnes iſti actus fraudolentes præſumuntur*, & n. 19.

20 *Filius, ſi allegaret retenſionem adverſus Creditores Patris ſub prætextu, quod anteriores ære proprio dimiſiſſet, hoc concludenter probare tenetur, cum præſumptio ſit contra ipſum.*

21 *Filius ſemper ſolvere præſumitur de ſubſtantia Patris*, & n. 23.

22 *Filius, ad arcendos Creditores Patris, ſi allegaret emancipationem, ut dicerentur negotia Paterna ad ſe ſpectare, præſumere facit emancipationem doloſam, maximè ſi contemporaneè mater cauthelam Angeli allegaret.*

23 *Filius inexpers non præſumitur brevi tantum ſibi comparaſſe lucrum, ut paternos cenſus redimere potuiſſet.*

DECISIO DCCCCLXXXII.

AD retardandam deliberationem omnium bonorum poſſeſſorum à Franciſco Antonio Picchiono, imminentem ex cauſa cujuſdam fidejuſſionis per eum initæ favore Alexandri Lucidi Patrui Thomæ Actoris, occaſione qua ille, uſque de anno 1693. creaverat cambium in ſorte ſcut. 3400 cum Stephano Sbante. Julius de Picchionis filius memorati Franciſci Antonii extremum curavit coram A. C. adhibere remedium allegando cauthelã ab Angelo de Peruſio tributam, *in l. à Divo Pio §. Si ſuper rebus ff. de re judicata*, ſed fruſtra, quia inſtantia quoad bona libera fuit in univerſum rejecta, & quoad fideicommiſſaria in ſola medietate admiſsa, devolutaque cauſa appellationis ad noſtrum Sacrum Tribunal cum ſolita clauſula *alteri qui ad legitimam* dixerunt hodiè DD. *procedendum eſſe ad legitimam exequutionem*.

Tres etenim erant ſpecies bonorum, ſuper quibus allegabat cauthelam hanc Julius, & earum prima conſiſtebat in bonis ſubiectis fideicommiſſo per Julium ſeniorem Proavum condito, altera in bonis dotalibus Matris, poſtrema verò in cenſibus paternis extinctis, & translativè per eumdem Julium redemptis.

Ordiendo igitur à bonis fideicommiſſariis, res videbatur plana, quia Lucidus non negabat fideicommiſſum, ſed tanquam clarus, &
1 limpidus inſtrumentarius creditor deducere prætendebat legitimam, & Trebellianicam à ſuo debitore non deductas, & in ſemiſſe ſibi competentes, *ad text. in cap. Rainaldus, & cap. Rainutius de Teſtament., Merlin. de legitim. lib. primo tit. 3. qu. 1. n. 6., & ſeqq., Rota apud eumdem dec. 12. n. 2. rec. dec. 20. n. primo, & cor. Emerix. Jun. dec. 836. n. 6.*

Abſque eo quod deductioni legitimæ reſiſteret obiecta imputatio legati eidem Franciſco Antonio facti à Teſtatore. Quoniam
2 hujuſmodi legatum non erat purum, & liberum, ſed gravatum ad dotationem Mobiliæ legatarii Sororis, & legantis reſpectivè
3 neptis; unde imputari nequibat in legitimam

mam reſpuentem de ſui natura quodcumque onus, ſeu gravamen, *ex text. in l. quoniam C. de inoffic. teſtament.*, *Rot. dec.* 185. *n.* 2., *&* 3. *cor. Emerix Jun.*, *& in Æſina, ſeu Maceraten. Dotis ſuper reſervatis* 17. *Martii* 1710. §. *Uſusfructus cor. R̃mo Molines, Decano*.

Multoque minus oppugnabilis videbatur Trebellianica ſub colore tacitæ prohibitionis deſumptæ ex prohibitione diviſionis.
4 Quandoquidem talis prohibitio adiecta quávis fuerit in teſtamento, ſublata extitit in Codicillis, in quibus fideicommittens declaravit agnoviſſe impoſſibilitatem non dividendi. Quo circa longius immorandum non erat in prohibitione non amplius exiſtente, & expreſsè in Codicillis revocata, juxta regulam de qua *in Romana Pecuniaria ſuper contributo* 23. *Junii* 1704. §. *Circa cor. Me*, *& in Romana Salviani ſuper ſubhaſtatione* 23. *Martii* 1705. §. *Circa vero, pariter cor. Me*, *& in Firmana ſucceſsionis ſuper hereditate Jo. Baptiſtę* 27. *Junii* 1710. §. *Etenim cor. R̃mo Decano*.

Non ſubſiſtente, quod in Codicillis ſublatum quidem fuerit onus cohabitandi, ſtante incommoda nimis, nimiſque difficili diviſione, & repartitione Domus inter cohæredes, ſed in reliquis nequaquam revocatum præceptum non dividendi; quoniam Fideicommittens reflectendo difficultati dividendi Domum in tres partes, & earum unam cuilibet heredi pro indiviſo aſſignandi, inquit -- quia Domus in tres partes commode divdi non poteſt, -- & non dixit, quia cohabitari non poteſt, prout dixiſſet, quando revera intellexiſset removere dumtaxat obſtaculum cohabitationis; unde fateri opportebat, quod deliberaverit eximere abſolutè ſuos hæredes à vetita diviſione, de qua loqutus fuit, & in qua amaritudinem adinvenit, prout etiam in prooemio ſignificaverat, alias opus eſſet vel impropriare ſermonem, & violare literam Codicillorum, vel admittere inſtan-
6 taneam contradictoriam mutationem voluntatis in uno, eodemque actu, quod admitti non debet, *Palmer. allegat.* 95. *n.* 10., *Hodiern. ad Surd. dec.* 73. *n.* 3., *Rota in rec. dec.* 448. *n.* 5., *& ſeq. p.* 5. *tom.* 2., *dec.* 273. *n.* 11., *dec.* 322. *nu.* 6. *p.* 15., *dec.* 16. *nu.* 14. *p.* 17.

At quando etiam in ſuo eſſe, prout non remanſit, remanſiſſet præceptum non dividen-
7 di, non per hoc dici poſſet prohibita tacitè trebellianica, quia quamvis illa prohiberi poſſit etiam virtualiter, nihilominus non omnes coniucturæ admittuntur, ſed illæ ſolum, quæ ſuadeant animum Judicis ad eam credendam prohibitam, ex connotatis per *Altograd. conſ.* 60. *n.* 6., *& ſeqq.*, *Marta de ſuclegal. p.* 4. *q* 28. *art.* 3. *n.* 19., *& art.* 4. *n.* 20., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 838. *n.* 2., *Manſ. conſult.* 600. *n.* 7., *& ſeqq.*, *Rota dec.* 441. *n.* 4. *cor. Cavaler.*, *dec.* 423. *n.* 7. *p.* 13., *& in Romana fideicommiſſi* 16. *Iunii* 1704. §. *Quoniam cor. clar. mem. Card. Caprara*, *& in Romana pecuniaria* 11. *Aprilis* 1707. §. *Sed & hoc cor. Ẽmo D. Card. Priolo*.

Cujus profecto generis in hypotheſi non
8 cenſuerunt DD. ſimplicem, & meram prohibitionem diviſionis non concomitatam à verbis denotantibus totalitatem, & integitatem
9 reſtitutionis, rigidam alienandi prohibitionem, aut ſtrictam conſervationem agnationis, quibus deficientibus, vetitam minimè dici poſſe Trebellianieam reſpondit *Rot. in Præneſtina fideicommiſſi* 34. *Novembris* 1702., *& in Romana Primogeniture de Corſinis ſuper Trebellianica* 19. *Januarii* 1714. §. *Nec majoris*, *&* 22. *Iunii ejuſdem Anni* §. *Quo ſic prenotato cor. R. P. D. meo Cerro*.

Quo poſito nil refragabatur pretendere
10 talem Trebellianicam, ſi non prohibitam, ſaltem conſumptam ex fructibus perceptis per Franciſcum Antonium Nepotem, cui
11 non favet diſpoſitio famigerati *textus in l. Iubemus Cod. ad Senat. Conſult. Trebellianic.*, quia hæc propoſitio, licet in abſtracto veriſſima, in concreto non applicabatur, nam quoties de tempore confecti teſtamenti Pater Franciſci Antonii iam erat præmortuus, & in illius locum ſubrogatus idem Franciſcus, & ſic non ex operatione, ſeu miniſterio legis, ſed ex facto poſitivo, & expreſſa voluntate fideicommittentis non amplius conſiderari debebat tanquam nepos, dum in vim iſtiuſmodi ſubrogationis naturam, qualitatem, & omnes prærogativas vero filio competentes, amiſſa ad hunc effectum figura Nepotis, acquiſiverat, teſte *Beliapert. in l. IubemusCod. ad Trebellian.*, *Menoch. conſ.* 982. *n.* 24. *verſic. Caterum lib.* 10., *& de arbitrar. caſ.* 256. *n.* 32., *& ſeqq.*, *Ventrigliol. de ſubſtitut. cenſ.* 3. *quæſt.* 71. *n.* 31., *Cancer. var. reſol. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 73., *Ferre ad Guid. Pap. q.* 51. *poſt med. verſic. Veruntamen*, ubi quod ita fuit judicatum *in Arreſto Toloſano*, *Papon. lib.* 2. *tit.* 7. *Arreſt.* 1., *Hodier. ad Surd. dec.* 73. *n.* 3.

Hinc tranſeundo ad Dotem maternam, pro qua Julius retinere credebat bona valo-
12 ris ſcutorum 1500., cum de ejus ſolutione non conſtaret, niſi ex quadam ſicca, & ſerotina ſuſpectiſſima enunciativa confeſſionis de recepto impropriè emiſſa in Inſtrumento celebrato ad diverſiſſimum finem, & effectum, certè quod probata dici nequibat ſolutio vera, & realis excitatæ Dotis, nec
13 contra hæredes confitentis, *Card. de Luc. de dote diſc.* 159. *nu.* 55. *verſic. Contrarium ſic*, *Gratian. diſcept. Iur. ſelect. cap.* 693. *nu.* 11., *Mart. Med. dec. Senen. examinat.* 51. *n.* 4., *Rota cor. Cerro dec.* 44. *n. primo*, *& ſeqq.*, *& in recen. dec.* 55. *n.* 2. *p.* 5., *&* 6., *& dec.* 59. *n.* 4. *cor. Me*. Nec & multominus contra tertium Creditorem ejuſdem confitentis, *Valaſch. tom.* 1. *conſultat. deciſiva* 6. *n.* 14., *Cancer. variar. p.* 1. *cap.* 9. *n.* 183., *Rota cor. Peutinger. dec.* 352. *n.* 28., *& in rec. dec.* 144. *n.* 21., *& ſeq. p.* 15., *& dec.* 567. *n.* 9., *et ſeq. p.* 19.

Quodque confeſſio hujuſmodi de recepto
14 fuerit ſimulata, depromebatur ex cauſa ſimulandi præmaxima, & potentiſſima, promanante ex conſpicuo debito ſcutorum 6.m., quo præmebatur erga Lucidum Franciſcus Antonius, proptereaque de facili aſſequebatur, quod confeſſionem receptę Dotis opportunè emiſerit ad effectum ſe ponendi in tuto, & liberandi ab urgentibus jàm judicialibus moleſtiis ſui Creditoris, talemque cauſam eſſe à DD. approbatam pro arguenda ſimulatione, docuerunt *Card. de Luca de dote diſc.* 87. *n.* 2., *et diſc.* 159. *n.* 69., *Rota dec.* 13. *n.* 2. *p.* 19. *rec.*, *et in Romana, ſeu Albanen. Ferracei* 6. *Iunii* 1707. §. *cauſa quippe cor. Reverendiſſimo D. Decano, et in ejus confirmat.* 4. *Maii* 1708. §. *Et quidem coram Eminentiſſimo Polignac. cum aliis in Comana ſimulationis mutui* 3. *Iunii* 1711. §. *Cum etiam cor. Me*.

Eoque magis animadvertendo, confeſſio-
15 nem de recepto non prius in lucē prodiiſſe, quàm de tempore, quo movebatur Judicium, & idcirco opportet concludere emiſſam fuiſſe ad effugiendas ulteriores moleſtias, cum repugnet omni veriſimilitudini credere ſimplicem cauſalitatem quieſcere feciſſe confitentem à die 3. Decembris 1672. contracti Matrimonii, uſque ad diem 21. Aprilis 1695. ſequtæ enunciativæ, & introducti Judicii, ex animadverſis per *Rocc. diſput. jur. ſelect. cap.* 46. *numero* 18., *Rot. cor. Emerix jun. deciſione* 667. *numero* 26., *et in Romana dotis, et lucri* 10. *Decembris* 1703. §. *Tertio elicitur cor. bo. me.* Muto, *et in Civitatis vetulæ Pecuniaria* 22. *Aprilis* 1709. §. *Ceterum cor. Me, et in Verulana donationis* 27. *Iunii* 1712. §. *Præter augumenta cor. R. P. D. meo* Criſpo.

Nec deerant plures, vehementeſque co-
16 niecturæ patentem cauſam ſimulandi concomitantes; nam in primis in eodem Inſtrumento, in quo enunciabatur ſoluta controverſa Dos, fuit ſimulata retrovenditio cujusdam Terreni, quæve declarata ab A. C. fraudolenta, nulla, & evanida, non amplius oppugnabatur à Partibus; propterea corruente, tanquam ſimulato inſtrumento re-
17 trovenditionis in parte principali, & eſſentialiſſima, dubio procul corruere debebat mera, & nuda emendicata enunciativa confeſſionis de recepto in eodem Inſtrumento contenta, ut dixit *Rota dec.* 255. *n.* 6. *cor.*
18 *Celſ.*, *et d. dec.* 596. *num.* 13., *et* 14. *p.* 19. *rec.*

Indeque in aperto ponebatur ſimulatio, ponderando, quod eadem die enunciatæ ſolutionis, fuit facta retrovenditio terrarum dotalium favore hæredum dotantis, & poſt quatuor tantum dies, fuit à Patre emancipatus Julius, & ab illo redempti fuere aliqui cenſus per eumdem Patrem prius venditi; unde ex involucro, & pręcipitantia tot
19 actuum, nemo non videbat confeſſionem de recepto fomentum ſumpſiſſe, & promanaſſe ab urgentia Creditorum, & inopia debitoris, ad notata *per Surd. conſ.* 384. *nu.* 61. *tom.* 3., *Bonden. collect. legal.* 43. *nu.* 213., *Rota dec* 835. *n.* 7. *cor. Merlin.*, *dec.* 406. *n.* 4. *cor. Cavaler.*, *dec.* 191. *n.* 9., *et* 10. *cor. Ottbobon.*, *dec.* 148. *n.* 6. *p.* 17. *rec.*, *et in Peruſina Pecuniaria* 25. *Ianuarii* 1700. §. *Quod autem cor. clar. me. Caprara*.

Vanum denique detegebatur prætendere retentionem pro cenſibus his redemptis, cum
20 tritū ſit filio allegandi extinctionem debiti paterni incumbere onus probandi concludenter ſolutionem effectivè factam fuiſſe de proprio, & donec id probetur, præſumptio ſtat in oppoſitum, & quidquid filius ſolvit, præſumitur ſolutum de ſubſtantia Patris, per
21 *text. in l. acquirii ff. de acquir. rer. Dom. l.* 2. *Cod. de Patr. poteſt.*, *Gloſſ. in l. cum oportet verſ.*, *et ſubſtantia C. de bon. quæ lib.*, *Menoch. de præſumpt. præſumpt.* 50. *n.* 1. *lib.* 3., *Rota dec.* 294. *n.* 12. *cor. Merlin.*, *dec.* 199. *n.* 6. *cor. Bich.*, *dec.* 420. *n.* 6. *p.* 9. *rec.*, *et in Reatina immiſſionis* 18 *Maii* 1705. §. *corruunt cor. bo. me. Muto*.

Quin juvet recurrere ad emancipatio-
22 pationem, quoties contra eam urgebant ea omnia, quæ urgere demonſtravimus contra confeſſionem de recepto, & ſic veluti ſimulata ad non emancipationem reducebatur, nullumque efformare valebat obicem; & de facto cuicumque intellectui repugnabat, quod Pater fidere voluerit adoleſcentulo periculoſam adeo, & adeo laborioſam negociationem, prout eſt ars campeſtris, abſque
23 ulla prorſus cauſa, magiſque inveriſimile reddebatur, quod inexpers filius in paucos dies tale fecerit lucrum, ut potuerit redime-
24 re de proprio hos cenſus; unde tam ipſius actus improprietas, quam pręmaxima inveriſimilitudo exageratæ emancipationis fraudem pandebat, ex animadverſis, *in Senogallien. Pecuniaria* 6. *Decembris* 1715. §. *In primis enim, et* §. *Tanto autem magis cū pluribus ſeq cor. Me*.

Et ita utraque parte Jura ſua viriliter deducente reſolutum fuit.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS.

Veneris 3. *Julii* 1716.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Expeditio cauſarum non retardatur a Rota propter equivocum, quod una partita non eſſet calculanda, ſed ea dempta, expediatur ſolet relaxare.*

DECISIO DCCCCLXXXIII.

Occaſione qua Sebaſtianus Maſſainus petiit cauſæ expeditionem ad formam deciſionis coram Me editæ 29. Aprilis proximè pręteriti pro conſequenda ſententia declarante benè per ipſum redditam fuiſſe rationem, nec

nec non relaxationem mandati contra nepotes in ſatisfactionem creditorum, quæ ejus favore in dicta deciſione fuerunt canonizata, perſeverarunt in ſua contumacia Cajetanus, & Hermenegildus, comparuitque Raymun-
1 dus dumtaxat, inſtans audiri; ſed non propoſitis rationibus, quę deciſionem excuterent, præterquam in partita ſcutorum 210. provenientium ex alimentis per Sebaſtianum præſtitis de tempore ejus adminiſtrationis nepotibus, circa quam benè aſſerebat, ſe tunc temporis abſentem talia alimenta non recepiſſe; neque in ſui debitum à Perito fuiſſe calculata, cenſuerunt Domini ad cauſæ expeditionem tutò poſſe devenire, extenſa hac brevi deciſione, in qua declararem pro dicta partita ſcutorum 210., Raymundum non teneri.

Et ità utraque &c.

FERRARIEN. CAMBII.

Mercurii 29. Julii 1716.

Nec argumento, nec Summario indiget.

DECISIO DCCCCLXXXIV.

CUm in deciſione hujus cauſæ edita 19. Junii mox elapſi fuerit habita mentio fideicommiſſi, & Prælegati Sebaſtiani Fieſchi à Partibus allegatorum, cenſuerunt hodie Domini occaſione petitæ expeditionis, ne præjudicium ullum partibus inferretur, declarandum, quod nihil ſuper dictis fideicommiſſo, & Prælegato firmatum cenſeretur, cum pro effectu, de quo agitur in præſenti, ſola illorum turbiditas ſufficiat.

Et ita &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Mercurii 29. Julii 1716.

ARGUMENTUM.

Eſt in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Deciſiones Rotales circa ea, quæ obiter firmant nimis tutè non ſunt allegandę, etſi aliquando aliquid ſic firmaſſent, quod parti præjudicaret, ſe retractat.*

DECISIO DCCCCLXXXV.

AD formam Deciſionum editarum coram Me 20. Martii, & 22. Junii currentis anni ſuper ſubſiſtentia, & realitate ſui crediti contra creditores Hiacynthi de Palazzeſchis, petiit hodie cauſę expeditionem Cæſar Almonsi. Illi verò quàvis in d. ſecunda deciſione juxta eorum inſinuationes obtinuiſſent à Dominis declarari, quod ea, quæ circa tempus Confectionis Apocæ, & circa legalitatem librorum prædicti Hiacynthi dicta fuerant, nemini præjudicium inferrent, adhuc tamen etiam nunc (profitentes cæteroquin cauſæ expeditionem non impugnare) poſtularunt novam, conſimilem declarationem etiam reſpectu filii ſuper ſtatu ſuæ domus confecti ab
1 eodem Hiacyntho. In his terminis procedentes Domini cum conſueta ipſorum benignitate, etſi in deciſionibus, quorum vigore petebatur expeditio circa aſſertum folium nihil diceretur, & solùm in prima, à qua tamen receſſum fuit, aliquid obiter ſuper eo dictum fuiſſet, nihilominùs eamdem declarationem faciendam, mediante hac brevi deciſione indulſerunt, remittentes hujuſmodi quæſtiones ad congruum tempus, & judicium.

Et ita cauſæ expeditionem demandarunt. &c.

FARFEN. BONORUM.

Die 22. Novembris 1716.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria magiſtralis deciſionis ſub die 24. Aprilis hujus anni emanatæ, ubi fusè habes argumentum.

SUMMARIUM.

1 *Teſtes omni exceptione majores, & repetiti debiliores excludunt, per quos venti is cuſtodia probari poteſt.*, & n. 6.
2 *Amplia, ſi iidem Teſtes minùs idonei propter falſum dictum criminaliter fuiſſent inquiſiti.*
3 *Teſtis in uno dicto falſus, rejicitur in omnibus.*
4 *Teſtis deponens pro excluſione delicti in concurſu, prevalet alteri illud affirmanti.*
5 *Teſtes in judicio civili de delicto deponentes ex ſola falſitatis ſuſpicione, ex perſonarum qualitate, & levioribus ducta probationibus rejiciuntur.*
6 *Partus illegitimè genitus dicitur ex illo, qui matrem domi propriæ ſervitio addictam retinuiſſet, ubi nemini patuiſſet acceſſus.*
7 *Idem partus dicitur ex illo, qui uti filium eum palam recognoviſſet, & hæredem, ſorore præterita, ſcripſiſſet, quę omnia filiationem probant.*
8 *Amplia, ſi pater alio parituram matrem traſmiſiſſet, ne in patria ſtuprum divulgaretur.*

DECISIO DCCCCLXXXVI.

ARriſerunt Dominis fundamenta deciſionis editæ coram Me 24. Aprilis proximè præteriti, in quà recedendo ab antiquis reſolutionibus proditis coram clar. mem. Cardinali Corrado, dictum fuit conſtare de filiatione Octaviani Camilli quoad Tiberium de Soldatis ejus patrem alias controverſa; idèpque perſiſtentes etiam nunc in eodem ſenſu, reſponderunt *in deciſis.*

Præcipuum hujus novæ reſolutionis fundamentum in eo fuit, quod memoratæ antiquæ deciſiones coram Card. Corrado, impreſſæ, dec.

dec.317. p.9.rec., & dec.90. poſt Zach. quæſt. Medicoleg., viſæ ſunt inniti totaliter inſubſiſtenti motivo quorumdam Teſtium, qui, ut
cuſtodiã ventris, & conſequenter filiationem
partus excluderent, aſſeruerunt Annam Octaviani Camilli matrem, etiam ſi domum Tyberii inhabitaret, aliis tamen hominibus
1 quoque ſui copiam feciſſe; quando nunc in
eorum dicti excluſionem non ſolùm concurrit, quod alii Teſtes omni exceptione majores de mandato hujus ſacri Tribunalis formiter repetiti, & pleniſſimam conſequenter facientes probationem, cuſtodiam arctiſſimam
ejuſdem mulieris cum excluſione acceſſus ad
illam reſpectu aliorum, præter Tyberium,
eam domi ſuæ retinentem, optimè concludunt.
2 Verùm etiam alia ſuperadditur facti animadverſio, quod contrarii teſtes criminaliter ſubindè fuerunt inquiſiti ob præciſam
cauſam falſæ depoſitionis contra honeſtatem
Annæ, & eorum alter ad triremes fuit condemnatus, undè quiſque videt quantum ex
hoc facto fides eorum decreverit, cum cæteroquin tritiſſimæ regulæ ſint, quod teſtis in
3 uno dicto falſus, in omnibus præſumatur, &
4 in concurſu potiùs attendatur qui deponit in
excluſionem delicti, aliique ſimiles, multò
autem fortiùs in præſenti, ubi convicti ſunt
de falſo in eorum principali aſſertione, &
5 verſamur hodie in iudicio civili, quod levioribus falſitatis probationibus, & ipſa etiam
ſuſpicione ducta ex qualitate perſonarum,
aut inveriſimilitudine depoſitionis pro evertenda fide teſtium contentatur, ex latè firmatis *dec 633. n.3., & dec.758. nu.7. cor. Emer. jun., dec.85. n.16. poſt Conſtant. ad Stat. Urbis, & dec.668. n.15. & 16. p.19 rec. to 2.*
6 Præſertim verò quia illis quoque collimat
facti circumſtantia, in qua Teſtes omnes ſunt
concordes, quod Tyberius Annam in domo
propria recepit, tamquam addictam famulatui ſuæ matris, virginem adhuc, & puellam,
illamque ſub ſua poteſtate, & arbitrio ibidem retinuit, ut ideò filius per eam ſubindè
editus, ex eo, cum quo convivebat, & cohabitabat genitus fuiſſe præſumi debeat, *Rota dec.289. n.4. p. 1. rec., dec.246. num.6. p.15.*, &
plenè *in Carpentoraten Filiationis 14. Januarii 1704. §. Hoc jacto cor. Rmo P.D. meo Molin. Decan.* Aliæque per plures addi poſſent conjecturæ latiſſimè *in deciſ. quæ revidetur*, expoſitæ, & eamdem filiationem Octaviani quoad Tyberium patrem apprimè
coadjuvantes.
Ex quibus ſanè magni ponderis illa viſa
7 eſt, quod idem Tyberius non ſolùm ſemper, quouſque vixit, Octavianum Camillum pro filio habuit, recognovit, ac publicè,
& palam nominavit, ſed illum poſterius poſtremis tabulis, cum quibus deceſſit, uti talem, hæredem univerſalem inſtituit, præterita Catharina germana ſorore. Ex hac autem in hæredem inſtitutione, tamquam actu
ſatis congruo, & proportionato, optima filiationis probatio deducitur, ut etiam admittit *prima dec. hujus cauſæ cor. clar. mem. Card. Corrado dec.317. n.16. p 9. rec.*, & *relat. concordan. firmat ultima, quæ revidetur §. Sed præ cæteris.*
Nec minoris eſt altera momenti (cæteris
ad evitandam inutilem repetitionem præter-
8 miſſis) quod pertimeſcens Tiberius, nec cum
puellæ dedecore iſtius lapſus in Patriam
vulgaretur, illam ſtatim ac ex concepto partu venter intumuit, aliò parituram tranſmiſit, nempè ad Terram Poli apud Catharinam
ipſius Tyberii ſororem, ibi degentem, quæ
ſanè ſolicitudo rei geſtæ obtegendæ, probè
indicat illum noviſſe, & ſuo mulierem concubitu genuiſſe, ut plenè firmavit *Rot. dec.627. n.11. p.19. rec. to.2.*

Et ita reſervata iterùm tranſactionum inter partes initarum inſpectione particulari
judicio, relativè in reliquis ad meam præcedentem deciſionem reſolutum fuit, illis tantùm de Soldatis ab Octaviano cauſam habentibus jura ſua deducentibus, & altera parte
pluries monita.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 25. Novembris 1716.

ARGUMENTUM.

Immiſſio in genere hæredi legitimo ad bona defuncti conceſſa, quaſcumque exceptiones de liquidatione, & ſeparatione bonorum, prout de jure præſervat.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio concedenda eſt illi, ad quem tamquam proximiorem hæreditas defuncti ex interdicto quorum bonorum defertur.*

2 *Immiſſio, quæ jure claro, & certo petatur, per altioris indaginis exceptiones ad judicium ordinarium remittendas non retardatur.*

3 *Immiſſio hæredi legitimo in genere conceſſa, bonorum pertinentiam non decidit, & expreſſam liquidationis reſervationem, & ſeparationis bonorum in illius exequutione faciendam continet.*

DECISIO DCCCCLXXXVII.

Contra Fratres de Niccolis petentes, uti proximiores, immitti ad bona hæreditaria Franciſci pariter de Niccolis ab inteſtato defuncti, comparuit coram R. P. D. Riccio Judice ab A.C. deputato Innocentia Prateſia Uxor, dum viveret, ejuſdem Franciſci, quæ plures allegando exceptiones, quarum vigore omnia bona in illius hæreditate reperta, ſive ſui propria, ſive ſibi debita tanquam creditrici dotis, & quarti prætendebat. Prodiit verò ſententia immiſſionem in genere antedictis Fratribus concedens, rejecta liquidationis bonorum inſpectione, demandata eidemque Innocentiæ viduæ relictæ ſolutione quarti dotalis in ſumma ſcutorum 161. 72. Cumque ab hac ſententia fuerit appellatum, & illius cognitio mihi, delegata

delegata, propoſui hodie dubium -- *An ſit danda immiſſio Fratribus de Niccolis ad bona, de quibus agitur, & Domini dandam eſſe immiſſionem in genere*, reſponderunt, id eſt, *ad bona hæreditaria Franciſci*, juxta ſententiam R.P.D. Ricci, reſervata diviſione, & liquidatione eorum, quæ ſpectent ad Franciſcum, & quæ ad Innocentiam, ad ejuſdem ſententiæ executionem.

Quod enim concedi deberet immiſſio, Do-
1 minis perſpicuum viſum eſt, cum Franciſcus de Niccolis, de cujus hereditate agitur, inteſtatus deceſſerit non relictis aliis, qui proximiores illi eſſent, preter Fratres de Niccolis Actores, quibus propterea delata fuit ſucceſſio, & debetur conſequenter immiſſio ex interdicto quorum bonorum, juxta *Text. in in § adipiſcendæ de interdict.*, ibique notat: per Doctores, & alios cumulat: per *Menoch. de adipiſcen. remed.4. n.46 & 54.*, *Ridolphin. in prax. dec.1, cap.7. n.29.*, *ubi concordan.*

Neque hujuſmodi immiſſio retardari poterat ab exceptionibus per Innocentiā propoſitis. Quantum enim attinet ad adminiſtrationem bonorum Paraphernalium per defunctum Virum exercitam, & de qua præſertim reſpectu fructuum, durante matrimonio, perceptorum illius hæredes reddere rationem illa expoſtulabat. Ea ſatis eſſe in præſen-
2 ti videbatur reſponſio, quod judicium redditionis rationis, utpotè ordinarium, aptum non erat impedire immiſſionem à Niccolis expetitam, quę rejicit exceptiones omnes altiorem indaginem requirentes, juxta plenè firmata in *Beneventana nullitatis Teſtamenti ſuper retentione quoad partitas reſervat. 8.Maii 1711. §. Iteram, & §.fin. coram Me, in Placentina immiſſionis 23. Jun. 1713. §. Parumper, & in Forolivien. legitimæ 13. Aprilis 1714. §. innegabile, pariter cor. Me.*

Quo verò ad aliam exceptionem, quod competeret eidem Innocentiæ retentio mobilium exiſtentium penes ſe, utpotè quæ non ad hereditatem defuncti viri ſpectent, ſed proveniunt ipſi ab hæreditate Philippi Prateſii, nullatenus immorandum eſſe Domini
3 cenſuerunt, cum immiſſio ad bona hæreditaria Franciſci fratribus de Niccolis hodie conceſſa, reſtringatur ad eam immiſſionem in genere, quæ bonorum pertinentiam non decidit, ſed immò expreſſam continet reſervationem liquidationis, & ſeparationis bonorum faciendæ in executione, in qua rectè poterit Innocentia, & pertinentiam hujuſmodi mobilium, & quamcumque aliam retentionem pro dote, & quovis alio credito ab ea pretenſo allegare, per quā ſanè reſervationē iſtius jura ſatis ſuperque remanent præſervata, atque interim immiſſio ad hæreditatem in genere venientibus ab inteſtato impediri non poteſt, juxta praxim hujus ſacri Tribunalis, quam videre eſt *dec.437. nu.24. p.19. rec. tom.2., dec.275. n.7. cor. Beniucaſ., dec.20. n.2. & 25. cor. R.P.D. Anſaldo*, ubi ſimilia afferunt exempla, & paſſim alibi.

Et ita utraque &c.

FOROLIVIEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Lunæ 7. Decembris 1716.

ARGUMENTUM.

Parochus alteri Eccleſiæ intra limites ſuæ Parochiæ exiſtenti jurium merè Sacerdotalium exercitium prohiberi non poteſt, nec illius Rector in illa Parochialia jura è converſo poteſt exercere. Eccleſia extera ſemper præſumitur à Parochiali juriſdictione, quoad exercitium jurium merè Sacerdotalium exempta.

SUMMARIUM.

1 *Eccleſia Parochialis non poteſt prætendere dominium ſuper altera Eccleſia intra limites ſuæ Parochiæ ſita, niſi de aliquo Apoſtolico privilegio, aut ſpeciali jure edoceat*, & num.2.

2 *Eccleſia nullum habet ſuper altera dominium, excepta Cathedrali.*

3 *Aſſiſtentia juris ſtat pro Rectore, ut liberam ſuam Eccleſiam à ſubjectione habeat.*

4 *Aſſiſtentia juris, quæ Parocho favet in exercitio ſuorum jurium intra limites Parochię, non extenditur ad illorum exercitium in altera Eccleſia ibi ſita, ſed intelligitur tantùm operativè, ut ſolus Parochus eadem ſua jura intra limites ſuæ Parochiæ exercere poſſe dicatur.*

5 *Obſervantia contraria in hac materia multum operatur ad reprimendas Parochorum pretenſiones, ſi eorum jura vellent in altera Eccleſia intra Parochiæ limites exiſtente exercere, & ex quibus illa probetur?*

6 *Amplia, ut hæc obſervantia ſit juri canonico conſentanea, & roborata qualitate coactiva pro declaratione jurium utriuſque Eccleſię*; amplia ut in num.9. & 10.

7 *Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Congregationis eſt ejuſdem Concilii optima interpres.*

8 *Rota eiuſdem ſacræ Congregationis reſolutiones veneratur.*

11 *Parochus tantùm privativè quoad quemcumque alium Rectorem alterius Eccleſię intra limites ſuæ Parochiæ exiſtentis jura Parochialia poteſt exercere.*

12 *Parochus non habet ius probibendi Rectori eiuſdem Eccleſiæ exercitium aliorum iurium merè Sacerdotalium.*

13 *Jura Parochialia, & quæ merè Sacerdotalia ſint, declaratur à decretis generalibus Congregationis ſacrorum Rituum.*

14 *Conſtitutio Synodalis approbatione Apoſtolica indiget.*

15 *Conſtitutio Synodalis erroneo in ipſa ſuppoſito ad effectum de quo agitur, non attenditur.*

16 *Subiectio alicuius exteræ Eccleſię Parochiali non deducitur per hoc, quod in onere miſſarum exprimendo in erectione illius, fuiſſent exceptæ dies Paſchatis, Nativitatis, & Spiritus Sancti, cum id aliud non ferat*

ferat, quod populi tali tempore Parochialem recognoſcere teneantur.

17 *Manutenſio in iuribus Parochialibus favore Parochi, & in merè Sacerdotalibus favore Rectoris alterius Eccleſiæ, ſimul concedenda eſt, ſi lex inter eos eſset, & utrique bonum ius aſſiſteret.*

DECISIO DCCCCLXXXVIII.

GEnerali innixus regulæ, quod Eccleſia ſita intra limites alicujus Parochiæ illi ſubjaceat, Archipresbyter Eccleſiæ Parochialis S. Pancratii geminas excitavit prætenſiones contra Rectorem alterius Eccleſiæ S. Sebaſtiani de jurepatronatus Comitum de Oriolis intra illius fines exiſtentem, quarum prima ſtetit in eo, quod eidem Archipresbytero, uti Parocho, liceret pro ſui libito doctrinam Chriſtianam docere in altera Eccleſia S. Sebaſtiani, ibique prædicare populo, Sacramenta in Paſchate miniſtrare, ſolemniter celebrare, quæſtuari facere per Officiales Confraternitatis, aliaſque omnes Eccleſiaſticas functiones exercere, quas poſſet peragere in ſua Eccleſia Parochiali. Altera verò prætenſio in eo fuit, quod Rector, ſeu Beneficiatus S.Sebaſtiani, non poſſet in hac ſua Eccleſia benedicere Cineres, Candelas, Palmas, Ova, aut alios cibos Paſchales, nec mulieres poſt partum, minuſque ibi Miſſam celebrare in diebus feſtivis Nativitatis, & Reſurrectionis Domini, nec Sacramentum Pœnitentiæ populo miniſtrare extra tempus Paſchale ſine licentia ipſius Parochi, neque demùm, vel per ſe, vel per alios in eadem Eccleſia quæſtuare, reſervato tantùm illi jura adminiſtrandi eas eleemoſinas, oblationes, quæ ſponte fierent per Fideles pro cultu particulari alicujus Imaginis, vel altaris ejuſdem Eccleſiæ.

Detulit hujuſmodi ſuas prætenſiones idem Archipresbyter ad forum Epiſcopale in iudicio poſſeſſorio, & obtinuit, ſicuti etiam coram A. C., ad quem ex parte Rectoris fuerat appellatum; non ita tamen ſe res habuit in hoc noſtro Auditorio, ad quod cauſa ſubindè devoluta fuit cum commiſſione à Signatura Juſtitiæ ſimpliciter ſignata cum clauſula *de Appellatione*; nam propoſito perMe dubio -- *An, & de cuius bono iure conſtet quoad exercitium iurium Parochialium, aliarumque functionum peragendarum in Eccleſia S.Sebaſtiani, etiam ad effectum manutentionis* Domini poſtquam in prima cauſę relatione non fuerunt concordes, hodie diſtinguentes actus verè Parochiales ab illis, qui tales non ſunt, ut inferiùs exponetur, *conſtare de bono iure utriuſque, etiam ad effectum manutentionis iuxta modum* reſponderunt.

Ut autem facilior evaderet huiuſce quæſtionis reſolutio, cenſuerunt in primis diſtinguendas eſſe ſupraſcriptas prætenſiones Archipresbyteri in antecedentibus iudicatis approbatas, & quidem in eo quod primam reſpicit circa libertatem ab eodem Archipresbytero prætenſam exercendi Eccleſiaſticas functiones, & iura Parochialia in Eccleſia S Sebaſtiani contradicente iſtius Rectore, & Patronis, viſum eſt Dominis huiuſmodi libertatem nullo modo illi poſſe competere;
1 quippe quia Eccleſia Parochialis S. Pancratii nullam in eadem Eccleſia S.Sebaſtiani ſubiectionem poteſt prætendere, aut imponere ſervitutem, neque illam in proprios uſus Parochiales convertere, niſi probet hanc ſubiectionem, & ſervitutem ſibi ex aliquo privilegio, aut ſpeciali iure debitam eſſe, ad *tex. in cap. dilectus de Cappell Monach.*, ibique docent *Innoc. num.4.*, *Panormit. n.11.*, *Fagnan. in cap. ad Audientiam num.9. & 10. de Eccleſ. ædific.*, *de Luc. de Paroch. diſcept.31. n.6.*, *Va-*
2 *lenzuel. conſ.45. nu.10.*, apud quos, excepta Eccleſia Cathedrali, plenè firmatur, nullam ſubiectionem, aut ſervitutem ulli Eccleſię ſuper altera de iure competere, etiamſi ſit Parochialis, idemque tenuit *Rota* ut in *dec. 2089. n.10. & ſeq., cor. Coccin., dec.85 nu.1. & 2. cor. Ubald, dec.469. n.1. p.19. to.2.*, *in Civitatis plebis iurium Parochialium 3. Jul. 1705. §. decidendi cor. Rm̃o D meo Molin. Decan.*;
3 undè ex hac regula clarum fuit, quod potiùs in his terminis aſſiſtentia iuris ſtat pro Rectore, liberam ſuam Eccleſiam à tali ſubiectione aſſerente.

4 Ea verò iuris aſſiſtentia, quam contrario deducere poteſt Parochus ratione ſituationis intra fines Parochiæ, non adeò abſolutè accipienda eſt, ut ei pro ſuo libito licitum faciat exercere iura Parochialia, & Eccleſiaſticas functiones in quavis Eccleſia intra fines ſuæ Parochiæ exiſtente, ſed tantum eſt intelligenda, ut operetur, quod Parochus ſit ſolus in tota Parochia in exercitio iurium Parochialium, abſque eo quod in huiuſmodi exercitio quiſque alius unquam ſe poſſit immiſcere, & ita de facto Doctores interpetrantur hanc Parochialem iuriſdictionem, ut oſtendunt *Pignatell. conſ.103. n.15. & ſeq. to.10.*, *Monac. in formol. for. Eccleſ. p.2. tit.13. formular. 1. n.54. & ſeq.*, *Rot. in dicta Civitatis plebis iur. Paroch ſuper manut. 3. Julii 1705. §. Diſtinguendo cor. Rm̃o P.D. Decano, & in Gerunden. Anniverſariorum de Guixolth: 3 Decembris 1708. §. neque aſſumptum coram Em̃o D Card. Scotto, & in citat. Civitatis plebis iurium Parochialium 6. Jun. 1708. §. aut verò cor. R. P. D. meo Anſaldo.*

Ac de facto non diſſimilis fuit his iuris diſpoſitionibus in præſenti themate obſervantia;
5 habemus enim in facto, quod circa prædictas functiones Parochiales in propria Parochia exercendas, nullum unquam impedimentum à Rectore S.Sebaſtiani Archipresbytero S.Pancratii preſtitum fuit; ſed è contrario nunquam Archipresbyter invito Rectore, aut Patrono, potuit eaſdem functiones exercere in Eccleſia S.Sebaſtiani, imò quoties id agere curavit, fuit per illos prohibitus, & per multos annos ante litem motam hujuſmodi prohibitioni acquievit, ex hac autem obſer-
6 vantia, maximè cum ſit diſpoſitioni Canonicæ conſentanea, & roborata dicta qualitate coactiva, utriuſque partis jura optimè declarari, firmavit

firmavit pluries ſacrum Auditorium *in citat.*
Peruſina Præeminentiarum 2. Decembris
1711. §. Aſt cuncta, & ſeq. coram R.P.D. meo
Anſaldo, in Salisburgen. Vicariæ 31. Janua-
rii 1714 §. Hęc ſiquidem coram R.P.D. meo
Falconerio, in Burgen. juris viſitandi de Bi-
brieſca 12. Januarii eiuſdem anni §. Atque
hinc cor. Emo D. meo Card. Scotto, & paſſim
alibi.

Neque ampliùs immorandum eſſe in ful-
giendo hunc eorum ſenſum aliis, quæ poſſent
concurrere rationibus, Dominis viſum eſt,
7 cum pluries in ſacra Congregatione Eminen-
tiſſimorum Cardinalium interpretum Conci-
8 lii Tridentini, cujus reſolutiones ſacrum hoc
Auditorium, uti leges venerari ſemper con-
ſuevit, & ſequi, juxta alias deducta in *Neapo-*
litana Jurium Parochialium 13. Martii 1711
§. Utique in abſtracto cor. R. P. D. meo An-
9 *ſaldo*; ſimiles quæſtiones ita fuerint definitæ,
ut in *Comen. Jurium Parochialium 9. Julii*
1714., ubi diſputato cum aliis dubio -- *An*
liceret Parocho independenter à Patronis
exercere functiones Parochiales in Eccleſia,
ſeu Oratorio S. Joannis Baptiſtæ de Jurepa-
tronatus Fratrum de Trincanis ad ſui libi-
tum, iis invitis -- reſponſum fuit *negativè*, &
in Spoletana Parochialitatis 16. Novembris
1715., in qua, cum Parochus habens ſuam Ec-
cleſiam S. Bernardini exercere prætenderet
functiones Parochiales in Eccleſia S. Michae-
lis ſita intra fines ſuæ Parochiæ, & jam antea
obtinuiſſet favorabilem reſolutionem, de an-
no 1686., repropoſita cauſa ſuper prædicta
die 16. Novembris, fuit dictum -- *Recedendum*
eſſe à deciſis, & Parochum non poſſe functio-
nes Parochiales exercere in Eccleſia S. Mi-
chaelis.

10 Idque ipſum ſtabilitum jam pridem repe-
riebatur in Decretis generalibus ſacræ Con-
gregationis Rituum Urbis & Orbis 10. De-
cembris 1703. *impreſ. apud Monacell. in for-*
mulat. for. Eccleſ. p. 2. tit. 12. formul. 1. ſub nu.
47., ubi dub. 17. -- *An Parochus, invitis*
Confratribus, docere poſſit doctrinam Chri-
ſtianam in prædictis Eccleſiis, Oratoriis pu-
blicis, vel privatis à Parochiali diviſis -- reſ-
ponſum fuit ad 17. *Negativè*; hujuſmodi ve-
rò Decreta à Sanctiſſimo D. N. ſubindè con-
firmata tamquã leges in quocumque Tribuna-
li, jure meritò recepta jam ſunt, & præſertim
in hoc noſtro, ut in *Romana Iurium Paro-*
chialium 27. Iunii 1714. §. fin. coram R.P.D.
meo Anſaldo.

His ita ſtabilitis quoad primam Archipreſ-
byteri prætenſionem, tranſeuntes Domini ad
ſecundam circa jus prohibendi Rectori S. Se-
baſtiani, ne præcenſitas in facto functiones
in ſua Eccleſia valeat exercere, procedendum
11 eſſe cum diſtinctione cenſuerunt; quatenùs
enim hujuſmodi jus privativum exercendi
functiones Eccleſiaſticas reſpicit eas, quæ ſunt
de jure Parochiales, ſanè diverſimodè judi-
cari non poteſt, quàm favore ipſius Parochi,
ad quem procul dubio privativè, quoad quę-
cumque Rectorem alterius Eccleſiæ, vel Ora-
torii intra fines ſuæ Parochię exiſtentis, ea-
rum exercitium ſpectat, ex *Text. in cap. Pa-*
ſtoralis de his, quæ fiunt à Prælat. in cap. di-
lectum de Capellan. Monacor., & cum aliis
Rot. dec. 214. nu. 6. p. 6. rec. in Mediolanen. ju-
rium Parochialium 23. Aprilis 1708 §. Ste-
tit cor. Emo D. meo Card. Scotto Almæ Ur-
bis Gubernatore, & in citat. Romana iurium
Parochialium §. Litteralis cor. R.P.D. meo
Anſaldo, cum aliis ſupra allegatis §. Ea verè.

Quatenus verò ad alias extendi pretenda-
12 tur functiones, quæ Parochiales non ſunt,
ſed merè Sacerdotales, utique nullum ille
jus habet eas prohibendi Rectori alterius Ec-
cleſiæ, niſi ita ex aliquo privilegio, aut pacto
in fundatione poſito ſtatutum eſſe docuerit,
ut probant auctoritates ſuperiùs adductæ §.
Ut autem, & concordat *Rot. in Civitatis ple-*
bis iurium Parochialium 16. Iunii 1708. §. aut
verò, & ſeq. cor. R.P.D. meo Anſaldo.

13 Quales verò, & quot ſint iſtæ functiones,
quæ Parochiales dici non debent, aut Sacer-
dotales, nedum Domini non exiſtimarunt ſin-
gulariter explicare, cum ſatis illę pateant ex
prædictis generalibus decretis ſacræ Congre-
gationis Rituum Urbis, & Orbis anni 1703. à
Sanctiſſimo approbatis, ut aliàs dictum fuit in
ſupradicta *Romana Iurium Parochialium*
27. Iunii 1714. coram eodem R.P.D. meo An-
ſaldo.

Abſque eo quod deſumi illæ debeant ex
Synodali conſtitutione Eccleſię Foroliviensis,
ut per eundem Archipresbyterum aſſereba-
14 tur, omiſſo enim, an efficaciæ dictæ Con-
ſtitutionis Synodalis obeſſe valeant defectus
approbationis à S. Sede impetrandæ, juxta
tradita per *Card. de Luc. ad Sac. Concil. Trid.*
diſcept. 30. num. 9. Ea ſatis eſt in præſenti reſ-
ponſio, quod præfata Synodus in ea parte,
qua aliquas functiones merè Sacerdotales in-
ter jura Parochialia enumerat, non ſe habet
(prout neceſſe foret) adverſativè ad juris
diſpoſitionem, cui volitum fuerit in Diœceſi
eſſe derogatum, ſed, ut convincitur ex le-
ctura, procedit dumtaxat præſuppoſitivè,
ſupponendo, videlicet, omnia jura inibi de-
ſcripta eſſe reverà merè Parochialia, ac pro-
15 indè, cum nitatur erroneo ſuppoſito, non
eſt ad effectum, de quo agitur, attendenda,
ut in ſpecie aliàs dixit *Rot. in Neapolitana*
Jurium Parochialium 13. Martii 1711. §. Se-
cluſa cor. R.P.D. meo Anſaldo.

Minuſque vis ulla fieri poteſt ſuper funda-
16 tione; illa enim nihil aliud præfefert favore
Parochi, & Archipresbyteri, quod in injun-
gendo Rectori Eccleſiæ S. Sebaſtiani Miſſa-
rum onere, excipitur celebratio in Paſchate
Reſurrectionis, in die Dominicę Nativitatis,
& Adventus Spiritus Sancti, ea ſuperaddita
ratione, quod hiſce temporibus Parochiani
recognoſcant ipſorum Parochiam S. Pancra-
tii, quod ſanè nequaquam viſum eſt importa-
re poſſe ſubiectionem ullam iſtius Eccleſiæ
erga Parochiam, ſed ſolùm concludere, jux-
ta litteram, quod recenſitis diebus ſacrum
Miſſæ Sacrificium non poſſit in dicta Eccleſia
celebrari

celebrari prout ultra admittebat ipſe Rector S.Sebaſtiani.

17 Quemadmodum ex præmiſſis conſtat, juxta diverſos reſpectus, de bono jure, tam Parochi in exercendis privativè Parochialibus iuribus,& functionibus in ſua Parochia,quàm Rectoris in exercendis aliis functionibus merè Sacerdotalibus in propria Eccleſia cum ea libertate, quod Parochus non poſſit eaſdem Parochiales functiones in iſta peragere, ita etiam utrique eorum ex eodem capite boni juris in iiſdem terminis *concedendam eſſe manutentionem* Domini reſponderunt, iuxta alias deducta *dec.211.n.14.cor.Royas*, & cum aliis punctualiter in ſepe allegata *Peruſina Præminentiarum ſuper manutentione 2. Decembris 1711. §. Verum etiam, & in Romana iurium Parochialium 27. Iunii 1714. §. Literalis cor.R.P.D.meo Anſaldo.*

Et juxta hunc modum utrique parti reſponſum fuit.

FIRMANA DOTIS.

Die 11. Decembris 1716.

ARGUMENTUM.

Apoca matrimonialis à Sponſo, & Sponſæ Patruis ſubſcripta, quoad omnia in ea contenta iſtos obligat, præſertim circa promiſſionem dotis, quam eiſdem conjugibus indefinitè per apocæ ſubſcriptionem feciſſent, qua de cauſa Sponſus non tenetur inquirere, an in ipſorum manibus tot bona de aſſe Sponſæ patris prædefuncti provenientia, & pro dote coæqua exiſtant, vel nè; cum actio contra eoſdem habeatur directa, quorum fidem fuiſſe ſequutum præſumitur, cum reciproca promiſſione de uxore ducenda ſe in eadem apoca obligaſſet.

SUMMARIUM.

1 *Via executiva de jure communi pro dote non datur.*

2 *Judicium ordinarium, ſi cauſa videatur in tertia inſtantia, non differt, quoad effectum ulterioris appellationis, ab exequtivo.*

3 *Clauſula* -- Alteri qui ad legitimam-- *viam exequtivam præſervat.*

4 *Mandatum ad factum ritè relaxatur contra promiſſorem dotis in ſtabilibus, & illius loco exequutivum contra obligatum bona in dotem tradere.*

5 *Subſcriptio apocę matrimonialis non eſt merè approbativa matrimonii, ſed etiam conſtitutionis, & promiſſionis dotis in ea contentæ.*

6 *Subſcriptio ſponſi in apoca matrimoniali, ſicut ipſum ad illius contractionem obligat, ita a pari, cæteri in ea ſubſcripti ad omnia in ea contenta ſervanda obligantur,* amplia ut in num. 7.

8 *Obligatio ſolvendi dotem ſemper refertur ad ſubſcriptos in apoca matrimoniali, maximè ſi bona doti affecta poſſiderent.*

9 *Obligatio ſolvendi dotem ſponſo facta à ſponſæ Patruis, quoad ipſum intelliguntur nomine proprio obligati, ſi ei dotem ſolvere indefinitè promiſiſſent.*

10 *Sponſus ſine dote matrimonium non præſumitur fuiſſe contracturum.*

11 *Sponſus, ſi pro dote ſe ſe indefinitè obligaſſent ſponſæ patrui, non tenetur inquirere, an bona per eos retenta, vel adminiſtrata ſufficierent vel ne, cum fidem promittentium eum perſequi præſumatur.*

12 *Promiſſio de facto alieno non eſt apta ad promittentem nomine proprio obligandum.*

13 *Fratres, ſi ſeſe neptem dotare obligaſſent indefinitè, & pro indiviſo bona ſponſæ Patris eorum fratris poſſiderent, non dicuntur de facto alieno eos promiſiſſe, ſed de eorum proprio.*

14 *Promiſſio de facto alieno obligat promittentem in bonis propriis, & perſona, quando agitur de dote, ex iſtius privilegio.*

15 *Obligatus principaliter ad ſolutionem dotis non poteſt excipere, quod prius diſcutienda ſint bona Patris ſponſæ, ut dignoſcatur, an illę ſufficiant, vel ne, cum ipſum directè ſponſus habeat obligatum.*

16 *Amplia, ſi bona Patris eſſent intricata, anterioribuſque affecta hypothecis, quo caſu, niſi coobligatus in bonis propriis adſtringi poſſet, ſaltem ex cauſa doli teneretur.*

17 *Pactum redimendi valorem bonorum minorem reddit.*

DECISIO DCCCCLXXXIX.

Ad effectum conſtabiliendi matrimonium inter Franciſcum Mariam Lucianum, & Vincentiam filiam Cæſaris Macchiati, jampridem defuncti, promiſit Anna Catarina ſponſæ mater titulo dotis illius favore reſignare decem loca Montium S. Petri, prout ſucceſſivè cum effectu reſignavit; Ludovicus verò, & Joſeph Puellæ Patrui eodem dotis nomine tradere promiſerunt alia ſcuta mille in tot bonis hæreditariis memorati Cæſaris, comprehenſis etiam illis in Caſtro Guardiæ exiſtentis ad æſtimationem peritorum. Sed cum iſtiuſmodi promiſſio per ſpatium viginti,& ultra annorum nunquam ab illis impleta fuiſſet, obtinuerunt prædicti conjuges in Curia Archiepiſcopali Firmi contra Joſephum alterum ex dicti Patruis ſuperſtitem, etiam uti hæredem Ludovici interim defuncti mandatum ad factum pro traditione bonorum hæreditariorum dicti quond. Cęſaris, una cum fructibus, & interuſuriis dotalibus ad rationem ſcutorum quatuor pro centenario in ſingulos annos, & loco mandati ad factum,mandatum exequtivum tam contra bona hęreditaria dicti qu. Ludovici, quam adverſus eumdem Joſephum quod in ſecunda inſtantia A. C. Cincius in omnibus exequi mandavit.

Ab hiſce judicatis provocante Joſepho, & commiſſa mihi per Signaturam juſtitię appellatio-

lationis cauſa cum clauſula ſuſpenſiva quoad bona propria, propoſui hodie congruum dubium -- *An ſit procedendum ad legitimam exequutionem* -- cui DD. attenta illorum validitate, & juſtitia *affirmativè* reſponderunt.

Validitas enim, quæ cæteroquin reſulta-
1 bat ex actis, fruſtrà impugnabatur à Joſepho ob defectum viæ exequutivæ, quæ de jure
2 non competit pro dote: Nam cum cauſa verſetur in tertia inſtantia, in qua judicium exequtivum quoad effectum ulterioris ap-
3 pellationis non differt ab ordinario, ac præterea commiſſa reperiatur per Signaturam juſtitiæ cum clauſula *Alteri*, de competentia viæ exequtivæ inquirendum non erat, ut in terminis dotis aliàs reſpondit *Rota in Romana, ſeu Anconitana dotis* 15. *Januarii* 1698. §. *Eo autem cor. R.mo dell' Olmo, & in Romana dotis* 17. *Junii* 1707. §. *Hoc tamen cor. R.P.D. meo Anſaldo.*

4 Sed non minus clara reddebatur eorūdem judicatorum juſtitia ex literali, & incontrovertibili obligatione per d. Ludovicum, & Joſephum ſuſcepta in Apoca Matrimoniali de tradendis Franciſco Mariæ futuro ſponſo pro rata dotis Vincentiæ eorum ex fratre Neptis ſcutis mille in tot bonis hæreditariis Cæſaris illius Patris prædefuncti, cui proptereà, cum nunquam hactenùs ſatisfecerint, nil adeò rationi conſonum videri poterat, quam quod promiſſionem ejuſmodi Judicis imperio, mediante mandato ad factum, & loco ejus exequtivo cogerentur, *Rot. coram Bich. dec.*266. *num.*3., *& ſeqq.*, *& in rec. deciſ.*266. *num.*1., *& deciſ.*387. *nu.*2. *par.* 18., *& poſt Conſtant. deciſ.* 59. *num.*7., & ſepè alibi.

5 Nec ſubſiſtere viſum fuit, quod obligatio ab illis ſuſcepta mediante ſubſcriptione apocæ matrimonialis referenda ſit ad ſolam, & ſimplicem approbationem matrimonii, non etiam ad conſtitutionem dotis, & quatenùs ad iſtam extendi velit, omnis eorum promiſſio, & obligatio intelligi debeat per eos ſuſcepta tamquam adminiſtratores, & nomine ipſius Vincentiæ, non autem nomine proprio, ac proindè nulla adverſus ipſos promittentes potuerit ex illa, matrimonio jam cum effectu ſequuto, actio exoriri.

Nam quod attinet ad primam objecti partem, DD. ponderabant, quod quemadmodum
6 ex ſubſcriptione ejuſdem Apocæ per ſponſum exarata, ne dum ipſe obligatus remanebat illam in uxorem ducere, verum quoque adſtrictus nè majorem dotem petere poſſet; ita è converſo ex conſimili Patruorum ſubſcriptione, correſpectiva oriri debuit obligatio, non modo curandi, ut puella matrimonio aſſentiretur, ſed etiam ut conventa dos ſponſo aſſignaretur, ex *reg. text. in l.* 1. *ff. de reb. dub.*, *Rot. deciſ.*150. *num.*11. *par.*8., *&*
7 *dec.* 471. *num.*14., *& ſeqq. par.* 17. *rec.* Præſertim quia Anna Catherina Mater, quę pariter idem folium ſubſcripſit, promiſit tantummodo ſe reſignaturam favore Vincentiæ

8 decem loca Montium; undè obligatio ſolvendi alia ſcuta mille in tot bonis ſtabilibus pro reſiduo dotis conventæ in ſcutis duobus millibus, neceſſario ad ipſos Patruos, qui ſe indefinitè obligaverant, & quod magis eſt eadem bona poſſidebant, erat referenda, ex argumento *text. in leg. quoties C. fam. erciſc.*, in ſimili reſpondit *Rot. deciſ.*595. *nu.*20. *par.* 19. *rec.*

Quod verò ad ſecundam pertinet, placuit reſponſio, quod cum à Patruis expreſſus non fuerit titulus adminiſtratorius, & quo nomi-
9 ne ſe ſe obligabant, utique obligatio per eos ſimpliciter ſuſcepta tradendi pro dote Neptis tot bona Cæſaris illius Patris prædefuncti, in eo quod reſpicit viri intereſſe, non aliter intelligi debet, quam nomine ipſorum proprio, quia vel iſta bona adſunt, & ad eos ſpectat onus curandi promiſſam traditionem impleri, vel non adſunt, & ſibi imputare debent, ſi ſub hac promiſſione ſponſum allexerunt ad tale contrahendum matrimonium,
10 ſine qua, ſicuti non fuiſſet illud contracturus, ita juris, & æquitatis ratio non patitur, quod ſub involucro verborum deceptus re-
11 maneat; non enim ad ipſum ſpectabat inquirere quo nomine Patrui promittebant tantam dotem ſibi conſtitutam iri, & an bona mulieris per ipſos adminiſtrata ſufficerent nec nè, ſed ipſi ſatis erat fidem ſequi promittentium, ut in puncto diſtinguendo hunc caſum ab altero, quo agatur de ſolo intereſſe mulieris agentis contra fratres, vel Patruos ſuorum bonorum adminiſtratores pro conſequenda ex bonis propriis illorum, dote ſibi promiſſa, firmant *Peregrin. dec.* 93 *num.*1. *& ſeqq.*, *Capyc. Latr. dec.*38. *num.*17. *& num.* 44., *Card. de Luc. de dot. diſc.* 154. *num* 34. *verſ. quod tamen.*

Minimè urgente replicatione, quod cum dominium bonorum Cæſaris ſpectaret ad ipſam Vincentiam Sponſam, tamquam Patris hæredem, promiſſio tradendi eadem bona
12 à Patruis emiſſa favore ſponſi, dicatur promiſſio facti alieni, ac proindè minus apta illos obligare nomine proprio. Objectum enim ceſſare videbatur ex facto, dum juxtà
13 Teſtium depoſitiones prædicta bona hereditaria Cęſaris, pręſertim exiſtentia in Caſtro Guardiæ tam ejus vita durante, dum moram in Urbe traxit artem medicam exercendo, quam poſt ejus obitum, ſemper pro indiviſa poſſeſſa fuerunt à dd. Ludovico, & Joſepho germanis fratribus, & ſic promiſſio tradendi ſcuta mille in eiſdem bonis, revera non præſeferebat promiſſionem facti alieni, ſed proprii, aptaq; erat promittentes obligare ad implementum de proprio, ut ex argumento *leg. unicæ* §. *Accedit C. de rei uxor action.*, docuit *Bald. in l. fin. n.*3. *C. de dot. promiſs.*, *Ruin. conſ.* 171. *num.*1. *lib.*1., *Sylvan. conſ.*2. *num.* 20., *Petr. Barboſ. in l.*1. *par.*4. *nu.* 149. *verſ. unde quod ſupra, & num.*150. *verſ. Undè infertur.*

Ultra quod juxta auctoritatem *Baldi in d. l. fin. n.*25. *C. de dot. prom.*, ex juris diſpoſitio-

14 ſitione ſpecialiter receptum eſt favore dotis, quod promiſſio facti alieni obliget promittentem ad illud præcisè præſtandum de proprio, prout alias per *text. in l. fin. C. ad S. C. Vellejan.* dixit *Rota in Peruſina Dotis impreſſ. apud Marcheſ. de Commiſ. par.* 2. *fol.* 589. *ſub num.* 3. *in fin.*, & tenuit etiam *Bald. Novell. de dot. par.* 7. *priv.* 4., *Conſtant. ad Statut. Urbis annot.* 51. *num.* 51.

Quibus ita poſitis, conqueri non debet Joſeph, quod de proprio condemnetur, etiam ante quam per exequtionem à Signatura juſtitiæ præſervatam cum clauſula *ſine præjudicio* contra bona hæreditaria dicti Cæſaris, dignoſci valeat, an re vera illa ſufficiant pro dicto reſiduo dotis perſolvendo. Obligatio ſiquidem ipſi incumbens, etiam tamquam hęredi Ludovici fratris, non eſt ſubſidiaria, & reſtricta ad caſum, quo dicta bona prius excuſſa ad quantitatem promiſſam non aſcenderent, ſed eſt principalis, & directa, dum Lucianus in apoca matrimoniali non fuit ſtipulatus ſibi in dotem dari bona ipſa hæreditaria Cæſaris à muliere, ſed incertus de valore, & libertate dictorum bonorum, maluit ſibi habere ſponſæ Patruos principales, & directos debitores, & aſſecuratores ejuſdem
15 dotis, & quidem in certa, & determinata quantitate, ſolum demonſtrativè in dictis bonis perſolvenda, ut benè conſiderat *Card. de Luc. de dot. d. diſc.* 154. *nu.* 26. *verſ. & ideo in fin. & n.* 32. *verſ. & quamvis.*

Addito præſertim quod poſt oppoſitiones factas pro parte ipſius Joſephi coram A. C. Cincio ad effectum impediendi exequtionem ſuper dictis bonis hæreditariis Cęſaris, jam ipſe amplius inficiari nequit, quin illa
16 ſint pluribus litibus à ſe ipſo promotis involuta, & fortaſſe etiam creditis anterioribus ab ipſo oppoſitis obnoxia: Undè ęquum non eſt, quod Lucianus illa perſequi cogatur, dum habet ipſum Joſephum liquidum, ac certum debitorem, qui etiam ex hoc capite dolo vacare non videtur, quod ſciens dicta bona hæreditaria tot debitis anterioribus, quot ipſe prætendit, vel omninò, vel ſaltem in magna parte abſorberi, nihilominus ſponſo tantam dotem promiſit in dictis bonis tradendam, ad ea, quæ per *text. in leg. cum poſt mortem* 44. §. *Præterea ff. de admin. tutor.*, ponderat ibi *Bartol. num.* 2, *Boſſ. de dot. cap* 3. *ſub num.* 108., *Capyc. Latr. d. deciſ.* 38. *num.* 16.

Super iis, quę opponebantur circa exceſſum mandati, DD. nihil immorandum cenſuerunt: nam quatenus iſte deſumitur ex eo, quod memorati conjuges ex dote ipſis promiſſa in ſumma ſcut. bis mille, jam conſequti fuerint decem loca Montium, & ſic cum iſtorum valor longè ſuperet quantitatem ſcut. mille, non potuerit pro aliis mille
17 mandatum relaxari; Objectum ceſſat ex facto, quia eadem loca Montium ſubiecta erant pacto redimendi favore tertiæ perſonę, quæ paulo poſt illa cum effectu redemit, pretio ſcut. mille.

Et ita utraque &c.

LEGIONEN. CENSURARUM.

Lunæ 11. *Januarii* 1717.

ARGUMENTUM.

In literis citatorialibus, & compulſorialibus Sacræ Rotæ, licet generalis legatur facultas illarum exequtori delegata excommunicandi Actuarios extractum actorum tradere renuentes; ipſe tamen Judex, tali eveniente caſu, prius eos tenetur admonere, eiſque cenſuras intimare, monitioneſque cum intimatione ad Rotam tranſmittere, quæ, elapſis terminis ad docendum de paritione, ſolet contra inobedientes cędulones relaxare; neque Judex à Quo poteſt eundem exequtorem excommunicare, ex quo iſte Actuarium proceſſum tradere renuentem cenſuris plexiſſet, deque tali facultate prius non edocuiſſet poſt ei præſentatam appellationem. In hac tamen materia caute, & mitius Judices procedere tenentur.

SUMMARIUM.

1 *Judex à Quo poſt præſentatam appellationem, illicò amittit facultatem ad ulteriora procedendi.*

2 *Non poteſt excommunicare Judicem delegatum ad extrahendum acta, qui notarium renuentem proceſſum tradere excommunicaſſet.*

3 *Judex non poteſt ad excommunicationis pœnam, nulla canonica præmiſſa monitione, & immaturè, devenire.*

4 *Sententia excommunicationis prius trinam monitionem repoſcit.*

5 *Eſt nulla, niſi citatio perſonalis præceſſiſſet.*

6 *Judex exequtorialis, citra vitium attentatorum, non poteſt contra inobedientes ſuis mandatis cædulones relaxare, licet in literis compulſorialibus eidem talis ſoleat concedi facultas, & quid facere teneatur,* & num. ſequ.

7 *Excommunicatio, elapſis ſolitis terminis ad docendum de paritione, contra inobedientes relaxatur à Judice.*

8 *Excommunicatio non incurritur à Notario, ex quo intra præfixum terminum in literis compulſorialibus acta non dediſſet, ſi ab appellante pro rogationem reportaſſet.*

9 *Cenſuræ, ceſſante contumacia, & inobedientia, quæ ſunt illius fundamenta, non relaxantur.*

10 *Abſolutio ab illis in rebus dubiis ſemper datur ad exemplum piæ matris Eccleſię.*

DECISIO DCCCCXC.

Interpoſita per Communitatem centum Baccalaureorum appellatione ad Sac. hoc Auditorium à ſententia lata per Proviſorem, ſeu Vicarium Generalem Curiæ Legionen. favore Mattiæ Eſcobar, fuerunt coram Me expeditæ conſuetę literæ Citatoriales, & compulſoriales cum inhibitione, aſſumptoq; in partibus pro illarum exequtore Canonico Thoma de los Rios, fuerunt illæ primo loco inti-

intimatæ eidem Vicario Generali Judici à Quo, ut non amplius auderet in cauſa procedere, & deinde Notario Actuario cauſę, ut & ipſe ſuæ ſatisfaceret incumbentię, omnium actorum copiam extradendo.

Quia tamen eidem Notario brevis terminus ſex dierum, ut in dictis literis continetur ſatis non erat ad tranſcribendum integrè magnā molem proceſſuum, ideo ex conſenſu etiam requirentium fuit prorogatus, additique alii ſcriptores cum concordatione mercedis.

His ita peractis, Canonicus de los Rios literarum Rotalium exequtor innixus illi facultati, quam ſibi contulere videbantur eędem literæ cogendi dictum Notarium ad demandatam actorum extraditionem, etiam per cenſuras ſtante lapſu termini ibidem pręfixi, & actis non extraditis, illum ex officio excommunicatum declaravit, cedulones relaxavit, & Januę principali Eccleſiæ Cathedralis affixit.

Pervenit hujus rei notitia ad Vicarium Generalem Rm̃i Epiſcopi Legionen., qui ægrè ferens caput Notariorum ſuæ Curiæ talia paſſum fuiſſe, quamvis per interpoſitam appellationem in cauſa ſe ſe amplius non poſſet ingerere, adhuc tamen pari modo, & ipſe procedens, ſub excommunicationis pęna Canonicum de los Rios iterato laceſſivit ad exhibendam ejus facultatem delegatam in actis, & deindè uti contumacem actu excommunicatum declaravit, affixis de more cædulonibus.

Neque tamen hic ſteterunt conſimilia acta in partibus; etenim poſtquam ſe ſe talem declaratum à Vicario ſcivit Canonicus exequutor, novam pronunciavit excomunicationem contra eumdem Vicarium, novoſque cedulones, aliis laceratis contra illum affixit; & quia Baroncellus Curiæ Epiſcopalis ultimos removit, illoſque contra ipſum Canonicum publicatos reaffixit, etiam hunc cenſuris innodatum eſſe idem Canonicus declaravit.

Poſt hæc in partibus ſequuta, pervenit ad Curiam cauſæ principalis proceſſus ab eodem Actuario tranſmiſſus, qui productis inſimul aliis Juribus circa cenſuras contra ipſum latas, inſtetit ſucceſſivè coram Me pro illarum circumſcriptione, eamdemq; inſtantiam, & illi invicem ſuper nullitate, & validitate reſpectivè contendentes propoſuerunt; undè ſuſpenſis cenſuris hinc inde, opportunum duxi demandare, quod diſputaretur dubium -- *An, & quæ cenſurę ſubſiſterent*, eoque diſcuſſo in hodierna Audientia cum acri Patrium contradictorio, reſponſum habui à Dominis -- *nullas cenſuras ſubſiſtere* --

Et quidem, quantum ad eas attinet, quas Vicarius Generalis contra Canonicum de los Rios exequtorem noſtrarum literarum pronunciavit, ea fuit apud Dominos precipua
1 ratio nullitatis, quia jam ipſi, uti Judici à Quo fuerant literæ citatoriales vigore appellationis ad Sac. Rot. interpoſitæ jam diù præſentatæ cum inhibitione per ipſum acceptata non amplius in cauſa procedendi;
2 unde cum ex cauſa tranſumptionis proceſſus fuiſſet excommunicatus Notarius, non poterat ipſe excommunicantem laceſſere ad exhibendam facultatem excommunicandi, minuſque contra iſtum cenſurarum pęnam promulgare ſine attentatorum vitio, quod incurritur à Judice procedente poſt inhibitionem, juxta latè adnotata per *Rot. dec.*26. *num.*6. *cor. Celſ. dec.*324. *num.* 5. *& ſeqq. cor. Royas, & dec.* 30. *&* 33. *utrobique num.* 5. *cor. R̃mo P.D. meo Anſaldo Decano.*

3 Neque minor exindè nullitas oriri viſa eſt aliis prętermiſſis, quod ad pænam adeo gravem excommunicationis immaturè proceſſum fuit ad vindictam Notarii Curię Epiſcopalis, contra monitum ſa. me. Innoc. IV. *in cap. cum medicinalis de ſent. excommunicat. in* 6., *& Sac. Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 3., nulla præmiſſa monitione Canonica,
4 quę tamen pro validitate ter debebat ante pronunciationem ſervari, juxta *text. in capit. repræhenſibilis* 26. *de appell., & in cap. ſacro* 48. *ubi gloſ. verb. competent. de ſent. excommun.*, & plenè tradunt *Menoch. de arbitr. caſ.*545. *per tot., Ridolph. in prax. par.* 1. *cap.* 14. *num.*244., & docet inconcuſſa praxis hujus noſtri Auditorii, de qua in propoſito *Ubert. de modo citat par.* 5. *formul.*4. 5., *&* 6., *Ridolph. in prax. par.*1. *cap.*14. *n.*244.

Quo verò ad alias cenſuras latas à Canonico Executore contra Actuarium prędictum, Vicarium Generalem, & Baroncellum, ultra mox dictam nullitatem ex defectu canonicę monitionis, aliamque ductam ex
5 defectu citationis ſententię, quę cum agatur de infligenda maxima excommunicationis pæna contra unumquemque, perſonaliter ſervari debebat, *Felin. in cap. cum ſit Romana num.*13. *de appellat.*, *Covarruv. in cap. Alma mater §. num.* 4. *de ſent. excomm.*, & cum aliis *Rot. dec.*496. *num.*4., *& dec.* 507. *nu.*12. *par.* 12. *rec.* Illud potiſſimè placuit
6 Dominis fundamentum, quod etiamſi in literis Rotalibus ea generalis facultas contineatur requirendi quoſcumque Archiviſtos Notarios &c. ſub iiſdem pænis, & cenſuris &c., tamen certum quoque eſt, quod de ſtylo hujus Sac. Tribunalis non poſſunt illarum executores ad excommunicationem contra contumaces procedere, ſed debent tantummodo illos monere, iiſque literas, & mandata intimare, deindeque eaſdem literas cum intimatione, pręſentatione, & monitione prædictis ad Sac. Rot. tranſmittere, à qua
7 ſervatis ſolitis terminis ad docendum de paritione, declaratoria relaxatur contra obedire recuſantes, & ſi ad excommunicationem ab executoribus proceditur, incurrunt iſti in attentata, fusè *Card. de Luc. diſc.* 40. *nu.* 102. *de judic., R.P.D. Petra in comment. ad conſtit. Apoſtol. tom.*1. *fol.*219. *num.* 98., *& ſeqq.*, & pluries id ipſum definivit Sac. Rot., *ut in dec.* 150. *n.* 1. *ibique adden. cor. ſa. me.*

Innoc. X. dec. 183. *num.* 2., *&* 3. *par.* 16. *rec.*, & melius *dec.* 916. *per tot. coram Dunozz. Jun.*

Et hæc communia inter omnes ab executo-
8 re de los Rios excommunicatos. Cæterum
quoad Notarium, ea etiam partialis ratio
concurrere viſa eſt, quod in ipſo deficiebat
quęvis inobedientia, & contumacia, dum
antequam laberetur terminus ſex dierum in
intimatione prefixus, illius prorogationem
cum Communitate centum Baccalaureorum
concordavit, & in termino prorogato acto-
rum tranſcriptionem complevit, & quia il-
lius Procuratores eam recipere ſubindè no-
9 luerunt, ad Curiam tranſmiſit; ceſſante au-
tem inobedientia, & contumacia, quæ fun-
damentum ſunt cenſurarum, & ipſæ ceſſare
debent, itaut aliter latę, nequaquam ſuſti-
neantur, *ad tex. in cap. non debet* 11. *quæſt.*3., *cap. contingit* 10.2., *& cap. ſacro de ſent. excommunicationis, Rot. dec.*328. *num.* 2. *cor. Beninc.*, *& dec.*107. *num.*2. *par.*19. *recenſ.*

10 Concludebantque Domini, quod, etſi ali-
qua poſſet ſuper his excogitari dubitatio, adhuc ad cenſurarum abſolutionem procliviores ipſi eſſe debebant, quam alii fuerint in partibus ad inflixionem, ſequendo pię Matris Eccleſiæ laudabile exemplum, animarum ſalutem, quam cenſuræ percutiunt, modis omnibus coadjuvandi, ut dictum fuit *dec.*88. *num.* 1. *cor. Em̃o P.D. Anſaldo Decano.*

Et ita partibus informantibus reſponſum fuit &c.

ROMANA EXPENSARUM.

Lunæ 11. *Januarii* 1717.

ARGUMENTUM.

Ad totalem expenſarum Judicialium refectionem tenetur, qui cauſam proſequi curaſſet non obſtante, quod cæteri conlitigantes liti ceſſiſſent, nec ob exceptionem de poſſibili utilitate, quæ omnibus profutura eſſe potuiſſet in caſu Victoriæ excuſatur.

Mandatum ſpeciale ad renunciandum in Procuratore requiritur, ne Victor, tutò ad expenſarum taxationem deveniat, nec non legitimè renunciationis notitia judicialiter victori danda eſt à ſuccumbente, ut iſte ab earum taxatione ſibi cavere teneatur.

SUMMARIUM.

1 *Refectio expenſarum à Judice taxatarum, dicitur debitum clarum ſuccumbentis.*

2 *Amplia, ſi ageretur de expenſis vivis, & judicialibus, quæ ſunt ſportulæ, expenſæ extractorum, regeſtri, citationum, & ſimilium, quæ tam de jure, quàm de Curię ſtylo ſunt integraliter reficiendæ.*

3 *Renunciatio liti non retardat taxationem expenſarum & mandati expeditionem, niſi parti judicialiter ante expeditionem notificetur.*

4 *Error Notarii non excuſat reum à taxatione expenſarum, ex quo ſub interpellata die, ſe de renunciatione non rogaſſet, cum id renunciantis damno cędat.*

5 *Error in officiali publico, vel Notario circa proprium officium non pręſumitur.*

6 *Renunciatio liti facta à pluribus conlitigantibus operatur, quod ſi unus tantum non acquieſcat, & litem proſequatur, debet ipſe tantum in pęnam ſuę contumaciæ omnium expenſarum condemnationem ſubire.*

7 *Renunciatio facta à Procuratoribus ſine ſpeciali mandato procurę non attendenda eſt à victore in cauſa, ſed ad expeditionem tutò, & ad damnum renunciantis poteſt devenire.*

8 *Limita, ſi in cauſa plures eſſent, & unus tantum cauſam fuiſſet proſequutus, quo caſu ob cęterorum acquieſcentiam Victor impedimentum non haberet, niſi ex parte illius, qui litem proſequeretur, quin ſententiæ effectum attingeret, tunc renunciatio abſque ſpeciali mandato ſufficit;* amplia ut in num. ſequ.

9 *Refectio expenſarum in totum ad cauſam proſequentem pertinet, quando cęteri renunciaſſent appellationi, tam proſequtæ, quàm proſequendæ, nec exceptio poſſibilis utilitatis de futuro attenditur.*

DECISIO DCCCCXCI.

SEntentiam Immiſſionis ad Tenutam *di Torre in Pietra* latam contra Dños de Falconeriis in Tribunali A.C. à Reverendiſs. P.D. meo Aldrovando Archiepiſcopo Neocæſarien., & noſtri hujus Auditorii Locumtenente, favore Ven. Eccleſię S. Ignatii dumtaxat, ad excluſionem Dominorum del Benino, & de Gavottis, ſolus Comes del Benino impugnavit, interpoſita in actis appellatione, & Collitigantibus ſolemniter eidem acquieſcere declarantibus.

Fuit propterea in gradu appellationis cauſæ examen renovatum cum dicto tantum contradictore, & emanarunt in Sacra Rota binæ ſententiæ ejuſdem primę confirmatoriæ, altera coram Reverendiſſimo P.D. meo Anſaldo Decano, & altera coram Reverendiſſimo P.D. Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore, quarum vigore fuit ſubindè capta poſſeſſio Tenutæ, & deventum extitit ad taxationem, & liquidationem expenſarum contra dictum Comitem del Benino in ſumma ſcutorum 196., fueruntque ultimo loco poſita ſub ſequeſtro nonnulla loca Montium ad ipſum pertinentia.

Cum autem ex parte Eccleſiæ S. Ignatii proponeretur inſtantia relaxationis mandati de conſignando, plures idem Comes oppoſuit exceptiones, tam generales, quam particulares, inferius recenſendas, contra jam ſecutam taxationem, itaut opus eſſe duxerim, vocatis etiam aliis, qui ſteterant in primo judicio coram A.C., nempè Dominis de Falconeriis, & de Gavottis, dare dubium -- *An, & pro*

& pro qua ſumma ſit relaxandum mandatum de conſignando, ſivè potiùs novum mandatum executivum ſit relaxandum, & contra quos -- habuique à Dominis reſponſum -- *eſſe relaxandum mandatum de conſignando pro ſcutis* 196. *contra Dominos del Benino, & novum mandatum executivum non eſſe relaxandum.*

Et quidem, methodicè procedendo, optimum habuit fundamentum prima pars hujus
1 reſolutionis, in eo, quod debitum eorumdem del Benino eſt ſatis ſuperque clarum, cum proveniat ab expenſis factis per Eccleſiam S. Ignatii in ea lite, in qua ipſi ſuccubuerunt, & quas ideò tenentur ipſi parti victrici reficere, ad *Text. in l. cum qui temerè ff. de judic.*, *& in l. properandum §. Sivè autem Cod. eodem.*

Præſertim quia omnes ejus generis ſunt,
2 quæ vivæ, & judiciales appellantur, utpotè conſiſtentes in Extractu, Sportulis, Regeſtris, Citationibus, & ſimilibus, quę non ſolum de jure, ſed etiam de ſtylo totius Curiæ, & præſertim hujus noſtri Tribunalis, ulteriorem moderationem non patiuntur, juxtà notata *in Tyburtina Expenſarum* 2. *Junii* 1702. §. *Omnes enim coram bo: me: Muto*, *& in Romana Emphyteùſis ſuper expenſis* 10. *Decembris* 1708. §. *Exceſſus coram Emo Dño Cardinali Polignac*, & paſſim alibi.

Abſque eo quod impugnari valeat taxatio expenſarum factarum in expeditione ultimæ ſententiæ Rotalis anno 1705. coram Reverendiſſimo P. D. Molines, ſub eo prætextu, quod antè illius prolationem Comes
3 del Benino liti renunciaſſet. Advertendum enim in facto eſt, quod ex parte d. Comitis fuit quidem ſub die prima Julii anni 1705. citatum ad dicendum contra proteſtationem, & in termino hujus citationis repetitum inſtrumentum renunciationis liti, rogatum per acta Pini ſub eadem die; ſed perquiſitis actis iſtius Notarii, tale quid adjuventum non fuit; undè nullum adfuit impedimentum ſubſecutæ expeditioni: Et quamvis verè ſub die 3. ejuſdem menſis reperiatur exaratum fuiſſe idem inſtrumentum, quia nullam habuit de eo notitiam altera pars interpellata pro die prima, talis renunciatio nullum illi objicem facere potuit, juxta notoriam praxim, quod ad hoc ut renunciatio Collitigantem afficiat, debet illi pręcisè notificari, alias renuncians ab expenſis non liberatur, *Rot. in Colonien. Paſtoratus* 2. *Juli* 1700. §. *Neque prædictis coram Eminentiſſimo D. meo Cardinali Scotto, & in Lucana Præeminentiarum ſuper expenſis* 4. *Maii* 1705. §. *Immoratum cor. bo. me. Omaña.*

4 Fruſtraque idem Comes conquerebatur, quod id evenerit ex errore Notarii inſtrumentum conſcribentis. Etenim neque talis error, ſi ſubſiſteret, ejus eſſe poſſet efficaciæ, ut ipſum liberaret in præjudicium alterius
5 Collitigantis, qui verè expenſas fecit, neque ullo modo in Officiali publico circa ſuum munus pręſumi poteſt, ad vulgarem regulam, de qua *Text. in l. cum de indebito in fin. ff. de probat.*, *& l. neque natales Cod. eod*, cum aliis vulgaribus.

Quibus quoad primam dubii partem conſtabilitis, ſuccedebat pro fundamento ſecun-
6 dæ partis ea animadverſio, quod poſt latam ſententiam in Tribunali A. C., tam Domini de Falconeriis, quam Domini de Gavottis Collitigantes illi acquieverunt, nullamque in actis interpoſuerunt appellationem, immò illam expliciiè reiteratis proteſtationibus, & renunciationibus acceptarunt, declarantes, ſe ſe nolle ad alias ulteriores expenſas teneri, aut obligari; quod ſi his non obſtantibus, ſolus Comes del Benino ſucceſſivè appellavit, & cauſam fuit proſecutus, debet ipſe in pœnam ſuæ pertinaciæ in litigando ſuſtinere univerſam condemnationem ad expenſas, ut aliis allegatis, nuperrimè dictum fuit *in Romana Pecuniaria ſuper expenſis* 7. *Decembris* 1716. §. *Expenſarum coram R. P. D. meo Corio.*

7 Neque relevat, quod renunciationes prædictæ factæ fuerint à Procuratoribus, ſpeciale mandatum, & talem facultatem non habentibus. Siquidem hęc exceptio aliquam fortaſſe poſſet habere difficultatem, ſi proponeretur ab ea parte, quæ victrix fuit in lite, ut quotidiè videmus in caſu, quo, talibus renunciationibus non obſtantibus, cauſæ expediuntur, & ſubindè expenſæ factæ expeditionis impugnantur, quando tamen,
8 prout hic, factis prædictis renunciationibus, nullum Eccleſia S. Ignatii ex parte eorum, qui renunciarunt, impedimentum habuit, quin ſententiam Judicis Ordinarii exequeretur, & ſolum ex parte Comitis del Benino appellantis fuit pręſtitum tale impedimentum, itaut opus habuerit eadem Eccleſia per alias duas inſtantias cauſam proſequi, certè quod ad eximendas partes, quæ prius renunciarunt, ab expenſis reficiendis per ſuccumbentes, actus prædicti cenſeri debent exuberantes, præſertim nè teneantur, partem, quæ temerè, ipſis renuentibus, voluit litigare, ab ipſarum expenſarum gravamine relevare, ad *Text. in l qui ſolidum* 8. §. *Etiam, ibique Gloſſ. ff. de legat.* 2., *Rot. deciſ.* 107. *ſub num.* 1. *verſ. minùs coram Rembold.*, *& dec.* 410. *in principio coram Celſ.*

9 Quicquam non obſtante replicatione, quod potuiſſent ex appellatione Comitis, & alii utilitatem victoriæ reportare. Ultrà quod enim eventus omnia comprobavit, & utrùm juſtam habuerint cauſam renunciandi alii Collitigantes, optimè oſtendit; illud in facto concurrit, quod fuit etiam declaratum in prædictis actibus, quod neque intendebant Domini de Falconeriis, & Gavottis adhærere appellationi proſecutæ, vel proſequendæ à Comite del Benino: undè jam erant iſti omni quoque ſpe reportandæ prædictæ utilitatis expoliati, & appellatio, ſtanteadeò contraria declaratione, nunquam fieri poterat communis.

Et ità partibus informantibus &c.

CA-

CALARITANA EVICTIONIS.

Lunæ 14. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Licet regulare ſit, quod Cæſſionarius, nomine debitoris ſibi ceſſo prius non diſcuſſo, contra cedentem regreſſum non habeat, limitatur tamen, quando non Idoneitas nominis ceſſi, ſed ſolutio ipſa ſub conditione evictionis fuiſſet appoſita, quæ ſtatuta die inter eoſdem coventa ſequuta non fuiſſet, quo caſu eadem adventa, ſolutioneque non ſequuta, cedens abſque nominis ceſſi diſcuſſionem ad evictionem obligatur.

SUMMARIUM.

1 *Clauſula* conſtito de tribus *verificatur, quando tertia ſententia eſſet duarum præcedentium confirmatoria, & reſpectivè alteram inter mediam revocaret.*

2 *Cæſſionarius, antequam ſe contra cedentem vertere poſſit, tenetur prius debitorem ceſſum excutere*, limita ut in num. 9.

3 *Diſcuſſio nominis debitoris ceſſi dicitur facta quando Ceſſionarius mandatum contra iſtum expediviſſet, omneſque diligentias pro ſolutione reportanda intendiſſet.*

4 *Ceſſionarius non habet regreſſum contra cedentem, quando debitor ceſſus ex facto Principis factus fuiſſet non ſolvendo, & quando ex tali facto ſit non dicatur evaſiſſe ſed ex propria Inopia.*

5 *Cedens promittens nomen Ceſſum, tam de facto, quam de jure exigibile, ſtipulationem non comittit favore ceſſionarii, niſi in caſu, quo probetur nomen ceſſum non eſſe verum, vel de facto ob inopiam inexigibile.*

6 *Exigibilitas Juris conſiſtit in realitate crediti ceſſi, Amplia* ut in mox dicto n. 5.

7 *Cedens comiſiſſe intelligitur ſtipulationem favore ceſſionarii, & de exigibilitate tenetur, ſi debitor ceſſus ſtatuto tempore non ſolviſſet, nec ceſſionarius ad ulteriorem diſcuſſionem faciendam obligatur,* amplia ut in num. ſequenti, & 10.

9 *Ceſionarius habet illico contra cedentem regreſſum, nec teneturnomen ceſſum excutere quando non idoneitas debitoris ceſſi, ſed ſolutio ipſa in conditione evictionis poſita fuiſſet.*

10 *Cedens non liberatur à regreſſu contra ſe in caſu inexigibilitatis nominis ceſſi, ex quo cum ceſſionario ad invicem, tamquam in re propria ſeſe Procuratores conſtituiſſent contra nomen ceſſum, cum talis actus interpetretur, quod ceſſianarius contra iſtum, & contra cedentem actionem habeat pro majori ſui Indemnitate.*

11 *Amplia, ſi obſervantia demonſtraret, quod cedens ob inexigibilitatem nominis ceſſi alium fundum pro ſecuritate ſubrogaſſet.*

12 *Cedens eo modo, quo ſui favore fuiſſet judicatum, contra Ceſſionarium ob paritatem jurium pati debet, quod contra, ſi favore ejuſdem ceſſionarii judicetur.*

DECISIO DCCCCXCII.

Domus Profeſſa Societatis Ieſu in Civitate Calaritana erigenda, putans ſe gravatam à Sententia Rotali, præviis duabus Deciſionibus, à R.P.D. meo Criſpo lata ſuper confirmatione aliarum duarum, quas in partibus obtinuerant hæredes Raymundi Maſſones, & reſpectivè infirmatione alterius intermediæ per Eminentiſſimum Scottum, tribus præcedentibus deciſionibus promulgatæ ad favorem ejuſdem Domus, delegari mihi curavit à Signatura Juſtitiæ ulteriorem cauſæ cognitionem cum clauſula *Conſtito de tribus*, ſed fruſtra, quia propoſito hodiè congruo dubio, Domini *affirmativè reſponderunt*.

1 Numerus enim, & conformitas Sententiarum erat omninò extra controverſiam, cum tàm duæ priores de Partibus, quàm poſtrema R.P.D. Criſpi pariformiter condemnent memoratam Domum Profeſſam ad reſtitutionem Cenſuum per d. Raymundum eidem traditorum, ex cauſa permutationis quatenus actu exiſtant, ſin minus ad traditionem proprietatis, aut Bonorum Subrogatorum. Undè non obſtante contraria Sententia intermedia Eminentiſſimi Scotti, negari nequibat, quin ſimùl junctis dd. duabus prioribus ſententiis cum illa R. P. D. Criſpi, verè conſtaret de tribus, ut alias dixit *Rota dec.* 980. *num.* 12. *coram Dunozzet.*, & *deciſ.* 667. *num.* 2. *par.* 19. *rec.* & paſſim alibi.

Quod autem eſſent exequendæ, ſuadebat illarum validitas, & juſtitia; quandoquidem nullitates quędam, quæ opponebantur, tamquam de per ſe inſubſiſtentes, & à Signiatura Juſtitiæ in Commiſſione cauſæ rejectæ, nullam merebantur animaduerſionem. Obje-

2 ctio verò illa, quæ unicæ ad juſtitiam promovebatur, quod nempè concedendus non erat hæredibus Raymundi regreſſus ad cenſus cum domo Profeſſa permutatos ſub obtentu inexigibilitatis illius, qui viciſſim ab eadem Domo favore Raymundi ceſſus fuerat, niſi facta prius excuſſione Debitoris ceſſi, nimirum Civitatis Calaritanæ, viſa fuit, tam in facto, quam in Jure minimè ſubſiſtere.

3 Non quidem in facto, quia conſtat, quod dd. hæredes pro conſequenda ſatisfactione dicti cenſus, non ſolum judicialiter evocarunt Domum Profeſſam, ut litem in ſe ſuſpiceret juxta formam ſuæ obligationis, ſed ulteriùs videntes eam nil aliud feciſſe, quàm petere communicationem Proceſſus, aſſumpſerunt in ſe hujuſmodi onus, & per duas uſque inſtantias Civitatem acerrimè perurſerunt coram Tribunali Regiæ Audientiæ à quo tamen licet obtinuerint mandati relaxationem, impedita nihilominus exequutio, mediantibus literis moratoriis eidem Civitati conceſſis ex ea præcisè ratione, quia redacta erat *al miſerabile ſtato, che ſi riconoſce non aver con che pagare li ſuoi Creditori*, undè

his

his ſtantibus, controverti non valet, quin factæ fuerint ſufficientes diligentiæ pro excuſſione nominis ceſſi, quodque illud repertum fuerit non ſolvendo, ut latè probant *Deciſiones præcedentis inſtantię 27. Aprilis* 1714. §. *Eoque efficacius*, & 7. *Junii* 1715. §. *Verum tamen coram R.P.D. meo Criſpo*.

Minimè attenta reſponſione, quod hujuſ-
4 modi impedimentum proceſſerit ex quadam æconomica æquitate, & ex facto Principis, quod regulariter cedere debet damno Ceſſionarii, non autem cedentis: nam, cum dicta moratoria conceſſa fuerit in Judicio per viam Juſtitiæ, eique cauſam dederit depauperatio Civitatis non ſolum reſpectu Gabellæ Mercaturæ ſuppoſitæ pro fundo cenſus, ſed univerſaliter reſpectu omnium redditŭum ad illam pertinentium, non dicitur impedimentum ex facto Principis, ſed ex inopia Debitoris ceſſi, quem Domus Profeſſa perpetuo idoneum, & facilis exactionis futurum eſſe promiſerat, ut bene in propoſito firmat *Olea de ceſſ. jur tit. 7. quæſt. 3. nu. 35.*

Sed non minus objectum in Jure ſubſiſtit.
5 Quia, & ſi verum ſit, quod quando cedens promiſit nomen ceſſum, tam de jure, quam de facto exigibile, non committitur ſtipulatio, niſi probetur, vel quod nomen non fuit verum, in quo conſiſtit exigibilitas Ju-
6 ris, vel quod factis diligentiis, Debitor ceſſus repertus fuit non ſolvendo, & minimè idoneus, ſivè quod idem eſt de facto inexigibilis, æque tamen receptum eſt, quod,
7 ubi quis cedendo nomen Debitoris fuit etiam ſtipulatus, quod, ſi debitor ceſſus ſtato tempore non ſoluerit, cedens de evictione teneatur, tunc quia conditio illa non reſpicit idoneitatem, & potentiam ſolvendi, ſed ipſum ſolutionis actum, ſatis eſt, quod Debitor ceſſus effectivè ſtatuta die non ſolverit, ut abſque neceſſitate ulterioris excuſſionis commiſſa dicatur evictionis ſtipulatio, juxta clarum *Text. in l. fidejuſſor.* 17. §. *fin. ubi Bart. n.* 2. & 3. *ff. de Fidejuſſor. Bald. in l. ſi plur. n.* 24. *C. de Condict. inſert.*, *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 164. *num.* 19. *Staiban. Jun. conſultat.* 67. *num.* 2. & *ſeq. tom.* 1. *Giurba dec.* 117. *num.* 14. *Sanfelic. dec.* 360., & *ſeq.* cum aliis *in deciſionibus præcedentis Inſtantiæ* 37. *Aprilis* 1714. §. *Stabile*, & 7. *Junii* 1715. §. *Iterum coram R.P.D. Criſpo*.

In caſu autem, de quo eſt quæſtio, quamvis pro parte Domus Profeſſæ enixe contenditur promiſſam ab ea fuiſſe ſolam exigibilitatem Juris, & facti, non etiam, quod Civitas ſolutura fuiſſet fructus cenſus permutati, contrarium tamen, ſicut in antecedentibus Inſtantiis, ita quoque hodiè reſultare viſum fuit ex integro contextu Inſtrumenti permutationis, quo mediante,
8 poſtquam Domus profeſſa ceſſit favore Raymundi nedum jus, ac proprietatem cenſus à Civitate impoſiti, ſed etiam ipſos fructus, & *penſiones impoſterum debendas*, diſertis verbis paulo infra promiſit *prædicta ſic permutata facere habere*, & *reſpectivè tenere contra cunctas Perſonas*, ſeſeque obligavit de evictione *in omni caſu*, & ſic promiſit facere habere, & tenere ipſos fructus, & penſiones, & ſe obligavit de evictione etiam in caſu, quo fructus iſti à Civitate non ſolverentur: cum enim ſtipulatio illa *Prædicta &c. facere habere, tenere* -- reſtringi non poſſit ad ſolum dominium, & poſſeſſionem cenſus, ſed per neceſſe referri debeat etiam ad penſiones inpoſterum debendas propter dictionem illam *Prædicta* utriuſque rei complexivam, planè conſequitur, ut commiſſa dicatur ſtatim ac deficiente in ſolutione fructuum Civitate, Raymundo ceſſionario illos habere, & tenere non licuit, juxta *Text. in l. habere licere* 57. *ff. de Evict.*, itaut minimè opus fue-
9 rit ad obtinendum regreſſum contra cedentem, Bona, & Idoneitatem Civitatis excutere, cùm non idoneitas, ſed ſolutio ipſa in conditione evictionis poſita fuit, juxta terminos dicti *Textus in l. Fidejuſſor.* quem ſic explicant ſcribentes ibi, & melius *in l. Decem ſtipulatus ff. de verb. obligat.*, ubi præceteris *Jaſ. num.* 12., *Andreol. controverſ.* 115. *nu.* 12., & *controverſ.* 275. *num.* 7. *Rocc. diſputat. Iur.* 142. *per tot.*

Nilque urget, quod rejecta hujuſmodi intelligentia, inutile, ac ſuperfluum fuiſſet, quod Partes ſeſe invicem Dominos, & Procuratores in rem propriam conſtituiſſent, actioneſque, & Jura ſibi mutuo mandaſſent, ſi debitores ceſsos excutere non teneban-
10 tur, nam, & hoc utile eſse potuit ad alios effectus, & quatenus etiam referri velit ad illum agendi contra Debitores ceſſos, nihil repugnat, quod Ceſſionarius in caſu, quo fructus ſibi non ſolverentur, duplicem facultatem haberet, vel ſcilicet perſequendi directe nomen ceſſum, ſi ita è re re ſua ſiturum putaſſet, vel intentandi ſtatim regreſſum contra cedentem, conducente cætero, quin in hunc ſenſum regula illa, qua docemur, clauſulas iſtas generales in hujuſmodi ceſſionibus apponi ſolitas, tamquam famulativas contractui, cui adhærent, ita eſſe accipiendas, ut principalem contrahentium intentionem juvent, & non deſtruant, ut pluribus adductis advertit ultima Deciſio præcedentis Inſtantiæ §. *Quorum efficaciam coram R. P.D. Criſpo*.

Sed omnis in hac parte ſubmoveri viſa
11 fuit difficultas ex facto ipſo Domus profeſſæ, cujus Adminiſtrator, cum anno 1704. exigere nequiviſſet fructus unius cenſus ejus favore viciſſim ceſſi in dicto Inſtrumento permutationis à Raymundo Maſſones, abſque aliis diligentiis pro excuſſione bonorum Debitoris ceſſi, regreſſum intentavit contra cedentem; eumque judicialiter coegit loco illius alium fundum ſubrogare: ex hoc enim facto, ut bene Domini animadvertebant, unum de duobus concludi neceſſe eſt, quod nempè, aut ita revera intelligi debet prædicta Evictionis promiſſio, quemadmodum ſubſequuta declaravit obſervantia, ut dictum fuit *in prima deciſione R. P. D. mei Criſ-*

Criſpi §. *Iſtaque*, *& in ſecunda* §. *Quæ omnia*, ubi concordantes, aut quatenus per malam hypotheſim ità de ſtricto Jure intelligenda non eſset, adhuc tamen
12 Domus Profeſsa æquo animo ferre debet, quod ita in præſenti ejus reſpectu accipiatur, dum judicialiter obtinendo controverſam conventionem eo modo prò ſe declarari affecta remanſit generali illo juſtiſsimo Edicto — *Quod quiſque Iuris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem utatur*, de quo *l. prima*, *& tot tit. ff. quod quiſque Iuis &c.*

Et ita Domini in reliquis relative ſe habentes ad dictas geminas Deciſiones præcedentis Inſtantiæ, reſponderunt utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris 19. *Februarii* 1717.

ARGUMENTUM.

Creditor ex fructibus pignoris ſatisfaciendus ſtatim ſatisfactione completa, non poteſt ſub prætextu alterius tituli, qui de cætero eſſet turbidus, idem pignus retinere.

In contractibus quando habet locum æquitas *legis Curabit*, fructus, juxta taxam legalem taxantur, etiam ſi diverſimodè, & in majori ſumma fuiſſent concordati.

SVMMARIVM.

1 *Reſtitutio pignoris, ſecuta ſui ſatisfactione, non poteſt à Creditore retardari*, amplia ut in n. 15.
2 *Deductio alicujus ſummæ fieri ſolet in calculatione penſionum pro dislocationibus, & reaptationibus.*
3 *Sors principalis debiti diminuitur, quando Creditor ſummam fructus excedentem exigeret.*
4 *Æquitas* legis Curabit *ſolum reſpicit compenſationem damni, quod venditor patitur amittendo fructus, quos ex re vendita percepiſſet.*
5 *Non extenditur ultra menſuram ipſius damni realiter, & cum effectu paſſi, etiam ſi in majori ſumma fructus conſtitiſſent*, & vide caſum.
6 *Datio in ſolutum non probatur per ſimplicem apocam non recognitam, e conſpectu inſtrumenti, quod præcedentem ob pignorationem ejusdem rei probaret.*
7 *Contractus mulieris ſine ſolemnitatibus eſt nullus.*
8 *Non convalidatur per acceſſum filiorum quando actor ab iſtis jura non metitur.*
9 *Amplia, ut neque ex concurſu filiorum convalidetur, ſi deficeret cauſa juſta, & læſivus eſſet, quæ nullitas etiam ab hæredibus mulieris allegari poteſt.*
10 *Contractus mulieris corruit, ex iniuſta cauſa, quando obpignoraſſet fundum apud Creditorem, illique facultatem dediſſet agendi exequtivè pro illius deliberatione* & vide rationem in n. 12.
11 *Salvianiſta non poteſt ſubhaſtare fundum, niſi in caſu, quo ex fructibus ſatisfieri non poſſet.*
13 *Contractus dicitur læſivus, ſi res valoris ſcut.* 1300. *pro ſcutis* 900. *venderetur &c.*
14 *Diminutio valoris unius fundi in magna quantitate, & infra decennium non præſumitur.*
15 *Creditor quando eſſet ex fructibus fundi ſibi a debitore in pignus dati, satisfactus, non poteſt ſub prætextu alterius tituli altiorem requirentis indaginem, illud retinere.*

DECISIO DCCCCXCIII.

Immiſſionem ad quædam horrea ab A. C. conceſſam anno 1699. favore Joſephi Salvii hæhæredis mediati q. Fulviæ impugnans hodiè Diana Urſina hæres pariter mediata q. Claudii Cremonæ, delegari mihi curavit à Signatura Juſtitiæ ulteriorem cauſæ commiſſionem in gradu reſtitutionis in integrum, ſed fruſtra, nam DD. congruo dubio per Me propoſito — *Conſtare de re judicata* — reſponderunt.

Juſtitia enim memoratæ ſententiæ, circa quam tota verſabatur contentio Partium,
1 aperte reſultabat ex eo, quod Creditum ejuſdem Claudi, in cujus ſatisfactionem uſque ab anno 1643. pignori tradita fuerunt à Fulvia debitrice prædicta horrea, jam dicitur ex penſionibus illorum à d. Claudio, & hæredibus in eam cauſam exactis omnino extinctum, & conſumptum remanſerat, proindeque nullo jure, nulloque colore poterat iſtorum reſtitutio retardari, *l. Si eum venderet* 13. *ubi Caſtren. n. ff. de pigniorat. action.*, *Rota cor. Bich. dec.* 391. *n. primo*, *& ſeqq.*, *& dec.* 177. *nu.* 4., *&* 5. *p.* 10 *rec.*, *& in Montis Peluſii pignoris conventionalis* 4. *Iulii* 1704. §. *Exploſa cor. Rm̃o Kaunitz.*

Idque fuit in continenti demonſtratum, ex quo annuæ penſiones dd. horreorum, & cujuſdam remiſſæ aſcendebant ad annua ſc. 63.,
2 à quibus deductis annuis ſcutis tribus pro diſlocationibus, & reaptationibus, juxta praxim, de qua *Rota in rec. dec.* 91. *n.* 8. *p.* 13. *& dec.* 498. *n.* 7., *& ſeq.*, *& in Imolen.*, *ſeu Faventina Fideicommiſſi* 23. *Junii* 1715. §. *Nihilominus cor. R. P. D. meo Criſpo*, *& in Faventina fideicommisſi ſuper Domo quoad fructus* 20. *Januarii* 1717. §. *finali cor. R. P. D. meo Foſcaro*, remanebant ſcuta ſexaginta, cum autem pro ſatisfactione fructuum debiti principalis ſcut. 900. in forte ſatis eſſent annua ſcut. 54., juxta quantitatem inter partes conventam annuorum ſc. 6. pro quolibet centenario, jàm inde patet, quod Creditor accepit ultra debitum pro fructibus, reſidualia ſcuta ſex quolibet anno, ex quibus ſpatio longiſſimi temporis annorum 53., quo Claudius, & ejus hæredes pædicta bona oppignorata detinuerunt, me-
3 moratum capitale ſcut. 900. penitus extinctum remanſit, facta nimirum quolibet anno ſchalari illa diminutione ſortis, & fructuum, quæ

quæ de jure fieri debet, & cujus meminit *Reverendiſſimus D. meus Anſaldus Decanus in ejus tract. de Commerc., & mercat. diſc. 55. n. 29., Rota dec. 181. nu. 11. p. 16., & dec. 63. n. 22. p. 18. rec., & coram Bichi dec. 201. n. 1., & ſeqq.*

Certius autem, quia ut DD. animadverterunt, fructus debiti pro capitali ſcut 900. non poſſunt calculari juxta taxam inter partes conſtitutam in annuis ſcutis 6., ſed ſolum ad rationem ſcut. 4. pro quolibet centenario, dum ſicuti ſucceſſivè probavit evidentia facti ſubductis ſcut. 3. ex cauſa reaptationum, ac dislocationum, horrea prædicta reddiderunt dumtaxat annua ſcuta 60., & ſic ad rationem ſcut. 4. pro quolibet centenario integri prætii ſcut. 1500., pro quo ſeptennio ante eadem horrea à Claudio vendita fuerant
4 auctori d. Fulviæ; cum enim æquitas legis curabit *cod. de action. empt.* cujus ratione conventi fuerunt prædicti fructus ſolum habeat in obiecto compenſationem damni, quod pateretur venditor amittendo fructus, quos ex re vendita percepiſſet quouſque res ipſa, una cum prætio remanet penès empto-
5 rem, hinc eſt, quod nullatenus extendi poteſt ultra menſuram ipſius damni realiter, & cum effectu paſſi, quodque propterea prætendi non poteſt, niſi compenſatio, & refuſio fructuum ab ẽptore perceptorum, etiam ſi in majori ſumma conventi fuerint, ut ſequendo Doctrinam *Saliceti in l. 2. n. 3. Cod. de uſur., late firmavit Rota dec. 453. n. 2., & ſeqq. p. 4. tom. 2. rec., & coram Ludoviſ. dec. 347. n. 5.,* & ibi *Adden. n. 17., & cor. Otthobon. dec. 2. n. 2., & ſeqq.*

Rationum hujuſmodi pondere devicta Urſina, duas alias opponebat exceptiones, alteram videlicet, quod ipſa Fulvia, quæ priùs controverſa horrea pignori dederat, anno poſt ad effugiendam eorumdem ſubaſtationem, & deliberationem, ad quam devenire poterat Claudius juxta arbitrium, & facultatem ſibi expreſsè reſervatam, dum illa pignori accepit, mutato conſilio ſatiùs duxerit ipſa in ſolutum tradere una cum conſenſu, & acceſſione trium eius filiorum Maſculorum eidem Claudio pro ſatisfactione memorati crediti ſcut. 900.; alteram vero, quod prędicta horrea obnoxia ſint fideicommiſſo condito à q: Joſepho Cremona, purificato favore Petri Auctoris Urſinæ; undè vel ex uno, vel ex alio capite poſſint ab ea ſummo jure retineri.

Sed quod attinet ad primam, prompta occurrebat reſponſio, quod de d. datione in
6 ſolutum, non ſatis conſtare dici poterat è conſpectu publici Inſtrumenti præcedentis dationis in pignus per ſimplicem apocam ad hunc effectum exhibitam, & adhuc formaliter non recognitam, *Rota cor. Cavaler. dec. 193. nu. 2., & cor. Coccin. dec. 85. pariter*
7 *n. 2., & cor. Emerix. dec. 696. n. 6., & ſæpe alibi.* Præterea quatenus etiam de illa legitimè conſtaret, nimis evidens, & aperta eſſet nullitas d. poſterioris contractus, nedum ob defectum ſolemnitatum ex præſcripto Statuti Urbis *cap. 151.* in contractibus Mulierum omnino, & pro forma requiſitarum, ut firmat *Conſtant. annot. 44. n. 6., Rota dec. 547. n. 11., & ſeqq., & dec. 623. n. 12. p. 18. rec., & alibi paſſim.* Quibus utique
8 ſupplere non poterat acceſſio trium filiorum in dicta Apoca, ut aſſeritur ſubſcriptorum, dum non ab ipſis, ſed à Fulvia mediante Erſilia altera filia jus ſuum Actor dimetitur., *Rota cor. Seraphin. dec. 1324. nu. 6., & 7., &*
9 *cor. Dunozet. jun. dec 611. n. 1., & 2.* Verum & certius ob defectum juxtæ cauſæ, & evidentem læſionem, quorum concurſus, ita inficit quemcumque contractum, ut ſine dubio poſſit illius nullitas non ſolum ab ipſa Muliere, ſed etiam ab ejus hæredibus allegari, prout eſt hodie Salvius Actor, qui tanquam hæres mediatus Fulviæ ab ipſa Urſina rea conventa in alio judicio citatus, & recognitus fuit, *l. hæredes cod. ad Vellejan., Rot. dec. 195. n. 13., & dec. 216. n. 17. penes Poſth. de manut., & poſt Conſtantin. ad ſtatut. Urbis dec. 154. n. 13.*

Deerat ſane juſta cauſa, quia licet in ac-
10 tu, quo Claudius pignori accepit toties dicta horrea ad effectum ſibi ſatisfaciendi de d. credito ſcut. 900. cum penſionibus ab illis retrahendis, expreſsè ſibi reſervaverit facultatem agendi executivè pro illorum deliberatione, & ſubhaſtatione, ea tamen intelligenda erat, prout ibi diſſertis verbis dictum
11 fuit *ad majorem ipſius cauthelam*, nempe quatenus ex dd. penſionibus ſatisfieri non poſſet, exemplo Creditoris immiſſi in Salviano, cui non conceditur facultas ſubhaſtandi pignus, niſi quando ex fructibus ſatiſfieri non valet, ut in praxi teſtatur *Ridolphin. p. 2. cap. 6. n. 93.* Ne alias principalis
12 actus dationis in pignus tanta cum maturitate, & ad lites ſuper eo negocio iam vertentes, dirimendas per viam tranſactionis volitus, & & concluſus, inutilis prorſus, & inanis propter d. reſervationem remaneret, *contra regul. text. in l. Non ad ea ff. de condit., & demonſtrat., de qua Rota dec. 793. n. 6. cor. Cerro, & alibi.*

Sed clarior quoque, & magis certa erat
13 læſio, quia, ut ſupra dictum eſt ipſamet horrea ſeptennio ante vendita fuerant à Claudio Cremona Patri Fulviæ prætio ſcutor. 1500. Unde ſine evidenti damno ipſius mulieris recipi non poterant ab eodem Claudio in ſolu-
14 tum pro ſolis ſcutis 900., dum cęteroquin adeo magna valoris diminutio tàm brevi temporis intervallo, & longè infra decennium de jure præſumi nequibat, *Bald. in l. 2. n. 8. Cod. de reſcinden. vendit, Rota coram Greg. dec. 553. n. 5., & cor. Cerro dec. 216. n. 6. in fin.*

Ex his autem pleniſſimè probata nullitate aſſertæ dationis in ſolutum, illico quoque corruebat altera obiectio deſumpta ex titulo anterioris fideicommiſſi. Poſito enim ex ſu-
15 pra deductis, quod controverſa horrea pignori accepta fuerint à Claudio, ad effectum ſibi

ſibi ſatisfaciendi ex illorum penſionibus, quodque hujuſmodi ſatisfactio ſequta jam fuerit, nullo pacto poteſt eorumdem reſtitutio retardari ſub obtentu alterius tituli plenum dominium præſeferentis, quando verificatio iſtius altiorem requirit indaginem, prout contingit in præſenti, dum adverſus prædictum fideicommiſſum plures opponuntur detractiones, & alia multa congeruntur, quæ illius relevantiam adeo turbidam, & incertam reddunt, ut peculiari indigeant diſcuſſione in ſuo proprio, ac particulari judicio facienda, ut omiſſis generalibus, reſpondit in ſpecie *Rota in d. Montis Peluſii pignoris conventionalis* 4. *Julii* 1704. §. *Tandem circa medium cor. Reverendiſſimo Kaunitz.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DISTRIBUTIONIS DOTIUM.

Lunæ 22. *Februarii* 1717.

ARGUMENTUM.

Teſtator, ex quo ſemper præſumatur ſe communi uſui loquendi uniformare voluiſſe, ob id, ſi dotes ad piam cauſam conſtitueret, & ad eas confratres de ſua natione vocaſſet, dat intelligere, quod ejus diſpoſitio eos tantum ſub dominio ſuæ Patriæ exiſtentes, non vero extra illam comprehendere voluerit.

SUMMARIUM.

1 *Natio Bohemorum venit ſub nomine Germanorum.*
2 *Teſtator præſumitur ſe communi uſui loquendi uniformare voluiſſe.*
3 *Denominatio* Germanorum *comprehendit omnes Provincias, & Regna, quæ Germanicum conſtituunt Imperium, eiſdemque legibus utuntur.*
4 *Notoria, probatione non indigent.*
5 *Germania comprehendit Regnum Bohemiæ.*
6 *Rex Bohemiæ habet vocem in electione Imperatoris Germaniæ.*
7 *Natio aliqua, ſub cujus dominio ſtet, Geographicorum teſtimonio multum defertur.*
8 *Bohemia extat inter* Status *Germaniæ Superioris.*
9 *Res judicata operatur, ut qui illam paſſus ſit, nil petere poſſit, donec reſtitutionem in integrum non obtineat.*

DECISIO DCCCCXCIV.

IN poſtremis Tabulis conditis ſub anno 1710. Ioannes Georgeus Maiſſel natione Germanus, Patria Bambergenſis, ut Archiconfraternitati Sanctiſſimæ Conceptionis Campi Sancti, cui reperiebatur adſcriptus teſtimonium relinqueret ſuæ Pietatis, diſpoſuit, quod ex penſionibus Domus, quam hic in Urbe poſſidebat, tot dotes ſcutorum 25. quotannis diſtribuerentur Confratribus Germanis cum prælatione favore illorum, qui eſſent de Epiſcopatu Bambergæ, & eorum, qui in exercendis pietatis operibus, in eadem Archiconfraternitate frequentiores eſſe comperirentur.

Vita functo pio Teſtatore, cum primum anno 1713. facienda eſſet diſtributio, prætenderunt aliqui ex Confratribus, quod prædicta diſpoſitio loquens de Confratribus Germanis, non poſſet eos Confratres comprehendere, qui licet eidem Archiconfraternitati adſcripti, eſſent tamen Nationis Flandricæ, proptereaque cum & iſti participes ejuſdem legati fieri contenderent, lis inter ipſos geſta fuit, judicialiter ſubinde delata ad Tribunal R. P. D. Viceſgerentis, qui ſententiam protulit Flandorum excluſivam, & hæc ſententia ob non interpoſitam appellationem intra legitima tempora, rei judicatæ auctoritatem aſſumpſit.

Interim imminente jam die feſto Sanctiſſimæ Conceptionis anni 1714., quo diſtributio dotium effectum erat habitura, novum inter Confratres litigiũ exarſit circa admiſſionem eorum ad idem legatum, qui natione eſſent Helvetii, vel Bohemi, & hæc pariter prætenſio fuit coram eodem Judice deducta, à quo extitit in primis inhibitum, quod talis diſtributio non fieret, niſi ad formam ſui præcedentis Judicati, aliamque ſucceſſivè ſententiam tulit, in qua non curata inſtantia propoſita pro attentatorum purgatione, declaravit ritè, recteque admiſſos fuiſſe in præfata dotium diſtributione etiam Confratres Helvetios, & Bohemos.

Cum autem ab hac ſententia fuerit appellatum ad Sacr. hoc Auditorium, Cauſa mihi commiſſa, duo dedi dubia, alterum *An conſtet de attentatis*. de quo in contemporanea deciſione, & alterum omnium generaliter prætenſionum complexivum -- *An Dotes ex legato Maiſſel diſtribuendæ ſint per Archiconfraternitatem S. Mariæ Campi Sancti, ſolis Confratribus Nationis Germanicæ ad excluſionem Confratrum Nationis Bohemiæ Helvetiæ, & Flandriæ* -- & DD. reſponderunt -- *Affirmativè quoad Germanos, & Boemos, negative quoad Flandros, & quoad Helvetios* (cum eorum ſuffragia quoad iſtos non concordarent) *Iterum proponatur.*

Siquidem in hac diſputatione quantum attinet ad Germanos, nulla fuit difficultas, cum ita ſonet expreſſa littera diſpoſitionis, & Partes hinc inde concorditer id admitterent. Difficultas propterea in eo erat, An adiectivum illud *Germanorum*, quo in faciendo Confratribus legato, uſus fuit Teſtator, ità reſtrictivè accipiendum eſſet, ut nec Bohemos, nec Flandros, nec demum Helvetios comprehenderet, & ſi omnes iſti promiſcuè eidem Archiconfraternitati adſcripti ſint.

Quoad Bohemos affirmativè reſpondendũ cenſuerunt, & ex eo quod dubitari certe non
1 poteſt ſub nomine Confratrum Nationis Germanicæ, & ut ait Teſtator -- *Fratelli della Nazione di Germania*, venire quoque illos, qui

qui Nationis eſſent Bohemiæ, quippe quia
2 inſpecto communi loquendi uſu, cui Teſtator ſe voluiſſe uniformare præſumitur, & ad cujus formam verba ab illo prolata intelligenda ſunt, ad *text. in l. Labeo ff. de ſupellect. legat.*, *l. Cum de Lanionis §. Item ff. de fund. Inſtr.*, *& l. Cum autem C. de donat. ante nupt.*, etiam iſti ſub generali Germanorum nomine comprehenduntur.

Hic autem communis uſus loquendi aliunde accipi in præſenti non poteſt, quàm ex in-
3 telligentia ipſius denominationis Germaniæ, juxta quam omnes illæ Provinciæ, & Regna, quæ Germanicum Imperium conſtituunt, iiſdemque legibus, ac moribus utuntur, atque in decem, ut vocant, circulos dividuntur ſub eadem generali Germaniæ expreſſio-
4 ne continentur; cumque id ſit notorium, ulteriori ſane probatione non indiget, *Rip. in l. 1. n. 90.*, *& Cagnol. ibid. n. 241. ff. ſi cert. petat.*, *Surd. conſ. 371. n. 46.*, & cum aliis *Ciroccb. diſcept 35. n. 12.*, *& ſeqq.*

Quod vero hos inter circulos, atque inter
5 Status principaliores Germaniæ Bohemiæ Regnum connumeretur, facile eſt unicuique dignoſcere, non tantum ex quo notorium etiam eſt inter Sacri Romani Imperii Electores locum obtinere Bohemiæ Reges, ſed ſed etiam ex quo inſpecta quacumque mappa, vel Tabula Geographica, ſemper Bohemia in centro Germaniæ reperitur ex omni ferè parte aliis circumdata ſtatibus, qui procul dubio partes Germaniæ ſunt. Et imò ſi deſcendere velimus ad Geographicorum teſtimonia, quibus in hac materia noſtrum
6 Tribunal plurimum ſemper deferre conſuevit, ut *in dec. 253. n. 4. p. 16.*, *dec. 172. n. 23. p. 17.*, *& dec. 631. n. 24. p. 19. rec.*, hoc ip-
7 ſum, & ab illis communiter inveniemus admitti, & præſertim à Guglielmo Blaou in celeberrimo illius Atlante Magno *parte 2. tit. Germania hodierna*, *verſ. Bohemia*, necnon *à Ludovico Paſſarono in directorio geographico ſub cap. 5. dell'Alemagna*, ubi diſtinguendo Germaniam in inferiorem, & ſupe-
8 riorem, inter Status ſuperioris Germaniæ Bohemiam ponit, concordatque de laCroix, qui latiſſimè Gallico ſermone ſcripſit novam univerſalis Geographiæ addiſcendæ methodum *tom. 4. capit. 6. in proœm.*, & melius *ſect. 7.*, ubi peculiariter agit de Bohemiæ Regno.

Non tamen ita reſpondendum DD. cenſuerunt quoad Flandros; quippe quia quicquid de eis ſit reſpectu ſubiectionis eidem Romano Imperio, ac ſituationis diverſimode à Coſmographis volitæ, & ab aliis etiam præſcindendo rationibus, quæ ab informantibus latius deducebantur, illud placuit DD. ſtrictè fundamentum, quod ipſi per ſententiam R. P. D. Viceſgerentis ſub anno 1713. latam, quæ ob non interpoſitam debito tempore appellationem, rei judicatæ robur aſſumpſit, jam penitus à prętenſa hujus legati participa-
9 tione fuerunt excluſi; undè in illorum hodierna petitione obſtaculum habebant hujus rei judicatæ, contra quam licitum non videbatur poſſe reclamare, ad regulas, de quibus ſunt *text. in cap. 1. de lit. conteſtat. in 6.*, *& l. final. C. ſentent. reſcind. non poſſ.*, cum aliis adductis *dec. 39. n. 15. cor. Benincaſa*, *& dec. 465. n. 4. p. 19. rec.*

Neque propterea neceſſe erat deſcendere ad confutanda argumenta, quę pro ipſorum incluſione inter vocatos à Teſtatore afferebantur ex eorum comprehenſione interConfratres, & univerſali etiam quoad ipſos Statutorum Archiconfraternitatis diſpoſitione; quippe quia d. res judicata os Parti ſuccumbenti claudit, facit de albo nigrum, & hujuſmodi exceptiones, non petita, & obtenta adverſus eam reſtitutione in integrum, proponi neutiquam poſſunt, ut proſequitur *Rot. d. dec. 465. n. 5. p. 19. rec.*, & concordat *dec. 915. n. 2. cor. Emer. jun.*, aliiſque relatis *dec. 76. n. 4. cor. Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano.*

Et ita omiſſa nunc reſolutione quoad Helvetios, quorum reſpectu DD. non fuerunt concordes, fuit reſponſum, utraque parte &c.

ROMANA DISTIBUTIONIS DOTIUM SUPER ATTENTATIS.

Lunæ 22. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Attentata non præſumuntur, cum de delicto ſapiant, & ab allegante ſunt probanda.*
2 *Relatum continetur in referente.*
3 *Attentata non oriuntur, niſi adſit vel contemtus, vel inhibitio Iudicis.*
4 *Attentata reiiciuntur ex bono iure attentantis.*
5 *Amplia, ut omnis levis cauſa ad eorum excluſionem admittatur.*

DECISIO DCCCXCV.

Orta lite inter Confratres Sanctiſſimæ Conceptionis Campi Sancti ſuper diſtributione dotium ex legato Joannis Georgei Maiſſel, facienda quot annis per eandem Archiconfraternitatem, eaque diſcuſſa, ut in contemporanea deciſione dictum eſt, in Tribunali R. P. D. Viceſgerentis prodiit anno 1713. ſententia excluſiva à participatione talis legati eorum Confratrum, qui eſſent de Natione Flandriæ, & ab hac ſententia intereſſe in illa habentes nequaquam reclamarunt. Cùm verò ſubindè anno 1714. facienda eſſet diſtributio, novæ emerſerunt controverſię circa aliorum Confratrum Bohemorum & Helvetiorum admiſſione, quarum ratione inſtitum fuit coram eodem Judice, ut inhiberet, ne talis diſtributio ſequeretur, ſed non alio modo Judex talem inhibitionem cenſuit concedendam, quàm ad formam ſententiæ à ſe jam antea latæ.

Fuit itaque facta à Confratribus dotium diſtir-

diſtributio, excluſis quidem Flandricis, ſed admiſſis, & Bohemis, & Helvetiis; unde cauſam aliqui deſumpſerunt expetendi à ſæpedicto Judice attentatorum purgationem, ſed inutiliter Nam prodiit ſententia pro participatione legati favore Bohemorum, & Helvetiorum, & pro reiectione eorundem attentatorum. Cumque hodie, unà cum dubio contemporaneè examinato ſuper meritis iſtius ſententiæ, etiam aliud propoſuerim; eamdem attentatorum purgationem reſpiciens, Domini dixerunt -- *Non conſtare de attentatis*,

1 Siquidem illa, utpotè quę delictum ſapiunt in committente, nequaquam præſumuntur, ſed ab ea parte, quæ pro illorum purgatione inſtantiam porrigit, plenè, & concludenter probanda ſunt, ut aliis relatis firmavit *Rot.dec.46.n.5.coram Benincaſ.,& dec.273. nu.9.p.19. rec.* Deficiebat autem in præſenti talis probatio, dum non conſtabat ullo modo diſtributionem dotium factam fuiſſe diverſimodè, ac Judex in ſua inhibitione præfixerat, in qua quidem inhibitione, ſicut habebatur relatio ad ſententiam iam antea prolatam, ita maior vis in ea fieri non poterat, quàm pro excluſione eorum, qui per ipſam ſententiam excludebantur, prout erant
2 Flandri, ratione relationis, quæ contineri relatum facit in referente, iuxta notoriam regulam, de qua ſunt *Text.in l.aſse toto ff.de hered.inſtit.,l ſi ita ſcripſero ff. de condit.,& demonſtrat., l.ait Prætor* §.1.*ff.de re iudic.*

Patet itaque, quod ſi Flandri in dotium diſtributione neutiquam fuerunt admiſſi, etſi admiſſi fuerint Bohemi, & Helvetii, ad quos
3 inhibitio non porrigebatur, utique attentata non fuerunt commiſſa, cum niſi Judicis, aut inhibitionis contemptus concurrat, minimè illa locum habeant, *Rot.dec.600.num.7.p.18. rec.,& proſequitur allegat. dec.273. n.2.p.19. recen.*

Id, quod eo faciliùs in præſenti procedere dicendum eſt, quippè diſcuſsa hodie controverſia in contemporanea deciſione circa admiſſionem eorumdem Bohemorum, & Helvetiorum, reſolutio illorum favore prodiit favorabilis, & reſpectu aliorum ob ſuffragio-
4 rum paritatem ſuſpenſa fuit; undè bonum ius reſpectu unius partis concurrit, & reſpectu alterius bona fides, quorum vigore à petita attentatorum purgatione iuremerito va-
5 lent excuſari, cum ad hunc effectum, omnis etiam levis cauſa admittatur, *Rot. dec.644. in fin.cor.Burat.,dec.348.in fin.p.18.rec.,& dec.179.n.3.cor.bo.me.Benincaſa.*

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Veneris 26. Februarii 1717.

ARGUMENTUM.

Avus in vim legis *hac editali*, ſi prælegatum relinqueret exceſſivum ſecundæ Uxori, quod remuneratorium non eſſet, & quando adeſſent vel filii, vel nepotes ex primo Thalamo, iſtique ob prædeceſſum parentum in filiorum locum, in vim eiuſdem legis aſcendiſſent, idem prælegatum non ſubſtinetur, cum non poſſit avus iuribus eorundem nepotum præiudicare in ſuis bonis hæreditariis, ad ipſos deferendos ad tramites diſtributionis ab eadem lege volitæ, cum iſti ob Patris prædeceſſum in hæreditate Avi ſuperſtitis, tamquam filii ſint conſiderandi. Secunda Uxor tali caſu Quartũ non ſuperlucratur, ne plus ipſa, quam quilibet ex filiis primi Thalami adipiſcatur.

SUMMARIUM.

1 *Nepotes ſuccedunt in Bonis Aviæ.*
2 *Hæreditas Mulieris ex teſtamento ad Virum delata, ab iſto dimittitur, quando ad ſecundæ vota pertranſit, & remanet tantùm ſua vita durante hæres in uſufructu, & proprietas ad filios primi thalami devolvitur.*
3 *Dos detrahenda eſt per ſimilem quaſi antipartem, ad inſtar æris alieni, antequam hæreditas dividatur.*
4 *Mulier ſuperſtes Viro, Quartum ſuper lucratur, iuxta Statutum Urbis in Capitulo 131. Limita* ut in n.6.
5 *Conjux ad ſecunda vota tranſiens, nil pluris eò poteſt ſecundæ Uxori relinquere, quod quilibet ex filiis primi thalami de ipſius hæreditate adipiſceretur.*
6 *Lucrum dotale à Vidua non ſuperlucratur, quando eſtant filii de primo thalamo ejus Viri*, & vide rationem.
7 *Statutum Urbis circa lucrum dotale ſe permiſſivè tantùm habet, cum ex mera partium voluntate ſemper debeatur.*
8 *Statutum Urbis, circa ſuper lucrationem quarti nunquam derogavit diſpoſitioni Teſtus in lege* hac æditali.
9 *Legatum remuneratorium debetur uxori, etiam ſi ageretur in caſu, in quo hujus legis diſpoſitio intraret.*
10 *Mulier quadragenaria, ſi cum parva dote Virum divitem, & annorum 65. inveniret, diſparitatem allegare non poteſt ad quemcumque effectum.*
11 *Teſtes, pendente lite quæſiti non probant*, & num.20.
12 *Legatum à Viro Uxori relictum habetur pro gratuita, & abſoluta Teſtatoris liberalitate, ſi annum tantum cum dimidio cum Viro vixiſſet, & non dicitur remuneratorium; ideoque non attenditur in præjudicium filiorum prioris matrimonii, tamquam ſuſpectum, & in vim dictæ legis*, & vide caſum.
13 *Legitima debetur in ſemiſſe, quando filii ſunt quinque.*
14 *Legitima in bonis Avi materni, debetur nepotibus in capita, & non in ſtirpes, quando Mater Avo prædecederet.*
15 *Dos data filiæ à Patre, vel Avo in legitimam imputatur.*
16 *Limitatur, quando ob Matris præmorientiam*

tiam filii ut hæredes dotem retinerent.

17 *Dos imputatur in legitimam quando dotans in illius conſtitutione pactum appoſuiſſet, quod vel ſi cum filiis, vel ſive Mulier moreretur, dos reverteretur ad dotantem.*

18 *Dos in ſupradicto caſu dicitur profectitia.*

19 *Hæreditas dividitur in ſex uncias, quando Viro defuncto ſuperextarent quinque nepotes de filia primi thalami, & ſecunda Uxor, quarum una ad iſtam defertur, & quinque aliæ ad unumquemque ex dictis nepotibus.*

21 *Nepotes non præſumuntur moliri voluiſſe mortem Avo, ſi eſſent ætate minores, vel pupilli*; amplia ut in num.ſequenti.

22 *Avus non præſumitur legatum relinquere voluiſſe nepotibus, qui ei mortem fuiſſent minati.*

23 *Conſenſus præſtitus à nepotibus ſecundis nuptiis eorum Avi, non prejudicat iuribus eorundem, quæ in vim dictæ legis foverent.*

24 *Fæminę, licèt excluſæ à Statuto, attamen unà cum fratribus faciunt numerum, quando iure ſanguinis ſuccedunt in hereditate Patris bigami, vel Avi, & quando ſecùs.*

25 *Maior pars hæredum gaudet privilegio offerendi pretium alterius partis alteri cohæredi de corpore indiviſibili tangentis, eamque totam retinendi.*

DECISIO DCCCCXCVI.

CONtra Roſam Peruſinam uxorem in ſecundis nuptiis Hieronymi de Rubeis, & hæredem ab iſto in ultimo, cum quo deceſſit, elogio inſtitutam cum prælegato ſcutor. 3000., inſurrexerunt Franciſcus, aliique fratres de Gruettis uti filii Antoniæ filiæ ejuſdem Hieronymi ex primo matrimonio ſuſceptæ petentes, non obſtante eorum Avi diſpoſitione, immittendos ipſos fore in medietatē bonorum ratione legitimæ ſibi debitæ, & in alias quinque partes reſidualis hęreditatis, juxta ipſorum numerum, relicta tantùm altera parte ſuper exſtante favore dictæ Roſæ reducendo tali modo præfatam diſpoſitionem ad perfectam æqualitatem inter ipſos, & ſecundam Hieronymi uxorem ad formam celebris *Tex. in l.hac ædictali C.de ſecund.nupt.*

Verùm quia & ſibi propriç dotis detractionem competere, & prælegatum deberi adhuc Roſa contendebat, delata ad A. C. de Gentilibus controverſia, prodiit ſententia in quinque capita juxta varias partium prætenſiones diſtincta, concedens quidem petitam immiſſionem favore illorum de Gruettis, ſervata æqualitate præſcripta ab eadem lege, ſed declarans prius detrahendam dotem primę uxoris favore eorundem de Gruettis, itemque dotem Roſæ favore hujuſmet, non tamen admittens prætenſionem recenſiti prçlegati, neque lucri dotalis, & demùm definiens, deberi eis pariter de Gruettis prælationem ſuper avviamento fundaci mercantilis, qui per eumdem Hieronymum retinebatur, ſoluta ſexta parte valoris hujus aviamenti Roſæ Peruſinæ, vel in pecuniis, vel in bonis hæreditariis.

Adhuc tamen iſtæ ſententiæ Roſa non acquievit, undè obtenta per Signaturam Juſtitiæ appellatione ſuſpenſiva, eaque mihi commiſſa, fuerunt coram Me eædem quæſtiones iterum excitatæ ſub generali dubio -- *An ſit danda immiſſio* --, iiſque ſedulò per Dominis ponderatis, reſponſum habui, *dandam eſſe immiſſionem iuxta modum* inferius exprimendum.

Et quidem procedentes Domini cum ea prætenſionum methodo, quam & Partes ſervabant, & Judex præcedentis inſtantiæ ſequutus jam erat, antequam ad decernendam immiſſionem deſcenderent, cenſuerunt prius examinandas eſſe propoſitas hinc indè detractiones ex univerſa Hieronymi hęreditate faciendas; inter quas prima ſeſe offerebat dos Angelæ, quæ in primis nuptiis fuit uxor Hieronymi de Rubeis, & reſpectivè mater Antoniæ de Gruettis, à qua uti filii cauſam habent Actores, & hanc eorum favore ex Aſſe ejuſdem Hieronymi detrahendam eſſe Domini non dubitarunt, cum illam deberi in ſumma ſcutorum 500. plenè reſultet tam ex inſtrumento dotali, quàm ex teſtamento ejuſdem

1 mulieris, in cujus ſanè bonis debita ſucceſſio eſt iiſdem Gruettis, uti nepotibus, ad *Tex. in l.Gallus 29. ff.de lib.& poſth.hæred. inſtit.*

2 Idque procedit etiamſi illa in ultimo teſtamento hæredem ſibi ſcripſerit Hieronymum Virum, quia cum iſte ſucceſſivè tranſierit ad ſecunda vota, illicò miniſterio famigeratę L. Fæminæ C. de ſecundis nuptiis privatus remanſit proprietate bonorum à prima Conjuge ſibi relictorum, reſtrictaque remanſit ejus inſtitutio ad ſimplicem uſumfructum, qui per ejus obitum ceſſavit, & ad proprietatem filiæ primi matrimonii delatam devolutus eſt, ut ad terminos dicti *Text.* notat *Racc. diſput.iur. cap. 55. à num.49. uſque ad 56.*, *Boer.dec.187. n.2.*, & firmat *Rot.dec. 82. n.2.& ſeq.cor Burat.*

3 Secunda detractio, dos erat ipſius Roſæ Peruſinę ſecundæ Uxoris ſcutor. 335. iſtius favore detrahenda per ſimilem quaſi antipartem, & hanc Gruetti ultroneè admittebant, cum planū certè ſit, antequam emolumentum hæreditatis inter hæredes dividatur, omne æs alienum deducendum eſſe, ad *Tex. in l 2. verſ.quod heres ff.ad Senat.Conſult. Trebellian.*

4 Succedebat tertia detractio ex parte ejuſdem Roſæ propoſita vigore quarti dotalis ob præmorientiam Viri ſibi debiti ad formam Statuti Urbis cap.131., ſed illi obſtare Domini cenſuerunt diſpoſitionem *Tex. in l.*

5 *hac ędictali C.de ſecund. nupt.* præſcribentis nihil plus poſſe Conjugem tranſeuntem ad ſecundas nuptias ullo titulo in ſecundam Uxorem transferre, quam percipiat quilibet ex filiis prioris matrimonii ex ipſius hæreditate, prout communiter explicant Doctores, & præſertim *Bald.*, *& Salicet.*, *& Hodiern.ibid. q.1. num.1.*, *& Fontanell. de pact.*

6 *nupt. clauſ.5. Gloſſ.8.p.4.n.1.*; ideòque concludebant hujuſmodi lucrum non deberi, quippe

quippe quia remaneret aliàs clusa dictæ legis diſpoſitio in præjudicium filiorum, nec verificari poſſet, quod ipſi æqualem cum noverca portionem obtinerent, ut advertit *citat. Hodiern. q.6. n.45., & in Appendic. in fin. operis §. Et quamvis verſ. idcircò*, & cum aliis firmavit *Rot.dec.47.n.2.p.17.rec.*

Non obſtante reſponſione, quod tale lucrum ex neceſſitate à Statuto inducta debeatur, non verò ex liberalitate Conjugum, contra quam procedit lex *Hac edictali* mox al-
7 legata; ſiquidem cum ſtatutaria diſpoſitio circa lucrum permiſſivè tantum ſe habeat, poſſitque etiam paciſci quod illud non debeatur, ſemper remanet debitum ex mera partium voluntate, plenè *Rot. dec.308. nu.21. p. 19. rec.*, & *in Romana dotis, & lucri 18. Aprilis* 1698. *§.Cæterum cor.Eminent.Card.*
8 *Priolo.* Et notandum demùm eſt in hac parte, quod Statutum Urbis prædictum nequaquam præcitati *Text.* diſpoſitioni derogavit, ut ad remiſſ firmat *Card. de Luc. de dot. diſc.* 130. *&* 131., *& de donat. diſc.* 50 *num.2. &* 3., *Conſtant.ad idem Stat. annot.33.n.152.*, & proſequitur *Rot. allegat. dec.47.n.2. p.17. recen.*

Eodem modo rejicienda Dominis viſa eſt quarta detractatio, quam Roſa ad ſui favorem prætendebat ratione prælegati ſcutorum 3000. ſibi facti à Viro antequam illam hæredem ſibi ſcriberet ſub ea expreſſione -- *Per il buon ſervizio, e compagnia preſta-*
9 *tami* -- abſque eo quod reſpectu hujus prælegati obſtare ſibi poſſet diſpoſitio dictæ legis *Hac edictali*, cum non ſolùm tale legatum ex ipſa littera dici debeat remuneratorium; verùm quia ex teſtibus ipſa probet hanc fuiſſe utriuſque Conjugis intentionem in actu ſponſalium, ut ſcilicet Vir ob magnam ætatem, & natalium diſparitatem aliquod beneficentiæ ſignum erga ſponſam teneretur oſtēdere.

Hæc ſiquidem prætenſio malè fundabatur in facto (quidquid eſſet in jure) dum non conſtitit in actu ſtipulationis ſponſaliū ullum verbum factum fuiſſe de dicta munificentia à Viro exercenda, neque ſubſiſtere comperta eſt aſſerta diſparitas natalium, neque tam
10 magna ætatis diverſitas, cum mulier de tempore contracti matrimonii annum jam excederet quadrageſimum, undè conquæri non poterit, quod cum modica dote Virum invenerit divitiis affluentem, licèt ætate 65. annorum circiter per gravatum.

11 Neque attendenda Domini putarunt dicta teſtium de aſſerta conventione deponentium, cum eorum fides fuerint pendente lite quæſitæ, ideoque probationem non faciant ex vulgatis juribus, ſicuti neque ullum robur aſſumere poſſe legatum cenſuerunt ex cauſa
12 per teſtatorem expreſſa, non ſolùm quia per annum tantum cum dimidio Roſa cum teſtatore convixit, verùm etiam, quia ſumma legata nimis apparuit immoderata, itaut meritò vehemens exindè orietur ſuſpicio, quod relicta fuerit ad eludendam diſpoſitionem legis *Hac edictali*, ideòque legatum habendum eſſet pro gratuita, & abſoluta liberalitate prohibita, juxta deducta per *Fontanell. de pact. nupt. Clauſ. 5. Gloſ. 8. p.4. n.72.& ſeq.,Franch.dec.* 428. *num.3.*, & per *tot,Rot.dec.49.parit. per tot cor.Mant.*

Remanebat, his jam exactis, poſtrema inſpectio circa legitimam, quam Gruetti ex bonis Hieronymi eorum Avi detrahere prætendebant, & ſanè illam in genere non impugna-
13 bat Roſa, ſed quæſtio reducebatur ad quantitatem, an ſcilicet in triente, vel in ſemiſſe deberetur, qua in re, attento quod illi ſunt numero quinque, placuit Dominis reſpondere, quod in ſemiſſe eſſet deducenda, juxta notorias theoricas, de quibus *Rot. dec.54. n.22., & dec.56. n.15. poſt Conſtant. ad Stat. Urb., dec.118.nn.1. poſt Merlin. cum aliis in Bononien. fideicommiſſi Alexii de Urſis ſuper parte Anibalis 13.Maii* 1709. *§.At quia cor. R̃mo P.D.meo Aldrovando.*

Nequaquam attento, quod non ageretur de filiis primi gradus, ſed de nepotibus, quos ad conſequendam legitimam in bonis Avi eſſe numerandos in ſtirpes, & non in capita aſſe-
14 rebatur. Quia cum per præmorientiam Antoniæ filiæ in primis nuptiis ſuſceptæ Hyeronimo ejus Patri filii primi gradus defecerint, primū hunc ſubindè gradū occupaverunt nepotes ex eadem Antonia ſuſcepti in vim præcitatæ *L. Hac edictali*, in capita, & non in ſtirpes connumerandi, juxta alias deciſa in punctualibus terminis *cor.Bich. dec.293.nu.1. & ſeqq., & cor. Card. Cerro dec.352. nu.13. & 14.*

Poſito itaque quod legitima Gruettis in ſemiſſe deberetur, aliam ſubſumebat exceptionem Roſa, quod nempe tenerentur in eam imputare dotem Antoniæ eorum Matris, iſti à Hieronymo Avo, de cujus agitur hæreditate, conſtitutam ex trita regula quod dos à
15 Patre, vel Avo data filiæ, vel nepti, in legitimam imputetur, *L. Quoniam nulla C. de inoff. teſt.,Bart.in l.in quartam num.12. ff.ad l. falcidiam,de Luc. de dot. diſc.34.nn.12., Urceol. Conſult.7.n. 26., Rot. cor. Merlin. dec.* 433. *n.8. & ſeq.*

Et quamvis pro Gruettis aſſerretur hujus re-
16 gulæ limitatio, quod ſcilicet locū non habeat imputatio, quando ob Matris præmorientiam dictam dotem ipſi retinent, uti illius hæredes, adhuc tamen Domini faciendam talem imputationem cenſuerunt, quia quidquid in abſtractu ſit de hujuſmodi quæſtione, concurrebat in præſenti ea facti circumſtan-
17 tia, quod Hieronymus in conſtitutione dotis Antoniæ pactum expreſſum appoſuerat, quod ſive cum filiis iſta moreretur, ſive ſine filiis ad
18 ipſum dotantem reverteretur, & hoc ſanè caſu concordant Domini illam eſſe in legitimam à nepotibus imputandam, quia ratione hujus pacti remanet ſemper profectitia *Soccin.jun. in d.l.in quartam ſub num.141. verſ. quartus caſus ff.ad l.falcid., Boſſ. de dot. cap.* 3. *nu.* 208., *de Luc.eod. tract. diſc.31. n.9.&* 10., *& Gobb.de ſucceſ.ab inteſt. obſerv.56.*

num

numero 10. *&* 21., *apud quos concordan.*.

His ita præſtabilitis, deſcendebant Domini ad punctum immiſſionis ab iiſdem Gruettis
19 expetitæ, & procedentes etiam hic cum diſpoſitione *Text. in l. Hac edictali* dandam illi eſſe reſponderunt immiſſionem ad quinque ex ſex partibus hæreditatis, ita ſcilicet, ut Hieronymi hæreditas, detractis hinc indè prędictis creditis, in ſex dividatur uncias, quarum una ſpectet ad Roſam uxorem, & aliæ quinque ſpectent ad unumquemque ex filiis filiæ ſuſceptæ in primis nuptiis, hoc enim modo rectè ſervatur æqualitas, quæ per *d. l.* deſcribitur, & à DD. & Tribunalibus paſſim amplexa reperitur.

Abſque eo quod ullam promeruerit animadverſionem exceptio, quod indigni facti fuerint Avitæ ſucceſſionis Gruetti ex nimia
20 contra Avum ingratitudine. Quoniam aſſertæ injuriæ, & contumeliæ cum veneni propinatione, aliiſque impropriis circumſtantiis, non aliundè deducuntur, quam ex teſtium informibus depoſitionibus hac lite pendente expiſcatis, quæ ut ſupra jam dictum eſt, non
21 veniunt attendendæ; repugnantque nimium ætati, in qua tunc temporis erant illi conſtituti, erant enim aut pupilli aut minores, proni potius ad modeſtiam, & verecundiam, quam ad fraudes & injurias erga proprios ma-
22 ieres, & imò ſi talia verè Hieronymus paſſus fuiſſet à nepotibus, utique illos in teſtamento legatis non honoraſſet, prout fecit, ut advertit in his terminis *Rot.dec.*376. *nu.*33. *cum plur.ſeq p.*16.*rec.*
23 Sicut etiam inutilis erat altera exceptio, quæ ex conſenſu præſtito à Gruettis ſecundis nuptiis eorum Avi deduci prætendebatur, præſertim verò à cohabitatione cum ipſo poſt iam illas contractas. Hic enim conſenſus etiāſi plenè probatus eſſet, adhuc non relevaret, cū non exindè renunciatum dici poſſit iuri ipſis quæſito, & lucro provenienti ex diſpoſitione *L. Hac edictali*, *& l. fęminę C de ſecundis nuptiis*, & plenè cum aliis probat *hodiern. ad l. Hac ędictali q.*21. *n.*44., *& ſeqq.*
24 Neque minuendæ viſę ſunt præfatæ portiones ex eo, quod inter Gruettos exiſtant aliquę fęminæ, à ſucceſſionibus per ſtatutarias Urbis diſpoſitiones excluſæ, ſiquidem omiſſis pluribus reſponſionibus concludebant in hac difficultate Domini, quod id procederet, quatenùs ad lucrum delatum ex diſpoſitione prædicti *Text.* venirent fæminę titulo hæreditariò, quod ipſis potuit per Statutum auferri, quando tamen veniunt iure ſanguinis, in quo fundatur ratio *Text. l. Hac edictali*, utique excluſio ſtatutaria ad diverſum hunc effectum extendi non poteſt, ut obſervant *Merlin.de legit. p.*1. *q.*13. *art.*11. *n.*4., *& ſeq.*, *Cancer.var.reſol.p.*3. *cap.*2. *n.*197., *Fontanell.de pact.tom.*2.*clauſ.*5.*gloſſ.*8.*p.*4.*n.*47., *& cit.Hodiern. q.*12.*n.*67. *ad* 71.

Supererat demùm unica inter partes controverſia circa Tabernę, quam Hieronymus exercebat, aviamentum, & Domini quo ad illud putarunt fuiſſe incorporatum uti illius partem hęreditati eiuſdem Hieronymi, ideoque dividendum inter Roſam, & Gruettos
25 iuxta modum ſuperius præſcriptum, ſed quoniam eſt individuum, & inſeparabile, placuit, quod Gruettis maiorem partem dominii habentibus competeret privilegiūm offerendi pretium reliquæ ſextæ partis Roſę, & Tabernnam prælativè quoad eamdem Roſam retinendi, iuxta deducta per *Em̄um D. Card.Coradin. de prælat. q.*63.*n.*10. *& ſeq.*, *Rot. dec.*350.*p tot.cor. Barat.*

Et iuxta hunc modum partibus informantibus reſponſum fuit &c.

FERRARIEN FIDEICOMMISSI SUPER CAUTHELA ANGELI.

Lunæ 1. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Frater, ſi ad repellendos defuncti fratris creditores Cauthelam Angeli ſuper ſuis creditis anterioribus fundatam allegaret, quando decætero hæc eſſent turbida, deque illius hæreditate per diſtinctum, & validum Inventarium legitimam prius rationem non reddidiſset, audiendus non eſſet, multoque minus ſuper re propria pro debito proprio, eam poteſt allegare.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum pro fructibus debitis in genere in vim rei judicatæ, & in vim alterius ſimilis liquidati exequendum eſt.*

2 *Frater non poteſt refundere totum debitum in hæreditatem fratris prædefuncti ex aliquo titulo allegando cauthelam Angeli quando ipſe per rem judicatam, una cum aliis fratribus, ad ſolutionem fuiſſet condemnatus.*

3 *Cauthela Angeli allegata in bonis propriis pro debito proprio non ſubſtinetur, nec frater ratam proprii debiti poteſt in fraternam refundere hereditatem.*

4 *Frater non poteſt allegare Cauthelam Angeli ſuper fundo à fratre defuncto adepto pro retardanda ſolutione æris alieni ab iſto contracti.*

5 *Amplia, ſi idem frater ſupreſtes allegaret credita anteriora ſuper bonis fratris defuncti, quando eſſent turbida, & in ſtatu non exigibili.*

6 *Hæres non poteſt obtinere ſeparationem bonorum, nec credita allegare ſuper bonis hæreditariis in præjudicium creditorum, niſi prius de hæreditate legitimam reddiderit rationem.*

7 *Creditor hæreditarius non tenetur ſtare Sententiæ ſuper redditione rationis ab hærede allegatæ, in qua ipſe citatus non fuiſſet.*

8 *Amplia, ſi in eadem ſententia Iudex illeſa præſervaſſet iura creditoribus non citatis.*

9 *Sub amplia, ſi eadem ſententia ab appellatione unius ſuſpenſa remanſiſſet, & inventarium hæreditarium defectuoſum fuiſſet repertum.*

10 *Inventarium de argentis, & raminibus ſine illorum pondere extenſum, quoad prędia ruſtica ſine pretio, & menſura, & quoad animalia ſine numero, & extimatione nullum eſt.*

DECISIO DCCCCXCVII.

IN ſequelam rei judicatæ Rotalis, per quam conceſſa fuerat Marchioniſſę Octavię Rangonæ immiſſio ad Tenutam *dell' Agoſcella* detentam per quatuor fratres de Macchiavellis, nempè DD. March. Octavium, Philippum, Cajetanum, & Franciſcum Mariam, fuit quoque contra eoſdem ſucceſſive relaxatum à Reverendiſſimo D. Molines nunc generali Hiſpaniarum Inquiſitore aliud mandatum exequutivum pro ſc.6607. in cauſam reſtitutionis fructuum ex eadem Tenuta à die motæ litis perceptorũ in d. ſumma per aliam rem judicatam Rotalem liquidatorum, quod ſanè mandatum pro medietate tangente March. Franciſcum Mariam, & Abb. Philippum, jam ſuum effectum habuit ſuper fructibus quorumdam bonorum fæudalium ad illos pertinentium, pendente ſolum in Partibus controverſia, an quoad iſtam medietatem Marchioniſſa fuerit integrè, vel plus æquo ſatisfacta.

Pro alia vero medietate debita à March. Octavio, & Abb Cajetano, facta quidem fuit executio ſuper Palatio exiſtente in Civitate Ferrariæ, ſed interim vita functo memorato Octavio, cæteri tres fratres illius ab inteſtato hæredes, ut ſubhaſtationem jam imminentem, & ab Eminentiſſimo Legato tunc temporis Card. Aſtallio Judice executore decretam impedirent, allegarunt coram Me in locum Reverendiſſimi Molines ſubrogato vulgatam Cauthelam Angeli, quam tamen DD. repropoſito hodie dubio, quod aliàs ſub die 27. Aprilis ſuperioris anni ob ſuffragiorũ paritatem reſolutum non fuerat, *ſervandam non eſſe* reſcripſerunt.

Et ſummo quidem jure, nam Fratres de
1 Macchiavellis controvertere nullo pacto poterant, quod creditum Marchioniſſæ, ſive potius Comitis de Belgioioſa ab ea cauſam habentis, & moderni Actoris, eſſet pro dicta medietate undequaque clarum, & liquidum, utpote canonizatum per duplicem rem judicatam Rotalem, alteram videlicet ſuper condemnatione fructuum in genere, & alteram in ſpecie ſuper eorumdem liquidatione, quamobrem tota illorum defenſio in eo reſidebat, quod debitum d. medietatis integrè ſpectaret ad hæreditatem Octavii fratris defuncti, eo quia ipſe pro una quarta parte nomine proprio, & pro alia ſimili
2 quarta parte tamquam Renunciatarius, ac Donatarius Abbatis Cajetani, tunc Societati Jeſu adſcripti, fructus pendente lite perceperat, indè propterea ſubdendo, quod reddita per ipſos ratione d. hæreditatis, ritè recteque poſſent pro creditis anterioribus, & potioribus controverſum Palatium retinere.

Verum DD., & ſi potius inclinarent in ſenſum, quod hæreditas Octavii nonniſi pro quarta dumtaxat parte obnoxia cenſeri debeat reſtitutioni dd. fructuum, & quod pro alia quarta directè ſit obligatus Abbas Cajetanus, dum non obſtante memorata renunciatione ipſe non minus, quam cæteri tres fratres condemnatus nominatim reperitur per d. duplicem rem judicatam tam in principali judicio immiſſionis, quam in altero ſucceſſivo liquidationis, quodque proindè neque ipſi hodiè datum ſit amplius virilem
3 ratam proprii debiti in hæreditatem fratris refundere, neque pro ea in bonis propriis executionem retardare medio d. Cauthelæ, quę pro debito proprio illam allegantis non admittitur, ut alias dixit *Rota in Eugubina Bonorum ſuper fructibus 27. Martii 1715. §. ex his cor. Me.*

Ulterius nihilominus progredientes, ani-
4 madvertebant, quod ſuppoſito etiam, quod totum debitum d. medietatis Octavio adſcribendum veniat, non ideo tamen evitari poteſt mandati Rotalis executio ſuper controverſo Palatio, quod cum ab ipſo Octavio acquiſitum fuerit, procul dubio obnoxium eſſe debet ſolutioni æris alieni ab eodem contracti, ut ex auctoritate *Bart. in l. à Divo Pio num. 4. ff. de re jud.* dixit *Rota coram bo. me. Benincaſa dec. 105. nu. 1. & prius coram Cerro dec. 95. num. 7. & 11.*

Abſque eo quod cæteri fratres ſuperſtites tueri ſe valeant in ejus poſſeſſione ſub obtentu plurium Creditorum anteriorum, ſivè potiorum, quæ ex diverſis cauſis habere contendunt contra ejuſdem defuncti fratris hæ-
5 reditatem: Nam ut benè DD. ponderabant, cum omnia prædicta credita ab ipſis allegata (exceptis dumtaxat expenſis funeris, & ultimę infirmitatis ad modicam ſummam aſcenden.) plures patiantur difficultates tam in linea probationis, quam in linea relevantiæ, & præſertim ea, quæ conſiſtunt in refectione damnorum ab Octavio illatorum bonis, & Palatio Fideicommiſſario Cupparii, dum ejuſmodi damna, non niſi, quam per informia, & pœnitus illegalia documenta actenùs juſtificata fuerunt, itaut incertum adhuc remaneat an demolitio ab illo demandata cujuſdam partis dicti Palatii fideicommiſſarii ejus culpæ tribuenda veniat, & animo evertendi fideicommiſſum, vel potiùs neceſſaria fuerit & utilis, nè ſcilicet pars prædicta mole ſua jam caſura majorem ruinam ſecum traheret. In his utique facti circumſtantiis nemo non videt, quod ſub eorum obtentu nullo modo impediri debet ſatisfactio alterius crediti comitis de Belgiojoſa undequaque liquidi, & clari *Rot. in Anconitana, ſeu Recinaten. Cauthelæ Angeli 7. Aprilis 1710. §. Clarum coram Rmo Kaunitz, & in Interamnen. Cenſus ſuper redditione Rationis, & Cauthela Angeli 15. Febr. 1712. §. fin. coram Rmo Aldrovando Epiſcopo Neoceſarien., & in Eugubina fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli 5. Aprilis 1715. §. fin. coram Me.*

Sed

Sed omnem in hac parte tollebat difficul-
6 tatem qualitas hæreditaria eorumdem fratrum ſuperſtitum, quæ de jure ita inficit perſonas hæredum, ut niſi prius de bonis hæreditariis rationem legitimam reddiderint, nullo pacto poſſint bonorum ſeparationem obtinere, & credita ſi quæ habent contra eorum Auctorem deducere, ſive ad effectum agendi, ſive retinendi in præjudicium aliorum creditorum, cum omnia jura cenſeantur per aditionem confuſa, *L. Si ei cui vendidit ff. de evict.*, *l. quæ dotis ff. ſol. matr.*, *Rota in Romana locorum Montium* 4. *Maii* 1716. §. *fin.*, *& in Peruſina Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli* 19. *Iunii ejuſdem anni* §. *Quatenus coram Me*.

7 De hac autem rationis redditione quamvis Fratres de Macchiavellis opponerent jam ſatis conſtare per ſententiam in partibus latam anno 1714.; placuit nihilominus reſponſio, quod dicta ſententia minime afficere poterat Com. Belgiojoſum, nedum quia licet ipſe eſſet certus, & indubitatus creditor ratione rerum judicatarum Rotalium, & jam factæ executionis ſuper dicto Palatio, adhuc nunquam citatus fuit, *l. 1.*, *& tot. tit. C. quibus res judicata non noceat*, cum aliis concordantibus in puncto ejuſmodi ſententiæ adductis per *Rotam apud Conſtant. dec.* 151. *in fin.*, *& dec.* 281. *num.* 3. *coram bo. me.*
8 *Benincaſa.* Verum etiam quia cum in eadem ſententia præſervata expreſsè legantur jura creditorum, qui in eo judicio non comparuerant, & jura ſua minimè deduxerant, hujuſmodi præſervatio operatur, ut prædicta ſententia quoad Comitem de Belgiojoſa non auditum perindè habeatur, ac ſi lata non fuiſſet, ut benè in propoſito obſervat *Sammin. contr.* 14. *nu.* 155., *Reverendiſſimus D. meus Anſald. Decanus in ejus tract. de Com-*
9 *mer.*, *& mercat diſc.* 51. *in fin.*, juncto etiam quod ſententia ipſa per appellationem interpoſitam ab aliis Creditoribus, qui tunc citati fuerunt, hodiè remanet ſuſpenſa, ac proindè ex hoc quoque capite nullam promeretur animadverſionem, ad vulg. *Text. in l. appellatione C. de appel.*, *Rot. coràm Cerr. dec.* 370. *num.* 8., *& coram Ottobon. dec.* 263. *num.* 6., *& coram. Emer. dec.* 596. ubi concordantes.

Certius autem, & ſine difficultate, quia ſuppoſito per Me in Aula Dominorum oculis inventario per eoſdem fratres confecto de bonis hæreditariis Octavii, ſtatim apparuit
10 pluribus illud ſcatere defectibus: in eo enim ſcripturæ ad familiam pertinentes, nonniſi in confuſo, Argenta, & Jocalia ſine numero, & pondere, Animalia vero quibus prædia ruſtica inſtructa erant ſine ullo pretio, aut æſtimatione deſcripta leguntur; unde ex his nimis aperta reddebatur ipſius Inventarii nullitas, de cujus ſubſtantia eſt, ut res in hæreditate repertæ ità diligenter, ac diſtinctè adnotentur cum ſuo numero, pretio, pondere, ac menſura, ut ſuſpicio quæcumquę fraudis etiam poſſibilis pœnitus arceatur, ſicuti jam toties proteſtata eſt *Rota*, *& ſignianter in dec.* 161. *num.* 8. *coram Dunoz. Jun.*, *& deciſ.* 382. *num.* 1., *et ſeqq. par.* 19., *& in Rom. Pecuniaria, ſeu locorum Montium* 11. *Iunii* 1706. §. 36., *et ſeqq. coram Rm̃o Molines Hiſpaniarum Inquiſitore*, *&* 3. *Julii* 1713. §. *Longe majores coram R.P.D. meo Criſpo*, *& in Lauretana Cenſuum* 22. *Martii* 1715. §. *Et demum cum duobus ſeqq. coram R.P.D. meo Foſcaro*.

Et ita utraque &c.

ROMANA EMPHYTHEUSIS.

Veneris 5. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Inveſtitura de bonis Eccleſiaſticis duobus conceſſa abſque expreſſione clauſulæ ſolidalis, operatur, ut iſti pro virili in ea dicantur comprehenſi, adeo quod unus in alterius portionem præjudicium inferre nequeat, etiam ſi in inveſtituræ inſtrumento clauſula *ad habendum* legeretur, quę juxta illius actus naturam regulatur, nec jus perſonarum in eadem compræhenſarum lædit.

SUMMARIUM.

1 *Emphyteuſis duobus conceſſa non cenſetur* inſolidum, *ſed* pro virili *unicuique pro ſua rata.*

2 *Emphyteuta pro virili ſi in ſua portione emphyteuſis facultatem à concedente reportaſſet, quod etiam fœminæ in ea poſſent ſuccedere, iſtæ non poſſunt excludi à conſocio ejuſdem emphyteuſis in ea portione, de qua pro virili eorum auctor inveſtituram reportaſſet.*

3 *Clauſula* ad habendum *in diſpoſitiva inveſtituræ appoſita, tribuit facultatem inveſtitis diſponendi etiam in præjudicium compræhenſorum.*

4 *Clauſulæ in contractibus expreſſæ ſemper regulantur juxta naturam actus, cui adjectę reperiuntur.*

5 *Clauſula* ad habendum *in inveſtitura certarum perſonarum appoſita, & deſignatarum generationum compræhenſiva, operatur, nè, eveniente alienatione fundi emphyteutici, Dominus directus devolutionem adipiſcatur.*

6 *Non lędit jus perſonarum in conceſſione compræhenſarum*; amplia ut in num. ſeq.

8 *Emphyteuſis abſque clauſula* inſolidum *pluribus conceſſa,* pro virili *facta intelligitur.*

9 *Clauſula ſolidalis in emphyteuſi pluribus conceſſa non oritur ex verbis* -- ad vitam pręfatorum inſtitutorum -- *cum hæc verba merè collectivè eoſdem compræhendant.*

10 *Amplia, ut neque ex verbis* -- omnium, & ſingulorum -- *cum hæc ſint referibilia ad vitam ſingulorum, & omnium deſcendentium, quo ad portionem à proprio Patre acquiſitam, & neque, ex quo canones ab omnibus eſſent indiſtinctè perſolvendi,* & num. 16.

11 *Sub*

11 *Sub amplia, ut hæc verba, cum ſint inter deſcendentes appoſita, non poſſunt ad primos acquirentes referri.*

12 *Emphyteuſis duobus conceſſa non dicitur cum clauſula ſolidali per hoc, quod in ea parte inſtrumenti inveſtituræ, quæ exequtionem reſpicit; Inveſtiti, & ſucceſſores, tamquam in rem propriam, cum facultate capiendæ poſſeſſionis Procuratores conſtituti ſint;* & vide rationem.

13 *Conſtitutio Procuratoris tamquam in rem propriam ad capiendam poſſeſſionem bonorum emphyteuticorum in inveſtitura appoſita, quæ duobus eſſet pro virili conceſſa, operatur, ut in ea compræhenſi, in eorum virili parte æquales habeantur, nec clauſula ſolidalis illos afficit;* amplia, ut in numero ſequenti.

15 *Emphyteuſis Eccleſiaſtica, volente Eccleſia, poteſt etiam ordine ſucceſſivo ad filios inlegitimos devolvi; maximè ſi in conceſſione de inlegitimitate unius ex compræhenſis mentio facta fuiſſet.*

17 *Emphyteuſis pro virili conceſſa operatur, ut onus melioramentorum, & Canonum pro virili etiam dicatur injunctum.*

18 *Jus accreſcendi iniunctum emphyteuſi duobus pro virili conceſſæ operatur ad excluſionem Domini directi, non quod ſuperſtes de portione adepta contra mentem primi acquirentis diſponere valeat.*

19 *Sententia non afficit non citatos, maximè ſi iſti principale intereſſe haberent.*

DECISIO DCCCCLXCVIII.

INter innumeras ferè lites, quæ ſuper bonis in emphyteuſim conceſſis à V. Conventu S. Auguſtini Gundiſalvo Martinez dela Pegna, & Eluiræ ejus filiæ naturali, inter illorum ſucceſſores uſque ab Anno 1569. agitari cæperunt, & ſemper fuerunt ab hoc Sacro Auditorio judicatç in primis vigore compromiſſi initi à partibus in perſonas bo: me: Seraphini, & Robuſterii, & ſucceſſivè per appellationem ab horum laudo interpoſitam coram bo: me: Blanchetto, & iterùm occaſione diviſionis coram eodem Seraphino, & bo: me: Juſto, & demum ratione recuperandi bona emphyteutica coram bo: me: Coccino, Lancellotto, Cavalerio, Ghiſlerio, & Vice-Comite, prout ex deciſionibus per Sac. Rotç volumina ſparſim impreſſis, ea etiam diù diſcuſſa hactenus fuit, quam de anno 1683. Lucretia, & cæterç Sorores de Magdalenis deſcendentes à Livia filia dictæ Eluiræ promoverunt contra Abbatem Peniam, & in qua illæ tam coram A.C., quàm in S. Rota coram bo: me: Emerix ſuccubuerunt, ut conſtat *ex ejus deciſionibus impreſſis la 721., & la 1314.*

Nixus poſtremis his judicatis idem Abbas Penia, & poſtea Julius illius ſucceſſor, aliud coram cl. mem. Card. Caprara in locum prædicti bo. me. Blanchetti ſubrogato Judicium inſtruxit contra Hierutium, & Santinellos deſcendentes à ſupranominata Livia, & poſſeſſores aliorum bonorum emphyteuticorum, ut illa quoque ex iiſdem titulis, & rationibus conſequerentur, & quoniam à poſſeſſoribus opponebatur obſtaculum antiqui Laudi proditi ſuper facultate diſponendi de controverſis bonis à bo. me. Seraphino, & Robuſterio, fuit propoſitum ſub die 24. Januarii 1701. Dubium -- *An ſit danda immiſſio, ſeù potiùs obſtet Laudum* -- & fuit reſponſum -- *dandam eſſe Immiſſionem, & Laudum non obſtare*; idemque dictum fuit in nova cauſç propoſitione ſub die 30. Januarii 1702. reſcribentibus Dominis -- *In Deciſis* -- ut ex deciſionibus coram prædicto Card. Caprara tunc editis.

Quia verò principalis harum reſolutionum ratio in eo ſtetit, quod Eluira fuerit prima acquirens in inveſtitura bonorum facta per Conventum, & fratres S. Auguſtini Gundiſalvo Martinez, ac dictæ Eluirç ejus filiæ naturali, & omnibus eorum deſcendentibus, indè inferendo, quod potuerit illa de bonis emphyteuticis diſponere ad favorem maſculorum dumtaxat, excluſis fæminis in eadem conceſſione cæteroquin compræhenſis, hinc de Satinellis, & Hierutius ad novam Audientiam admiſſi, aliam excitarunt quæſtionem: Proponentes enim, quod etiamſi Eluira dici poſſet prima acquirens, adhùc tamen non potuerit illa, niſi de ſua portione diſponere, & non etiam de altera portione Gundiſalvi, qui paritèr fuerat primus, titulo oneroſo coacquirens, ſub his motivis receſſum obtinuerunt à deciſis 1. Junii 1703., ut ex alia deciſione ſæpedicti Eminentiſs. Card. Capraræ.

In hoc deciſionum conflictu reaſſumpta fuit coram Me in ejuſdem locum ſubrogato eadem controverſia, propoſitoque in hodierna Audientia dubio inter Partes concordato -- *An ſit ſtandum in primo, vel in ſecundo loco deciſis quoad portionem Gundiſalvi* -- (ſuſpenſo ut diximus pro nunc examine antecedentium reſolutionum quoad portionem Eluiræ), reſponderunt Domini *ſtandum eſſe in ſecundo loco deciſis*.

Compertum eſt enim verè ſubſiſtere fundamentum illud, quod etiam ſi tam Gundiſalvus, quam Eluira de controverſis bonis inveſtiti, dici poſſent primi acquirentes, id tamen non in ſolidum, & in totum, ſed pro virili, & pro ſua quiſque medietate intelligendum eſt, ità dictante juris regula, quod conceſſio facta duobus, unicuique facta cenſeatur. pro ſua rata, & portione, itaut quilibet reſpectu ſuç ratæ primus dicatur acquirens, *Bart. in l. ſi mihi, & Titio num. 4. ff. de verb. obligat. Clar. in §. Emphyteuſis qu. 39. num. 2., Card. de Luc. de emphyt. diſc. 23. nu. 4., Panimoll. deciſ. 4. adnotat. 3. n. 8., & 9. Rot. dec. 57. num. 10., & 11. deciſ. 109. n. 40. par. 9., & deciſ. 340. num. 6., & ſeq. par. 19. recen.*

Exindeque certum oritur conſequens,
2 quod cum ex ſtipulatione, & munificentia Gundiſalvi quæſitum jus fuiſſet in inveſtitu-

ra

ra etiam fœminis, non potuerunt iſtæ ſucceſ-
ſivè excludi per diſpoſitionem Eluiræ etiam
à portione Gundiſalvi, cum ex duobus, aut
pluribus acquirentibus non poſſit unus alteri
in ſua portione ſimultaneè conceſſa præjudi-
care, *Amat. reſolut.* 84. *n.*15., & 16., *Rot.
deciſ.*213. *num.*7., & *ſeqq. par.*12. *deciſ.* 125.
*num.*9. *par.*14. *rec.* cum aliis plenè allegatis
in poſtrema deciſ. cl. mem. Card. Caprar. 1.
Julii 1703. §. *Agitur enim.*

3 Neque obſtare viſum fuit, quod adſit in
inveſtitura Clauſula *ad habendum &c.* quę
tamquam appoſita in parte diſpoſitiva facul-
tatem tribuere valet inveſtitis diſponendi
4 etiam in præjudicium compręhenſorum. Ea
quippè clauſula, cum ſemper reguletur juxtà
naturam actus, cui reperitur adjecta;
5 cumque agatur hic de inveſtitura certa-
rum perſonarum, & generationum compræ-
hænſiva, operatur quidem in præjudicium
Domini directi, nè occurrente alienatione,
6 devolutionem valeat prætendere, nequa-
quam tamen lædit jus perſonarum in conceſ-
ſione compręhenſarum, *Fulgin. de Emphyt.
tit. de alienat. quæſt.* 8. *num.*5., *Rot. deciſ.*
212. *num.*20., *cor. Duran. deciſ.* 750. *num.*3.
*par.*3., & *in Fanen., ſeù Senogallien. Caſtri,
& Bonorum Montis Portii* 7. *Maii* 1708.
§. *Minuſque*, & 14. *Jun.* 1709. §. *Nec præ-
miſſo cor. R.mo Molines Magno Hiſpania-
7 rum Inquiſitore*. Tantoque magis id locum
obtinet in præſenti caſu, quo prędicta clau-
ſula *Ad habendum* reſtricta immediatè legi-
tur iis verbis -- *Conditionibus dd. ſemper ſal-
vis* -- Ex quibus vocatorum jus expreſsè prę-
ſervatum videtur, *Rot. deciſ.* 1290. *num.* 12.
coram Seraphin., deciſ. 86. *nu.*17. *par.* 5., &
*dec.*373. *num.*6., & 7. *par.* 17., & *in Bono-
nien. Fideicommiſſi Alexii de Urſis ſuper
portione Annibalis* 27. *Junii* 1710. §. *Eoque
certiùs cor. R.mo P.D. Aldrovando Archie-
piſcopo Neoceſarien.*

Nec paritèr juvit iterum recurrere ad ob-
jectum, quod hic verè non agatur de conceſ-
ſione facta *pro virili* Gundiſalvo, & Eluirę,
ſed de conceſſione facta iiſdem *in ſolidum*,
itaùt rectè valuerit defuncto Gundiſalvo de
integra emphyteuſi diſponere ipſa Eluira ſu-
perſtes, eamque in totum reſtringere ad ma-
8 ſculos, dumtaxat, excluſis fœminis. Cum enim
in inſtrumento conceſsionis, ut benè firmat
deciſio Emi Capraræ, quæ confirmatur, clau-
ſula *in ſolidum* expreſſa non fuerit, nec ver-
bis æquipollentibus cum dictionibus diſtri-
butivis deſignata, utique ſtandum eſt regulę
ſuadenti, quod non inſolidum, ſed pro virili
facta intelligatur, juxtà auctoritates ibidem
allegatas §. *Quoniam*.

9 Et quatenùs appoſita ibi fuerunt ea verba--
*ad vitam, & durante vita præfatorum Gun-
diſalvi, & Eluiræ, & omnium, & ſingulo-
rum ex dicta linea Gundiſalvi, & Eluirę de-
ſcendentium uſque in infinitum* -- tamen ne-
que ex illis effici conceſſio potuit ſolidalis.
Si enim id deſumi velit ex verbo illo *præfa-
torum*, & iſtud, cum ſit collectivum, id ope-
rari non valet, *ut per Gloſ. in l. ſi pluribus
verb. Sed omnes ff. de Legat.*2., *ibique Bart.
num.*4., & *l. Non diſtinguemus* §. *cum in
plures ff. de recept. arbitr.*, *Corbal. de cauſ.
privat. ob lin. finit. num.*85., *Rot. cor. Rem-
bold. deciſ.*204. *num.* 11. *alioſque concordan.*
benè reſpondit *eadem deciſ. clar. mem. Card.
Caprara* §. *Non obſtant*. Si verò ſubſequen-
10 tia illa verba conſiderentur. *Et omnium, &
ſingulorum &c.* & iſta referri debent, & in-
telligi ad vitam ſingulorum, & omnium de-
ſcendentium reſpectu portionis acquiſitæ à
proprio parente: Proprios namque deſcen-
dentes, tam Gundiſalvus, quam Eluira Em-
phyteuſim acquirendo, in ſua quiſque portio-
ne reſpexiſſe cenſetur, ut proſequitur *eadem
11 deciſio* §. *Nec faciunt*; imò cum iſta verba
appoſita ſint inter deſcendentes, relationem
habere non poſſunt ad primos acquirentes,
de quibus eſt quæſtio *Fulgin. de emphyt. tit.
de contract. Emphyt. quæſt.*33. *nu.* 13., *Amat.
reſolut.* 34. *num.*31., *de Luc. ad Gratian. di-
ſcept.*272. *num.* 15. *Panimoll. dec.* 4. *adnot.*
3. *num.*12., *Rot dict dec.* 204. *num.* 12. *cor.
Rembold.*, & *dec.*39?. *n.*2. *par* 12. *rec.*

Abſque eo quod verba diſtributiva, eo-
12 rumque efficaciam deſumi queant ex ea in-
ſtrumenti parte executionem contractus reſ-
piciente, in qua Conductores, eorumque
Succeſſores, & *quilibet* ipſorum conſtituun-
tur Procuratores tamquam in re propria
cum facultate capiendæ poſſeſſionis. Non
enim exindè inferri valet ad conceſſionem
ſolidalem, quoad Gundiſalvum, & Eluiram,
ex ea præcipuè animadverſione, quod in
hac inſtrumenti parte ſermo habetur non ſo-
lum de illis, ſed de eorum etiam ſucceſſori-
bus Joſepho, Joanne Martino, & Octaviano:
Sicut autem dici non poteſt, quod iſtorum
reſpectu conceſſio ſit ſolidalis, neque quoad
alios pariter comprehenſos in inveſtitura
vigore dd. verborum etiam eorum favore
adjectorum, ita neque id dici poteſt, quoad
13 Eluiram, & Gundiſalvum, ſed dd. verba
intelligi debent ordine ſucceſſivo, & quate-
nus eorum favore aperiatur ſucceſſio, ut ea-
dem determinatio æqualiter omnes determi-
net, *ad Text. in l. Nam hoc jure, & l. Lucius
ff. de vulgar., & pupill. ſubſtit., & l. quam-
vis Cod. de impuber., & aliis ſubſtit.*, *Surd.
conſ.*45. *num.*37., *Grat. diſcept.* 70. *num.*39.
14 *aliique paſſim*, tantoque minus hujuſmodi
effectum operari valent in præſenti, quia
ſunt appoſita in clauſulis executivis, quæ ta-
li caſu non attenduntur, *ad Text. in Clem.* 1.
in fin. de pręb., & dignit., *Jaſon. in l. ex pu-
pill. num.*2. *ff. de vulg., & pupill.*, *Rot. dec.*
673. *num.*3 *par.*19. *rec.*

Minuſque obſtitit objectum deſumptum
ex qualitate ipſius Eluiræ, quæ cum eſſet fi-
lia naturalis Gundiſalvi nequiviſſet ſuccede-
re in hac emphyteuſi Eccleſiaſtica, niſi fuiſ-
ſet cum Patre *in ſolidum* compręhenſa: Quo-
niam conceſſio, de qua agitur, facta fuit Gun-
diſalvo, & Eluiræ cum ſpeciali expreſſione,
quod eſſet filia naturalis, & cum pacto, quod
du-

durare deberet ad vitam Gundiſalvi, & Eluiræ, ac omnium ab ipſis deſcendentium, undè
15 præfata Eluira, quamvis illegitima, potuit conſequi portionem Gondiſalvi ad ſe devolutam, non quidem ex conceſſione ſolidali, ſed vigore pacti, quo ordine ſucceſſivo ad portionem patris vocata fuerat: Neque implicat, quod Eccleſia volente poſſint etiam illegitimi ſuccedere in emphyteuſi Eccleſiaſtica ordine ſucceſſivo, *Mantic. de tacit. lib. 12. tit. 10. num. 10.*, *Fulgin. de ſucceſſ. in bonis emphyt. qu. 6. num. 4., & ſeq.*, *Afflict. dec. 99. per tot., ibique Urſill. num. 14.*, *Sperell. dec. 73. num. 9., & plures ſeqq.*, & *Rot. in hac cauſa dec. 89. per tot. cor. Seraph.*

16 Reliquis argumentis pariter adductis pro ſolidali conceſſione firmanda, tam ex onere ſolvendi Canones, & meliorandi indiſtinctè impoſito inveſtitis, quam ex jure accreſcendi inter eos admiſſo, Domini ſingulariter reſpondendum non cenſuerunt; cum ſatis illis ſatisfeciſſe videatur *eadem deciſio diei 1. Junii 1703. coram cl. me. Caprara §. Minuſque,*
17 *& fin.*; ubi quod, ſicut pro virili conceſſa dicitur emphyteuſis, ita pro virili injunctum cenſetur onus meliorandi, & ſolvendi Cano-
18 nem; quodque jus accreſcendi procedit ad excluſionem Domini directi, non tamen operatur; quod ſuperſtes valeat de portione, quæ accreſcit, diſponere, contra voluntatem primi acquirentis.

Allegabatur demùm pro excluſione Feminarum, & deſcendentium ex eis etiam à portione Gundiſalvi res judicata Rotalis ex antiquis deciſionibus cl. me. Card. Cavaler., & modernioribus bo. me. Emerix Jun. cum ſubſequtis ſententiis, ſed inapplicabilis viſa fuit Dominis. Quippè quia ponderabant, quod in prædictis deciſionibus, in quibus ſenſus Sacri Tribunalis prodiit contra fœminas, & eorum deſcendentes, non fuit unquam facta hæc diſcretiva, & particularis diſputatio quoad portionem Gundiſalvi, quæ ſolum ex integro deducta, & aſſumpta fuit in poſtrema
19 deciſione cl. me. Card. Capraræ; quodque in præfato Judicio, nec Santinelli, nec Hierutius unquam fuerunt citati, aut auditi, cum tunc citatæ fuerint Sorores tantum de Magdalenis, à quibus cauſam non habent, ideoque ipſos non afficit, dum præſertim habent equè principale intereſſe, ut dixit *Rot. dec. 226. num. 13. par. 9., dec. 317. num. 11. par. 17., & dec. 507. paritèr num. 11. par. 18. rec.*

Et ità relativè ad deciſionem Eminentiſſimi Capraræ, reſponſum fuit utraque &c.

FIRMANA DOMUS.

Veneris 5. Martii 1717.

ARGUMENTUM.

Adimplementum proprii facti promiſſi per equipollens non datur, adeo quod ille, qui ſe obligaſſet Domum vendere, & Uxoris conſenſum reportare, ac actuale venditionis Inſtrumentum conficere ea reluctante, nihilominus, tanquam ad factum proprium, promiſſa adimplere tenetur eo modo, quo ſe obligavit, nec per æquipollens pretium offerendo liberatur.

SUMMARIUM.

1 *Nemo ad factum alienum obligari poteſt.*
2 *Obligatus vendere domum cum conſenſu Uxoris, etiam ea in vita ad confectionem inſtrumenti, tamquam ad factum proprium obligatur*, & vide caſum, amplia, ut in num. 5.
3 *Decretum pro expeditione mandati ad factum ab Emptore obtentum adverſus venditorem non deſtruitur, ex quo creditor renovaſſet citationem procedi ad alteriora in illius expeditione* -- nec non celebrari inſtrumentum Emptionis cum conſenſu intereſſe habentium, alias ex officio -- & vide rationem.
4 *Promiſſio vendendi Domum cum conſenſu Uxoris quoad ipſum promittentem ex natura rei promiſſæ venditio jam dicitur facta, & actus completus.*
5 *Condemnatio ad damna intrat in caſu, quo de præſtatione facti alieni qui ſe obligaſſet, deque hoc ageretur, ſecus vero, ſi eſſet promiſſor facti proprii.*
6 *Obligatus vendere fundum, non liberatur per Æquipolens, ſi vellet refundere prætium damni, cum ad praeciſè promiſſa adimplenda teneatur*, & vide rationem in num. 8.
7 *Amplia, ſi in poromiſſione cameralis adeſſet obligatio.*
9 *Decretum Rotale munitum clauſula ſalutari* ad formam deciſionis -- *modificatur*, & *regulatur ad tramites ſenſus in deciſione pandıti.*
10 *Amplia, ut ad adimplementum facti alieni non extendatur.*

DECISIO DCCCCXCIX.

VEndidit Joſeph Antonius Boninſegna Aloyſio, aliiſque Fratribus de Moriciis Domum pretio ſcut. 800., promiſitque illam conſignare ſtatuto tempore, & tunc publicum inſtrumentum celebrare cum conſenſu omnium intereſſe habentium; interim ejus Uxor venditioni prædictę ſeſe oppoſuit, prætendens non potuiſse à Viro vendi, qui propterea Inſtrumentum conficere detrectavit, ideoque Emptores illum in judicium vocarunt cor. *R.P.D. meo Cerro* tunc A. C. Locumtenente, & inſteterunt ſub die 16. Julii 1712. *pro adimplemento promiſſorum, aliàs mandatum ad factum, & loco illius executivum in forma* prodiitque decretum *petiit, & obtinuit, ut ſupra, ut in Summ. dato per Boninſegnam in præterita inſtantia n. 4.*

Verum quia iſte huic decreto ſeſe oppoſuit, Fratres de Moriciis emptores ſub die 8. Octobris ejuſdem anni renovarunt inſtantiam

tiam ibi -- *mandari procedi ad ulteriora in*
expeditione mandati ad factum quibuſcum-
que non obſtantibus addita alia ſeparata in-
ſtantia, *necnon celebrari inſtrumentum em-*
ptionis Domus cum conſenſu omnium inte-
reſſe habentium, & ſignanter Vxoris, alias
videndum d. Inſtrumentum, & quietantiam
fieri ex officio, & pretium deponi -- & huic
inſtantiæ reſpondit pariter Judex petiit, &
obtinuit

Hoc mandatum eſſe exequendum cenſuit
in ſecunda inſtantia R.P.D. de Abbatibus Ju-
dex Commiſſarius, & tertio loco in hoc Sac.
Tribunali idem reſponſum fuit cor. R. P. D.
meo Falconerio, ut ex *deciſione edita* 16.
Martii elapſi anni, iterumque commiſſa mi-
hi pariter uti Prælato appellationis cauſa ad
inſtantiam Boninſegnæ cum clauſula -- *quoad*
confectionem inſtrumenti ex officio, et depo-
ſitum pretii ſine præjudicio, in reliquis alteri,
qui ad ulteriorem -- dedi hodie DD. dubium
An ſit procedendū ad ulteriorem legitimam
executionem -- nec diſſimile prodiit Judicium,
iis namque mecum ſuffragantibus, reſcriptum
fuit -- *Affirmativè*.

Et quidem ita reſpondendum eſſe viſum
1 fuit non jam ad effectum cogendi Beninſe-
gnam per viam carcerationis ad hoc, ut fa-
ciat contractui venditionis Domus accedere
Vxorem reluctantem, cum ad id factum alie-
num involvens non debeat ille coarctari,
nec tale quid ex parte illorum de Moriciis
2 prætenſum fuit, bene tamen ad effectum,
ut ipſe præſtet factum proprium ſtipulatio-
nis Inſtrumenti eo modo, quo promiſit, &
eo modo, quo decrevit Judex primæ Inſtan-
tiæ in prima petitione expoſitionis iſtius pu-
3 blici Inſtrumenti, a quo ſane decreto non
poteſt dici fuiſſe receſſum in ſecunda citatio-
ne, ex quo ibidem talis expoſitio inſtrumen-
ti repetita fuerit cum conſenſu Vxoris, quia
adhuc iſta ſecunda petitio primam non de-
ſtruit pro mandato ad factum, & executivo,
annuente Judice propoſitam, dum imò ex-
expreſſam ad illam relationem continet in
iis verbis -- *alias decretum, et relaxatum*;
4 & poſito, quod de facto proprio tantum ven-
ditionis agendum ſit, dubium ullum eſſe non
poteſt, quin ad præciſum implementum om-
nino cogi debeat, dum ex natura rei pro-
miſſæ relata ad perſonam promiſſoris, hoc
tacite actum videtur, ut ait *Gloſs. in l. Sti-*
pulatio §. Opus autem verb. ſive ff. de nov.
oper. nunciat., *Rota dec.* 284. *n.* 32. *p.* 9. *rec.*,
& latius *in nullius Abbatiæ. S. Hilarii* 10.
Maii 1715. §. *Non obſtat, & ſeqq. cor. Me.*
Abſque eo quod dici poſſit habere potius
in his terminis locum condemnationem ad
damna, & intereſſe, quam adeò ſtrictum,
& rigoroſum facti adimplementum. Hujuſ-
modi etenim condemnatio ad damna bene
5 procedit in caſu, quo de præſtatione facti
alieni ſit quæſtio, non autem quando, ut hic,
diſputatio reſtringitur ad factum proprium
promittentis, ut benè cum *Gratian. diſcept.*
915. *n.* 19., *et dec.* 284. *n.* 32., *et ſeqq. p.* 9.
rec., diſtinguit deciſio præcedentis inſtantiæ
§. *Hinc nimis cor. R. P. D. meo Falconerio*.
Minuſque excuſari venditor inde poteſt,
quod dum A. C. in ſuo decreto mandavit,
quod eo non conficiente publicum inſtru-
mentum, hoc eſſet per Judicem ex officio
conficiendum, hinc reſultet, quod imple-
mentum faciendum à Venditore remaneat
ſatisfactum per æquipollens; recurrit nam-
que eadem reſponſio, quod cum agatur de
adimplemento facti proprii, æquipollens
6 non admittitur, & præciſè cogi quis debet
ad illud factum, quod promiſit, eoque for-
7 tius quando, ut hic, talis promiſſio ſuſcepta
eſt cum obligatione Camerali, ut præter ſu-
perius allegat: in ſimilibus terminis, probat
Conſtant. ad Stat. Vrb. annot. 51. *num.* 11.,
Rota dec. 266. *num.* 17. *cor. Bich.*, ideoque
8 nunquam dici poterit, tali promiſſioni ſatiſ-
factum, niſi ipſe Boninſegna Inſtrumentum
publicum conficiat, & quietantiam faciat pro
pretio ad ſecuritatem emptoris deponendo,
ſatiſque non eſt, quod Inſtrumentum à Judi-
ce factum fuerit ex officio.

Fruſtra demum allegabatur, quod in præ-
terita inſtantia coram *R. P. D. meo Falcone-*
rio male proceſſum fuerit demandando ſim-
pliciter executionem mandati A. C., in quo
idem Boninſegna gravabatur ſub pœna car-
cerationis devenire ad celebrationem In-
ſtrumenti venditionis cum conſenſu Vxoris.

Advertendum quippe fuit, quod d. man-
datum tale quid non importare videbatur,
ſed dumtaxat præcipere liberam ſolutionem
prætii in caſu conſenſus, & depoſitum in ca-
9 ſu contrario diſſenſus, atque ulterius in de-
creto prædicti R. P. D. Falconerii aderat
clauſula illa ſalutaris -- *ad formam deciſionis*,
cujus vigore certum eſt, quod decretum
A. C., & alterius cujuſvis Judicis modifica-
tur, & limitatur, juxta ſenſum panditum in
deciſione, quod ſi propterea in ea executio
reſtringebatur ad id, quod importabat pro-
miſſio facti proprii, non autem alieni, utique
eodem modo interpetrari debebat, & de-
cretum ad illius formam ſucceſſivè prolatum,
10 neque extendi poterat diverſimode ad im-
plementum facti alieni, juxta vulgatam re-
gulam, de qua eadem *Rota dec.* 327. *n. pri-*
mo cor. Buratt. dec. 566. *nu.* 5. *cor. Cerro*,
dec. 185. *n.* 9. *cor. Emer. jun.*, *& in Romana*
Pecuniaria 20. *Januarii* 1716. §. *Validitas*
cor. R. P. D. meo Falconerio, ac paſſim ali-
bi.

Et ita relativè in cæteris ad d. deciſionem
editam in præcedenti inſtantia *coram eodem*
R. P. D. meo Falconerio utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER CAUTHELA ANGELI.

Lunæ 8. *Martii* 1717.

ARGUMENTUM.

Dos quando in ſpecie, & non in quantitate dicatur conſtituta.

Dos

Dos non præſumitur à muliere conſtituta ſuper omnibus bonis, quæ Vir adminiſtraſſet, cum adminiſtratio Viri etiam ad bona extradotalia Uxoris referri poſſit, præſertim ſi iſta poſt conſtitutionem dotis ad Mulierem ex alio relicto deveniſſent.

SUMMARIUM.

1 *Dos non dicitur quantitativa, ſi conſtituta eſſet ſuper tota legitima, quæ in bonis Patris Uxori deberetur.*

2 *Legitima dicitur quota bonorum.*

3 *Dos dicitur conſtituta in quota Bonorum, etiamſi dicta quota fuiſſet liquidata, cum veram extimationem emptionem, & venditionem facientem non ſe cum ferat.*

4 *Teſtes non admittuntur ad probandum, quod mulier majorem ſummam ea, quæ fuiſſet expreſſa in dotem viro conſtituerit, quando Inſtrumentum ferret, quod dos ad certa bona tantum reſtringeretur.*

5 *Dos non præſumitur conſtituta ſuper omnibus bonis, quæ vir adminiſtraſſet, cum ſtare poſſit, quod Uxore permittente, Vir bona etiam extradotalia adminiſtraſſet.*

6 *Amplia in caſu, quo Mulier præter dotem de tempore conſtitutionis nil ultra poſſediſſet, & reliqua bona per ipſum adminiſtrata ex relicto, conſtante Matrimonio ad eam deveniſſent.*

7 *Dos non præſumitur conſtituta ſuper re in futurum obventura, niſi dè tali poſſibilitate in conſtitutione ſpecialis mentio facta fuiſſet.*

8 *Retentio non competit Viro pro melioramentis ſuper fundo dotali Uxoris, niſi ea probet.*

9 *Melioramenta ſuper fundo mulieris facta præſumuntur ab ipſa, & non à Viro.*

10 *Quartum dotale ſuperlucrandum à Muliere regulatur ad tramites quantitatis dotis, & non juxta valorem bonorum extradotalium, etiam ſi vir de eis adminiſtrationem habuiſſet.*

11 *Dos ad quantum adſcendat non deſumitur ex dotali Inſtrumento, ſi ſe referret ad aliud diviſionis, in quo ſumma minor exprimeretur, cui ſtandum eſt ad probandam quantitatem, & non dotali.*

12 *Identias bonorum ex confrontatione illorum cum Inventario probatur.*

13 *Identias bonorum neceſſaria eſt, ut cauthela Angeli ſuper illis allegata ſubſtineatur,* & n. ſequenti.

14 *Cauthela Angeli, deficiente titulo claro, & juſto, non ſubſtinetur, & n.* 18.

15 *Pecuniæ exactæ per Mulierem, inſcio, & abſente Viro, poſt lapſum ultra decennii in hæreditate Viri repertę non præſumuntur.*

16 *Mulier præſumitur conſumpſiſſe in proprios uſus pecunias, quas, inſcio Viro, exegiſſet, maxime poſt decennium.*

17 *Teſtis unicus non probat, quod Mulier pecunias exactas Viro tradiderit.*

18 *Cauthela Angeli ex ſola turbiditate tituli, quo allegaretur, reicitur.*

DECISIO M.

Acquievit Innocentia reſolutioni coram Me captę ſub die 25. Novembris anni præterlapſi quoad immiſſionem in genere conceſſam Fratribus de Niccolis uti hæredibus ab inteſtato Franciſci pariter de Niccolis illius Viri ad bona in ipſius hæreditate exiſtentia, ſed eodem tempore recurrens ad notoriam Cauthelam ab Angelo traditam *in l. à Divo Pio §. Si ſuper rebus ff. de re judicata*, ſibi ex diverſis titulis bonorum omnium hæreditariorum ſui Viri retentionem competere allegavit, nempe *pro ſuis Juribus dotalibus, & extradotalibus, quarto dotali, aliiſque quomodolibet ſibi de jure competentibus*, ut ſunt verba proteſtationis judicialiter per ejus Procuratorem emiſſæ, ideoque dedi hodie dubium juxta laudabilem hujus Sac. Auditorii ſtylum horum omnium complexivum -- *An, et ſuper quibus bonis, et pro qua ſumma ſit ſervanda Cauthela Angeli*, & reſponſum habui *ſervandam eſſe juxta modum* inferius exprimendum.

Procedentes quippe DD. cum diſtincto prædictorum titulorum examine, præmittebant reſpectu dotis, quod fruſtra per Inno-
1 centiam contendebatur illam conſiſtere in quantitate, dum ipſa Franciſco Viro pro dote promiſit (ſunt verba Inſtrumenti) -- *totam ejus legitimam, quæ ad ipſam ſpectat, & de jure ſpectare poteſt in bonis hæreditariis quondam Philippi ſui Patris deſcriptis in Inventario &c.* ex quibus clarè liquet è contrario illam fuiſſe conſtitutam in quota,
2 qualis communiter dicitur legitima, ut apud *Merlin. de legit. lib. 3. tit. 3. q. 15. per tot. de Luc. eodem tit. diſc. 19. num. 10., Rota dec. 84. num. 55. coram Reverendiſſimo P.D. meo Decano, & paſſim.*

3 Et licet ex relata ſubinde ſequi videatur liquidatio ejuſdem quotæ per ea verba - *liquidatam de communi conſenſu inter ipſam Innocentiam ex una, & Antoniam Niccolam Matrem Tutricem, & Curatricem Catherinæ in ſcutis 750, ut apparet ex ſtatu totius Aſſis hæreditarii deſcripto in folio &c.* Attamen quia valoris illa expreſſio (ultra quam quod eſt erronea, ut infra) ſtat in hoc caſu ad ſignificandam ſimplicem appretiationem deſigniativam importantiæ ejuſdem legitimæ, non tamen ad inducendam veram æſtimationem facientem ſpeciem emptionis, & venditionis, utique adhuc talis Dos dici debet conſtituta non in quantitate, ſed in ſpecie, ut diſtinguit *Rot. dec. 649. num. 2. coram Cavaler. dec. 563. nu. 5. ibique Adden. coram Gregor.*, & cum aliis *in Urbevetana lucri dotal. 9. Martii 1716. §. controverti coram Reverendiſſimo P.D. meo Anſaldo Decano.*

Sicut etiam non ſubſiſtebat, quod prædicta Dos nequaquam eſſet reſtricta ad legitimam dumtaxat, ut in Inſtrumento mox
4 relato, ſed imo omnia bona, & Jura, univerſumque Patrimonium Innocentia in eam cauſam viro aſſignaverit, id ex iis deſumendo cir-

circumſtantiis, quod ipſe vir coram Teſtibus faſſus fuerit illam in omnibus bonis recepiſſe, quodque de facto omnia Uxoris bona retinuerit.

4 Quoniam obſtat prædictis Teſtibus clara littera Inſtrumenti dotalis, juxta quam certum eſt non alia bona Innocentiam in dotem ſibi conſtituiſſe, quam legitimam ſibi debitam in bonis Patris, ex qua quidem particulari certorum bonorum aſſignatione, ſatis excluditur, quod alia bona fuerint aſſignata, ut aliis relatis probat *Card. de Luc. de Dot. diſc.*150. *nu.*28. Neque ex eo quod
5 illa paſſa fuerat à Viro ejus bona retineri, & adminiſtrari ullo modo augetur vis contrarii argumenti, quia adhuc dos non in omnibus bonis per virum retentis præſumitur conſtituta, cum et extradotalia potuerit ille Uxore permittente retinere, & adminiſtrare, ut proſequitur idem *de Luc. d. diſc.*150. *n.*7. *de dot.*

Tantoque magis hæc locum habent, quia præter legitimam de facto in Inſtrumento dotali Viro aſſignatam, Innocentia tunc
6 temporis non poſſidebat alia bona, ſed ilii ſubinde obvenerunt ex purificatione reciprocæ ſubſtitutionis, quam in ſuo Teſtamento ordinaverat Philippus Prateſius inter ipſam Innocentiam, & Catherinam ex fratre defuncto nepotem quoad legatum duarum vinearum, quarum unam pro qualibet præfatis ejus filiæ, & nepti relinquebat, unde cum alia iſta bona tunc temporis non adeſſent, & dependeret illorum conſequutio à fortuito eventu præmorientiæ alterius ex eis, dici non poteſt, quod partes ad futura
7 perſpexerint, & iura quoque de futuro obventura, voluerint in contractum deducere ſine expreſſa conventione, juxta punctualem doctrinam *Baldi in l. nulla l. lege C. de Jur. dotium*, & in ſimilibus terminis deducta per *Rot. dec.*42. *num.*8. *coram Ubald.*, *dec.*724. *num.*5. *par.*4. *recent. tom.*3. cum aliis *in Romana Renunciationis* 6. *Maii* 1709. §. *Et ulterius coram Eminentiſſimo Card. Scotto*, & 10. *Martii* 1710. §. *Sed è controverſo cor. R. P. D. meo Criſpo*.

His itaque ſtabilitis ſervandam Domini putarunt Cauthelam Angeli primo loco *in Vineis*, quarum altera ex dictæ ſubſtitutionis purificatione obvenit in Innocentiam, & alteram ex Teſtamento Patris poſſidebat de tempore dotationis, non attenta exceptione
8 retentionis ex cauſa melioramentorum, dum huc uſque non probantur facta à Franciſco
9 Viro, immò præſumptio eſt, quod fuerint facta ab ipſa muliere, quæ Vineam poſſidebat.

Servandam ſecundo loco reſponderunt *pro quarto dotali* ob ejuſdem Viri præmorientiam per Innocentiam Uxorem ſuperlucrato ad formam notorii Statuti Urbis *cap.*
10 145., & quidem juxta quotam dictæ legitimæ in dotem Viro aſſignatam, nullo habito reſpectu ad alia bona, quæ Mulier extra dotem poſſidebat, quemadmodum aliis relatis faciendum eſſe firmavit *Rot. in allegata Urbevetana lucri dotalis* 28. *Junii* 1715. §. *Pariter, ac ſeq.*, & 9. *Martii* 1716. §. *Hoc igitur coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo*.

Coherenter itaque ad liquidationem ejuſdem legitimæ ſtabilitum fuit hujuſmodi lucrum in ſcutis 162. debitum eſſe, quia verè talis liquidatio non excedit ſcuta 646.90. dum etiamſi in Inſtrumento dotali aſſeritur, quod eſſet ſcutorum 750. adhuc illa deſumenda venit ab alio diviſionis Inſtrumento exarato inter Innocentiam, & Antoniam
11 Matrem Catherinæ, ad quod in ea parte expreſsè ſe refert eadem Dotis conſtitutio, & cum in iſto reperiatur liquidata in dictis ſcutis 646., utique huic tamquam relato ſtandum venit, & quicquid diverſimode in referente dictum eſt, cenſeri debet dictum per errorem, donec ſaltem contrarium melius juſtificetur, *Rot. dec.*438. *num.*1., & *ſeq. cor. Sa. mem. Gregor. XV.*, *dec.*490. *num.*3. *par.* 10. *rec.* & paſſim alibi.

Favore demum mulieris ſervanda viſa eſt cauthela Angeli *quoad mobilia provenientia à Philippo Prateſio ejus Auctore*, ſed non quidem ita generaliter, ut ipſa expoſtulabat ſuper omnibus iis, quæ hodie in hæreditate Niccoli reperta ſunt, ſed ſuper iis dumtaxat
12 quæ confrōtato Inventario hæreditatis dicti Philippi, cum alio Inventario hæreditatis Niccoli, reperiuntur deſcripta in utroque, quippe quia, quoad iſta dubitari non poterit ſtante hujuſmodi confrontatione, quod verè ſint hæreditaria ipſius, & erit ſufficienter probata identitas, quæ pro Cauthela
12 Angeli omninò eſt neceſſaria, *Rot. dec.*2137. *num.*1. *coram Coccin.*, *dec.*95. *num.*5. *coram Cerro*, & *in Peruſina Immiſſionis ſuper Cauthela Angeli* 19. *Junii* 1716. §. *Præſertim coram Me.* Animadvertendo ulterius quoad iſta mobilia, quod aliqua eorum pro rata ſcutorum 100. tradita fuerunt Antoniæ Matri Catherinæ pro quodam ſuo credito, & ab Antonia tranſierunt in Niccolum, undè pro hac rata neque intrat Cauthela Angeli, cum facta ſint propria ipſius Niccoli, & non amplius ſint hæreditatis Prateſiæ, aut propria Innocentiæ.

Non ita tamen Domini proceſſerunt, quoad reliquas illius prætenſiones ſuper aliis mobilibus, pecuniis, iocalibus, creditis, ac ſtabilibus repertis in hæreditate Franciſci, ſed in omnibus præter ſupra examinata, *negativè* contra illam reſponderunt. Quandoquidem nullo modo probabatur, quod ad ipſam Innocentiam pertinerent, ideoque deficiebat identitas, ex allegatis per neceſſe ab illa juſtificanda, minuſque ullus illi com-
14 petebat titulus, cujus vigore poſſet retentionem ſuper illis, etiamſi Viri prædefuncti ſint, allegare, *Bald. in l. à Divo Pio* §. *ſi ſuper rebus nu.*4. *ff. de re judic.*, *Rot. dec.*145. *num.*6. *coram Card. Cerr.*, cum aliis in *dec.* 18. *num.*1. *coram Benincaſa*.

Abſque eo quod dici poſſit quoad pecunias certo certius probari, quod in magna

ſumma

ſumma adfuerint in hæreditate Prateſii, quippe quia conſtat quoque in facto illas fuiſſe cum ordinibus Innocentiæ exactas partim antequam nuberet Franciſco Niccolo, & partim ex poſt, ſed ipſo inſcio & abſente juxta plura documẽta relata *in Sum. hodierno eorum de Niccolis nu. 3. 5. 6. 7. 8., & 14.* ne-
15 què illa ſumma, quæ abſente, & inſcio Viro fuit ab Innocentia exacta, præſumi poteſt, adhuc exiſtere, & reperiri hodiè in hæreditate Viri, vel ab iſta deberi juxta fidem unius Teſtis aſſerentis de ſucceſſiva conſignatione illi facta; reſiſtit enim huic aſſertioni lapſus treſdecim annorum, ac qualitas ipſa Perſonæ, nempè Innocentiæ, quæ cum non
16 eſſet admodum divitiis, ac pecuniis affluens, facile eſt credere, vel in manutentionem rerum extradotalium, vel in alios proprios uſus minutatim illam conſumpſiſſe, & fidei
17 unius Teſtis ſuper conſignatione credi non poteſt, quia nihil probat, ex vulgatis Juribus.

Cætera non indigebant particulari examine, quippè quia generali ſubmovebantur reſponſione, quod Niccoli illa ſpectare probabant ad hæreditatem Franciſci, quando tamen ſatis fuiſſet pro exclusione Innocentię, vel quod Ipſa non probaret illa ad ſe ſuumvè Auctorem pertinere vel etiam quod talis ejus probatio aliquo modo turbida, ac du-
18 bia redderetur, cum cæteroquin jura, in quibus fundatur Cauthela Angeli eſſe debeant immunia à quacumque altioris indaginis inſpectione, ac plenè talia, quæ vix ullam in contrarium admittant exceptionem, ex aliàs deductis *in dec. 464. n. 1. cor. Priol., in Interamnen. Cenſus ſuper redditione rationis, & Cauthela Angeli 15. Februarii 1712. §. fin. coram Reverendiſſimo P. D: Aldrovando Archiepiſcpo Neoceſarien., & in Eugubina Fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli 5. Aprilis 1615. §. pariter final. coram Me.*

Et ita aſſumpto benigniter per Dominos onere ſingillatim partitas examinandi, ne partes ulteriori diſpendio gravarentur juxta præmiſſum modum reſponſum fuit.

Utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 8. Martii 1717.

ARGUMENTUM.

Exceptio retenſionis fundi vigore crediti anterioris adverſus poſteriorem Creditorem Immiſſionem ad illum poſtulantem in ſimilibus Judiciis validior reputatur.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio non datur Creditori ad fundum, quando illius poſſeſſori retenſio pro anteriori credito allegatur*, & num. 5.
2 *Amplia, etiam ſi Creditor poſterior peteret immiſſionem pro ea rata, in qua actio anterioris Creditoris fuiſſet ſuſpenſa, & vide rationem,*
3 *Immiſſio Creditori poſteriori in ea rata non conceditur, in qua ſimilis actio anteriori Creditori fuiſſet ſuſpenſa, iſtoque à poſteriore non citato.*
4 *Fructus tenutarum calculantur ad rationem duorum pro centenario.*
6 *Deciſio, ſi non revideatur, ſemper præſupponenda eſt valida.*
7 *Immiſſio non datur pro credito illiquido.*

DECISIO MI.

Cenſum ſcutorum decem millium impoſitum favore Gaſparis, aliorumque de Alaleona ſub anno 1634. à clar. me. Cardinali Franciſco Peretto, obtinuit Comes Euſtachius de Confidatis pro rata crediti, quod habebat in ſumma ſc. 975. 33. contra eoſdem de Alaleona ſibi adjudicari per ſententiam latam in Curia Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii, & ſucceſſivè vigore iſtius Cenſus inſtruxit coram A. C. Judicium Salviani Interdicti contra Dominos de Falconeriis poſſeſſores Tenutæ *di Torre in Pietra* emptæ per Horatium eorum Auctorem ab eodem Cardinali Peretto de Anno 1639., & favorabilem pro Immiſſione ſententiam reportavit.

Cum tamen ab hac ſententia fuerit pro parte DD. de Falconeriis appellatum & proſequente eamdem inſtantiam Comitiſſa Maria Aldegunda dicti Euſtachii interim defuncti filia, dubium propoſuerim -- *An, & ſuper qua rata, & pro qua ſumma ſit danda Immiſſio* --, reſponſum habui, *negativè in omnibus.*

Fundamentum iſtius reſolutionis in eo fuit, quod jam in alio ſimili Judicio acto pariter in hoc Sacro Tribunali ad inſtantiam Joſephi Alberici alterius Creditoris ejuſdem Cardinalis Peretti ſuam anterioritatem deſumentis ab anno 1633., firmatum fuit iſtius actionem reſtringi poſſe ad ratam Tenutæ pro valore ſcutorum 12. mil. dumtaxat, ex eo quod quantumvis ab Horatio empta fuiſſet inſigni pretio ſcutorum 326. mil., reliqua nihilominus ſumma, præter dicta ſcuta 12. mil clariſſimè apparebat erogata in dimittendis creditoribus anterioribus prædicti Alberici, ut ex egregia deciſione diei 20. Januarii 1716. coram R. P. D. meo Cerro.

1 Quod ſi propterea certum erat ex hoc facto reſidualem quoque ratam dd. ſcut. 12. mil. fuiſſe abſortam ab Alberico Creditore anni 1633., & ſic anteriore Juribus Comitiſſæ actricis, deſumptis ab anno 1634., planum inde conſequens deſcendebat, quod iſti obſtabat in hodierna petitione retentio à DD. de Falconeriis allegabilis vigore creditorum anteriorum, vel ab ipſis dimiſſorum vel actu ſatisfactionem deſumentium ex Tenuta, qua quidem exceptione vix potentior ulla eſt, quæ in hoc Judicio validius, agentes ad immiſſionem excludat, ut per *Text. in l. 2. ff. qui pot. in pign. habeant., Rot. cor. Buratt. dec. 844. num. 1., & par. 19. rec. dec. 155. num. 2. cum concordan. in alleg. deciſ. R. P. D. mei Cerri §. Pro denegatione.*

Et quamvis (ut reaſſumebant Defenſores Comi-

2 Comitiſſæ), ne quidem Alberico conceſſa fuerit immiſſio in præcitata deciſione R. P. D. mei Cerri ad integra ſcuta 12. m., ſed ad ſcuta dumtaxat 10790., relicta in ſuſpenſo partita 1210., ideoque videtur ſaltem pro hac ſumma concedi poſſe petita per Actricem Immiſſio, adhuc tamen Domini ponderabant, quod dicta partita fuit ità in ſuſpenſo relicta contradicente Alberico Creditore, ut dictum eſt, anteriore, ideoque talis partitæ ſuſpenſio non poterat hodie cōtra Dominos de Falconeriis retorqueri, ſed imo videbatur potius inde inferri contra Comitiſſam Actricem, quod ſi obtinere quoad eam non potuit Albericius anterior, neque poſſit ipſa poſterior, & ad ſummum concludebant, quod, ſi de ea agendum eſſet, ne-
3 ceſſe foret etiam Albericium legitimè ad cauſam vocatum audire.

Neque eidem Comitiſſæ, quidquam profuit, quod Creditum Albericii non excederet ſcuta 4000., ideoque his demptis à prædicta ſumma ſcutorum 10790., remanerent adhuc ſcuta 6790., ſuper quibus ſatisfactionem ſui Crediti poſſet ipſa obtinere ſinè obſtaculo alicuius retentionis.

Siquidem id non ſubſiſtebat in facto, dum Albericius pro ſuo credito ſcutor. 4000. Immiſſionem à Sacro Tribunali reportavit ſuper integra rata dd. ſcutor. 10700., ut ex iſtius fructibus annuatim ſui crediti ſatisfactionē conſequeretur, & ideo verùm eſt, quod hic, & nunc nihil ſupereſt, ſuper quo Comitiſſa poſteriorē Alberico hypotecam habens poſſit obtinere
4 animadvertendo ſignanter, quod cum ex Judicio pariter Sacræ Rotæ fuerint jam fructus iſtius Tenutæ calculati ad rationem ſcutorum duorum dumtaxat pro quolibet centenario, indè patet, quod Albericius de ſuo credito nequidem ſatisfactus remanebit ſpatio viginti annorum, itaut ex facto fruſtraneum etiam ſit expetere hodie immiſſionem ad ratam Tenutæ ab eo detentam cumulativè
5 cum ipſo, qui cum ſit anterior Comitiſſa, illam etiam ab hujuſmodi prætenſione ratione anterioritatis, excluderet, ad celebres *Tex. in l. Potior in princ. ff. qui pot in pign. hab.*, *l. ſi fundum C. eodem*, *& cap. prior, de reg. Jur. in 6.*

Multoque minus aliud objectum ſubſiſtere viſum eſt, quod Comes del Benino Creditor poſterior ipſa Comitiſſa Immiſſionem pro indiviſo habeat cum Albericio ratione crediti ſcutorum 12. mil. Siquidem in facto certum eſt, quod Beninus contendens obtinere ſatisfactionem ſui crediti, fuit ab Eccleſia S. Ignatii ex alia anteriori cauſa creditrice repulſus, & quamvis pluries contra iſtam ſua Jura voluerit experiri, adhuc tamen ſemper fuit per plura Iudicata excluſus uſque ad taxationem expenſarum, prout conſtat ex Deciſione nuper edita coram Me 22. Januarii currentis anni.

Quodque in effectu creditum præfatæ Eccleſiæ ſit unum ex iis, quæ non ſolum ipſa Comitiſſa, ſed etiam Albericio ſunt anteriora, conſtat ex ipſa *Deciſione Romana Salviani pro Albericio*, *edita 20. Januarii 1716.* *coram R. P. D. meo Cerro*, *in qua §. Abſoluta*, ponitur illius Creditum, ut proveniens
6 ab anno 1594. Hæc autem deciſio cum modo nequaquam revideatur, venit de more præſupponenda, ut pluries dixit eadem *Rota dec. 223. num. 7. par. 11., dec. 342. num. 2. p. 17. recent., dec. 1098. num. 24. coram Emerix Iun.* & nuperrimè *in Romana Manutentionis 19. Februarii mox elapſi §. ut enim cor. R. P. D. meo Falconerio*, ac paſſim alibi.

Atque hæc ſufficere pro Actricis excluſione Domini cenſuerunt, abſque eo quod ne-
7 ceſſe putarent aſſumere diſputationem illiquiditatis ejus Crediti ex retentione locorum Montium obtentorum in Judicio concurſus cum cæteris creditoribus Cardinalis Peretti, & provenientium ex pretio ejuſdem Tenutæ *di Torre in pietra*, aliiſque rationibus per Dominos de Falconeriis adductis.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU ALBANEN. PECUNIARIA.

Veneris 14. Martii 1717.

ARGUMENTUM.

Emptor poteſt ſe validè confovere in profeſſione rei emptæ à communi debitore per hoc, quod creditores anteriores illius dimiſiſſet, & ſicuti ex hoc titulo ei datur retentio, itaquoque validè ſuum creditum compenſat, quod adversùs venditorem habuiſſet cum rata illius pretii.

Obligatio emptoris de dimittendo creditores venditoris intelligitur merè demonſtrativè ad illos in venditione nominatos.

SUMMARIUM.

1 *Actio non datur creditori ſuper re vendita à communi debitore, quando emptor anteriores dimiſiſſet, eorumque jura foveret, &* num. 3.

2 *Obligatio aſſumpta à tali emptore de dimittendo deſignatos creditores, demonſtrativè intelligitur ſtare, & non taxativè quo ad iſtos, adeò quod actio anterioribus non auferatur.*

4 *Actio non datur hæredibus ad petendam ſolutionem pretii ex communis debitoris effectibus retractis adversùs emptorem, quando ex facto illorum auctoris ad manus illius res empta nunquam devenire potuiſſet.*

5 *Actio, quæ non competit uni, neque ejus creditoribus dari poteſt.*

6 *Tranſactio utilis, & proficua ſemper ſervanda eſt.*

7 *Tranſactio, ut ſubſtineatur, ſolus timor litis ſatis eſt.*

8 *Debitor communis, nullo inhibente creditore, poteſt creditori poſteriori etiam in anterioris præjudicium bona fide perſolvere,* & vide caſum.

9 *Compenſatio crediti clari cum debito certo, & æque claro fieri poteſt etiam nunc pro tunc, hoc eſt pro quando dies caderet ſolutionis, maximè ſi partes conveniſſent, quod nulli alteri jus unquam acquiri poſſet.*

10 *Concordia ſubſtinetur ex ſola articuli dubietate, qui ea remota eſſet diſputandus.*

DECISIO MII.

EMit Magdalena Heſchinarda anno 1661. à Petro Nicolao, & Philippo germanis fratribus pariter de Heſchinardis quædam bona poſita in Civitate, & Territorio Albani pro pretio ſcut. 8608., pactoque inter eos convento, quod dicta ſumma pro rata ſcut. 6208. erogaretur in dimiſſionem creditorum, quibus urgebantur dicti fratres venditores, pro alia rata ſcut. 1900. remaneret penès ipſam Magdalenam emptricem cum onere ſolvendi annua ſcuta 95. quatuor Monialibus familiæ, quouſque in humanis ſupereſſent, ſequuto verò illarum obitu, fieret propria ejuſdem Magdalenæ unà cum alia ſumma ſcutor. 150. poſt obitum Juliæ Tintæ ſine filiis ad effectum compenſandi, & extinguendi quoddam creditum peculiare ipſius Magdalenæ; ac denique pro reſiduali rata ſcutor 500. eadem emptrix ſuſciperet in ſe, atque accollaret cambium ſimilis ſummæ à venditoribus contractum favore Lucatelli.

In executionem ejuſmodi conventionis dimiſit Magdalena plures creditores anteriores, & potiores fratrum venditorum, uſquequò abſumpta fuit prædicta rata ſcut. 6208., & ſubindè anno 1667. eadem bona vendidit Aloyſio Benedellio pro pretio ſcut. 12. mil. Interim verò Anna Corrada Uxor alterius ex fratribus de Heſchinardis, ejuſque creditrix ex pluribus cauſis, & præſertim reſtitutionis dotis, cum nullam propriorum creditorum ſatisfactionem conſequi potuiſſet ex dicta rata ſcut. 6208., tamquam erogata in dimittendis aliis creditoribus anterioribus, obtinuit ab A.C. inhiberi memorato Benedellio ſecundo emptori, ne quiquam ſolveret reſiduum pretii penès ipſum remanentis, & præſertim illius ratæ, quæ de mandato Judicis ab ipſo inveſtiri debebat pro capitali dd. ſcu. 95. ſingulis annis ſolvendorum Monialibus quouſque viverent, & alterius ſummæ ſcut. 150. reverſuræ poſt obitum Juliæ Tintæ ſine filiis, prout de facto virtute hujus inhibitionis, etiam poſt mortem dd. Monialium, & Juliæ, memorata Magdalena nihil penitùs ab eodem Benedellio conſequi potuit, non obſtante pacto in inſtrumento primæ venditionis cum fratribus de Heſchinardis, convento, quod eo caſu d. Capitalia cedere deberent in extinctionem, & compenſationem peculiaris crediti ejuſdem Magdalenæ.

In hoc rerum ſtatu vita functis ipſa Magdalena, & Anna Corrada, agnoſcentes utriuſque hæredes, quod dum ipſi mutuo ſibi impedimento erant, hæreditas Benedelli, apud quem remanſerat reſidualis pars dicti pretii, vergere cæperat ad inopiam, ſatiùs duxerunt devenire inter ſe ad concordiam, per quam anno 1707. inter cætera conventum fuit, ut communi nomine, & ſumptibus proſequerentur lis jam cæpta contra Benedellium pro conſequutione dictæ ratæ pretii penès ipſum exiſtentis, & ſubindè totum id, quod ab eo recuperari poſſet, pro medietate inter ipſos contranſigentes divideretur in cauſam ſatisfactionis propriorum creditorum; poſtea tamen ea minimè attenta inſtaurarunt hæredes Corradæ coram A.C. novum judicium contra hæreditatem Magdalenæ, & obtinuerunt mandatum pro ſumma ſcutor. 2090., unà cum ſententia declarante concordiam non obſtare, à quibus interpoſita per ſuccumbentes appellatione, cauſaque mihi per Signaturam commiſſa, dedi dubium -- *An mandatum A.C. ſit exequendum, ſeu potiùs ſit ſervanda concordia*, quod licèt ſub die 15. Februarii proximè elapſi ob ſuffragiorum ſciſſuram reſolvi non potuerit; hodie tamen facto clariùs elucidato favore hæredum Magdalenæ definitum fuit, reddito per DD. reſponſo -- *Mandatum A.C. non eſſe exequendum, & ſervandam eſſe tranſactionem.*

Fundamentum reſolutionis quoad primam
1 reſcripti partem in eo poſitum fuit, quod hæredes Corradę omni penitùs carent actione contra hæreditatem Magdalenæ pro dicta ſumma conſequenda, nam quatenùs eam deſumere poſſe putabant ex obligatione per illam ſuſcepta in inſtrumento emptionis anni 1661. de dimittendis cum rata pretii creditoribus venditorum, & nominatim ipſam Corradam, quæ tunc temporis jam erat illorum creditrix ex cauſa duarum Societatum Officii, & cujuſdam Cambii, prompta occurrebat reſponſio, quod cum ipſa Magdalena erogaverit integram ſummam ſcut. 6208. in ſatisfactionem aliorum creditorum anteriorum, qui tunc ultra deſcriptos in dicto inſtrumento comparuerunt, per hanc utique ſolutionem omnis ejus obligatio extincta
2 fuit, nedum quia de jure deſignatio facta in dicto inſtrumento certorum creditorum, intelligenda erat enunciativè, & demonſtrativè, non verò taxativè, & reſtrictivè in præjudicium anteriorum, qui interea ſupervenire poſſent, juxta *magiſtralem deciſionem* 291. ex nu. 2. cor. *Millino*, alioſque adductos per *Rotam in Romana Manutentionis* 1. *Julii* 1715. §. *Quod verò Olimpia cor. R.P.D. meo Falconerio*, verùm, & certiùs, quia ita per expreſſum pactum in eodem inſtrumento cautum erat, ut quatenùs alii comparerent creditores, qui deſcriptos excluderent, illi, non verò deſcripti eſſent ab emptrice cum dicta rata ſcut. 6208. dimittendi; undè ſi eos
3 cum effectu dimiſit, uſquequò dicta rata penitùs conſumpta fuit, nullò modo poteſt ab aliis poſterioribus conveniri, ut aliàs dixit *Rota in Maceraten., ſeu Senogallien. Cenſus* 14. *Martii* 1714. §. *Prætermiſſis*, & §. *In nihilo relevante cor. R.P.D. meo Criſpo*, & *magis in puncto in Romana Pecuniaria* 27. *Martii* 1716. §. *Neque verò cor. Me.*

Qua-

Quatenùs verò actio contra hæreditatem Magdalenę deſumi contendebatur, ex eo, quod in ejus manibus remanſerit reſiduum pretii bonorum ab Heſchinardis venditorum, tamquam capitale annuarum præſtationum debitarum quatuor Monialibus quouſque viverent, & in hac quoque parte objectum ceſſare videbatur ex facto, quia ſequuta poſtmodùm eorumdem bonorum venditione favore Aloyſii Benedellii, dum adhuc Moniales, & Julia Tinta in humanis verſabantur, propter obſtaculum plurium inhibitionum ab ipſa Corrada obtentarum, Magdalena venditrix, numquam potuit conſequi ratam pretii correſpondentem prædictis capitalibus, quin imò illa de mandato Judicis remanſit penès memoratum Benedellium ad effectum inveſtiendi, & ſolvendi annua ſcut. 95. dictis Monialibus quouſque viverent, ſequuto verò illarum obitu ad effectum dimittendi creditores fratrum de Heſchinardis, prout diſponebatur in inſtrumento primæ venditio-
4 nis anni 1661. Quamobrem nemo non videt quod ex hoc capite nulla poteſt actio competere hæredibus Corradę contra hęreditatem Magdalenę, dum capitalia prædicta propter obicem, & factum ipſius Corradæ numquam ad iſtius manus pervenerunt §. *Omnium autem inſtitut. de action.*, *& ibi gloſſ. verb. poſſideat, l. qui ſervum §. In jure ff. de interrogat.*, *Rot. dec. 23. num. 18., & dec. 256. n. 6. cor. Bich.*

Ex facto pariter corruere viſum fuit aliud fundamentum Actorum, quod nempè Magdalena in ſecundo inſtrumento venditionis celebratæ cum Benedellio ſeſe obligaverit ſolvere ex pretio bonorum venditorum debita fratrum de Heſchinardis, uſque ad ſummam ſcut 8600., & ſic quod non ſufficiat ipſam ſolviſſe ſcut. 6208. ad hunc effectum deſtinata in primo contractu anni 1661., ſed ſolvere etiam debeat in eamdem cauſam alia ſcuta 2400. pro adimplemento obligationis ſuſceptæ in hoc ſecundo contractu. Perlecta enim apoca dictę ſecundæ venditionis, quę deindè redacta fuit in publicum inſtrumentum, ſtatim apparuit dictam conventionem loqui de ſolvendis debitis propriis ipſius Magdalenæ, non verò fratrum de Heſchinardis, ut ad litteram probant verba illa -- *delli quali eſſa Sig. Maddalena debba pagare tutti li debiti, che eſſa Signora hà con*
5 *diverſe perſone*; -- undè ſicuti ex his nulla inducta fuit obligatio reſpectu creditorum fratrum de Heſchinardis, ita è converſo nulla iiſdem creditoribus actio quæri potuit contra Magdalenam §. *Primo inſtit. de verb. oblig.*, *gloſſ. in verb. Supereſt inſtit. de act. in princip.*, *Rot. dec. 35. n. 5. cor. bo. me. Benincaſa.*

Sed certiùs hæc omnia procedere cenſuerunt Domini aſſumpto examine poſterioris dubii partis, attenta videlicet concordia inter actores & hæredes Magdalenæ celebrata anno 1707., per quam illi probè agnoſcentes, nullam ſibi actionem adversùs iſtos competere, cum ipſis pepigerunt, ut junctis viribus lis jam capta cum Benedellio ad exitum perduceretur ad effectum recuperandi ex ejus manibus capitalia, quæ penes ipſum ex Judicis ſententia remanſerant, eaque ſucceſſivè inter ipſos contranſigentes dividendi æquis portionibus in ſatisfactionem creditorum, quæ utraque pars habet contra hæreditatem fratrum de Heſchinardis. Quamvis enim ad-
6 versùs ejuſmodi concordiam exciperetur per Actores de læſione, & errore, perpenſis tamen juribus utriuſque partis, illa potiùs viſa fuit admodùm utilis, & proficua, & per conſequens omnino ſervanda, *l. ſi quis major Cod. de tranſact.*, *Rot. cor. Merlin. dec. 767. n. 13.*, *& in Tudertina Tranſactionis 25. Januarii 1706. §. Fortiùs autem coram R.mo Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore*, *& in Firmana Primogeniturę ſuper tranſactione 5. Februarii 1714. §. Quanto potiori coram Me.*

7 Et ſanè prætermiſſo timore imminentis litis ex quo ſolo juſtam, & exuberantem tranſigendi cauſam exoriri dixit *Rota in Romana Pecuniaria, ſeu Tranſactionis 20. Junii 1702. §. Adversùs, & ſeqq. cor. R.mo Anſaldo Decano, & in Firmana Commendæ 27. Martii 1715. §. Quod verò, & in Romana Dotis 3. Junii ejuſdem anni §. Quin juſto coram Me.* Illud utique certum eſt, quod licèt
8 utraque Pars eſſet creditrix fratrum de Heſchinardis, valdè tamen dubium erat, an hęredes Annę Corradæ poſſent ſe dirigere pro conſequenda ſuorum creditorum ſatisfactione contra capitalia exiſtentia penès Benedellium in concurſu hæredum Magdalenæ, cujus favore cautum fuerat in primo inſtrumẽto venditionis anni 1661., quod rata pars pretii ſucceſſivè à Benedellio ſecundo emptore inveſtiti in dd. Capitalibus ab ipſo die celebrati primi inſtrumenti, cedere deberet in extinctionem, & compenſationem creditorum ipſius Magdalenę primæ emptricis, ſicuti enim tunc in præjudicium ejuſdem Annæ, quamvis creditricis anterioris ſolvere potuiſſent fratres de Heſchinardis communes debitores debitum contractum cum Magdalena ex pretio bonorum ipſi venditorum, ita quoque ea compenſare potuiſſe videbantur, dum nulla tunc aderat creditorum anteriorum monitio, vel Judicis inhibitio *l. deferre §. ultimo, & ibi communiter ſcribentes ff. de Jure Fiſci*, *Samminiat. cont. 29. n. 9.*, *Rot. poſt Merlin. de pign. dec. 107. n. 10.*, *& in Avenionen. concurſus 6. Junii 1707. §. Non obſtante cor. Eminent. Priolo*, *& in Romana Pecuniaria 27. Martii 1716. Verùm præterea coram Me.*

Neque ad tollendam ejuſmodi dubietatem ſatis erat ea animadverſio ab Actoribus propoſita, quod compenſatio in ipſo die celebrati primi inſtrumenti perfici non potuerit propter dilatam eiuſdem executionem poſt obitum Monialium, & Juliæ Tintæ, quo intermedio tempore plures ſupervenerunt inibitiones à Corrada obtentæ, tamquam credi-

9 creditrice anteriore; vim namque faciebat reſponſio, quod dilatio temporis, cui ſe ſuppoſuit Magdalena, apta non erat officere ſubſtantiæ d. compenſationis nunc pro tunc, & quando vita cederent dd. Moniales, & Julia ab initio ſtabilitæ, etiam cum expreſſo pacto, quod ſuper dictis capitalibus ad eum effectum penès Magdalenam remanſuris nullum ius, ſeu actio alicui alteri perſonæ, quæri poſſet, perindè, ac ſi ipſæ pecuniæ eidem Magdalenæ realiter & cum effectu ſolutæ ab initio fuiſſent, ex deductis per *Merlin. de pignor. lib. 2. q. 33. in fin., Card. de Luc. de regal. diſc. 26. n. 7., & diſc. 116. nu. 2., Samminiat. d. contr. 29. ex n. 9., Capyc. latr. dec. 25. nu. 27., & ſeqq., Rot. d. dec. 107. n. 10. poſt Merlin. de pignor., & in d. Avenionen. concurſus §. Non obſtat cor. Eminent. D. Card. Priolo.*

His itaque ita ſe habentibus, quamquam DD. nihil determinare voluerint circa arti-
10 culum compenſationis, cenſuerunt tamen illius dubietatem exuberare ad effectum ſubſtinendæ concordiæ, quam propterea in ſecunda reſcripti parte ſervandam eſſe reſponderunt. Utraque &c.

VITERBIEN. CAPELLANIÆ.

Lunę 15. Martii 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria in parte alterius deciſionis ſub die 26. Junii 1716., ubi fuſius habes argumentum.

Juspatronatus exiſtens in Eccleſia feudi nunquam illi annexum pręſumitur, & ideo contrarium aſſerenti probandi annexionem onus ineſt. Juspatronatus dicitur honorificum, & de juribus hæreditariis, cum legitimarius ſimplex nunquam in eo ſuccedere poſſit. Ex quibus verò probetur talis diſtinctio à feudo, diſtinctè explicat præſens.

SUMMARIUM.

1 *Jus patronatus tranſit in dominium hæredis univerſalis, nunquam verò hæredis particularis, &* num. 3.

2 *Legitima eſt quota bonorum, non hæreditatis, & legitimarius dicitur particularis ſucceſſor.*

3 *Juſpatronatus eſt jus honorificum, & eſt de juribus hæreditariis,* & num. 1.

4 *Juspatronatus connexum feudo, ad illius Baronem tantum pertinet.*

5 *Jus patronatus, quod ſit feudo annexum, eſt probandum, aliàs è contra iudicatur.*

6 *Jus patronatus non dicitur annexum feudo, ex quo fundator in erectione ſe Baronem feudi dixiſſet, quia talis denominatio demonſtrativè tantum ſe habet.*

7 *Amplia, ut neque in caſu, quo in inſtrumento fundationis aſſignata fuiſſet illius Capellanis portio panis, & vini ex menſa Domini, fuiſſet injuncta reſidentia., ac onus colendi viridarium propriis ſumptibus; Et ad quid appellatio* Domini *ſit referenda.*

8 *Celebratio Sacri quando dicatur de obligatione poſitiva Capellanis iniuncta, & quando ſecus ex mente fundatoris.*

9 Dictio ultra, *eſt diſtinctiva, & extenſiva diſpoſitionis.*

10 *Jus patronatus fundatum pro hæredibus, & ſucceſſoribus, intelligitur de univerſalibus, nec ad hæredes particulares reſtringitur.*

11 *Quod ſit hęreditariam, & à feudo disiunctum, ad quod ſucceſſor particularis vocaretur, deducitur ex quo fundator pro dote non aſſignaſſet bona feudalia, ſed libera, & disjuncta, quæ de cætero ad hæredes univerſales, & non ad hæredes feudi eſſent tranſitoria.*

12 *Amplia, ſi ex obſervantia pateret, quod hæres univerſalis in caſu vacationis præſentaſſet, & non Baro Feudi, alioſque actus dominii indicativos geſſiſſet, eodem Barone non reclamante,* & num. 15.

13 *Subamplia, ſi in actu venditionis feudi de jure patronatus nulla mentio fuiſſet facta, & è contra hęres particularis in venditione bonorum allodialium eam compręhendiſſet*, & num. ſequ.

15 *Obſervantia uniformis, & longeva attendenda eſt, & ex lęvibus coniecturis eliditur.*

16 *Onus manutenendi Capellanos, ſpectat ad hæredes univerſales, ad quos pertinet jus patronatus, & non ad particularem ſuper iſto nullum jus habentem.*

17 *Filius non poteſt de bonis paternis minùs ſua legitima conſequi.*

18 *Incommodum non ſequitur commodum non ſenſientem.*

DECISIO MIII.

Suppoſitis hodiè novo examini fundamentis deciſionis editæ coram Me die 26. Junii ſuperioris anni, per quam in contumaciam D. Principis Gaſparis de Alteriis declaratum fuerat, *conſtare de jurepatronatus favore D. Hieronymi ejus filii, atque ab eo deberi aſſignamentum Cappellanis pro duabus ex tribus partibus; pro reliqua verò tertia parte deberi à D. Principe Gaſpare*, DD. illam approbarunt quoad pertinentiam jurisſpatronatus, ſed in alium ſenſum abeuntes quoad emolumentum Cappellanorum, cenſuerunt illud in totum deberi à D. Hieronymo, atque ideo reſcripſerunt -- *Standum eſſe in deciſis juxtà modum.*

Enim verò in eo, quod attinet ad controverſum juſpatronatus firmitèr ſubſiſtere viſum fuit fundamentum illud præteritæ deci-
1 ſionis, quod cum agatur de jurepatronatus hæreditario tranſlato per Marchionem Antonium, & Cardinalem Andream de S. Cruce hæredes Scipionis Fundatoris in clar. me. Principem D. Angelum de Alteriis pręvia licentia, & approbatione ſpeciali ſa. mem. Clementis X., utique illud poſt obitum ejuſdem

dem Principis tranſire debuit in D. Hieronymum ipſius ex filio nepotem, & univerſalem hæredem in Teſtamento inſtitutum, *cap. 1. de jurepatr., Clem. plures*, & ibi *Gloſſ., & Scribentes eodem tit.*, cum aliis concordantibus, de quibus *Rota coram Emerix Jun. dec. 885. num. 2., & 3.*, non obſtante, quod D. Princeps Gaſpar tanquam filius memorati Principis Angeli obtinuerit ſibi aſſignari per Judices compromiſſarios in cauſam legitimæ tertiam partem bonorum, & jurium ſub illius hæreditate cadentium: Nam ut præcisè reſponſum fuit in deciſione cauſæ §. *Atque*
2 *ex his*, legitima, eſt quota bonorum, non hereditatis, & legitimarius cenſetur ſolum parti-
3 cularis Succeſſor; undè iura honorifica, & Patronatus cum ſint jura hæreditaria in eum non tranſeunt, ſed remanent cum ipſa hereditate penès hæredem univerſalem, ut articulo formiter diſcuſſo aliàs reſpondit *Rot. deciſ. 413., & deciſ. 560. num. 1., & 2. par. 12. rec., & deciſ. 3. num. 27., & ſeqq. cor. Ottbobon., & dec. 9. num. 14, & dec. 11. num. 17. coram bo. me. Benincaſa*, cum quibus omninò conſonat *dec. 367. num. 1. coram Emerix Jun.*, ubi concordantes.

Prout etiam neque obſtare viſum fuit aliud obiectum, ſuper quo acriter inſiſtebant
4 defenſores D. Principis, quod nimirùm juſpatronatus controverſum ſit annexum Caſtro Viani, ac proindè non ad alium pertinere poſſit, quam ad ipſum D. Principem unicum illius poſſeſſorem ex cenſura *Text. in cap. Ex literis*, ubi communiter Scriben-
5 tes *de jurepatr.*; præmiſſa enim certiſſima illa juris concluſione, quod ejuſmodi annexio plenè, & concludenter ab allegante ſit probanda, etiam quando agitur de beneficiis ſitis, ut in caſu, intra Caſtrum, vel in ejus Territorio, aliàs contra ipſum judicandum veniat, ut communiter firmant Doctores *ſuper eodem cap. Ex litteris*, & præſertim *Barboſ. num. 2., Lotter. de re Benefic. lib. 2. quæſt. 9. num. 54., Rot. coram Mantic. deciſ. 164. nu. 2., & deciſ. 198. num. 4., & coram Emerix deciſ. 885. num. 10., & ſeqq., & in Compoſtellana Parochialis de Pardeſſoa 2. Julii 1710. §. Primogeniali coram R.P.D. meo Falconerio, & 22. Junii 1711. §. Atque ex his coram Rmo Anſaldo*; Domini in hypotheſi animadvertebant illam non ſatis probari; imò potiùs excludi ex pluribus facti circumſtantiis relatis in antecedenti deciſione §. *Abſque eo quod, & ſeqq.*

Et ſanè omiſſis iis, quæ ad hunc effectum deducebantur ex Teſtamento poſteà condito ab eodem Scipione tanquam non aptis alterare qualitatem beneficiorum jam priùs erectorum, quatenùs aſſerta annexio deſumebatur ex eo, quod Scipio de S.Cruce Cappellaniarum Fundator eſſet Dominus, & Poſſeſſor dicti Caſtri, ac talem ſe enunciaverit in inſtrumento fundationis, plana occur-
6 rebat reſponſio, quod cum ipſe non expreſſerit ſe fundare tanquam Baronem, & Dominum dicti Feudi, ſimplex enunciativa ejuſmodi dignitatis cenſetur demonſtrativè appoſita ad deſignandum gradum, & prerogativam ipſius Fundatoris, proùt de facto in eodem inſtrumento legitur quoque appoſitus titulus Epiſcopi Cervienſis, & ſic apta non eſt operari effectum aſſertæ annexionis, *Lotter. dicta quæſt. 9. num. 56., & 57., Rot. deciſ. 53. num. 4 in fine par. 1. recent., & coram Emerix dicta deciſ. 885. num. 15., & in dicta Compoſtellana Parochialis de Pardeſſoa §. Primogeniali coram R. P. D. meo Falconerio.*

Quatenùs verò eadem annexio argueba-
7 tur, ex quo in dicto inſtrumento fundationis aſſignata fuerit Cappellanis portio panis, & vini de *Menſa Domini*, atque injunctum onus habitandi in Palatio, & extrà ipſum non pernoctandi ſine licentia *Domini*, colendique Viridarium ſumptibus Patroni, ejuſque fructus, & uvas cuſtodiendi pariter pro *Domino*; argumentum diluebatur ex eo, quod illa toties repetita *Domini* appellatio non erat perneceſſe referenda ad dominium Caſtri, ſed commodè intelligi poterat de dominio ipſius Palatii, in quo continuo habitare, & Viridarii, quod colere debebant Cappellani, quod ſatis eſt, ut probatio exindè deſumpta dubia, & æquivoca reddatur, atque ideò attendenda non veniat, *Rot. deciſ. 77. num. 8. par. 14., & deciſ. 19. num. 6. par. 18, & cor. Cerro deciſ. 493. num. 9.*

Omninò autem inſubſiſtens erat aliud ſuppoſitum, quod Fundator mandaverit celebrari Miſſam à Cappellanis hora, & loco à Barone præſcribendis, quodque Cappellani
8 appellarentur Cappellani Baronis. Quamvis enim in dicta fundatione cautum fuerit, quod volente aliquo ex dictis Cappellanis ſacrum peragere, tradatur illi pro quocumque ſacro certa, ac determinata eleemoſyna, juxtà qualitatem dierum Feſtorum, vel Ferialium, quodque ea Miſſa ſit ultrà Miſſam celebrari debitam à Parocho, & reſpectivè à Cappellano Dominorum; hic tamen loquendi modus, neque ullam inducit celebrandi obligationem, ſed potiùs eam excludit, ex deductis per *Rot. coram Seraph. deciſ. 39. nu. 3., & cor. Pentinger. deciſ. 53. num. 69., & in*
9 *Recent. dec. 27. num. 3. par. 19.*, neque præſefert, quod Cappellani denominentur Cappellani Dominorum, quinimmò illos ab illis omninò ſeparat, ac diſtinguit virtute illius dictionis *ultrà*, de qua *Rota deciſ. 15. nu. 7. par. 12., & dec. 418. n. 5. par. 19. recent.*

Sed certiùs hæc omnia procedere videbantur, quia in excluſionem aſſertæ annexionis plura concurrunt validiſſima argumenta deſumpta ex viſceribus ipſius fundationis, &
10 ſubſequuta uniformi obſervantia. Ac primò quidem ſe offert reſervatio jurispatronatus, quæ expreſsè legitur facta *pro hæredibus, & ſucceſſoribus quibuſcumque*, ac proindè neceſſariò comprehendit heredes, & ſucceſſores univerſales, neque ullo pacto reſtringi poteſt ad ſucceſſores in Feudo, qui ſunt ſucceſſores bonorum particularium, ut aliàs in propoſito dixit

dixit *Rot. deciſ.70. num.16. par.12., dec. 413. num.11. par.18.*, & magis in puncto *coram Emerix dicta deciſ. 885. num. 12.* Secundò
11 hoc ipſum comprobat alia valdè notabilis reflexio, quod pro dote dictarum Cappellaniarum non quidem bona feudalia aſſignata fuerunt, ſed cenſus liber, & proprius ipſius Fundatoris, & ad eum pertinens non tanquam Baronem, ſed uti privatam perſonam: Undè eo magis Juſpatronatus dici nequit annexum Caſtro, & acquiſitum Baroni, ſed potiùs cenſeri debet hæreditarium, & aptum tranſire in eos, in quos Bona pro illarum dote aſſignata tranſiiſſent, ſi pro tali dote collata non fuiſſent, *Rot. deciſ 299. nu.10. par. 16., & deciſ 19. num.5. par.18., & deciſ.662. num.19. in fine par. 19. recent., & in dicta Compoſtellana Parochialis de Pardeſſoa 2. Julii 1710. §. Quæ ſanè in fine cor. R. P. D. meo Falconerio.*

12 Denique ità declaravit ſubſequuta obſervantia; antequam enim Caſtrum, & Bona allodialia in eo exiſtentia in poteſtatem Principis Angeli devenirent, illa diviſim à duobus Dominis poſſidebantur; Caſtrum nempè cum juriſdictione Territoriali à Domo Urſina vigore ceſſionis per ipſam reportatæ à Camera Apoſtolica, quæ propter quoddam delictum Honufrii Sanctacrucii illud Fiſco addixerat; Arx verò, ſivè Palatium cum cæteris Bonis allodialibus ab ipſa Familia Sanctacrucia: Occurrentibus autem hoc tempore vacationibus dictarum Cappellaniarum, hæc ſolum ad illas præſentavit, imò quod notabilius eſt unam ex illis anno 1663. ad Caſtrum Petræ Fortis auctoritate Apoſtolica tranſtulit videntibus, & patientibus Urſinis ejuſdem Caſtri Viani Poſſeſſoribus. Ulterius quando iidem Urſini
13 Caſtrum cum juriſdictione vendiderunt Principi Angelo, nulla fuit facta mentio de dicto Jurepatronatus; Et è converſò cum Marchio Antonius de S. Cruce Arcem, ſivè Palatium cum cæteris bonis allodialibus eidem Principi vendidit, expreſſis, diſſertiſque verbis ceſſum quoque ac translatum fuit in eundem Principem Juſpatronatus dictarum Cappellaniarum, illa excepta, quæ ad Caſtrum Petræ Fortis jam pridem translata fuerat; Et
14 ſucceſſivè, idem Princeps emptor, occurrentibus vacationibus nominando, & præſentando ad dictas Cappellanias ſemper aſſeruit illas olim fuiſſe de Jurepatronatus DD. de S. Cruce, nunc verò ad ipſum, & ejus hæredes pertinere vigore ejus inſtrumenti, quo mediante venditio bonorum allodialium ce-
15 lebrata fuerat. Quamobrem hac ſtantè adeò præciſa, uniformi, ac longa obſervantia dictæ annexionis excluſiva, nemo non videt, quam durum ſit illam hodiè prætendere ſub debili obtentu quarumdam levium conjecturarum, ut in ſpecie reſpondit *Rot. deciſ. 314. ſub num.4. par.4., & deciſ.70. nu.16., & 17. par. 12., & deciſ.19. num.7. par.19. rec.*

Firmata itaque ex hactenus deductis pertinentia Juriſpatronatus favore D. Hieronymi, ac tranſeundo ad aliam reſolutionis partem reſpicientem aſſignamentum Cappellanorum, quamvis DD. in præterita cauſæ propoſitione crediderint, illud pro tertia parte deberi à D. Principe Gaſpare ſub fundamento, quod illud eſset onus infixum bonis hæreditariis defuncti Principis Angeli illius Patris, quorum tertia pars ab ipſo poſſidetur, ut latius firmat deciſio cauſæ §. *fin.* Hodiè tamen audito D. Principe, factoque meliùs
16 elucidato, cenſuerunt aſſignamentum prædictum in totum deberi Hieronymo, quia revera onus prædictum non eſt infixum bonis poſſeſſis ab eodem D. Principe, ſed eſt onus merè hæreditarium, tanquam ſuſceptum, & accollatum à Principe Angelo in ipſo inſtrumento emptionis bonorum allodialium loco cenſus ab initio aſſignati pro dote dictarum Cappellaniarum, undè omninò pertinere debet ab ipſum D. Hieronymum univerſalem hæredem, *leg. unica Cod. ut action. ab hære, & in hæred., Rot. coram Coccin. deciſ. 36. num.4., & coram Dunozett. Jun. deciſ.658. num 15.*, & meliùs *coram Bich. deciſ. 55. nu. 18., & ſeqq.*, non verò ad D. Principem Gaſparem, cui in cauſam legitimæ ipſi debitæ in bonis paternis ex judicio, & ſententia Arbitrorum à Partibus non impugnata certa pars bonorum tradita fuit immunis, & ex-
17 empta ab omnibus oneribus: Undè illi omninò ſtandum eſt, ne aliàs minus ſua legitima conſequatur, ut in puncto dixit *Rot. cor.*
18 *Bich. deciſ 55. num.21., & 22.*, & nullum in Jurepatronatus commodum ſentiens, ſubire debeat incommodum ſolvendi emolumentum Cappellanis, contra regulam *Text. in leg. Secundum naturam, ff. de regul. jur.*, cum aliis notiſſimis concordantibus, de quibus *Rot. deciſ.46. n. 2. par.16., & deciſ. 58. num.1. par.18. rec.*

Et juxtà hunc modum utraque &c.

VITERBIEN. CAPPELLANIÆ SUPER INSTITUTIONE.

Die 15. Martii 1717.

ARGUMENTUM:

Habes in Summario præſenti, & in illo proximè præteritæ deciſionis.

SUMMARIUM.

1 *Jus patronatus dicitur de bonis hæreditariis, & proindè ad hæredem particularem certorum bonorum tantum, quibus non ſit annexum, non tranſit.*

2 *Præſentatus à legitimo patrono, omninò inſtituendus eſt.*

DECISIO MIV.

Cenſuit *Rot. coram Me die 26. Junii* ſuperioris anni dandam eſſe inſtitutionem Joſepho Jani præſentato per D. Hieronymum de Alteriis ad unam ex Cappellaniis erectis à b. m. Scipione Sanctacrucio in Caſtro, & Ter-

Territorio Viani. Hodiè autem cum Dominis conſuluerim, *an ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis*— *In deciſis ſtandum eſſe* reſponderunt.

Ratio reſolutionis innixa fuit iiſdem fundamentis, quibus in altera contemporanea deciſione ſuper bono jure firmatum fuit juſpatronatus dictarum Cappellaniarum non eſſe annexum memorato Caſtro Viani, ac
1 proindè in totum pertinere ad D. Hieronymum tamquam univerſalem hæredem cl. me. Principis Angeli de Alteriis ejus Avi Paterni, excluſo D. Principe Gaſpare Patre, in ſola legitima inſtituto. Indè enim planè conſe-
2 quitur, quod Cappellania, de qua agitur nulli alteri adjudicari poſſit, quam memorato Joſepho, qui à dicto D. Hieronymo præſentatus reperitur, ex juribus plenè cumulatis in antecedenti *dec. per tot., quibus addi poteſt, Rot. in Camerinen. Beneficii* 10. *Maii* 1709. *§. pr. cor. R̃mo Molines generali Hiſpaniarum Inquiſitore, & in Bituntina Juriſpatronatus* 31. *Januarii* 1716. *§. conſtitit cor. R. P. D. meo Foſcaro.*

Et ita utraque &c.

AURIEN. PAROCHIALIS DE ROZAMONDE.

Veneris 16. *Aprilis* 1717.

ARGUMENTUM.

Ante Concilium Tridentinum Epiſcopi non habebant facultatem uniendi Eccleſias. Unio non dicitur de novo facta per hoc, quod in iſto actu Epiſcopus declaraſſet Eccleſiam incorporatam fieri de jurepatronatus Monaſterii incorporantis, quando relativè ad aliam Unionem præcedenter factam ſe haberet, nec per hoc fit novatio, cum unio largo modo juſpatronatus dici poſſit.

SUMMARIUM.

1 *Monaſterium* A. *ſi eſſet unitum Moniſterio* B. *& iſti uniretur Moniſterium* C. *ſequitur quod iſtud Monaſterium* C. *per conſequens dicatur quoque unitum Moniſterio* A.

2 *Unio, & incorporatio Eccleſiarum ex quibus factæ dignoſcantur.*

3 *Laicus non habet facultatem donandi ſpiritualia, ſed temporalia tantum.*

4 *Limita ſi donatio laici ab Epiſcopo approbaretur.*

5 *Epiſcopi ante Concilium Tridentinum habebant facultatem uniendi Eccleſias.*

6 *Rex Alphonſus Hiſpaniarum ex Indulto Urbani II. potuit unire Eccleſias Monaſteriis, quas de manibus Maurorum recuperavit.*

7 *Unio iſta dicitur facta auctoritate Apoſtolica.*

8 *Unio facta ab Epiſcopo non dicitur nova, quando in ejus exequtione, & verbis haberetur relatio ad aliam primævam unionem,* & vide caſum.

9 *Item, ex quo in tali actu Epiſcopus dixiſſet, quod Eccleſia incorporata deberet eſſe de jurepatronatus incorporantis Monaſterii, quia unio dicitur etiam juſpatronatus impropriè, & largo modo, nec talis expreſſio tollit, quo minus adeſſet præventivè altera unio jam facta;* amplia ut in n. 22.

10 *Epiſcopus ſi in actu unionis ſe referat ad aliam præcedentem, licet de jurepatronatus mentionem faceret, intelligitur talis expreſſio, quod verificetur de jure competente vigore primæ unionis, & ad iſtam relativè, & non nova incorporatio.*

11 *Amplia, ſi talis præventiva Unio fuiſſet per Breve Pontificium, vocatis intereſſe habentibus coram exequtore confirmata;* amplia ut in n. 14.

12 *Unio Eccleſiarum non effectuata vivente Pontifice eam concedente, cadit ſub regula* 13. *Cancellariæ unionum revocatoria.*

13 *Limitatur regula, quando concurreret unio præcedenter facta auctoritate ordinaria.*

15 *Sublimitatur, quando eſſet facta pro augumento cultus divini, ſubſtentatione, & conſervatione Monaſterii.*

16 *Obſervantia in claris non attenditur.*

17 *Obſervantia in materia unionum Eccleſiarum multum operatur.*

18 *Conſenſus in reſignatione Vicariæ Præſtitus ab Abbate Monaſterii eſt idem, ac ſi ipſe nominaſſet, ſeu novam dignitatem erexiſſet.*

19 *Obſervantia diſumpta ex actibus litigioſis nullam vim facit.*

20 *Jus tam in petitorio, quam in poſſeſſorio remanet ſervatum, ſi poſſeſſor moleſtias ſemper ſuper poſſeſſione paſſus fuiſſet.*

21 *Actus dicuntur facti mala fide, & infecti remanent, ſi poſt ſententiam contrariam in judicatum tranſactam facti eſſent.*

DECISIO MV.

Antiquiſſimam unionem Parochialis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Rozamonde factam uſque de anno 1137. favore Monaſterii S. Pelagii per glo: mem: Alphonſum VIII. Hiſpaniarum Regem, occaſione qua Compoſtellanam Civitatem, & adiacentia loca ab impia Maurorum invaſione recuperaverat, cum aſſenſu Didaci tunc Archiepiſcopi Compoſtellani, & Martini tunc Epiſcopi Aurienſis, in cujus Diœceſi dicta Eccleſia ſita reperitur, confirmarunt, approbarunt, & renovarunt ſubindè non ſolum alii Epiſcopi Aurienſes, ut præſertim accidit anno 1468., ſed etiam Summus Pontifex ſa. mem. Paulus II. per Bullam datam eodem anno directam pro executione Archidiacono Cathedralis Aurienſis, & de facto, prævio proceſſu, ſervatiſque ſervandis, ſub anno 1471. plenariè executam.

Non defuere tamen, qui multoties illam diverſis prætextibus impugnare ſatagerunt, & præcipuè occaſione vacationum ejuſdem Parochialis, Apoſtolicas proviſiones deſu-

per

per impetrando, ut præ cęteris egit circa annum 1567. Gundiſalvus Coira, circa annum 1631. Joannes Reinaldos, de anno 1667. Julianus de Leuda dicti Joannis Reſignatarius, de anno 1677. Antonius Cerbela, & demùm de anno 1698. Didacus Roxel de Loxada pariter præfati Antonii Reſignatarius. Quorum omnium ratione Abbas Monaſterii S. Martini Compoſtellæ, cui ſimiliter reperitur unitum auctoritate Apoſtolica aliud ſupradictum Monaſterium Sancti Pelagii habens ſibi annexam, & incorporatam, ut dictum fuit, Eccleſiam Sanctę Mariæ de Rozamonde, coactus fuit plures lites coram diverſis Judicibus ad tuitionem ſui juris aſſumere, & inter cætera opus habuit contra dictum Coiram uſque ab initio iſtius controverſię judicium inſtruere coram Conſervatore auctoritate Apoſtolica pro Monaſteriis Congregationis Valliſoletanæ Ordinis Sancti Benedicti Compoſtellæ deputato, à quo cum Voto Conſultoris, ſivè Aſſeſſoris aſſumpti, Sententiam favorabilem 10. Octobris 1577. reportavit pro dimiſſione Parochialis, & reſtitutione fructuum perceptorum ab eodem Coira facienda; & licet ſubindè ad impugnandam hujuſmodi ſententiam comparuerit, proteſtans de nullitate, & appellatione, Petrus de Tricio tamquam de Parochiali proviſus à Ferdinando tunc Epiſcopo Aurienſi, tamen nihil ulterius ab hoc actum fuiſſe hactenus conſtat.

Hujus Sententiæ executio petita fuit anno 1599. contra Petrum della Camera, cui aliàs in concurſu approbato, fuerat eadem Parochialis in adminiſtrationem conceſſa per Ordinarium, & de anno 1631. etiam contra Joannem Reinaldos aſſertum Proviſum Apoſtolicum, & ſemper ſucceſſivè contra dictos alios Proviſos, vel à Sancta Sede, vel ab Ordinario, modò coram ipſo Epiſcopo Aurien., modò coram Judice Delegato Apoſtolico, modò coram Metropolitano, & demum coram Reverendiſſimo Hiſpaniarum Nuncio; ſed in cauſa nihil unquam formitèr determinatum fuit, cum aut impugnata juriſdictione, aut aliis præſtitis impedimentis, & præcipuè ratione mutationis perſonarum, reſpectu obtinentium eamdem Parochialem, id aſſequi Monaſterium non potuerit; & quia fuit poſtremo loco coram dicto Hiſpaniarum Nuncio decretum, quod coram Metropolitano, proùt iſte quoque antea cenſuerat, omninò cauſa examinaretur, novam indè appellandi occaſionem deſumpſerunt unitim contra Monaſterium procedentes Promothor Fiſcalis, Capitulum, & Archidiaconus Cathedralis Eccleſię Aurienſis, cauſam committi curarunt uſque de anno 1700. huic Sacro Tribunali coram bon. me. Jacometto: cui ſubindè ſuffectus fuit bon. mem. Caffarellus, & huic ſucceſſivè ſubrogatus extitit Eminentiſſimus Dominus Card. Scottus, à quo conceſſæ fuerunt literæ Compulſoriales, illarumque vigore compulſata jura, citatis partibus, ad cauſam facientia; & tandem cauſa per novam ſubrogationem mihi delegata, dedi dubium -- *An conſtet de unione* -- In cujus hodierna diſputatione, Monaſterio tantum comparente, Domini *pro informante* reſponderunt.

1 Suppoſita enim unione Monaſterii Sancti Pelagii, Monaſterio Sancti Martini Compoſtellæ, de qua non quæritur, ſequitur conſtare etiam de unione eidem Monaſterio Sancti Martini dictæ Eccleſiæ Parochialis Sanctæ Mariæ de Rozamonde jampridem unitę Monaſterio Sancti Pelagii, proùt conſtitit ex tribus æque validis, ac ſubſiſtentibus titulis. Et primò quidem ex antiqua donatione glo. mem. Alphonſi VIII. Regis Hiſpaniarum, facta ſub Æra 1175., quę juxtà differentiam 38. annorum inter computationem Æræ, qua tunc in Hiſpaniis numerabatur temporum decurſus, & computationem annorum à reparata ſalute, correſpondet anno Domini 1137., prout explicat *P. Perez in ſuis differt. Eccleſ. append. 2. tit. Quoto Anno Epocam. num. 1., & ſeqq. fol. mihi* 356., in qua donatione conceſſit Rex dicto Monaſterio, ejuſque Abbati, & Monacis *non ſolum totam Villam di Rozamonde; ſed etiam Eccleſiam Sanctæ Marię, & utriſque Capti* (ideſt Tenutę, & Territorii) *Homines, & Familias, Terras, hæreditates, & Jura ipſarum Eccleſiarum cùm decimis primitiis ferendis, & directuris Clericalibus, ut cuncta*
2 *habeatis* (ſunt verba ipſius donationis) addita inferiùs alia expreſſione, quod id fieret cum tali obligatione, & onere -- *ut animarum cura, & Sacramentorum adminiſtratio circa ipſarum Eccleſiarum Parochianos, & Fideles Vobis ſemper immineat, deſignando ſemper ad id operis de præfato veſtro Monaſterio, vel aliundè Presbyteros, qui iſta accuratè, & laudabiliter perſolvant* -- quæ ſanè verba plenariam, & incorporativam Eccleſię Parochialis Unionem dubio procùl important, tranſlata in Monaſterium Animarum Cura cum deſignatione Vicarii ex Monaſterio aſſumendo, ſcilicet Regularis, vel aliundè, nempè ſæcularis, ut in terminis aliarum ſimilium donationum factarum per Hiſpaniæ Reges, etiam cum diſpoſitione, & clauſulis minus urgentibus, ſæpè firmatum fuit in *deciſ.* 192 *nu.*4., *deciſ* 212. *num.* 1., & 2. *par.* 7., *deciſ.* 88. *num.* 3. *part.* 9., *deciſ.* 64 *nu.*4., *& ſeq. coram Card. Cerro, deciſ.* 625. *num.* 2. *coram Merlino, deciſ* 947. *n.* 1., & 2. *coram Emerix Junior., & in Tarraconen. Parochialis de Vimbodino* 15. *Januarii* 1706. §. *Fortiùs coram Rmo P. D. meo Anſaldo Decano, & in Compoſtellana Parochialium* 13. *Martii* 1716. §. *Verum*, & §. *Cum enim coram eodem.*

3 Neque obſtat, quod, deficiente in Laico donatore poteſtate quoad Spiritualia, reſtringatur donatio ad temporalia dumtaxat, & ad juſpatronatus; tollitur enim difficultas duplici reſponſione; tum ſcilicèt ex quo
4 acceſſit donationi prædictæ ſubſcriptio non ſolum Didaci Archiepiſcopi Compoſtellani, & alio-

& aliorum Præſulum finitimarum Eccleſia-
rum, ſed etiam in ſpecie Martini tunc Epi-
ſcopi Aurienſis, in cujus Diœceſi ſita eſt Pa-
5 rochialis unita. Undè cum antè Conci-
lium Tridentinum de Jure Sacrorum
Canonum uniendi facultas ad Epiſcopos
pertineret, ad *Text. in cap. expoſuiſti de*
Præben., & in cap ſicut unire de Exceſſ. Præ-
lat., & in præſenti Epiſcopi quoque Conſen-
ſus, & interventus habeatur, utique de vali-
ditate donationis, & unionis etiam quoad
Spiritualia dubitandum non erit, ut in pun-
cto ſimilis donationis ſubſcriptæ pariter à
Diœceſano, dictum fuit in allegata *Compo-*
ſtellana Parochialium 13. *Martii* 1716. §.
Cum enim cor. Reverendiſſimo P. D. meo
6 *Decano*. Tùm etiam ex quo agitur de unio-
ne Eccleſiæ, quam à Saracenorum invaſione
Alphonſus Rex vindicaverat, & reſpectu
hujuſmodi Eccleſiarum vigebat favore Re-
gum Hiſpaniæ Indultum ipſis conceſſum à
ſan: mem: Urbano II. de anno 1095., illas
uniendi favore Monaſteriorum cum ſuis pri-
7 mitiis, & decimis; vigore cujus Privilegii
talis unio dici debet facta etiam auctoritate
Apoſtolica, ut aliàs firmavit *Rot. dec.* 192.
*num.*3., *deciſ.*254. *num.*1. *par.*7. *recent.*, *in*
Tarraconen. Parochialis de Vimbodino 15.
Januarii 1706. § *Fortiùs*, & in mox citata
Compoſtellana Parochialium §. *Verùm cor.*
R.mo P. D. Anſaldo Decano.

Non diſſimilis ſubſiſtentiæ viſus fuit alter
titulus reſultans ex confirmatione præfatæ
unionis facta favore Monaſterii Sancti Pela-
gii per alium Epiſcopum Aurienſem Anno
1468.. Cum enim ex cauſa Bellorum, & ca-
lamitatum, quæ in Hiſpaniæ Regnis circa
duodecimum, & decimum tertium Sæculum
efferuebant, præcedens Unio, occupatis Ec-
cleſiæ unitæ bonis, fuiſſet totaliter interver-
ſa; obtinuit primò Abbas S. Pelagii à Joan-
ne II. Hiſpaniarum Rege reintegrationis
mandatum ad Bona, Villas, & Vaſſallos Mo-
naſterii per aliquos potentiores Magnates
occupata, & deindè aliam ab Epiſcopo Au-
rienſi Eccleſiæ de Rozamonde Unionem, in
8 qua dixit idem Epiſcopus -- *Mandamus ut in*
ea perpetuis futuris temporibus ſit unus per-
petuus Vicarius, Monachus, ſeù Cappella-
nus, juxtà Donationem, & Confirmationem
Sereniſſimi Imperatoris Domini Alphonſi.
Undè etſi videatur locutus de actu novæ
unionis in diſpoſitione, tamen cum habeatur
in ejus executione talis relatio ad primam
donationem, & unionem, dicitur illam vo-
luiſſe reſtituere, ſeù renovare, tollendo in-
terverſionem medio tempore ſequtam, juxtà
animadverſa per *Rotam deciſ.*507. *nu* 3. *par.*
4. *Tom.*3., *& deciſ.*411. *num.*15. *part.*19. *re-*
cent., *& in Mileten. Juriſdictionis* 27. *Ja-*
nuarii 1716. §. *Abſoluto coram R. P. D. meo*
Falconerio.

9 Neque relevat, quod in inſtrumento hu-
juſmodi renovationis unionis enuncietur
per Epiſcopum, quod Parochialis eſſet de
Jurepatronatus Abbatis, & Monaſterii; Ul-
trà quod enim contrarium apparet ex præ-
cedenti Regis Alphonſi unione plenaria, &
incorporativa, ad quam Epiſcopus relatio-
nem habuit, itaut juſpatronatus hujuſmodi
conſiderari ſolum fortaſſe potuerit, tempo-
re quo ex præfata interverſione Monaſte-
rium jure ſuo ſpoliatum fuerat, adhùc cum,
& ipſa unio improprio, & largo modo dicā-
tur Juſpatronatus, non idcircò iſtius expreſ-
ſio tollit, quo minus adeſſet unio vigore præ-
cedentis donationis, dum præſertim de ea
in effectu conſtat, & non de titulo alicujus
10 Juriſpatronatus; undè quando Epiſcopus in
Inſtrumento unionis ſe retulit ad talem do-
nationem, licèt de Jurepatronatus mentio-
nem fecerit; ità tamen ſenſiſſe videri debet,
ut talis expreſſio verificetur de jure compe-
tente vigore unionis, plenè *Rot. deciſ.* 485.
*num.*21. *part.*4. *to.*2. *recent.*, *deciſ.*441. *nu.*
6., *&* 7. *part.*5. *tom* 2., *deciſ.*330. *nu.*24 *par.*
9., *coram Emerix Jun. deciſ.*947. *num.*4, *&*
ſeqq., in allegata *Compoſtellana Parochia-*
lium 13. *Martii* 1716. §. *Conſtabilita coram*
Reverendiſſimo Patre Domino meo Anſal-
do Decano, & in alia *Compoſtellana Paro-*
chialis 11. *Maii ejuſdem anni* §. *Secunda co-*
ram R. P. D. meo Cerro.

11 Reſultat denique tertius titulus ex altera
unione facta per ſa: me: Paulum II. Summum
Pontificem, qui per Bullam datam Anno
1468., prævia narrativa unionis tunc factæ
per Epiſcopum Aurienſem, mandavit Archi-
diacono de Bubala, quod, Vocatis quorum
intererat, ſibique conſtito de narratis, per-
petuò uniret eamdem Parochialem Mona-
ſterio S. Pelagii, cujus vigore idem Archi-
diaconus, prævio Proceſſu, devenit ad actua-
lem unionem cum relaxatione Mandati de
immittendo, adepta ſubindè Poſſeſſione, per
Abbatem executi. Quo ſubſiſtente titulo,
ceſſat omnis ratio dubitandi de exiſtentia
undique validæ, legitimæ, ac perfectæ unio-
nis, *Rota deciſ.*734 *num.*1. *coram Buratto*,
*deciſ.*817. *nu.*1. *coram Merlino*, *deciſ.* 448.
*num.*1. *par.*4. *tom* 2., *& deciſ.*305. *nu.*2. *par.*
11. *recent.*, ac paſſim.

Abſque eo quod objici poſſit, quod talis
12 unio utpotè non effectuata, vivente Paulo
II. (dum iſte obiit 5. Kalendas Auguſti
1471., & poſſeſſio prædicta capta fuit 24. Ju-
nii 1472.) ceciderit *ſub regula* 13. *Cancel-*
lariæ revocatoria unionum, quæ, vivente
Pontifice concedente, non fuerint effectum
ſortitæ. Omiſſis enim aliis reſponſionibus
per informantes deductis, viſum fuit Domi-
13 nis, regulam prædictam in præſenti locum
non habere, tum quia concurrit unio præce-
denter facta auctoritate ordinaria, ex plenè
adductis per *Mandoſ. ſuper Regul. Cancel-*
*lar. Regul.*12. *quæſt.*6. *per tot.*, *Rebuff. ſuper*
eadem Regula §. *Hic revocat &c.*, *Cocchier.*
*ibidem num.*14., *& ante numerum* 16., *Ro-*
ta deciſ. 3. *in principio coram Creſcent. de*
14 *Paroch.*, & quidem relativè ad primævam
unionem Regis Alphonſi, ut dictum fuit ſu-
pra §. *Non diſſimilis*, quam, ſuperventa Pau-

li II. uti illius conſecutiva, non alteravit, ſed illi robur addidit, *Fagnan. in cap. cum contingat num.* 41. *verſ. Neque obſtat de for. competen.*, & in his terminis *Oldrad. conſil.* 257. *num.* 5., *&* 10. *cum ſequ.*, *& per tot.*;

15 Tum etiam quia unio apparet uſque à principio non minus à Rege, quã ab Ordinario, & Papa, facta pro augumento cultus Divini, ſubſtentatione, reparatione, & conſervatiotione Monaſterii, juxta exceptionem, quæ in ipſamet regula continetur, & firmata per *citat. Cocchier. ad eamdem regul.* 12. *num.* 17., *Rota deciſ.* 411. *num.* 4. *coram Cavaler.*, *& deciſ.* 1143. *part.* 3. *lib.* 3. *diverſ.*, *deciſ.* 91. *num.* 2., *& ſeqq.*, *& num.* 26. *part.* 9., *& dec.* 857. *num.* 2. *par.* 18. *rec.*

Conſtito ex his validis, legitimiſque titulis de unione controverſæ Eccleſiæ, non

16 eſſet ſanè ulterius quærendum de obſervantia, quæ in claris non attenditur juxta vulgares regulas, quia tamen, & illa multum

17 in hujuſmodi materiis attendi ſolet, propterea deſcendebant Domini ad illius etiam diſcuſſionem ponderantes, quod favorabilis ea quoque videbatur Monaſterio, dum concurrit illius favore ſtatus pro unione clarus anni 1556., quo tempore in reſignatione Vicariæ ejuſdem Eccleſiæ requiſitus fuit conſenſus Abbatis S. Martini, cui fuerat unitum Monaſterium S. Pelagii, cum expreſſione, quod Eccleſia ſpectabat ad Abbatem, & Monaſte-

18 rium, qui ſanè conſenſus iſto caſu ſtat loco nominationis, ſeu deputationis, quæ Abbati competit in unitis Monaſterio, *Text. in cap. admonet de renunc.*, *Rota deciſ* 485. *nu.* 22. *par* 4. *tom.* 2., *& deciſ.* 947. *num.* 4 *coram Emerix Jun.*

Et quamvis poſtea Parochialis, ab anno ſcilicet 1567. provideri cæperit liberè tamquam de Jurepatronatus, aut per Ordinarium, aut per S. Sedem, conſtat tamen, quod nullus ex his poſterioribus Statibus fuit ullo modo pacificus, dum Monaſterium illos à principio cæpit contradicere, litemque deſuper intentavit, quam ſubindè continuis actibus, ac nunquam intermiſſis uſque ad hæc

19 tempora proſequutum fuit, undè cum actus omnes, ex quibus obſervantia contra unionem deduci poſſet, fuerint litigioſi, nullo modo veniunt attendendi, *Rota deciſ.* 63. *num.* 26. *par.* 19. *recent.*, *in Imolen. Juriſpatronatus* 27. *Januarii* 1710. §. *Abſque eo quod coram Me, in Burgen. Juris viſitandi de Bribieſca* 22. *Junii* 1714. §. *Cæteri cor. Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto*, *& in Burgen. Jurium Parochialium* 11. *Decembris anni elapſi* §. *Fruſtrà cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Immò duo reſultant ex hujuſmodi lite favore Monaſterii; Alterum quod ejus vi-

20 gore conſervatum fuit omne jus tam in poſſeſſorio, quam in petitorio, *Rot. deciſ.* 1089. *num.* 3. *coram Seraphin.*, *& deciſ.* 106. *n.* 3., *& ſeqq. coram Merlino*; Alterum quod cum

21 à principio emanaverit ipſius favore ſententia lata per Conſervatorem Compoſtellæ, in qua canonizata extitit unio cum condemnatione Proviſi ad dimittendam Parochialem, omnes contrarii ſtatus infecti remanſerunt, & nulli, tamquam facti mala fide, poſt ſententiam tranſactam in Judicatum, *Rota in cit. Burgen. Juris viſitandi de Bribieſca* 22. *Junii* 1714. §. *Deſcendendo coram Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto*, *&* 11. *Januarii* 1715. §. *Quo verò cum ſeqq. coram R. P. D. meo Cerro.*

22 Multoque minus relevant enunciativæ Ordinariorum in viſitationibus, quæ referunt Eccleſiam unitam de jurepatronatus tantum Monaſterii; vel enim intelligi debent, ut ſupra dictum fuit §. *Neque relevat* de Patronatu improprio competente vigore ipſius unionis; vel conſtito, prout hic, ex præmiſſis titulis de ipſa unione, dici debent erroneæ, *Rota in Gerunden. Hebdomadariæ coram bo. me. Urſino*, *& in Novarien. Portionum coram Rm̃o Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore*, impreſſ. *ad ornatum Card. de Luca de Beneſic. deciſ.* 27. *num.* 18., *& deciſ.* 29. *num.* 11., *& in Compoſtellana Parochialis* 11. *Maii* 1716. §. *fin. coram R. P. D meo Cerro.*

Et ità, cæteris Collitigantibus pluries monitis, ſed non comparentibus, reſponſum fuit, altera tantum &c.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 10. *Aprilis* 1717.

ARGUMENTUM.

Debitor coobligatus cum altero, quando ſui favore, ne dum crediti ceſsionem à ſuo creditore extinctivè, verùm etiam tranſlativè reportaſſet, non ſimplicem ſui liberationem obtinuiſſe dicitur à creditore, ſed effectivam jurium exercibilium ceſſionem adversùs alterum correum debendi, & ſolidaliter coobligatum ceſſionarius, quando principaliter obligatos pulſaſſet, non tenetur adversùs remotum, & de ſecundario iteresse habentem judicium renovare.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio*, *neceſſariis probatis extremis*, *ſemper conceditur*, *& quæ iſta ſint.*

2 *Immiſſio ſemper datur pro credito anteriori adversùs tertium titulo poſteriori bona occupantem.*

3 *Ceſſionarius in omnibus cedentem repræſentat*, *illi uſque jura fovet*, & n. 16.

4 *Ceſſio jurium tranſlativè*, *& non extinctivè à creditore favore ſui debitoris facta non cauſat ſimplicem extinctionem debiti*, *ſed parit etiam effectivam ceſſionem jurium adversùs debitorem ceſſum exercibilium.*

5 *Amplia*, *ſi cedens dixiſſet*, *quod ceſſionarius ſua jura poſſet adversùs debitorem ceſſum*, *alioſque quoſcumque tam agendo*, *quàm excipiendo experiri.*

6 *Qualitas hæreditaria probanda eſt ab actore contra*

contra tertium pro credito ſui auctoris.

7 *Ceſſionarius agens pro conſequutione crediti ex quibus dignoſcatur ſe nomine hæreditario ſui Auctoris non egiſſe, ſed proprio uti jurium translatarius.*

8 *Qualitas hæreditaria operatur, ut hæres ad debita defuncti etiam in bonis propriis teneatur.*

9 *Hæreditas, quando eſt damnoſa & de aditione non conſtat, ſi hæres ageret, qui alium poſſet fovere titulum, præterquam hæreditarium, actus ab eo geſti referuntur ad illum titulum, & non ad titulum hæreditarium.*

10 *Ceſſionarius, etſi pro ſcutis mille ceſſionem totius crediti reportaſſet, quod de cætero ad ſcuta duo millia aſcenderet, habet actionem pro tota iſta ſumma adversùs debitorem ceſſum, licèt ſcuta mille tantum perſolviſſet*, & vide caſum.

11 *Ceſſionarius (quando cedens ſuas feciſſet diligentias adversùs principalem debitorem ceſſum) non tenetur adversùs eandem eas renovare, antequam contra coobligatum actionem poſſet ſe evertere.*

12 *Diligentiæ dicuntur factæ ad exuberantiam, ſi actor bona debitoris uſque ad prolationem ſententiæ, quam ipſe ſui favore reportaſset, fuiſset perſequutus, & ex quibus aliis actibus ad exuberantiam factę dicantur.*

13 *Amplia, ſi dicta ſententia in judicatum pertranſiviſset, ex quo ſequeretur, ut defectus diligentiarum non eſset apponibilis, niſi prius reſtitutio in integrum reportaretur.*

14 *Sententia de nullitate non redarguitur per hoc, quod creditor in judicium non vocaſſet habentem ſecundarium, & accidentale intereſſe, quando mandatum obtinuiſset pro credito claro adversùs principaliter obligatum.*

15 *Amplia, ſi inter partes fuiſset per caput ſeparatum conventum, quod facienda eſsent diligentię adversùs principaliter obligatum pro majori cauthela, in caſu, quo alia bona iſtius reperiretur.*

17 *Ceſſionarius crediti clari non cadit ſub diſpoſitione legis* per diverſas.

DECISIO MVI.

PRo credito tam capitalis, quàm fructuum Societatis officii contractæ uſque de anno 1639. per bon. me. R. P. D. Laurentium de Maximis Marſorum Epiſcopum favore Marchionis Pauli de Maccaranis cum ſolidali obligatione Mutii ſenioris de Cajetanis, obtinuit idem creditor in Tribunali A.C. de an. 1665. mandatum executivum contra bona hæreditaria d. Mutii in ſumma ſcut. 6180., illudque ſubinde curavit exequi ſuper medietate Caſtri Turris poſſeſſa per eundem Mutium, reportata à Congregatione Baronum tranſmiſſione Commiſſarii, & obtento à Sacra Rota favorabili decreto pro ſubhaſtatione, prę viis deciſionibus editis ſub titulo Romana Caſtri Turris 22. Martii 1706, & 4. Februarii 1707. coram Reverendiſſimo Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore.

Agnoſcens autem Marchio Sylvius præfati Pauli Succeſſor, quod ex medietate dicti Caſtri ſuum creditum non erat integrè conſequuturus, quodque ejus pretium recipere debebat cum vinculis, & periculis evictionis, melius, utiliuſque duxit cum DD. Co. Mutio juniore, aliiſque fratribus de Cajetanis poſſeſſoribus integri Caſtri Turris ex juribus antiquorum fideicommiſſorum tranſigere, prout de facto contigit, ſtipulato publico inſtrumento, in quo pro ſatisfactione prędictorum ſcutorum 6180. conſenſit creari in ſui favorem à fratribus de Cajetanis cambium ſcutorum 2500. ad rationem ſcutorum trium pro quolibet centenario, & anno, facta iiſdem intuitu hujus tranſactionis & cambii translativè, & non extinctivè ampliſſima ceſſione jurium, ſibi quomodolibet competentium contra bona hæreditaria Mutii ſenioris de Cajetanis etiam exiſtentia penès tertios poſſeſſores pro tota & integra prædicta ſumma ſcutorum 6180., & cum pleniſſima facultate eiſdem juribus utendi tam agendo, quàm excipiendo, aliiſque pluribus additis pactis, & conventionibus.

Utentes itaque dicti Comites de Cajetanis iſta jurium ceſſione, cum inter cætera bona hæreditaria Mutii ſenioris reperiretur domus detenta vigore Salviani per Paulum Antoninū pro credito cenſus impoſiti ab eodem Mutio anno 1642., & ſic poſteriore credito Societatis ipſis ceſſo à Marchione Maccarano, judicium Salviani pariter inſtruxerunt contra dictum Antoninum in Tribunali A.C., ſed contrariam ſententiam paſſi ſunt, à qua fuit ad ſacrum hoc Auditorium appellatum, cauſaque commiſſa bo. me. Caffarello, diſputatum fuit dubium ſub die 29. Aprilis 1711. -- *An ſit danda immiſſio* --, ſed ob ſuffragiorum paritatem nulla fuit capta reſolutio, idemque accidit in Audientia die 11. Martii 1712. coram Me, in illius locum ſubrogato; reſcribentibus Dominis -- *Iterùm proponatur, & videat quintus & ſextus*; -- quibus tandem hodie ſuffragantibus, fuit reſponſum *affirmativè*.

1 Suppoſitis enim requiſitis in hoc Judicio neceſſariis, credito nempe cum hypotheca ex inſtrumentis Societatis Officii, & præ recenſitæ tranſactionis pleniſſimè reſultante, poſſeſſione antiqua Mutii communis debitoris ex ipſo facto Antonini, qui in domum pro alio debito per illum contracto ſe fecit immitti, & poſſeſſione ejuſdem Antonini nequaquam controverſa, non poterat immiſſio Comitibus de Cajetanis denegari, ad *Text. in l. 1. ibique gloſ. C. de precar. & Salvian. interdict., & Rot. dec. 59. n. 1., & dec. 446. n. 4. & ſeq. cor. Emer. jun., in Romana Salviani 1. Julii 1712. §. Viſum namque cor. R. P. D. meo Falconerio, & in Fanen. Salviani 19. Januarii 1714. §. Poſſeſſio cor. eodem*, Et quidem ad

2 excluſionem Antonini domum detinentis pro credito Cenſus impoſiti de anno 1642., quia

Marchio Sylvius Maccaranus erat creditor longè anterior pro Societate Officii contracta per Epiſcopum Marſicenſem cum obligatione Mutii ſenioris de Cajetanis, uſque ab
3 anno 1629. Undè ſicut ſi egiſſet ipſe Marchio Sylvius, excluſiſſet vigore anterioritatis ſui crediti Antoninum, ita illum valent excludere Comites de Cajetanis ejus ceſſionarii, repræſentantes in omnibus, & per omnia ipſum cedentem, ut per *Text. in l. Quidam 25. §. fin. ff. ad ſen. conſ. Trebell., arguit. Rot. dec. 141. n. 5. cor. Celſ., dec. 252. n. 3. & 4. cor. Bich., & in Romana Salviani 5. Decembr. 1710. §. Potiſſimè cer. Reverendiſſimo P. D. meo Decano.*

Non obſtat, quod Comites de Cajetanis Actores, cum ſint hæredes Mutii ſenioris communis debitoris, in concordia inita cum Marchione Maccarano reportaſſe cenſeantur pro debito Societatis Officii ceſſionem tantummodò extinctivam, importantem eorum liberationem, non autem tranſlativam. Ceſ-
4 ſat enim ex pluribus hujuſmodi difficultas, & præſertim inſpiciendo tenorem ipſius inſtrumenti tranſactionis, in quo apertè dignoſcitur, ſemper ipſos nomine proprio, & tranſlativè, non autem extinctivè ceſſionem acquiſiviſſe, quo caſu non ſimplicem curaſſe ſui liberationem dici debet, ſed effectivam jurium experibilium ceſſionem, ut per *Text. in l. Paulus reſpondit ff. rem rat. haber., & l. repræbendendæ C. de inſtit. & ſubſtit. ſub cond. fact., Rot. dec. 25. n. 10. p. 17. rec., & in propoſito in Romana Cambii 29. Febr. 1712. §. Etenim*
5 *cor. Eminent. D. Card. Priolo*; maximè attenta hac ipſa declaratione, à cedente expreſsè reportata, quod jura ceſſa intelligerentur, ita, *ut iis Domini de Cajetanis* (ſunt verba inſtrumenti) *uti valeant, eaque experiri tam agendo, quàm excipiendo contra quoſcumque alios creditores Mutii ſenioris &c.* quorum verborum indoles apertiſſimum eſt, quod non perſonæ proprium debitum perſolventi, ſed quidem dimittenti alienum creditum cum voluntate ſeſe ſubindè reintegrandi optimè adaptantur, ut ponderando conſimilem ceſſionem, proſequitur *Rot. in allegat. Romana Cambii §. Sed fortiùs cor. Eminent. D. Card. Priolo.*

Et in univerſum removetur objectum, ex
6 eo, quod ſuppoſita qualitas hæreditaria Mutii ſenioris in Actoribus, non ſolùm non probatur, prout cæteroquin neceſſe foret ex adductis *in Auximana fideicommiſſi, ſeu pecuniaria 9. Junii 1702. §. Agnitum cor. Reverendiſſimo Decano, in Bonenien. Bonorum Emphyteuticorum 26. Januarii 1703. §. Etenim cor. bo. me. Pio, & in Aven. Salviani ſuper negocio principali 13. Martii 1705. §. Prout elici cor. bon. mem. Muto, alibique paſſim*;
7 imò potiùs pleniſſimè videtur excludi ex illa præcipuè facti circumſtantia, quod Marchio Maccaranus agens pro credito deindè ceſſo, ut executionem mandati obtineret ſuper Caſtro Turris, opus habuit recurrere ad Congregationem Baronum, quæ vigore notoriæ Conſtitutionis 41. ſan. mem. Clementis VIII. non obſtantibus fideicommiſſis, quorum ratione diſtrahi Caſtrum non poſſet, deveniret ad ſubhaſtationem, quodque notabilius eſt, delata ſubindè controverſia ad Sacram Rotam, non valuit idem creditor petitam ſubhaſtationem obtinere, niſi pro medietate dicti Caſtri poſseſsa per Mutium debitorem. Quod ſanè qualitati hæreditariæ iſtius in fratribus de Caietanis totaliter contradicit, quia ſi fuiſsent hæredes, creditor pro ſui ſatisfactione mandati expeditionem, & executionem obtinuiſset non ſuper medietate tantum Caſtri poſseſsa per Mutium, ſed etiam ſuper alia poſseſsa per eoſdem fratres, & ſuper aliis
8 iſtorum bonis, cum certi iuris ſit, quod ex iſta qualitate hæreditaria etiam in propriis bonis debita ſui Auctoris dimittere fuiſsent obſtricti, *Bald. in l. fin. §. Et ſi præfata nu. 3. C. de jur. deliber., Rot. cor. Priolo dec. 374. n. 5. & ſeq. cor Emer. jun., dec. 924. nu. 1., & dec. 689. n. 11. p. 18. rec. ubi concordan.*

Quod ſi igitur fratres de Caietanis in recenſita tranſactione debitum Mutii ſenioris dimiſerunt, ut medietatem Caſtri Turris ab eo poſseſsam ab imminenti eximerent ſubhaſtatione, non id feciſse dicendum eſt titulo hæreditario illius, ſed habito reſpectu ad ceſſionem & acquiſitionem crediti in longè maiori ſumma exiſtentis, quàm eſset ea, pro qua ipſi ſeſe obligabant, & ex motivo præſervandi in eorum avito fideicommiſso pro maiori ipſorum familiæ ſplendore integrum Caſtrum, quod cæteroquin ex ſubhaſtatione
9 pro medietate diſtractum fuiſſet. Quoties autem de aditione non conſtat, & agitur de hæreditate damnoſa, prout hic, ſi alius concurrit titulus, præterquam hæreditarius, ad illum potius actus veniunt referendi, *Merlin. contr. 89. num. 14. & ſeq., Poſth. reſol. 64. n. 29., Rot. cor. Bich. dec. 66. n. 16., & p. 15. rec. dec. 179. n. 2.*

Abſque eo quod replicari valeat, quod adhuc ex retentione medietatis Caſtri, ſpe-
10 ctantis ad Mutium ſeniorem, fratres Actores impediantur agere, ex eo quod d. Caſtri medietas eſt valoris ſcut. 5000., ut aliàs dictum fuit *in Romana Caſtri Turris 4. Febr. 1707. cor. Rever. Molines*, & creditum, quod ipſi adversùs eundem Mutium obtinent, eſt ſcut. 2500. ſolutorum Marchioni Maccarano, juxta recenſitam tranſactionem, ideoque fruſtra petant quod intus habent. Corruit enim objectum ex facto, quia fratres de Cajetanis in d. tranſactione convenerunt quidem cum Marchione Maccarano creationem cambii ſcut. 2500. dumtaxat illius favore, ſed ab eo correſpectivè ad iſtam cambii creationem, & ad ipſorum obligationem reportarunt ampliſſimam ceſſionem pro tota ſumma ſui crediti in ſcut. 6180., ut conſtat ex lectura inſtrumenti, ut aliàs ſupra dictum eſt; undè quiſque videt, quod dum medietas Caſtri non eſt altioris valoris, quàm ſcut. 5000. remanent adhuc illi creditores in ſumma ſcut. 1180., & de facto ad hæc ſolùm ſcut. 1180 reſtricta

ſtricta eſt hodierna eorum petitio, & actio ad controverſam domum intentata.

11 Pariterque non relevat, quod juxta conventiones initas in ſæpedicta concordia, debuiſſent Actores facere diligentias contra bona hæreditaria Laurentii de Maximis principalis debitoris Societatis Officii proſequendo cauſam à Marchione Maccarano pro ſui ſatisfactione jam introductam, & illius bona excutiendo. Hoc enim pactum fuit plenariè per Co. de Cajetanis jam adimpletum, ideoque allegari non valet defectus diligentiarum, & excuſſionis ad retardandam efficaciam ampliſſimæ, ac litteralis ceſſionis, ut obſervat relatis concordantibus Reverendiſſimus meus Decanus *in tract. de commerc. & mercat. diſc. 32. nu. 25.*, & aliàs firmavit *Rota dec. 14. n. 2. p. 2. dec. 25. n. 14. p. 11. rec.*, & paſſim alibi.

Idque Dominis perſpicuè probari viſum 12 eſt, quippe quia uſque ab anno 1657. ipſe Mutius ſenior mandatum expedivit contra bona hæreditaria præfati Laurentii de Maximis pro liberatione à moleſtiis ſibi illatis à Marchione de Maccaranis, & iſtius mandati exequatur, obtinuit ſucceſſivè Co. Cæſar de Caietanis Pater Actorum anno 1684. contra bona hæreditaria clar. mem. Card. Camilli nepotis, & hæredis ejuſdem Laurentii, & rurſùs anno 1710. hodierni Actores egerunt pariter pro illius executione contra Marchionem Camillum, & Marchioniſſam Juliam pariter de Maximis, ſed inutiliter, quia iſti reportarunt ſententiam declarantem, non conſtare de qualitate hæreditaria Card. Camilli reſpectu Laurentii. Et imò cum iterùm anno 1712. Co. de Caietanis in adimplementum conventionis initæ in tranſactione, citatis March. Maccarano, & March. de Maximis, productoque in actis ſupra enunciato mandato, obtinuiſſent coram A. C. deputari executorem ad peragendas diligentias pro reperiendis bonis Epiſc. Laurentii de Maximis, his peractis retulit Executor non invenire potuiſſe ulla bona ejuſdem hæreditaria, & ſucceſſivè lata fuit à Judice ſententia citatis ſemper præfatis Marchionibus, *conſtitiſſe, & conſtare de legitima proſequutione cauſæ contra bona hæreditaria ſæpedicti Epiſcopi Laurentii de Maximis, necnon de diligentiis legitimè, & validè factis pro reperiendis ejus bonis hæreditariis, & per conſequens ad ulteriorem proſequutionem, & diligentias Co.* 13 *de Caietanis non teneri.* Cum autem hæc ſententia tranſitum fecerit in rem judicatam, quæ facit de albo nigrum, niſi priùs obtineatur adversùs eam reſtitutio in integrum, defectus diligentiarum, & excuſſionis opponi amplius non poteſt, *Rot. dec. 915. n. 2. cor. Emer. jun., dec. 465. n. 5. p. 19. rec., & cum aliis in Romana diſtributionis dotium 22. Febr. currentis anni §. Neque propterea cor. Me.*

14 Nullitas autem huius Sententiæ ex eo ducta quod citari debuiſset & ipſe Antoninus, qui vocatus ad cauſam bona Laurentii de Maximis indicaſſet, non ſubſiſtere viſa fuit. Quandoquidem ſatis extitit in præfato judicio citaſſe non ſolùm Marchionem Camillum de Maximis, ſed etiam Marchionem Maccaranum, habentem juxta conventa in tranſactione principale intereſſe in conſequutione bonorum, quæ reperirentur hæreditaria jam dicti principalis debitoris, ut ſententia in eo lata cum tali legitimo contradictore afficiat etiam Antoninum habentem ſecundarium, conſequutivum, & accidentale intereſſe dumtaxat, *Rot. in Romana Aſſentiſtatus 19. Novembris 1698. §. Enim verò cor. Rev. Molines, & in Ferrarien. Pecuniaria 19. Junii 1702. §. Altera cor. Eminent. D. Card. de la Tremoille.*

Quamvis autem adeò exactum adimplementum diligentiarum, & excuſſionis pro totali remotione præmiſſi objecti ſufficeret, addebant tamen Domini ex abundanti, quod nequidem id videbatur in præſenti reſpectu 15 Antonini admodum neceſſarium. Etenim conventio explendi diligentias, & excuſſionem adversùs bona principalis debitoris Societatis Officii, fuit in inſtrumento adiecta ſimpliciter per pactum ſeparatum favore Marchionis Maccarani, qui cedens pro cambio ſcut. 2500., creditum ſcut. 6180. voluit ſibi per illam conventionem cavere, quod ſi aliqua bona Laurentii de Maximis reperirentur, ad ſeſe pertinerent; non tamen dictum pactum inficere valuit, aut conditionalem facere ceſſionem purè, & ſine ulla relatione iam expletam favore Co. de Caietanis, adeò ut eis licuiſset procul dubio uſque ab initio pro crediti ceſſi ſatisfactione agere, & quidem ſine ulla excuſſione, quemadmodùm li16 citum fuiſſet ipſi Marchioni cedenti, cuius perſonâ vigore ceſſionis induunt ceſſionarii, *Bald. in l. empt. C. de hered. vel act. vendit., Rot. dec. 534. n. 1. p. 3. rec., dec. 1248. n. 2. coram Emer. jun., dec. 166. n. 11. cor. Benincaſ.*

Et ita omiſſa alia exceptione, quæ reſpectu ſæpè dictæ ceſſionis aliàs deducebatur, 17 ex *Text. l. per diverſas, & l. ab Anaſtaſio C. mandati*, vel contra, quarum legum diſpoſitio in ceſſione crediti clari, & liquidi, ut eſt illud, de quo agitur, locum non habet, iuxta plenè firmata in *Romana Cambii 20. Martii 1709. §. Redacta, ubi concord. cor. Rev. P. D. meo Anſaldo Decano*, fuit reſponſum quinto & ſexto ſuffragium ferentibus, & utraque &c.

ROMANA CAMBII.

Veneris 20. Aprilis 1717.

ARGUMENTUM.

Actio clara, & directa Creditoris ex cambio activo adverſus illius debitorem ab exceptione, quod cambium non ex numeratis pecuniis, ſed rei emptæ pretio à debitore fuiſſet creatum, retardari non valet, etiamſi per teſtes hæc probatio fieri poſſe à dicto debitore prætenderetur, cum contra publicum inſtrumentum iſti teſtimonium non dicant.

SUM-

SVMMARIVM.

1 *Obligatio cameralis paratum habet exequtionem.*

2 *Exequutio mandati pro credito claro obtenti, ex turbidis exceptionibus non retardatur.*

3 *Teſtis de mendacio convictus reiicitur.*

4 *Creditor propria jura ceſſiſſe non præſumitur niſi prius ſatisfactus remanſiſſet.*

5 *Teſtis ſibimetipſi contradicens, & adverſus inſtrumentum publicum deponens numquam admittitur*, & num. 7.

6 *Teſtis, cujus depoſitio ab altero teſte deſtruatur, & mendax in uno, in omnibus mendaciſſimus præſumitur, & reiicitur.*

7 *Cambium ex numeratis pecuniis contractum fuiſſe, & non diverſimodè probatur per hoc, quod pecuniæ fuiſſent penes ædem ſacram recònditæ, & à creditoribus contrahentis mediantibus ordinibus ejuſdem, fuiſſent exactæ*: amplia, ut in num. 9.

8 *Contractus inter ſeſe diverſi, & diſtincti unus ab altero præſumuntur, quando nec in tempore, nec in quantitate, nec in ſumma ſimul conveniant.*

10 *Inſtrumentum publicum veritatis præſumptionem pro ſe hàbet, & teſtes exceptione aliqua laborantes non admittit.*

11 *Cambium creari poteſt ex credito, quod originem à rei venditione haberet, ejuſque validitas à numeratis pecuniis in creationis actu non deperdit, limita tamen in cenſu.*

12 *Cambium ex credito creatum ſignificat duos fuiſſe initos contractus inter ſeſe diſtinctos, ſcilicet unus emptionis, & venditionis & alteri retrodationis earumdem pecuniarum, ſeu pretii ad cambium ſuſcepti.*

13 *Cambium creari poteſt ex credito uſurarum, ſive fructuum alterius jam decurſorum.*

14 *Limita in contractibus læſivis, & doloſis, & quaſi ſuffogationem debitoris ſecumferentibus, vel ſi ageretur de perdito adminiſtratore, vel debitore domeſticis anguſtiis prægravato.*

15 *Pactum redimendi, rei prætium diminuit.*

16 *Cambium dicitur contractus utilis, quando contrahens illius pecuniis proprios dimiſiſſet Creditores.*

17 *Cambium, quando abſque pecuniis, ſed ex gemmarum pretio fuiſſet contractum, concludenter, & de iſtarum identitate edocere tenetur, qui nullitatem talis contractus allegaret.*

DECISIO MVII.

Blaſius Puccinus in Curia Eminentiſſimi Pro-gubernatoris Conventus pro ſolutione fructuum, ac reſtitutione ſortis principalis cujuſdam Cambii ab ipſo contracti favore Franciſci Pauelii, introduxit per viam reconventionis contra Jacobum Chriſtopharum memorati Franciſci fratrem, & hæredem, ſive potius ejuſdem Creditores ipſius nomine agentes, judicium ſuper nullitate, & injuſtitia d. contractus, ſed quemadmodum in d. Curia, ita quoque in hoc noſtro Tribunali contrariam ſortem paſſus fuit, dum ad formam commiſſionis per Signaturam Juſtitiæ mihi directæ, propoſito hodiè dubio *an ſit ad proceden. ad legitimam* Domini *affirmativè* reſponderunt.

Fundata ſiquidem erat intentio Actorum in publico, ac ſolemni inſtrumento Cambii Camerali obligatione vallato, quod ex ſui
1 indole facit gradum probationis undique concludentem, ac perfectum, promtamque exigit exequutionem, juxta vulgatum *Text. in l. cum precibus C. de probat.* aliaque jura, de quibus *Rot. dec.* 526. *num.* 12. *par.* 18. *rec.*, *& cor. Emer. dec.* 834. *num.* 1, *& dec.* 905. *n.* 6. *& in Romana Cambiorum* 9. *Februarii* 1711. §. *Et certius cor. Reverendiſs. Neoceſarien.*, *& in Romana Pecuniaria* 15 *Maii* 1711. §. *Quoniam cor. R. P. D. meo Falconerio*, & paſſim alibi, ex oppoſito autem quam-
2 vis Blaſius allegaret Cambium prædictum conſtitutum non fuiſſe ex penunia numerata, ſed ex prætio monilis, ſivè lineæ Margaritarum, loco pecuniæ ſibi traditæ, hoc tamen aſſumptum haud ſatis probatum videbatur, in facto, & longè minus cum talibus circumſtantiis, quæ contractum injuſtum redderent, ac de jure improbatum, unde ſub hoc obtentu nullo modo poterat mandati exequutio retardari, ad tradita per *Rot. cor. Serraph. dec.* 372. *num.* 2., *& in Romana Salviani* 26. *Jun.* 1702. §. *Ad evitandam coram Rmo Hyſpaniarum Inquiſitore*, *& in Balneoregien. cenſuum* 28. *Januaris* 1715. §. *Precipua cor. R. P. D. meo Falconerio.*

Haud ſatis inquam adverſus publicum Inſtrumentum in quo apertis diſertiſque verbis dicitur pecuniam a Blaſio receptam fuiſſe in tot nummis aureis, & argenteis probatum dici poterat ex depoſitione quorumdam Teſtium, quod illud revera ex pretio monilis creatum fuerit, Nam Domini eorum dicta ſingillatim examinando, pro eo, quod attinet
3 ad Joannem Pozzolum, animadverterunt illum convinci de mendacio, dum deponit in d. contractu nullam omnino ſequutam fuiſſe pecuniæ numerationem, quando in Inſtrumento aſſeritur ratam partem ſummæ ad cambium receptæ unico contextu à Puccino ſolutam fuiſſe quibuſdam artificibus ejus Creditoribus ratione domus ab ipſo conſtructæ in Burgo pio, & hoc aſſertum pleniſſimè comprobatur à ceſſione Jurium illico facta ab iiſdem creditoribus favore Pauelii, qui utique, niſi re vera ſatisfacti fuiſſent, Jura
4 propria nemini ceſſiſſent, ad regulam *Text. in l. cum de indebito ff. de probat. Rota cor. Coccin. dec.* 95. *num.* 9., *& in Peruſina Dotis* 15. *Junii* 1713. §. *Animadvertebant coram bo. me. Caffarello.*

Eodem modo parum ſibi coherere viſus fuit Silentius Proxeneta alter ex teſtibus Inſtrumentariis, dum immemor ſe ſuper tertio-

in

interrogatorio reſpondit, quod pecunia ſolum apparenter exhibita fuerat in uno, vel duobus ſacculis, ſuper quinto depoſuit quod ſumma ſcutorum 450. ſoluta fuit memoratis artificibus eidem contractui præſentibus, ſubdens ſe neſcire utrum ipſi ſubindè pecuniam receptam penes ſe retinuerint, vel potius Puccino reſtituerint, & paulo infrà ſemper magis ſe involuendo ſuperaddit, quod non fuit pro d. ſumma numerata pecunia, ſed ſolùm à Paueſio factum recapitum, cujus vigore poſteà Artifices cum effectu dimiſſi fuerunt. Quamobrem dum non ſolum
5 publico Inſtrumento, ſed etiam ſibi ipſi contradicit, dignus videri non poteſt, cui fides aliqua adhibeantur, *l. 2. ff. de teſt. l. duobus, ubi DD. ff. de jurejuran. Rota coram Buratt. dec.*367. *num.*8., *& coram Emerix dec.* 107. *num.*2.

Minus etiam Domini deferendum cenſuerunt Stephanello, & Albaneſio affirmantibus ſe tunc nullas recepiſſe pecunias, ſed jura propria ceſſiſſe, quia jam antea ſatisfacti fuerant, ultra quod enim ejuſmodi aſſertio
6 deſtruitur ab alia ſupra recenſita Silentii mediatoris, ſive iſta attendi velit in ea parte, qua dixit dd. pecunias tunc, & in ipſo actu receptas ab ipſis fuiſſe, ſive in alia, in qua depoſuit eoſdem ſucceſſivè dimiſſos fuiſſe vigore recapiti ſimilis ſummæ à Paueſio tunc traditi, cum utroque modo ſumpto ſemper concludat, quod dd. Artifices ante inſtrumenti celebrationem ſatisfacti non fuerant: alio enim nomine nullam prorſus fidem promerentur, dum Stephanellus d. apertum mendacium audeat dicere ſe in teſtem inſtrumentarium adhibitum fuiſſe, quando nullus alius præter Puzzolum, & Silentium rogatus fuit, undè mendax in uno, in cæteris quoque mendax præſumitur *Rota dec.*429. *num.*13. *part*, 18. *rec.*, *& in Nullius, ſeu Sublacen. donationis* 19. *Jun.* 1711, §. *Fruſtra coram R. P. D. meo Falconerio*,
7 Albaneſius verò cum per alium publicum, & ſeparatum actum veritatem Inſtrumenti confirmaverit, occaſione qua cum ordine Puccini recepit à Paueſio alia ſcut. 145. pro integra, & finali ſolutione ejus crediti nullo pacto attendi debet, quatenus contrarium duobus publicis Inſtrumentis deponit, *Rot. dec.*54. *ex num.*8. *part*. 7., *& dec.*48. *num.*6. *cor. bo. me. Benincaſa*, *& dec.*30. *n.*71. *coram Rmo Decano*.

Sed ad deſtruendum penitus aſſumptum,
8 quod cambium cum ſolo monili creatum fuerit, atque evertendas in univerſum depoſitiones Teſtium ad hunc effectum inductorum, nihil magis conducere viſum fuit, quam duplex facti circumſtantia, altera nimirum, quod cum in Inſtrumento Cambii inter cætera conventum fuiſſet, quod ſumma ſcutorum 669. 76. relinqui deberet titulo depoſiti penes nummulariam ipſius Paueſii ad effectum illam erogandi cum ordinibus Puccini in ſatisfactionem ejus creditorum, conſtitit de facto illam reverà, & effective relictam fuiſſe, & cum novem diſtinctis, & ſeparatis ordinibus favore diverſarum Perſonarum à Puccino exaratis in pluribus vicibus integrè, & uſque ad ultimum obulum à Paueſio fuiſſe perſolutam, prout doctum fuit ab Actoribus nedum per exhibitionem eorumdem ordinum, ſed etiam per totidem diſtincta, & ſeparata inſtrumenta confeſſionum de recepto, quorum veritas, ſicuti in dubium venire nequit, ità ad evidentiam oſtendit Cambium controverſum non cum monili, ſed cum pecunia creatum fuiſſe, ad ea, quæ tradit *Matrill. dec.*262. *nu.*7., *Cenc. de cenſ. quæſt.*50. *num.*26., *& poſt eum Rot. dec.*427. *num.*12.

Altera vero, quod cum per apocam ab
9 ipſo Puccino productam reſultet, quod dictum monile undecim ante diebus, quàm Cambium ſcut. 1500. celebraretur, venditum ipſi fuerat à Paveſio pro pretio ſcutor. 1039. ſemper concludere oportet non unum, ſed. duos, & quidem ſeparatos, diſtinctoſque contractus inter eos interceſſiſſe, dum neque in tempore, neque in quantitate, neque in modo, quo expliciti fuerunt ullatenus conveniunt, ad ea, quæ tradunt ſcribentes in *l. in fundi vocabulo ff. de legat*. 1., *& in l. in teſto quidem ff. de condit.*, *& dem., Surd. conſ.* 58. *n.* 9. *cum ſeqq.*, *Rota dec.* 289. *n.*6. *& dec* 307. *n.* 2. *cor. Cerro*.

Ex his itaque facti circumſtantiis, DD. ſa-
10 tius duxerunt deferre Inſtrumento publico, habenti pro ſe veritatis præſumptionem, quàm teſtibus in contrarium adductis tot patientibus in dicto exceptiones; & nihilominus, ut ipſi benè ſubdebant, quatenus etiam probatum fuiſſet, Cambium controverſum ex pretio d. Monilis ſaltem pro aliqua parte conſtitutum fuiſſe, non ideo tamen contractus nullitatis vitio laboraret, cum certiſſimi Juris ſit in conſtitutione Cambii non requiri,
11 ſicuti in cenſu pecuniam numeratam, ſed ritè valideque creari poſſe ex quocumque credito præcedenti, vel contemporaneè efformato ex cauſa venditionis alicujus rei: Nam-
12 que duo eo caſu initi videntur contractus, alter ſcilicet emptionis, ac venditionis cum effectiva ſolutione pretii, & alter retrodationis ipſius pecuniæ, ſeu pretii ad cambium, ut per *text. in l. ſingularia ff. ſi certum petatur* firmant ibi Doctores, quos congerit *Crivell. dec. Dolan.* 103. *n.*12. *cum ſeqq.*, *Card. de Luca de Cambiis diſc.* 3. *nu.* 4. *& diſc.* 5.
13 *n.* 7., *Rota dec.* 829. *n.* 14. *cor. Dunoz.* Et in durioribus terminis, quod Cambium contrahi valeat ex credito uſurarum, ſive fructuum alterius crediti jam decurſorum, latiſſimè *Rot. in Romana cambiorum* 21. *Junii* 1697. §. *Quoniam*, *&* 13. *Januarii* 1698. §. *Omiſſa cor. clar. mem. Card. Caprara*.

Et quamvis contrarium quandoque in foro
14 obtinuerit, ubi nempe in ejuſmodi contractibus ita ſimul junctis, & complicatis dolus, ac magna læſio intervenerit, & quædam quaſi ſuffocatio debitoris, ex quo ſcilicet iſte vel per ætatem boni conſilii impos, vel rerum

rum ſuarum improvidus, perdituſque adminiſtrator, vel tandem anguſtiis rei familiaris preſſus, pecuniæque indigens rem minimi valoris, ſivè mobilem, ſive immobilem à Creditore emere coactus fuerit longè ultra juſtum, ac rigoroſum prætium, & ex eo Cambium contrahere ſub graviſſimis uſuris, juxta terminos, in quibus loquitur *Rota dec. 14. poſt Albic. de inconſtant. in judic.*

Ejuſdem tamen circumſtantiæ videbantur penitus in caſu deficere. Nam neque Puccinus erat aliquis inexpertus filius familias, rerumque ad forum pertinentium ignarus, neque uſuræ conventæ legitimum modum excellerunt. Et quod maximum eſt ac in ſimilibus controverſiis prę cæteris advertendum, nulla in prætio Monilis leſio interceſſit, cum illud paulo poſt ab ipſo Puccino pro ſumma ſcut. 800. pignori traditum fuerit Canonico de Martinis, & ſubinde venditum Lucæ Gui-
15 do pro ſcut. 900., addito pacto redimendi, quod pretium minuit in notabili parte, unde ſi huic ſummæ addatur alia ſcutor. 699.76., quam ex tot publicis Inſtrumentis confeſſionum de recepto, conſtat ſine dubio ſolutam fuiſſe à Paveſio cum mandatis Puccini pluribus ejus Creditoribus, jam inde patet præ-
16 dictos contractus emptionis, & Cambii potius lucro, quam detrimento ipſi Puccino fuiſſe, tametſi ad excludendam quamcumque leſionem ſufficeret, quod prædictum
17 Monile nunquam hactenus exhibitum fuerit cum neceſſaria, & concludenti juſtificatione omnimodę identitatis, ad ea, quæ tradit *Bald. in l. ſi fundus §. final. ff. de pignor., & in l. 2. Cod. de reſcin. vendit.*, *Gabriel. conſ. 147. n. 1. lib. 1.*, & melius *Conſtant. ad Stat. Vrbis annot. 46. ſub n. 261.*

Et ita utraque &c.

ROMANA CAMBIORUM.

Veneris 10. Maii 1717.

ARGUMENTUM.

Creditor ex cambio activo duos habens ſolidaliter ſui favore obligatos, quando uni ex iſtis illud cum promiſſione de exigibilitate ceſſiſſet, & ulterius in evictionis caſu ſe ad omnia damna obligaſſet, non ſolum dicitur, ut eumdem ceſſionarium liberare intellexerit, ſed etiam omnia ſua jura activa in eumdem adverſus alterum coobligatum exercibilia transferre voluerit.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus de exigibilitate cambii favore tertii, dicitur illius favore ſtipulationem comiſiſſe, quando non obſtante expeditione mandati, illius debitor non ſolveret.*

2 *Exigibilitas Juris dicitur ſimplex potentia, & facultas exigendi, ut ad nil ultra promiſſor teneatur.*

3 *Exigibilitas dicitur promiſſa, ad hoc, ut contra cedentem, ceſſionarius in caſu inexigibilitatis regreſſum habeat, quando in actu ceſſionis cedens ad exigibilitatem in perpetuum ſe obligaſſet, amplia*, ut in num. 4.

5 *Subamplia, quando cedens poſt promiſſam realitatem, & exigibilitatem crediti ceſſi, tam circa ſortem, quàm fructus, dixiſſet, quod in caſu evictionis ſe ad omnia damna teneri vellet, quæ verba ad exigibilitatem juris non ſunt referibilia*, & n. 6.

7 *Cedens creditum cum promiſſione perpetuæ exigibilitatis favore ſuimet debitoris in eodem credito coobligati dat intelligere, ut illum non ſolum liberare intellexerit, ſed imò in eumdem omnia ſua jura activa transferre voluerit.*

8 *Limita, quando Creditor abſque ulla ulteriori promiſſione ceſſiſſet ſimpliciter ſuum creditum eidem met debitori, quo caſu iſte tantum liberatus* à debito *diceretur.*

9 *Abſurdum eſt, ut fruſtraneum fieret id, quod partes ſummo ſtudio inter ſeſe ſervari voluiſſent.*

10 *Cedens cambium activum ſuo debitori in eo coobligato cum promiſſione de exigibilitate, eo fortius omnia ſua jura activa in illum tranſtuliſſe præſumitur, ſi in alia conſimili ceſſione ſic partes conveniſſent.*

11 *Voluntas partium tantum ſpectanda eſt in contractibus, & nil aliud.*

12 *Contractus à proprio auctore volitus, à nemine poteſt impugnari.*

DECISIO MVIII.

Suppoſitis Dominorum examini fundamentis ſententiæ latæ in pręcedenti inſtantia favore Garulli reſultantibus ex deciſione de more tunc edita 27. Junii 1714. coram R. P. D. meo Criſpo, & fundamentis contrariæ reſolutionis captæ favore Petti in audientia diei 2 Julii ſuperioris anni coram me, juxta deciſionem tunc pariter evulgatam, iiſque hodie per eoſdem Dominos ęqua lance ponderatis, meruerunt hæc poſteriora approbationem, ideoque reſcriptum prodiit -- *in deciſis*.

Cum enim Philippus Buſſius dicti Garulli
1 auctor promiſerit Petto in Inſtrumento ceſſionis controverſi cambii, illud eſſe verum, reale, & exigibile, ac ſe illud ſemper, & in perpetuum in tali ſtatu fore conſervaturum, ac teneri velle de exigibilitate, evictione, & ad omnia damna, utique poſt adhibitas à Petto omnes diligentias contra Fontanam Originarium debitorem, uſque ad omnimodam ejus bonorum excuſſionem, repertoque Cambio inexigibili, commiſſa dicitur ſtipulatio, qua cedens exigibilitatem cambii ceſſi præſtare promiſit, ad *text. in l. fidejuſſor. 17. §. fin. ff. de fidejuſſor.*, & pręter allegata in deciſione, quæ revidetur §. *Iniuſtitia*, late firmat *Rota in Spoletana Cenſus 2. Jun. 1709. §. de validitate cor. Rmo P. D. Molines Magn. Hiſpan. Inquiſ., & in Calaritana Evictionis 27. Aprilis 1714. §. Stabile, & 7. Iunii 1715. §. Iterum enim cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Ne-

Neque talis promiſsio exigibilitatis intel-
ligi valuit de illa exigibilitate Juris, ſecun-
2 dum quam ſatis ſit ſimplex potentia, & fa-
cultas exigendi, ut Promiſſor ad aliud non
3 teneatur; putarunt enim Domini inſpecta
qualitate contractus, & verbis, quibus Con-
trahentes illum celebrarunt, non ad ſolam
Juris, ſed etiam facti exigibilitatem Partes
reſpexiſſe, quo caſu competit procul dubio
regreſsus Ceſsionario contra cedentem, ut
late habetur in allegat. *Calaritana Evictio-
nis loc. cit. cor. R. P. D. meo Criſpo*. Et ſa-
ne clara nimium erant verba illa -- *Quam
ceſsionem dictus Buſsius promiſit ſemper, &
perpetuo attendere &c. alias &c., dictumque
cambium ceſsum eſse verum, reale, & exigi-
bile, tàm quoad ſortem principalem, quàm
quoad fructus in futurum decurrendos, &
non exactum, & pro tali ſemper, & in per-
petuum manutenere, ſibique licuiſse cede-
re &c. nullique alteri ceſsiſse &c. nec quid-
quam aliud feciſse &c. in præjudicium dicti
Petti, ac præſentis Inſtrumenti* &c., *aliàs in
eventum contrarii teneri voluit de ſorte, et
fructibus, ut ſupra, ac exigibilitate, evic-
tione* &c., *ac ad omnia damna* &c.; ex qui-
4 bus verbis, & clauſulis plura ad demonſtran-
dum exigibilitatem profluunt argumenta, &
præſertim ex illis *ſemper, & in perpetuum*,
quæ cum reſpiciant tractum temporis ſucceſ-
ſivum, & juncta ſint alio verbo *manutenere*,
ad factum, non ad jus referibile, factum ip-
ſum ceſſionis connotare dicuntur, planè *Ton-
dut. quæſt. Civil. lib. 1. cap. 49. nu. 32., &
36., Rot. poſt Oleam de ceſs. dec. 35. ſub n. 3.
dec. 49. n. 1. p. 12.*, & optime in allegata *Ca-
laritana Evictionis 27. Aprilis 1714. §. Et
quidem, & 7. Junii 1715. §. Admittebant
cor. R. P. D. meo Criſpo*.
Fortius vero idipſum concludere videba-
5 tur animadverſio, quod poſt factam promiſ-
ſionem realitatis, & exigibilitatis, tàm quoad
ſortem, quàm quoad fructus etiam in poſte-
rum decurrendos, præciſè cedens ſtipulatus
fuit in eventum contrarii teneri velle de
ſorte, & fructibus ut ſupra, ac de ipſa exigi-
bilitate, evictione & ad omnia damna; quip-
pe quia exigibilitatis promiſſio, ſi referri de-
buiſſet ex voluntate partium ad illam Juris
exigibilitatem, quę in quacumque ceſſione
de jure ſubintelligitur, non erat neceſſe, quod
toties repeteretur, ac tanto verborum appa-
ratu expleretur, & è contrario, ſi partes adeo
ſpecificè illam curarunt, etiam cum promiſ-
ſione illius quoad fructus decurrendos, cum
ſtipulatione evictionis, & cum obligatione
ad damna, & intereſſe, fatendum eſt habuiſ-
ſe in animo præciſam facti exigibilitatem reſ-
picientem idoneitatem nominis ceſſi, & ope-
rantem in eventum contrarii regreſſum ceſ-
ſionarii contra cedentem, *Paulut. diſſert.
28. n. 40. lib. 1., de Marin. reſolut. Jur. cap.
43. ſub nu. 16. circ. fin. lib. 1., Rot. dec. 47.
n. 18., & ſeq. p. 10. rec.*
Minuſque juvit repetere, quod cum ipſe
6 Pettus Ceſſionarius fidejuſſor eſſet in eodem
cambio, & ęque principaliter, & in ſolidum
obligatus cum Fontana Originario debitore,
ceſſio ſubinde illi facta per Buſſium Credito-
rem, intelligatur facta in ipſius tantummodo
liberationem, non vero cum translatione Ju-
rium, quæ contra ipſum cedentem poſſent
retorqueri. Quandoquidem prægnantes il-
læ clauſulæ, & effrenata verba, quibus, ut
diximus, ceſsio concepta fuit, ſatis explicaſ-
ſe videntur contrahentium voluntatem, non
reſtringendi ſe tantumodo ad Petti libera-
tionem, ſed transferendi in illum Jura pro
exactione Cambii exercibilia, ut pręter ad-
ductos in deciſione, quæ revidetur §. *Ne-
que ex eo*, dixit *Rota in Rom. Cambii 3. Fe-
bruarii 1710. §. Verum, & 17. Aprilis 1713.
§. Voluntas pariter cor. Me, & 29. Febr.
1712. §. Etenim cor. Emo Card. Priolo*.
Et quidem aliis prętermiſſis, tutiſſimum in
7 hoc puncto argumentum pręſtare videbatur
liberatio ipſa fidejuſſoris in eodem inſtru-
mento ceſſionis emiſſa cum declaratione illa,
*ut hujuſmodi promiſſio ſuum ſortiatur effec-
tum*; Si enim devenit cedens ad Ceſſionarii
liberationem præciſè ex cauſa, quod ſem-
per, & in perpetuum conſequi poſſet promiſ-
ſam crediti ceſsi exigibilitatem, itaut iſta
fuerit cauſa finalis præcedentis liberationis,
utique procedi amplius non poteſt cum præ-
ſumptione, quod voluerit cedens fidejuſſo-
rem ceſsionarium liberare, & ſe tutum cæ-
teroquin pręſtare à regreſſu, quem contra
ſe poſset iſte intentare, ſed ſatis clara dici de-
bet ipſius intentio utrumque explendi, &
liberationem ſcilicet illius, & translationem
in illum omnium Jurium pro crediti ſatisfac-
tione experibilium, adeout non amplius fi-
dejuſsor, ſed tanquam tertius debeat repu-
tari, cujus favore dubitari non poteſt, quin
teneatur cedens præſtare promiſsam exigi-
bilitatem, *per text. in l. Cum is ff. de fide-
juſſor., ubi Bart., & Bald., Roman. conſ. 472.
verſ. aliquando agit, Cenc. de Cenſ. qu. 71.
ſub n. 4. verſ. Et propterea, & Rot. in Pe-
ruſina Cambii 21. Junii 1709. §. Perpenſis
cor. Rmo P. D. Anſaldo Decano*.
Ponderando ſignanter, quod ad liberan-
8 dum cæteroquin fidejuſsorem, non erat ne-
ceſsaria ulla partium conventio, ſed ipſa ſim-
plex ceſſio id operata fuiſſet de ſui natura,
juxta deducta per *Andreol. contr. 373. n. 1.,
& ſeq., Roc. diſput. jur. cap. 128. n. 6., &
ſeq., Rota in d. Peruſina Cambii §. Liberato
cor. Reverendiſſimo Decano*, ideoque ſi hu-
9 juſmodi pactum expreſsæ liberationis fide-
juſſoris diverſa pateretur interpretationem,
fruſtraneum, & ſupervacuum remaneret,
quando tamen tanta maturitate, ac ſtudio
conventum fuit, quod eſt abſurdum, *Rota
dec. 42. n. 7. cor. Benincaſ., & in Balneo-
regen. Pecuniaria 15. Aprilis 1712. §. Et li-
cet cor. R. P. D. meo Criſpo*.
Hæc omnia comprobabant Domini ex eo,
10 quod Buſsius eodem contextu ceſsit Petto
alterum quoque cambium debitum ab Ange-
la Politangela, & in illius ceſsione ſtipulata

fuit ſub iiſdem pactis,& conventionibus exigibilitas, & dato caſu non inventę ejuſdem debitricis idoneitatis, fuit condemnatus idem Garullius, juxta deciſionem R. P. D. mei Criſpi pręcedentis inſtantiæ, contra quam in hac parte nunquam hactenus reclamavit, unde iis, quæ ſuperiùs obijciebantur circa promiſsam juris tantum, & non facti exigibilitatem, videntur obſtare firmata in eadem deciſione hodie de more ſupponenda, addentes, quod diverſa iſtius ſtipulatio,& contra diſtinctio ratione volitæ pręciſæ liberationis, quoad aliud Cambium, in quo ipſe Pettus pro Fontana fidejuſserat, multo magis explicat, conventam liberationem fuiſse volitam ad importandum aliquem majorem effectum, quam quem de jure importaſſet ſimplex ceſsio, quæ alioquin de uno, & alio cambio ſub eadem met expreſsione, & ſtipulatione fieri potuiſset.

Et quamvis replicaretur, quod ita intellectus hujuſmudi contractus fuit Buſsio cedenti damnoſus, imò etiam læſivus, ponde-
11 rabatur tamen, quod ubi non deficit poteſtas contrahendi, ſpectari tantum debet voluntas,cum quiſque rei ſuæ ſit moderator, & arbiter, poſsitque rebus ſuis, quam vult legem dicere, ad *text. in l. In traditionibus 49. ff. de pact., l. In re mandata C. Mandati, & l. vult C. de pact. inter emptor., & vendit. Rota dec. 158. n. 21. cor. Bich.*, ideoque potuit Buſsius ſub dd. pactis, & conditionibus cum Petto contrahere, quod quidem multo minus poteſt à Garullio controverti, cum Buſsius expreſſerit id feciſſe *in exequtionem tractatus ante ſtipulationem inſtrumenti ha-*
12 *biti*, & hæc præcedentis tractatus confeſſio non poteſt ab illo impugnari, cum cauſam habeat à confitente, *l. cum te C. de probat. cap. Per tuas eodem tit., Rota dec. 301. n. 16 p. 5. rec., & dec. 1204. n. 1. cor. Emer. jun.*

Et ita remiſſive etiam ad præcedentem deciſionem, quæ confirmatur, fuit reſolutum utraque &c.

ROMANA SALVIANI

Veneris 14. Maii 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 6. Junii 1714.

Actione Hypothecaria gaudet Creditor ex cambio activo ſuper bonis per ſuum debitorem poſſeſſis etiam adverſus alios creditores ſibi in tempore anteriores, quando cum eiſdem cambialibus pecuniis creditum anterius cum reportatione jurium fuiſſet extinctum, adeò quod idem creditor, uti anterioris creditoris ceſſionarius, iſtius jura in omnibus fovere diceretur.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio, concurrentibus tribus neceſſariis extremis, nempè credito antiquo cum hypotheca, poſſeſſione antiqua penes debitorem, & recenti penes reum conventum, ſemper concedenda eſt.*

2 *Creditor, licet poſterior in tempore, ſit anterior, quando ab anteriori creditore jura reportaſſet.*

3 *Ceſſionarius fovet eadem met jura, & privilegia, quibus ipſe cedens gaudet.*

4 *Probatio melior illa, quæ oritur ex publico inſtrumento, non datur.*

5 *Contractus, qui ab altero præcedenti dependeat, ex quo anterioritatem deſumat, dicitur fovere eadem met jura primi.*

6 *Primus contractus dicitur inherere ſecundo, quando ſuppoſitus debitor aliquid in ſolutum ſuo creditori tradidiſſet cum pacto, quod iſte teneretur reddere rationem de bonis ipſius debitoris adminiſtratis.*

7 *Amplia, ſi vigore primi contractus ſuppoſitus Creditor, (qui debitor in adminiſtratione remanſiſſet) exequutivè ad reddendam rationem, non per viam repetitionis indebiti pulſatus fuiſſet pro reſtitutione rei in ſolutum receptæ.*

8 *Subamplia, ſi adminiſtrator prædictus excepiſſet, ſe pro virili adminiſtrationem geſſiſſe, & pro virili ad reddendam rationem teneri.*

9 *Deciſiones incidenter non poſſunt revocari, maximè poſtquam fuiſſent à Signatura canonizatæ.*

10 *Retentio non datur pro credito jam extincto.*

DECISIO MIX.

Immiſſionem ex interdicto utilis Salviani ſuper undecim portionibus cum dimidia appartamentorum, & Apothecarum provenien. à qu. Carolo de Parentiis, & acquiſitis, ac poſſeſſis ab illis de Benaglia, conceſſam in Tribunali A. C. Hieronymo Girozzio tamquam Creditori. Cambii in ſorte ſcut. 1130. ejus favore contracti à Gelio de Parentiis, occaſione qua coactus iſte fuit dimittere Marchionem à Balneo Creditorem Bernardi de Parentiis ſui Patris ratione reliquatus debiti in correſpondenti ſumma pro adminiſtratione, & œconomia Bonorum Cardinalis à Balneo per illum, & per dictum Carolum ejus fratrem exercita, approbavit noſtrum Tribunal poſt plures cauſę propoſitiones quinto,& ſexto ex Dominis ſuffragium ferentibus cor. Me ſub die 6 Junii 1704. juxta tamen modum expreſſum in deciſione tunc edita, nempè pro ſcut. 812. dumtaxat *pro nunc*, reſervata reſiduali ſumma alteri diſputationi, cum in ea Domini non fuiſſent concordes.

Nec difformis hodiè prodiit reſolutio; requiſiti quippè Domini ſub duplici dubio, altero reſpiciente fundamenta præcedentis deciſionis, & altero reſpiciente ſummam in eadem deciſione reſervatam, reſponderunt quoad iſtud *Dilata*, quo verò ad aliud *in Deciſis*.

Reſtrictivè igitur ad vires præteritæ reſolu-

ſolutionis, undequaque illa ſubſiſtere viſa
1 fuit, quia pro decernenda immiſſione omnia concurrebant neceſſaria requiſita, tùm crediti cum hypotheca, tùm poſſeſſionis antiquæ penès debitorem, tùm denique recentis poſſeſſionis penès reum conventum, juxtà quæ optimo jure illa conceſſa fuit Girozzio, *ad Text. in leg. primam, ibique gloſ. verb. competit. Cod. de Precar.*, *& Salvian. interdict.*, cum aliis *in Romana Salviani 29. Novemb. 1715. §. Validitas cor. Emo D. Urbis Pro-Gubernatore*, *& in Romana Salviani 16. Aprilis mox elapſi §. Suppoſitis cor. Me.*

Et fruſtra iterum obiiciebant Fratres de Benaglia defectum hypothecæ, ex eo, quod cambium pro quo agitur contractum fuerit longè, poſtquam ipſi, & appartamenta, & apothecas controverſas acquiſiverant de an-
2 nis 1665., & 1681. Quia licet Cambium effectivè videatur contractum poſteriori tempore, tamen habet Girozzius Creditor ceſſionem jurium Marchionis à Balneo cum ſuis pecuniis ſatisfacti, quæ quidem jura ſunt longè anteriora dictis acquiſitionibus, & quo-
3 rum vigore poteſt ille, tanquam Ceſſionarius repræſentans ipſum Cedentem uti iis actionibus, & privilegiis quæ iſti met potuiſſent competere, *Rot. cor. Celſ. dec. 142. num. 3. in allegata Romana Salviani eodem §. Suppoſitis cor. Me.*

Quodque res ità ſe habeat, facillimè convincitur ex inſpectione, ſeu lectura duplicis inſtrumenti, illius nempè aſſumptionis adminiſtrationis, & œconomiæ bonorum Romandiolæ, & Caſtri Candulphi ſpectantium ad clar. me. Card. à Balneo inter ipſum Cardinalem, ac Carolum, & Bernardum fratres de Parentiis exarati cum obligatione ampliſſima in forma Cam. Apoſtolicæ &c. uſque ſub anno 1662., & alterius creationis Cambii, in quo litteralis pleniſſima jurium competentium dict. Cardinali ac Marchioni ejus
4 hæredi ceſſio continetur, quibus ſanè publicis inſtrumentis melior deſiderari probatio non poteſt, ad *Text. in leg. cum precibus ff. de probat.*, *aliaque vulgat. jur.*

Subſumebant propterea iidem de Benaglia aliam exceptionem rejectam etiam in præterita propoſitione, quod creditum ceſſum Girozzio minimè proveniat ab inſtrumento adminiſtrationis bonorum anni 1663., ſed ab alio inſtrumento anni 1671. tunc ſtipulato, quando Carolus, & Bernardus de Parentiis adminiſtrationem bonorum Card. à Balneo dimiſerunt in manibus Marchionis Jo: Franciſci ejus hæredis, idque firmare ſatagebant ea facti circumſtantia, quod cum in dicto inſtrumento Marchio præfatus ſupponeret Cardinalem remanere debitorem eorum de Parentiis ante redditam rationem in ſc. 1500., dedit eis in ſolutum Palatium, & Viridarium Caſtri Canndulphi; undè cum poſtea reddita ratione fuerint è contrario Parentii reperti debitores in ſcut. 1120., & proveniat iſtud debitum non ab adminiſtratione ſuſcepta anno 1663., ſed à receptione dicti Palatii, & viridarii ſequuta anno 1671., & ideò ceſſio reportata per Girozzium à Marchione de Balneo non transfuderit in illum jura, quæ poſſint experiri actione hypothecaria, ſed tantum actione perſonali repetitionis indebiti.

Irrelevans verò ex pluribus hujuſmodi argumentum eſt; quemadmodum enim dictum fuit in deciſione, quæ revidetur §. *Pro reſponſione.* Ea urgebat præ cæteris animadver-
5 ſio, quod etſi creditum Marchionis provenisſet ex cauſa prædictæ indebitæ ſolutionis ab ipſo factæ fratribus de Parentiis, negari tamen non poterat, quin originem, & cauſam habuerit à primo contractu ſuſceptæ adminiſtrationis, ſine qua Parentii nullum habuiſſent titulum recipiendi dict. ſcut. 1500., ſive eorum loco domum, & viridarium, itaut proindè ejuſdem cenſeri debeat naturæ, cujus cenſetur eſſe præcedens contractus, à quo cauſam habet, & eadem propterea anterioritate, & hypotheca potiatur, qua primus, ut plenè aliis relatis arguit *Manſ. conſult. 54. num. 37.*, *& Rota in Romana Æconomiæ, ſeu redditionis rationis 10. Febr. 1696 §. In nihilo coram Rmo Molines magno Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Et hoc ipſum exindè quoque reſultare
6 Dominis viſum eſt, quod in actu ipſius dationis in ſolutum domus, & Viridarii conventum extitit inter partes, quod Parentii tenerentur intra quatuor menſes de œconomia per eos exercita ab anno 1663. ad annum uſque 1671. rationem reddere; id quod optimè demonſtrat noluiſſe Marchionem à Balneo antiquam obligationem deſcendentem ab inſtrumento aſſumptionis œconomiæ ullatenus remittere, adhoc, ut iſte contractus vigore talis pacti ineſſet in ſecundo, & facta redditione rationis per Parentios, poſſet ipſe ad reliquatum agere non tam vigore ſecundi, quàm etiam primi alterius inſtrumenti à quo reddendæ rationis obligatio originaliter promanabat, ut plenè obſervavit etiam deciſio, quæ revidetur §. *Quod re vera*, *& §. Idque confirmatur.*

Nec diſſimilem huc uſque interpretationem habuerunt hujuſmodi inſtrumenta, &
7 conventiones in judicio, quippè quia tam in Tribunali A. C., quàm in hoc Sac. Auditorio proceſſum fuit ad relaxationem mandati pro dicta ſumma ſcut. 1170. vigore primi contractus, & quidem pro reliquatu redditionis rationis, & via exequutiva, quæ, ſi creditum promanaſſet ex ſecundo contractu, vel inſtrumento, minimè competiiſſet, cum, ut admittitur, agendum fuiſſet actione repetitionis in-
8 debiti, quodque plus eſt, cum pro toto dicto credito Marchio à Balneo egiſſet contra Lelium filium Bernardi in vim ſolidalis obligationis contentæ in primo inſtrumento anni 1663., excepit iſte, quod actio non intrabat, ex quo in illo ſecundo inſtrumento anni 1671. nulla clauſula ſolidalis legeretur, ſub qua licet Carolus, & Bernardus ſe obligaſſent in dicto primo inſtrumento ſuſceptæ admini-

ſtrationis, nihilominus non poſſet de illo ulla omnius haberi ratio, cum creditum promanaret à ſecundo inſtrumento dationis inſolutum; ſed ſemper Sac. Rota reſpondit creditum Marchionis, ejuſque actionem provenire à primo inſtrumento, & hæreditatem Bernardi inſolidum obligati cum Carolo teneri ad integram ſummam ſcut. 1130., ut plenè videre eſt in *Deciſione Romana Œconomię, ſeu redditionis rationis* 10. *Febr.* 1696. *cor. Rmo Molines magno Hiſpaniarum Inquiſitore*, confirmatoria aliarum præcedentium 24. Aprilis 1693., & 10. Maii 1694. coram
9 bo. me. Pio, quæ Deciſiones cum prodierint ſuper hoc eodem credito, & puncto, veniunt hodiè ſupponendæ, neque incidenter poſſunt revocari, juxta ſtylum de quo aliàs *dec.* 299. *num.* 12 *par.* 11. *rec.*, *dec.* 77. *num.* 66. *coram Rmo P.D. meo Decano, & in Romana manutentionis* 19. *Febr. currentis anni* §. *Ut enim coram R. P. D. meo Falconerio*, & tanto magis, quia ſubindè fuerunt hujuſmodi judicata canonizata per Signaturam juſtitiæ.

Opponebatur denique à fratribus de Benaglia pro impedienda Girozzio immiſsione retentio ex eo, quod jam ipſi aliam ab altero Creditore anteriore immiſſionem in ſalviano paſſi fuiſſent, nempè à fratribus de benedictis Ceſsionarii Rev. Cameræ ſuper iiſdem controverſis Apothecis, & appartamentis, ſed hujuſmodi exceptio æquali facilitate removeri Dominis viſa fuit. Præter enim alias reſponſiones ex ineluctabili facti circumſtantia, ceſſabat omnis difficultas ex eo ſcilicèt, quod dd. Fratres de Benaglia pro moleſtiis paſsis ab illis de Benedictis relevationem obtinuerunt contra alia Bona communis debitoris, juxta documenta relata
10 in Summario reſponſionis Girozzii; undè quatenus etiam jus aliquod acquiſiviſſent ex obtenta revelatione, fuiſſet extinctum, ideoque totaliter inefficax ad obtinendam retentionem, *Rot. dec.* 201. *num.* 18. *coram ſan. me. Alex. VIII.*, *dec.* 290. *num.* 7. *coram Emer. Jun.*, *& dec.* 384. *num.* 6. *par.* 19. *rec.*, *ac paſſim alibi.*

Et ità relativè in reliquis ad præcedentem deciſionem quinto, & ſexto ſuffragium ferentibus utrique parti reſponſum fuit &c.

VITERBIEN. CAPPELLÆ.

Veneris 14. *Maii* 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Legitimarius tenetur ad ratam legitimę acceptæ defuncti æs alienum dimittere, ſi eo indeducto, legitimam eſſet conſequutus; ſecus verò ſi ante receptionem legitimę illud fuiſſet de medio ablatum.*

DECISIO MX.

Dictum fuit in prima deciſione hujus cauſę edita coram Me ſub die 26. Junii ſuperioris anni deberi Cappellanis aſsignamentum pro duabus ex tribus partibus à D. Hieronimo de Alteriis univerſali hærede Principis Angeli, & pro alia tertia parte à D. Principe Gaſpare legitimario; ſed in alia poſtmodum edita die 15. Martii currentis anni, recedendo in hac parte à deciſis, Domini cenſuerunt, illud in totum deberi à D. Hieronymo.

Cum autem hodie peteretur cauſæ expeditio, & pro parte ejuſdem D. Hieronymi per liquidas probationes doctum fuerit Judices compromiſſarios aſsignaſſe D. Principi Gaſpari in cauſam legitimæ tertiam partem omnium bonorum hæreditariorum memorati Principis Angeli, non deducto prius ære alieno, ſub quo etiam continetur aſsignamentum debitum dictis Cappellanis, annuerunt Domini expeditioni cauſæ, extenſa tamen ac brevi deciſione, in qua declarari voluerunt, *quod aſſignamentum prædictum pro duabus ex tribus partibus debeatur à D. Hieronymo, & pro alia tertia parte à D. Principe Gaſpare*, ut erat modus primæ deciſionis;
1 cum legitimarius tunc ſolum non teneatur pro ſua rata ad debita hæreditaria, quando illi aſsignata fuit legitima de bonis, & corporibus remanentibus in hęreditate, ſubducto prius ære alieno, quo defunctus Pater gravabatur, quod hic factum non fuit.

Et ita utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO.

Veneris 4. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Teſtator, quando ad primogenituram primariò ex germano fratre nepotem, & ſecundariò, in iſtius lineæ defectum alios maſculos aliarum linearum maſculinarum ejuſdem ſuę familiæ, ordine primogeniali, & deindè demum his omnibus lineis maſculinis extinctis, maſculos ex fæminis de primo inſtituto vocaſſet, quoties ad agnationis conſervationem reſpexiſſet; ſi linea ejuſdem primi maſculi expiraſſet, primogenitura ad maſculum alterius lineæ ſecundariò vocatæ devolvitur ad excluſionem maſculi de femina à primo inſtituto originem trahente, etiam ſi iſte maſculus de fæmina eſſet ſanguine eidem teſtatori proximior, quam ille; votum enim agnationis, cum in eodem teſtatore carius ſit, ideò fæminæ, ſeu maſculi de iſtis in eo tantum caſu ad primogenituram invitati præſumuntur, quando opus eſt, ut artificialiter teſtatoris linea maſculina extincta per medium fæminæ reviviſcat.

SUMMARIUM.

1 *Maſculi ex fęminis etiam dicuntur vocati ſub nomine nepotum, & pronepotum primi maſculi inſtituti.*

2 *Amplia, quando ſub eadem verborum formula*

mula cæteræ fuiſſent expreſſæ ſubſtitutiones, addita generali vocatione deſcendentis maſculi.

3 *Vocatio deſcendentis maſculi ex nepote primi inſtituti, verificari etiam poteſt de maſculis per medium ſeminę deſcendentibus.*

4 *Limita, quando Teſtator maſculos de maſculis vocaſſet, & ſuæ agnationis conſervationem præ oculis habuiſſet.*

5 *Limitatio teſtatoris menti conſona attendenda eſt in regulandis ſucceſſionibus, non verò regula, qua communiter procederetur.*

6 *Reſtitutio in integrum non datur, niſi de ſententiæ injuſtitia, vel læſione conſtet.*

7 *Maſculi ex maſculis ſolum dicuntur à teſtatore vocati, quando teſtator dixiſſet, quod in omni parte ſui teſtamenti, ubi de nepotibus mentio fiat, ſemper qualitas maſculinitatis intelligeretur adiecta.*

8 *Maſculi ex fæmina non dicuntur vocati, quando ex ampliſſima teſtatoris declaratione maſculi de maſculis, tantùm voliti viderentur.*

9 *Maſculi ex fęminis expreſsè dicuntur à teſtatore excluſi, quando in omni ſubſtitutionum gradu maſculinitatem expreſſiſſet.*

10 *Amplia quando teſtator facultatem dediſſet Patri primo inſtituti nominandi alium maſculum de lineis à ſe deſignatis, & vide rationem.*

11 *Facultas nominandi ſucceſſorem maſculum ad fideicommiſſum à teſtatore alicui tributa, ſtat loco ſubſtitutionis.*

12 *Maſculi ex maſculis dicuntur vocati, & maſculi de fęminis excluſi, quando teſtator facultatem dediſſet nominandi alium ſucceſſorem maſculum in defectu inſtituti ſine maſculis.*

13 *Amplia, quando teſtator, deſertis maſculis linearum vocatarum, in caſu iſtarum expirationis ad maſculos ex fæmina magis proxima ultimo agnato deſcendiſſet, maſculos ex maſculis de hac eadem fæmina vocando.*

14 *Subamplia, quando maſculi agnati ex teſtatoris diſpoſitione à maſculis cognatis ſegregantur, & juxtà ordinem prędilectionis, ſecundi in primorum defectu eliguntur.*

15 *Item; quando teſtator deſcendentes maſculos de maſculo unius lineæ aliis maſculis de maſculis aliarum linearum, etiam iſtos vocando pariſicaſſet.*

16 *Maſculus ex maſculo quando eſt primo loco vocatus, ita alii, ad ſimilitudinem primi vocati dicuntur, ne ante hos diverſæ perſonæ dicantur electæ.*

17 *Maſculus de agnatis dicitur prælatus maſculo ex fæminis ex diſcretivo loquendi modo teſtatoris, ex quo pateret, quod primo onus aſſumendi ſuum nomen, & alteri, ultrà hoc, etiam cognomen, & arma injunxiſſet, quod præſumere facit, ut prædilectior fuerit primus, quam ſecundus.*

18 *Teſtator, quando primo vocatis onus aſſumendi cognomen, & arma non injunxiſſet, præſumitur, ut has qualitates in illis adeſſe ſciviſſet.*

19 *Cognomen eſt diſtinctivum unius familiæ ab alia.*

20 *Onus aſſumendi cognomen, & arma teſtatoris neceſſariiſſimum eſt in cognatis extraneę familiæ nomen geſtantibus.*

21 *Voluntas certa teſtatoris circa vocationem potius unius lineæ in primo loco, quam alterius, ex omnibus coniecturis ſimul junctis deſumitur.*

22 *Maſculi ex maſculis dicuntur à Teſtatore prædilecti ad excluſionem maſculorum ex fæminis ob votum in teſtatore agnationis ſuæ conſervandæ.*

23 *Amplia in concurſu maſculorum ex maſculis immediatè deſcendentium cum maſculis ex fæminis.*

24 *Votum conſervandæ agnationis in teſtatore ex circumſtantiis, & conjecturis tacitè inducitur, & benè declaratur.*

25 *Coniecturæ tacitę conſervandæ agnationis de mente teſtatoris, ſunt ordinatio primogeniturę in infinitum, multiplicatio ſubſtitutionum, fæminarum excluſio, & ſimilia.*

26 *Amplia, quando in qualibet teſtamenti parte maſculinitatem in vocatis repetiiſſet, & primo loco nepotem ex fratre, & ſucceſſivè nepotes, & pronepotes maſculos in infinitum vocaſſet.*

27 *Subamplia, ſi providiſſet in fine diſpoſitionis agnationis defectui, in ſubſidium invitando maſculos ex fæminis cum onere aſſumendi nomen, & cognomen.*

28 *Votum conſervandæ agnationis, ex quibus, & quare dicatur fuiſſe à teſtatore volitum, & conſideratum, quæ ſolum per maſculos de maſculis ſuſtinetur,* amplia, ut in num. 29.

30 *Voluntas teſtatoris, quando agitur ſimpliciter de declaratione, non verò de extentione fideicommiſſi ab eo conditi ex qualibet ejus parte deſumi poteſt, & explicari.*

31 *Nomen familiæ non ſolum de agnatis, verum quoque de omnibus fideicommittenti propinquis, & cognatis prædicatur.*

32 *Prædicatur de agnatis tantum, quando teſtator ei adjeciſſet cognomen ſuæ domus, ſecus, ſi illud non adieciſſet.*

33 *Reſtrictum à teſtatore cum ſuo pronomine non eſt omnium agnatorum, & cognatorum compræhenſivum, ſed ad propriam, & effectivam teſtatoris familiam coarctatur.*

34 *Diſcretiva teſtatoris loqutio in uno caſu (ut dignoſcatur, an maſculos ex fæminis etiam in conditione poſuiſſet) dat intelligere, ut ubi eam non expreſſit, eam noluiſſe præſumatur.*

35 *Non conſtituitur, quando teſtator diverſis uſus eſſet diſponendi formulis, omneſque vocatos pro identicis, & non diverſis perſonis habuiſset.*

36 *Linea maſculina primi inſtituti dicitur poſita in conditione, ſicut & linea ſubſtitutorum, quoties teſtator declaraſset, quod loquendo de linea tam inſtituti, quàm ſubſtituti, ſemper maſculinitatem addere intellexiſset.*

37 Te-

37 *Teſtator quando agnationem contemplaſset, ratio ſanguinis non operatur, ut dicantur potius vocati maſculi de fęminis à ſe immediatè deſcendentibus, quàm maſculi alterius lineæ, licèt remotiores, quia iſti, & non illæ ſuam familiam maſculinam ſubſtinent.*

38 *Linea non intelligitur à teſtatore prolata in tota ſua latitudine, quando (hoc poſito) abſurdum orîretur, & quomodò* vide in num. 40.

39 *Indefinitè prolata, eſt non ſolùm deſcendentium ex fæminis, ſed ipſorum met fęminarum comprahenſiva.*

40 *Abſurdum eſset, ſi fæminę à teſtatore ſemper excluſæ, ſub denominatione lineæ debeant ſimul dici comprahenſæ, & ſub eadem conditione, qua maſculi à teſtatore ſunt vocati.*

41 *Maſculi proximiores, quod excludantur à fæminis remotioribus videtur à mente teſtatoris alienum.*

42 *Amplia, ſi fęmina, vel deſcendentes de ipſa agnatis præponerentur, ad quos principaliter teſtator reſpexiſset.*

43 *Maſculus ex fęmina, ut dicatur vocatus, ſimulque non habeat locum, donec exiſtant maſculi de maſculis, neceſse non eſt, quod extincta una linea maſculina de illis à teſtatore volitis, ſuccedat, quando aliæ adhuc vigeant, ſed ſat eſt, quod aliquo poſſibili caſu, nempe poſt reſecatas omnes lineas maſculinas, valeat ſuccedere.*

44 *Amplia, ſi teſtator in ſubſtitutione deſcendentis de fęmina, imperſonali vocatione uſus eſset, dicendo* -- il Primogenito d'una femina -- *ſub conditione deficientiæ maſculi ex maſculo.*

45 *Vocatio maſculorum de fæminis in caſu prędicto dicitur volita à teſtatore ad renovandam agnationem artificialiter ad excluſionem cæterorum ſubſtitutorum extraneorum, quos minus illis teſtator dilexiſſe pręſumitur.*

45 *Stemmata, & inſignia agnationum diverſitatem, ſeu identitatem indicant.*

47 *Diverſa inſignia deferentes, dicuntur extranei.*

48 *Teſtator in paritate ſubſtitutorum electionem iſtorum ad tramites proximitatis regulaſſe præſumitur.*

49 *Regulæ fundatę in nuda præſumptione voluntatis defuncti, veritati cedunt.*

50 *Votum agnationis in mente teſtatoris compatibile non eſt cum tranſitu primogenituræ in fæminas, vel maſculos ex eis, licèt ſibi proximiores, donec maſculi de vera agnatione ſuperſunt.*

DECISIO MXI.

TEſtamentaria diſpoſitio Marchionis Octavii de Bubalo, in qua iſte primogenituram inſtituit favore Pauli eius ex Angelo germano fratre nepotis, & deindè favore maſculorum deſcendentium ex eodem Paulo, vel ex aliis filiis d. Angeli cum vocatione linearum Horatii, Quintii, & Mutii in diverſis Colũnellis eiuſdem familiæ exiſtentium, aliarumque demum perſonarum de primogenito in primogenitum uſque in infinitum, anſam præbuit acerrimæ non minus, quàm celeberrimæ quæſtioni; quippe quia, cum ſine filiis maſculis obiiſset idem Paulus, primus hęres inſtitutus, relictis tantummodo duabus filiabus fæminis (Domina ſcilicet Contiſsa nupta in familia Nicolina, & Domina Victoria in familia Falconeria) ac nominaſset in ſucceſſores prædictę primogeniturę filios maſculos earundem fæminarum, etſi nòn poſsent iſti ſuccedere, Hiacynthum filium Quintii prætenſionem hic excitavit, quod eſſet ipſe in excluſionem præfatorum maſculorum ex fæminis, ex teſtatoris voluntate ſucceſſurus.

Iudicium propterea inſtruxit in Tribunali A.C., petens ex remedio *l. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll.* immitti ad omnia bona primogenialia, quo pendente ſupervenit commiſſio manu Sanctiſſimi ſignata, iniungens, quod A. C. procederet de voto huius ſacri Auditorii; undè uſque ſub die 8. Martii 1667. diſputari cæpit coram clar. mem. Card Cerro -- *An Hiacyntho danda foret immiſſio*, & licèt prima vice *negativa* prodiiſset reſolutio, ut conſtat ex deciſione inter eius impreſſas *la* 885., cauſa tamen ſubindè bis repropoſita, reſponſum fuit illius favore pro conceſſione petitæ immiſſiouis, ut ex alia deciſione diei 8. Iunii 1668. *la* 910., perſtitique ſacrũ Tribunal in eodem ſenſu, non ſolùm in diſcuſſione virium præfatarum inter ſe pugnantium deciſionum coram bon mem. Albergato iuxta tertiam deciſionem editam 6. Martii 1671 relatam in *part. 17. rec. dec.* 59., quod ſubſequuta fuit voti Rotalis promulgatio, & prolatio ſententiæ Auditoris Cameræ, verum etiam in poſterioribus aliis geminis ſententiis latis à bon. me. Emerix, prævĳs aliis duabus deciſionibus inter iſtius impreſſas *la* 86., & 122., & à clar. mem. Card. Vicecomite, cum ſuis pariter deciſionibus, quæ ſunt in *p.* 18. *rec. dec.* 27. & 164.

Approbatis his judicatis per Signaturam Iuſtitiæ, cum clauſula, *ſine prejucio*, Marchio Hiacyntus poſſeſſionem omnium bonorum primogenituræ ſubiectorum adeptus fuit, quę poſt illius obitum interea ſequutum tranſiit in D. Marchionem Octavium Rinaldum, & ex iſtius renunciatione, in D. Marchionem Octavium Federicum maſculos de Linea Horatii à teſtatore pariter contemplata. Nuper tamen obtenta per Dominos de Nicolinis, & Falconeriis nova commiſſione reſtitutionis in integrum, cũ prędicta clauſula *ſine præjudicio*, eaque mihi directa, renovata fuit eadem quæſtio, propoſitoque dubio ſub die 25. Ianuarii currentis anni -- *An conſtet de re judicata, ſeu potius, de cauſis reſtitutionis in integrum*, & cum Domini concordes non fuerint in illius reſolutione, imò putaverint, ex quo ageretur de graviſſimo juris articulo, ſuper quo preciſè ſcripſerunt celebriores noſtri ævi Iuriſconſulti, & præſertim *Card. de Luc. diſc.* 25. *de fideicom.*, *Palm. nep. alleg.* 221., & latiſſimè *Torr. de Majorat.*

*jorat. cap.*38.*tom.*1., *Altog.jun.controv.*68, *Rodulphin.alleg.* 174. , ac de reviſione antiquę rei judicatæ, in qua ſupra recenſitæ prodierunt deciſiones, tutius procedendum cum ſenſu omnium Dominorum Coauditorum, quemadmodum etiam uſque ab initio diſcuſſionis gravium cauſarum practicari aliàs conſuevit, & ſignanter in Avenionen. Officii Fiſcalatus,& in Melevitana Mareſciallatus,& in Romana primogenituræ,& fideicommiſſorum de Corſinis, recenter in hoc ſacro Auditorio reſolutis, reſcripſerunt, *iterum proponatur*, *& videant omnes.*

Rediit itaque præmiſſum dubium ad omnium Dominorum examen in præſenti audientia, & profundè rimatis utriuſque partis rationibus concluſum extitit *conſtare de re judicata*.

1 Quamvis enim pro vocatione maſculorum ex fęminis in Octavii teſtamento plurimum facere videretur, quod Paulo Primo inſtituto fuerunt ſubſtituti, non ſolùm *il ſuo figlio primogenito*, ſed etiam, ſunt verba ipſius diſpoſitionis -- *i nepotì*, *e pronepoti*, *ed altri ſui deſcendenti.maſchi legitimi*, *e naturali*, --
2 & ſub eadem verborum formula cæteræ cõpletæ fuerunt ſubſtitutiones, addita ſemper generali alia vocatione, deſcendentis maſculi, quæ optimè poteſt intelligi, & verificari
3 de deſcendentibus maſculis à Paulo etiam per fæminas, undè conſerentur ad primogenituram admittendi filii fæminarum ejuſdem Pauli, uti, & ipſi ab illo deſcendentes, juxta *reg.* communiter tributam *Fulgoſ. conſ.*8*c.* originariè verò promanantem ex *Text. in l.* 1. *Auth.de hæred.ab inteſt.venien. collat.*9., & toties à noſtro Tribunali approbatam etiam in terminis primogeniturę, ut *in deciſ.* 249. *n.*1.*&* 2.*p.*7.*rec.*, *dec.*96.*n.*1. *coram clar. me. Card. Cerro*,*in Camerinen. Fideicommiſſi*, *ſeu Primogenituræ* 11. *Maii* 1703. 1703. §. *Preterquam quod cor. Rmo Molines magno Hiſpaniarum Inquiſitore*, *& in Bononien. Primogeniturę de Cultellis* 19. *Junii* 1716. § *Retenta cor.R.P.D.meo Cerro.*

4 Dixerunt tamen Domini æquè claram, & communem apud Doctores eſſe limitationem iſtius regulæ, quoties ex teſtamentaria diſpoſitione compertum ſit, noluiſſe teſtatorem ad ſucceſſionem in ſuis bonis admitti niſi maſculos ex maſculis, & pollentes qualitate maſculinitatis, tam ex parte generantis, quàm generati, ſeu habuiſſe illum præ oculis in condenda diſpoſitione conſervationem proprię agnationis, ut de prima latè dixit *Rota in dec.hujus cauſæ co. Cerro la*910 *n.*3.*&* 4.,*& dec.*64.*n.*22 *p.*17.*rec.*, & aliàs firmavit *dec.*17. *nu.*4. *poſt Cenſal. ad Peregrin. de fideicom.*,*dec.*651.*n.*33. *coram Dunoz jun.*, *dec.*493. *n* 23. *& ſeq. cor. Bich.* , & plenè *in Bononien. fideicom. de Roſſenis* 4.*Junii* 1708. §. *Non relevante cor.bo.mem:Omanna*, & de ſecunda,præter adductos in dictis cauſæ deciſionibus,& in alia *la* 164. *num.*8. *p.*18 *rec.*, agunt in ſpecie *Molin. de primog. cap.*5.*n.*47. *lib.*3.,*Caſtil.controv.jur.lib.*3. *cap.*29. *n.*23., *Rodulphin. allegat.*54.*n.*1., *Rot.dec.*410. *nu.* 24.*&* 44.*p.*19.*rec.*, *& in Forſempronien. legatorum ſuper fideicomm. Antonii* 2. *Maii.* 1712 §. *In re itaque cor. Rmo P.D.meo Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien. Et de utraque plenè in Reatina primogenituræ de Nobilibus* 26. *Aprilis hujus anni* §. *Prout*
5 *etiam cor.R.P.D.meo Criſpo*, Cũque voluntati Octavii controverſæ primogenituræ conditoris hæc limitatio, non verò præmiſſa regula adaptari viſa fuerit; hinc eſt, quod etiam cenſuerunt rectè fuiſſe ab illius ſucceſſione excluſos maſculos deſcendentes ex fæminis, & è contrario optimo jure admiſſos extitiſſe Hiacyntum, alioſque maſculos immediatè deſcendentes ex Quintio, ex Horatio maſculis à teſtatore explicita vocatione
6 honoratis; ideoque ſublata ex hoc qualibet trium pręcedentium ſententiarum injuſtitia & læſione, ac validitate cæteroquin non controverſa, inconcuſſa remanebat res judicata, nec locus erat petitæ in in integrum reſtitutioni, juxta pleniſſimè *firmata in Tolentina diviſionis* 20.*Aprilis* 1708. §.*Siquidem cor. Eminent. D.Card. Scotto*,*in Romana legati de Carafis ſuper reſtit.in integ.* 25. *Jun.*1714.§.*Ea enim cor. Rmo P.D.meo Anſaldo Decano*,*& in Bononien.Proxenetici* 14. *Janu.* 1715.§.*Donec cor. R.P.D.meo Cerro.*

7 Quod autem Octavii voluntas ea fuerit, quod maſculi tantum ex maſculis in ſucceſſione locum obtinerent, ex pluribus teſtium partibus id unum efficaciter importantibus, deductum fuit, & pręſertim ex ſpecifica ipſius declaratione contenta in §. 25. prędictæ diſpoſitionis impreſſæ, & ad partes diſtributæ, ubi cautum ille voluit, quod *in tutti li luoghi*, *nelli quali ſi fa menzione di figliuoli*, *nipoti*, *pronipoti*, *ed altri deſcendenti*, *hò inteſo*, *ed intendo ſempre di maſchi legitimi*, *e naturali*; undè cum in præcedenti §. 2. Paulo primo hæredi ſubſtituiſſet *il ſuo figlio primogenito*, *e nipotì*, *e pronipoti*, *ed altri deſ-*
8 *cendenti maſchi*, ſtante ampliſſima declaratione relativa ad omnes teſtamenti partes, & diſpoſitiones, dicendum eſt, quod intellexerit de primogenito maſculo, nepote maſculo &c., & ſic per omnes deſcendentiæ gradus de maſculo, & ceſſare propterea debet alia quęlibet interpretatio, dum concurrit ipſius teſtatoris ſpecifica declaratio, *Rodulphin.allegat.*174.*n.*2., *Rota cor.Priol.dec.*205. *n.*2., *& dec.*304.*n.*5.*p.*19. *rec.*, *& in Romana fideicommiſſi* 10. *Junii* 1698. §. *Hujuſmodi* , *& ſeq.cor.Me* , & conſequens indè fit rejectio cujuſcumque maſculi deſcendentis ex fæ-
9 mina, quia præſignata in omni gradu maſculinitas, hujuſmodi qualitatem exigit, tam in generante, quàm in generato ad ſucceſſionem concurrente, ut præter adductos in deciſionibus cauſæ *cor. cla.me. Card. Cerro*, *& bon. me. Albergato*, firmavit etiam *Rot. dec.*232. *n.*24.*& ſeq.p.*19.*rec.*,*in allegat.Romana fideicommiſſi*, *ubi ſupra cor. Me*, *in Interamnen. fideicommiſſi* 11. *Decembris* 1703. §. *His ſic cor. Rmo P. D. Molines*, *& in Bonon. fideicommiſſi*

commiſſi de Roſſenis 4. Junii 1708. §. *Volitam cor. bo.me. Omanna.*

10 Augetque robur hujuſmodi declarationis ea animadverſio, quod teſtator Angelo fratri ſuo, ac reſpectivè Patri ſæpedicti Pauli primi hæredis facultatem dedit, quoties iſte, prout de facto contigit, moreretur ſine filiis maſculis, nominandi in ſucceſſorem alium maſculum ex deſignatis lineis Horatii, & Quintii pariter de Bubalo, ut ex §. 14. & 15. dictæ diſpoſitionis, quod tamen non feciſset, ſi vocare intellexiſset maſculos ex fæminis deſcendentes, cum dari facilè potuiſset iſte caſus, quod Paulus decederet relictis fæminis habentibus, ut de facto evenit, filios; ideòque reſtringendo hujuſmodi facultatem no-
11 minandi, quæ procul dubio ſtat loco ſubſtitutionis ad caſum, in quo præcisè verſamur,
12 obitus Pauli ſine maſculis, & ad maſculos ex aliis prędictis maſculis, videtur ſatis explicitè demandaſse excluſionem deſcendentium maſculorum ex dictis fæminis, ut benè ponderavit *Rot. dec. 122. n. 23. & ſeqq. coram Emer. jun.*

Et idipſum ſatis importare viſum fuit aliud
13 argumentum ex eo profluens, quod teſtator, defectis omnibus maſculis linearum ab ipſo vocatarum, ad ſuam primogenituram litteraliter invitavit maſculos ex fæmina magis proxima ultimo maſculo agnato, cum præcepto, quod primogenitura ſucceſſivè ad alios maſculos, ex eodem maſculo devolveretur, ut in §. 19. ejuſdem teſtamenti, ex qua ſane expreſsa maſculorum ex fæminis vocatione deſignato tempore, & in certa ſede per Octavium canſtituta, apertè datur intelligi eoſdem maſculos ex fæminis, nunquam antea, juxta illius ſenſum admiſsos fuiſse, tum quia ita clarè pateſecit, quod ubi voluit eos admittere, id expreſsè fecit, & propriis diſsertiſque verbis dicere non ignoravit, *Altogr. contr. 68 nu. 9., Molin. de primog. p. 9. cap. 24. §. 24.*
14 *ſub n. 280.* Tum quia rectè exinde noſcitur maſculos agnatos ex dicti teſtatoris diſpoſitione ſegrègatos fuiſse à maſculis cognatis, & juxta prędilectionis ordinē ab ipſo connotatum, prius evacuandum eſse genus maſculorum agnatorum antecedenter vocatorum, & ſolummodò in iſtorum defectum ſubſidiariè recurrendum fore ad genus maſculorum cognatorum, ut ad præciſum effectum reſtringendi præcedentes vocationes ad maſculos ex maſculis, obſervarunt aliàs *Mantic. de conjecturis ult. vol. lib. 22. tit. 26 n. 13., Rot. Lucen. penès Palm. nep. dec. 214, nu. 16. tom. 3., Rot. noſtra in Peruſina fideicommiſſi 11. Decembris 1702. §. Et certius cor Em̃o D. Card. Scotto, & in Aven., ſeu Carpen. fideicom. de Tertullis 26. Martii 1708. §. Et hoc coram Em̃o D. Card. Priolo.*

Reſultat quoque alia conſimilis animad-
15 verſio ex eo, quod teſtator vocatione maſculorum deſcendentium ex Paulo parificavit vocationi aliorum maſculorum deſcendentium ex Horatio, Mutio, & Quintio, iſtos ad primogenituram invitando ſub §. 18. *con tuti gl'altri peſi, e condizioni dette, ed eſpreſſe di ſopra del Signore Angelo, e de ſuoi figli, e deſcendenti, quali peſi, condizioni, e gravezze, intendo, e voglio ſiano ſempre repetite, tanto riſpetto alli deſcendenti del detto Signore Orazio, quanto del Signor Muzio, e Quinzio, talmente che tutte le coſe che hò diſpoſto del Signor Angelo, e ſuoi figli, e deſcendenti, e circa anco l'eſcluſione delle femine &c., ed ad ogn' altra coſa da me diſputata di ſopra, s'intenda repetita anco ne ſucceſsori, e deſcendenti della linea del Signor Orazio, Muzio, e Quinzio.*

16 Cum verò certum ſit, quod teſtator deſcendentes à ſępedictis Horatio, Quintio, & Mutio deſignavit ſub nomine lineæ maſculinæ, voluitque eſse maſculos ex maſculis, dicendum utique eſt, non ſenſiſse diverſam ordinare diſpoſitionem in linea Angeli diverſas perſonas admittendo, quales eſsent maſculi ex fæminis, aliàs namque verificari non poſſet conformitas illa onerum, qualitatum, & conditionum per eum adeò exoptata in omnium dictorum vocatorum deſcendentibus, ut arguit in propoſito *Rot. dec. 218. n. 10 & 13. apud Palm., in Rom. fideicom. de Alvoris 12. Januari. 1711. §. Recurrendo coram R. P. D. meo Criſpo, & in Romana ſeu Interamnen. fideicomm. 2. Martii 1716. §. Quod ſi maiora, & 12. Junii ejuſdem anni § Et in nihilo cor. R. P. D. meo Cerro.*

17 Superaddentes his omnibus non modicam efficaciam diſcretivo loquendi, ſeu diſponendi modo, quo Teſtator uſus fuit in ſubſtitutione deſcendentium ex linea Angeli, & Pauli §. 13 ejus diſpoſitionis, ab eo, quem adhibuit in vocatione maſculorum deſcendentium ex Fæminis §. 19., illis enim onus ſimpliciter impoſuit aſſumendi proprium ſui ipſius nomen, ibi -- *tutti li Primogeniti, che ſuccederanno &c. debbano pigliare il mio nome, e chiamarſi Ottavio del Buſalo* -- iſtis verò ſpecificam obligationem adiecit aſſumēdi, non ſolum nomen, ſed etiam cognomen, & Arma ibi -- *debbano chiamarſi Ottavio del Buſalo, & uſare il mio nome, cognome, & arma, & impreſa mia*, idque non alia feciſſe
18 ratione cenſeri debet, quam ea, quod in vocatione deſcendentium Pauli, & Angeli, nonniſi de Maſculis agnatis intellexerat, in quibus onus aſſumptionis cognominis, & Armorum erat omnino ſuperfluum, cum ipſis illud eſſet proprium, & naturale, ac derivans à Patre, ſecundum quod unaquaque Familia diverſificatur ab alia, & nuncupatur quilibet
19 immediate genitus à maſculo de aliqua agnatione, ſeu Familia, *Peregrin. de fideicommiſſ. art 22. numero 25., Manſ. conſ. 357. numero 20., Torr. de Primogenit. cap 38 numero 3., & ſeqq. tom. 1., Rota in deciſ. hujus cauſæ 910. num. 6., & 8. coram Card. Cerro, dec. 69. num. 14., & duobus ſeq. p. 17. rec., & dec. 122. num. 21., & 22. cor. Emer. Jun.*, & e contra erat tale onus ex Teſtatoris Judicio
20 in cognatis, & deſcendentibus ex Feminis omnino neceſſarium, cum iſti illius extraneę Fami-

Familiæ gerant cognomen, & Inſignia, in qua nativitatem ſortiti ſunt.

Hęc vero omnia gravioris ponderis eſſe videbantur pro arguenda in teſtatore certa
21 voluntate vocandi tantum Maſculos ex Maſculis, non ſolum, ſi unitim, & ſimul ſumpta, ponderaretur, quemadmodum in interpretandis ultimis voluntatibus fieri debet, ut admonet *Rota dec.* 142. *num.* 40. *par.* 10., *dec.* 444. *num.* 13. *par.* 19. *rec.*, & *in Rom. locorum montium* 4. *Junii* 1714. §. *Quibus de-*
22 *mum cor. Rmo P.D. meo Anſaldo Decano* & paſſim alibi; verum etiam ſi reſpectus quoque haberetur ad votum Teſtatoris anxium & ſollicitum conſervandæ ſuæ agnationis, ſufficiens ut ſupra jam dictum fuit, etiam de per ſe ad excluſionem Maſculorum ex Fæ-
23 minis inducendam, præſertim in concurſu Maſculorum ex maſculis immediate deſcendentium.

Votum iſtud ſatis clarè in Teſtamento Octavii reperiri comprobabant Domini, non ex generali tantum ſuppoſitione, cum qua pertranſit *Rot. in iſtius cauſæ deciſione diei* 23. *Januarii* 1672. *cor. Emer. inter iſtius impreſſas la* 86. *num.* 10., & *repetita par.* 17. *rec. in ordine la* 229. *inquiens -- illud*, & *quidem forſan nimis ſollicitum tam clare reſultare ex toto tenore contextuq. teſtamenti, ut ſi abeſſet prolixitas, apprimè proponi poſſet Teſtatoribus pro exemplo perpetuo conſervandi nominis*, & *familiæ ſuæ claritatem*,
24 *ſed ex particularibus etiam circumſtantiis, atque conjecturis, quibus illud induci tacitè viſum fuit*, & *expreſſa juxta Teſtamenti verba declarari*.

25 Tacitè quidem unitim, ſimulque, ut par eſt, ponderando, quod Octauius Teſtator vir eximiæ Nobilitatis naturali impulſu adſuę familiæ claritatem optandam excitatus Primogenituram Ordinaturus, quæ tranſiret de Primogenito in Primogenitum uſque in infinitum, ad plures, ac multiplicatos ſubſtitutionum gradus digreſſus fuit, Monaſteria, ac Religioſos, nec non illegitimos omnes à ſucceſſione ſemper arceri voluit, fæminas quoque particulari honoratas legato perpetuo excluſit, in qualibet ferè Teſtamenti
26 parte maſculinitatem in vocatis repetere ſollicitus fuit, diſpoſitionem incepit à Filio maſculo Fratris, & in alios ſucceſſivè maſculos ſeſe convertit, vocando Nepotes, Pronepotes, alioſque deſcendentes maſculos in infinitum, & providit demum veræ agnationis defectui in poſtremis, remotiſque gra-
27 dibus, ſubſidiariè invitando ad Primogenituram maſculos deſcendentes ex fæminis, aut alios deſcendentes ex Baccio Cancellario, cum expreſſo onere aſſumendi, ac deferendi nomen, cognomen, & Arma domus de Bubalo, ita renovando artificialiter veram Familiam jam extinctam, ex quibus enixum Agnationis conſervandæ votum reſultare, alias in hac cauſa reſponſum fuit in *dec.* 910. *à num.* 14. *ad plur. ſubſeq. cor. Card. Cerro*, & *promiſcuè dixit Rot. Florentin. inter collect. per Palm. dec.* 310. *num.* 11., & *ſeq.*, *Rot. noſtra dec.* 80. *num.* 17. 18., & *ſeqq. cor. Benincaſa, dec.* 269. *num.* 16. *cum plur. ſeq. par.* 15. *rec.*, *in Romana Fideicom. de Moronis* 10. *maii* 1697. §. *Quibus omnibus* & §. *Potiſſimum cor. bo. me. Pio, in Bononien fideicom. de Roſſenis* 4. *Iunii* 1707. §. *elicitur coram bo. me. Omanna*, & *in Romana locorum Montium* 4. *Iunii* 1714. §. *Plures cor. Rmo P.D. meo Anſaldo Decano*.

28 Expreſsè autem habuiſſe in animo perpetuam conſervationem ſuæ agnationis litteraliter explicavit, rationem reddens ſuæ tam feriò ordinatæ diſpoſitionis ſub §. 22. iis verbis -- *perche l'intentione mia, è di perpetuare queſta Primogenitura in caſa del Bufalo, vedendoſi chiaramente, che la nobiltà ſenza le ricchezze malamente ſi conſerva* & rurſus ſub §. 27. conſimili expreſſione dixit -- *accio ſi conſervi la mia Eredità nelli nominati, e chiamati, e che la mia famiglia ſi conſervi nella ſua nobiltà* -- Quæ ſane verba, ſeu declarationes rectè præſeferunt proſpexiſſe ad familiæ conſervationem, & conſecutivè ad Maſculos agnatos, quorum medio Familiæ conſervantur, & in ſua vigent claritate, ut dixerunt antiquæ hujus cauſæ deciſiones, & præſertim *d. c.* 910. *n.* 10., & *ſeq. cor. Cerro*, & *dec.* 69 *nu.* 17. *par.* 17. *rec.*, & conſentanee firmatum fuit in *Spoletana hæreditatum* 13. *Jun.* 1704 §. *Teſtatricem cor. b. me. Omanna*, *in Baren. immiſſionis* 3. *Decembris* 1708. §. *Verum coram Rmo P. D. meo Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*, & *nuperrime in Reatina Primogen. turæ de Nobilibus* 26. *Aprilis* 1717. §. *In ſubjecta cor. R.P.D. meo Criſpo*, & quidem, etiamſi dd. verba legantur in caſu alienationis, aut delicti, quia non
29 agitur de extendendo eorum vigore Fideicommiſſo, ſed de illo declarando, quod ex quacumque Teſtamenti parte fieri poteſt, ut proſequitur *Rot. d. dec.* 910. *num.* 13. *cor.*
30 *Cerro*, & in aliis allegatis cauſæ deciſionibus, & comprobatur in *Faventina Fideicom.*, *ſeu Primogenituræ* 14. *Junii* 1705. §. *expreſſa cor. Emo D. Card. Scotto*.

Neque talis expreſſa Octavii voluntas excludi viſa fuit, ex quo uſus eſt generali, & indifferenti nomine Familiæ, quod non ſo-
31 lum de agnatis, ſed æque bene de omnibus propinquis fideicommittentis ejuſque cognatis prædicari poteſt, ad *Text. in l. fin.* §. *Si quis cod. de verbor. ſignific.*, *alioſque alleg. per Fuſar de ſubſt. queſt.* 385. *n.* 6. Quoniam,
32 aut dictũ Familiæ nomen in præſenti diſpoſitione expreſſum fuit cum adjuncto cognomine del Bufalo, quo caſu ſemper intelligitur de agnatione ſic adjuncta, juxta deducta in *Auximana Iuriſpatronatus* 27. *Iunii* 1701. §. *firmata vocatione coram Rmo P. D. meo Anſaldo Decano*, *in d. Spoletana hæreditatum* §. *Teſtatricem coram bo. me. Omanna*, & *in eadem Faventina Fideicommiſſi, ſeu Primogenituræ cit.* §. *Expreſſa cor. Eminentiſſimo D. Card. Scotto*, aut reſtrictum fuit cum Pronomine *ſua*, in quo pariter themate

33 non ſtat amplius ſubjectum familiæ in tota ſui latitudine comprehenſiva omnium agnatorum, & cognatorum, ſed coarctatur ad propriam, & effectivam ipſius Teſtatoris, *dec. Fuſar. conſil. 179. num. 37. & ſeqq., Rota 254. num. 7., & ſeqq., par. 19. recent., dec. 80. num. 17. cor. Benincaſa & dec. 1216. n. 2. cum ſeq. cor. Emer. jun.*

His ita firmatis, deſcendebant DD. ad examen eorum, quę è contrario, vel ad evertendã vocationem Maſculorum ex Maſculis, vel ad ſuadendam vocationem Maſculorum deſcendentium ex Fæminis allegabantur, ſtrictèque ea ponderando, quæ validius urgere poſſe ad hujuſmodi effectum videbantur, non obſtare putarunt argumentum illud,
34 quod Teſtator reſpectu Pauli poſuerit in conditione lineam ſimpliciter, & reſpectu Horatii aliorumque ſubſtitutorum loquutus fuerit de linea maſculina, quaſi quod ex diſcretiva iſta linearum denominatione declaretur, quod reſpectu Pauli Teſtator ponere voluerit in conditione etiam maſculos ex fęminis venientes ſub adeo ampla ſignificatione lineæ, id, quod Teſtator nolebat quoad alios ſubſtitutos, erga quorum deſcendentiam tanto amore, tantaque ſanguinis conjunctione non tenebatur vocando quoad iſtos maſculos dumtaxat ex maſculis.

Etenim ad elidendam efficaciam iſtius objecti, plurimum facere viſum fuit quod
35 Octavius Teſtator nequidem reſpectu aliorum ſubſtitutorum mentionem ſemper fecit de eorum linea cum adjunctione maſculinitatis, ſed pluries etiam quo ad iſtos lineam ſimpliciter enunciavit. Unde ex vocatione lineæ Pauli, & vocatione lineæ maſculinæ aliorũ conſtitui non poteſt diſcretiva loqutio, quæ non habet locum, quoties Teſtator diverſis uſus diſponendi formulis, omnes habuit pro identicis, & non diverſis, *Rodulph. allegat 22. num. 21., Rota dec. 40. num. 8. p. 5. rec., & in Bononien. fideicommiſſi 27. Junii 1708. §. denique cor. R. P. D. meo Falconerio.* Id, quod optime ſuadere valuit illa quoque ſuperius expenſa animadverſio, quod idem
36 Teſtator expreſſit ſeſe quod diſpoſuit in vocatione Pauli, diſponere voluiſſe in omnibus, & per omnia etiam in vocatione aliorum ſubſtitutorum, ita colligando diſpoſita quoad unum, & alios, ex quo reſultat in propoſito, ad ſervandam parificationem iſtam vocationum, & diſpoſitionum volitam à Teſtatore, quod ſi in ſucceſſivis vocationibus loquutus de linea, intellexit de linea Maſculina, eodem modo in vocatione Pauli, & in conditione defectus lineæ dicti Pauli, intellexiſſe cenſendum ſit de linea maſculina, ut dictum fuit ſupra § reſultat, firmantque Authoritates ibidem allegatæ.

Nullamque vim addit præfato argumento, quod Teſtator majori ſanguinis conjunctione teneretur erga deſcendentes ex fæminis Filiabus Pauli, quàm erga maſculos in defectum Lineæ dicti Pauli ſubſtitutos, quaſi quod ideo diſpoſitionem, & ampliorem pro ſtrictiori ſanguinis vinculo conjunctis voluerit efformare, quoties enim certum eſt, voluiſſe illum Primogenituram condere pro conſervatione ſuæ agnationis, & ideò habuiſſe in
37 animo ſtrictum votum agnativum, dicendum eſt, plus apud ipſum valuiſſe rationem conſervandæ ejuſdem agnationis, quàm valeret ſola ratio ſanguinis, & ideo poſt poſitos ab eo fuiſſe maſculos deſcendentes ex fæminis, licet proximiores maſculis agnatis remotioribus, dum in iſtis finem ſuæ diſpoſitionis obtinebat, non verò in illis, qui in aliena naſcebantur Familia, ut advertit *Rot. in Aven., ſeu carpentoraten. fideicommiſſi de Tertullis 2. Decembris 1705. §. Præſertim coram Rm̄o P. D. Molines magno Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Suadebant ulterius Domini penitus ex-
38 cludi, quod prolatio lineæ in præmiſſa conditionali fuerit à Teſtatore intellecta in tota ſua latitudine ex abſurdo, quod ex inde cęteroquin oriretur. Quippe quia in dubii juris
39 eſſet ſub illius indefinita ſignificatione venire poſſe non ſolum deſcendentes ex Fæminis, ſed & ipſas Fæminas, unde ſequere-
40 tur, quod iſtæ, licet à Teſtatore totaliter excluſæ ſub eadem vocatione, ſeu conditione comprehenderentur, quodque præ-
41 fati maſculi per unum, vel plura media fæminina deſcendentes ex Fæminis, & ſic de familiis prorſus extraneis venire poſſent in excluſionem etiam filii, ſecundo, vel tertio geniti Angeli fratris ipſius Teſtatoris, quando tamen in eadem diſpoſitione de poſſibili iſtorum exiſtentia cogitatum fuit, ut alias animadverſum extititin *dec. hujus cauſæ cor. Cerro 910. n. 29., & dec. 69. num. 23. par. 17. rec., & comprobat. dec. 397. num. 6. par. 15. rec., & in Romana fideicommiſſi de Albericis 6. Junii 1704. §. fin. coram bo. mem. Omanna* Ponderandò ſignanter, quod Teſtator in Filiis Angeli ejus fratris diverſas
42 ſemper lineas conſideravit, ut rectè conſtat ex lectura Teſtamenti §. 11., ubi fit mentio de linea Pauli, & ſucceſſivè de linea filii ſecundo geniti dicti Angeli, itaut, admiſſis ſub vocatione lineæ Pauli, vel Fæmina, vel deſcendentibus Fæminæ, præponerentur iſti, & ſecundogenito, & tertio genito Angeli cęteriſque omnibus agnatis propriæ Teſtatoris Familiæ, & æque ſanguine conjunctis, atque ita accurate ſubſtitutis, ut proſequitur eadem *dec. 69. num. 24. par. 17. rec.*

Sicut etiam nequaquam ſubſiſtere exiſti-
43 marunt aliud fundamentum pro Maſculis deſcendentibus ex Fæminis adductum ex eo, quod niſi iſti in ſubſtitutione deſcendentium Pauli, vel in præfata conditionali comprehenderentur, nullam aliam ſedem obtinerent in Octavii Teſtamento, quando tamen voluit hic onorare etiam maſculos deſcendentes ex Fęminis remotiorum ſubſtitutorum; expreſſa namque vocatio Maſculorum deſcendentia ex fæminis reperiebatur in §. 19. Teſtamentariæ diſpoſitionis eo concepta, caſu, quo defi-

deficerent lineæ Maſculinæ, non ſolum Pauli, ſed Horatii quoque, Mutii, & Quintii per ea verba -- *In tal caſo chiamo alla mia eredità, ſucceſſione, e Primogenitura il Figliolo Primogenito di una Femina* -- & licet ſubſequatur illa reſtrictio -- *Purchè ſia Sorella carnale, overò Zia, ò da parte di Padre, o di Madre dell' ultimo ſucceſſore, che moriſse ſenza figli, e deſcendenti Maſchi* -- hoc tamen non tollit, quin iſta ſubſtitutio facta dici queat etiam Filio Maſculo Fæminę deſcendentis ex Paulo; ſi enim linea maſculina ejuſdem Pauli diuturnum habuiſſet ſprogreſſum, & de tempore ejus extinctionis nullus adfuiſſet ſuperſtes de linea maſculina Horatii, Quintii, & Mutii, prout certe poterat contingere, utique ultimus Maſculus in Primogenitura ſucceſſor, fuiſset de linea Pauli, & ſubſtitutio filii Primogeniti Fęminæ proximioris ultimo defuncto ordinata in defectu lineæ Maſculinæ Horatii, Quintii, & Mutii, purificata fuiſſet in filio fæminæ deſcendentis ab eodem Paulo, id, quod ſufficit, ut talis à Fæmina deſcendens habere locum dicatur in ſubſtitutione, quia neceſſè non eſt, quod actualiter, & in effectu ſuccedat, ſed ſufficit, quod aliquo poſſibili caſu juxta mentem Teſtatoris ex ea ſubſtitutione ſucceſſionem poſset obtinere, ut huic obiecto reſpondendo, ponderavit *Rota dec.* 910. *n.* 26., *& ſeq. cor. Card. Cerro*.

Maxime quia Teſtator in d. ſubſtitutione
44 Primogeniti deſcendentis ex fæmina uſus eſt imperſonali, & indefinita vocatione, nullatenus reſtricta ad lineam Horatii, aliorumque prædictorum ſubſtitutorum, vocando -- *il Primogenito di una femina, cioè di quella &c.* Idque fecit ſub generali conditione deficiĕtiæ Maſculi ex Maſculo apti ad primogeniturā obtinendam, quæ deficientię cōditio purificari poterat, tam in caſu exiſtentię, & ſucceſſivę defectionis, quàm in caſu omnimodæ deficientię de tempore àpertæ ſubſtitutionis, ut communiter tenent *Peregrin de fideicommiſſis art.* 15. *n.* 16., *de Luc. eodem tract. diſc.* 90. *num.* 3., *Rota dec.* 104. *n.* 16. *p.* 16., *dec.* 189. *n.* 7. *p.* 19. *rec., in Romana Fideicommiſſi* 10. *Iunii* 1698. §. *Quippe cor. Me, & in Maceraten Fideicommiſſi* 6. *Maii* 1709. §. *primo cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*.

Minuſque ad excluſionem voti Agnatitii, & vocationis Maſculorum ex Maſculis congruere valuit ponderatio, quod Teſtator non ſolum vocavit deſcendentes ex prædicta Fæmina in caſu deficientiæ lineæ Maſculinę Horatii, Quintii, & Mutii, ſed etiam illos prętulit deſcendentibus Bacci de Cancellariis, quando tamen, ut ipſe in ſua diſpoſitione conteſtatus fuerat; iſte Baccius erat de vero
45 Cippo Familiæ ipſius Teſtatoris, Quandoquidem vocatio deſcendentium maſculorum ex Fæminis volita à Teſtatore ad renovandam artificialiter agnationem defectam in filiis maſculis prædictorum vocatorum, non aliud demonſtrat in pręſenti, quam quod ille naturali ſanguinis impulſu ductus, filios deſcendentes ex Fæminis procreatis ab Agnatis præferre voluit Maſculis deſcendentibus ab eis, quos pro extraneis reputavit, nec propterea indè ſequitur, quod votum conſervativum veræ agnationis adhuc in mente non retinuerit, juxta firmata in durioribus terminis per *Rot. in Peruſina fideicommiſsi* 11. *Decembris* 1702. §. *Ultra lineam, &* §. *Nec adverſus cor. Emo D. Card. Scotto, in Romana locorum Montium* 4. *Iunii* 1714. §. *Abſque eo quod cor. Reverendiſſimo P. D. meo Decano, in Reatina Primogeniture de nobilibus* 26. *Aprilis hujus anni* §. *minus opitulari cum duobus ſeq. coram R. P. D. meo Criſpo*; quodque extraneos cenſuerit deſcendentes ex Baccio de Cancellariis, inde clare convincitur, quod iſte, licet originariè ab eadem profluens agnatione, multis tamen gradibus jamdiù diſtabat à Teſtatore, & abiecerat qualitatem agnatitiam Domus Bubalæ,
46 peculiaria inſignia, diverſaque Stemmata geſtando, quæ unice agnationum diverſitatem, ſeu identitatem indicant, *ad text. in l. Stemmata C. de Fabricenſ. lib.* 2.; adeout
47 Teſtator iniunxerit ipſis in eorum vocatione idem onus aſſumendi ſuum nomen, cognomen, & Arma, quod iniunxerat deſcendentibus ex Fæminis, itaut ſaltem iſtis eos pa-
48 res exiſtimaverit, & in paritate electionem regulaverit à Proximitate, ſicut fuit obſervatum in antecedentibus cauſæ deciſionibus, & ſignanter *dec.* 910. *n.* 23. *cor. Cerro, & dec.* 69. *n.* 36. *p.* 17. *rec.*

Inutiliter ex iis DD. concludebant allegari in contrarium tot regulas, quæ pro admiſſione deſcendentium ex Fæminis facere potuiſſent, ſeu ratione propriæ verborum ſignificationis, ſeu ratione ſanguinis, aut Prærogativæ lineæ, aut proximitatis gradus, aut ordinis inteſtatæ ſucceſſionis; nullius quippe
49 præſidii valuerunt eſſe tales regulæ, utpotè fundatę in nuda quadam præſumptione voluntatis defuncti, quæ neceſſe eſt, quod cedat veritati, cujus contra regulas demonſtratio plenè reſultat ex reſtricta vocatione ad ſolos maſculos ex maſculis, necnon ex voto
50 agnationis non compatibili cum tranſitu Primogenituræ in Fæminas, vel earum maſculos, tametſi proximiores, & lineæ prærogativa Pollentes, donec ſuperſunt alii maſculi de vera Agnatione, *Rota dec.* 1. *n.* 56., *& ſeq. p.* 19. *rec.*, *dec.* 138. *n.* 10. *cor. Emer. jun., in Bononien. fideicom. de Urſis* 10. *Maii* 1709. § *quibus ita cor. Reverendiſſimo P. D. meo Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien, & in Ravennaten. fideicommiſſi Iulii Camilli de Abbioſis* 7. *Aprilis* 1710. §. *Conſtito cum pluribus ſeq. cor. R. P. D. meo Criſpo*.

Et ita relativè ad præcedentis cauſæ deciſiones in ſecunda propoſitione omnibus Dominis ſuffragium ferentibus, & utraque parte ſtrenuè jura ſua deducente, reſponſum fuit.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO SUPER PALATIO AD CLOACAM.

Lunæ 7. Iunii 1717.

ARGUMENTUM.

Creditor ſuper Domo meliorata habens hypocam, nil ultra illorum valorem, ab illius Domino poteſt expoſtulare, etiamſi eadem Domus, tùm ex illorum cauſa, cùm ratione ſitus, atque conductorum augumento, quod in ea regione, ubi ſita eſſet, ſuperveniſſet, melioris evaſiſſet conditionis, iſtæ enim adauctæ utilitates, Domini beneficium tantum ſequuntur.

SUMMARIUM.

1 *Retentio rei melioratæ datur pro credito melioramentorum, & quomodo iſta probentur* in n. 6.

2 *Deciſiones, quæ ſunt ſupponendæ, incidenter nequeunt revocari.*

3 *Amplia, quando in illarum ſequelam ſententiæ emanaſſent, quæ in rem judicatam pertranſiſſent, quo caſu eſſet prius reſtitutio in integrum reportanda.*

4 *Melioramenta, quæ ex deciſionibus rotalibus facta fuiſſe conſtaret, iſtæque fuiſſent in parte favorabili acceptatæ, in hac etiam parte non poſſunt impugnari:* vide rationem in n. ſequenti.

6 *Æqualitas in Iudiciis ſervanda eſt favore utriuſque partis.*

7 *Reſtitutio in integrum ab una ex collitigantibus parte reportata, communis alteri non fit, ad effectum, ut iſta confirmationem, vel infirmationem ſententiæ ſub altero diverſo dubio cadentem petere poſſit.*

8 *Rota ſolet ſtrictè reſpondere ad dubbia ſibi propoſita, & ſecundum ea, cauſarum diſpunctiones regulare.*

9 *Res judicata litis finitæ exceptionem parit, & exequtionem expoſcit.*

10 *Quantitas melioramentorum deſignata à meliorante in notula, quam in ſuo teſtamento alligaſſet, dicitur iuſta, nec ab hærede poteſt impugnari;* amplia ut in nu. 11., & 15.

12 *Creditor melioramentorum non habet actionem ad augumentum pretii Domus melioratæ, quando iſtud non ex melioramentis, ſed ex impenſis pro aqua ad fontem ducta factis ab illius domino promanaſſet, iſtudque augumentum eidem Domino accreſcit.*

13 *Ædificans ſuper Solo alieno illius dominiū non acquirit, imò ædificium Solo cedit.*

14 *Præſumptio donationis ex quavis diverſa animi declaratione excluditur.*

15 *Condominium Domus, quod noluerit acquirere teſtator, cui ſatis fuiſſet acquirere creditum pro melioramentis, ex eius declaratione deducitur, in qua ſolum de iſtis loquutus fuiſſet.*

16 *Nemo præſumitur iactare ſuum.*

17 *Teſtator præſumitur conſulto omiſiſſe id, quod noluit, nec ſub incertitudine ſua iura relinquere voluiſſe.*

18 *Retentio ex titulo dotis maternæ non datur filio, niſi doceat ſe eſſe Matris hæredem.*

19 *Filius, ergo hæres; regula iſta non procedit reſpectu hæreditatis maternæ.*

20 *Dos poſt lapſum centum annorum reſtituta præſumitur.*

21 *Centenaria quamcumque actionem præſcribit.*

DECISIO MXII.

Reaſſumptis coram Me vigore plurium Commiſſionum à Partibus obtentarum omnibus controverſiis jamdiù vertentibus inter DD. Victoriam, & Contiſſam Sorores de Bubalo nuptas in Nobilibus Familiis Falconeria reſpectivè, & Nicolina, earumque filios Maſculos ex una, ac DD. Marchiones de Bubalo ex altera, plura etiam concorditer, ſubſcripſi dubia, juxta varias earumdem Partium prętenſiones, & quemadmodum eorum duo in pręterita audientia diſcuſſa fuerunt, primum ſuper re judicata reſpiciente adiudicationem Primogeniturę conditę ab Octavio de Bubalo ad favorem filiorum maſculorum Quintii, & Horatii pariter de Bubalo à Teſtatore vocatorum, pro eiſdem maſculis reſolutum, ut ex mea deciſione nuper edita, & ſecundum concernens pertinentiam Palatii ſiti in Platea Columna ex eo contreverſam à DD. Sororibus de Bubalo, quod non integre ſpectaret ad Primogenituram Octavii, ſed eſſet commixtum cum antiquo Palatio Antonii pariter de Bubalo, ad cujus anterius fideicommiſſum ſeſe vocatos eſſe contendebant; cui ſecundo dubio ratione confuſionis, quam facere viſæ ſunt plures Peritorum inter ſe diſcordium relationes, reſcriptum exitit. *Dilata, & eligatur Peritior*; ita etiam in præſenti ſubſequenti Rota, alia duo dubia examinanda DD. propoſui, alterum nempe ſuper Palatio ad Cloacam Bubali, de quo hic; alterum ſuper cæteris corporibus ad d. Cloacam, de quo in contemporanea deciſione.

Quantum itaque attinet ad Palatium, huiuſmodi controverſia inde ortum habuit, quod vigore Judicatorum Rotalium ſuper ſucceſſione in bonis Primogenialibus Octavii de Bubalo capta per Marchionem Hyacinthum, & ſucceſſivè per D. Marchionem Rinaldum poſſeſſione dictorum bonorum, petita fuit cóntra DD. Sorores Victoriam, & Contiſſam de Bubalo, earumque filios, etiam fructuum durante Judicio perceptorum reſtitutio, quarum quantitatem ex eo minuendam illæ putarunt, quod ad ſe, ſi non in totum, ſaltem in parte plura bona in ſententiis, & executione comprehenſa pertinerent; oppoſuerunt propterea inter corpora primogenialia iniuſtè præ cœteris connumeratum fuiſſe integrum Palatium poſitum ad Cloacam & nuncupatum del *Giardino*, tamquam proveniens ab Antonio de Bubalo Avo Octavii con-

conditoris Primogenituræ, ideoque ſubiectum illius diſpoſitioni fideicommiſſum continenti, ipſarum favore purificatum.

E contra vero Condominium in Palatio habuiſſe Octavium prætenderunt DD. Marchiones de Bubalo plurium titulorum ratione ſulfulti, quorum examen aſſumptum fuit coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo, à quo deventum extitit ad electionem duorum Peritorum, & in eorum diſcordia ad tertii deputationem, ut juxta æſtimationem ab his faciendam diſtingui poſſent ratæ controverſi Dominii, & repartiri pariter penſiones, editiſque omnibus relationibus, propoſitum fuit octava Maii 1715. dubium complexivum pertinentiæ non ſolum Palatii, ſed etiam Stabuli, ac Fænilis, de quibus hodię inſalio dubio, reſolutum cum reſcripto *pertinere ad Sorores iuxta modum* in deciſione, quæ tunc fuit extenſa, promulgatum, qui ſane fuit declarativus Juris competentis in eodem Palatio etiam Primogenituræ pro rata ſcut. 7800. Appellantibus ab hoc Judicato Partibus, quæſivi à DD. in hodierna audientia -- *An Sententia Rotalis ſuper Palatio ad Cloacam ſit confirmanda, vel infirmanda* & reſponſum habui pro confirmatione.

Quemadmodum enim dubitatum non fuit,
1 quin ſuper controverſo Palatio haberet Primogenitura ex Juribus Octavii ejus Conditoris creditum melioramentorum, juxtà firmata in antecedentibus hujus cauſæ deciſionibus editis occaſione quæſtionis diù actitatę, quoad ſucceſſionem in eadem Primogenitura, & relatis in deciſione coram Me promul-
2 gata in præterita audientia, quæ quidem deciſiones hic, & nunc ſunt ſupponendæ, juxtà ſtylum, nec veniunt incidenter revocandæ, ut ſępe ſæpius proteſtari cōſuevit eadem *Sac. Rota dec. 93. n. 12. p. 11. rec., dec. 315. n. 16. p. 13. dec. 638. n. 22. p. 19. rec. tom. 2., & in Romana donationis 27. Iunii 1704. §. Et quamvis coram Me*, dum præſertim in illarum ſequelam plures prodierunt ſententiæ, quę tranſitum fecerunt in rem judicatam, adeout multo fortius tale quid impugnare non liceat, niſi obtenta commiſſione reſtitu-
3 tionis in integrum, juxta pariter deducta *dec. 86. n. 3. cor. Vbag., dec. 142. nu. 14., & 16. p. 16. rec., & cum aliis in Romana diſtributionis dotium 22. Februarii currentis anni §. Non tamen, & ſeqq. cor. Me*, ita profecto neque ulla fuit apud DD. difficultas circa dictorum melioramentorum quantitatem,
4 quippe quia conſtabilita eodem modo reperiebatur per prædictas deciſiones, & ſententias, quæ ſi erant in parte favorabili Dominis Marchionibus de Bubalo attendendæ, erant etiam ſervandæ in aliis partibus favorabilibus DD. Victoriæ, & Contiſſæ, juxtà æqua-
5 litatem, quam in Judiciis adeo laudabilem dicit *Rota dec. 170. n. 12. cor. Sa. me. Alexandri VIII. dec. 86. n. 26., & ſeq. p. 17., & dec. 2. n. 11. p. 19. rec.*

In his autem deciſionibus, ac ſententiis firmatum jam ſatis eſt quantitatem competentem Octavio in Palatio *del Giardino*, ut an-
6 tiquo tempore vocabatur illud, de quo hic agimus excedere non poſſe ſcut 7800., ut videre eſt in *dec. 381. n. 5. p. 17., dec. 27. n. 10., dec. 164. poſt n. 9. p. 18. tom primo dec. 496. n. 18. eadem p. 18. rec., tom 2.*, & conſequtive in ſententiis tunc latis, quarum prima *bo. me. Emerix. iun. ab aliis ſucceſsivè clar. mem. Card. Vicecomitis, & bon. me Calataiù* confirmata, inquit immiſsionem conceſſam in poſſeſsionem Palatii *del Giardino* eſſe confirmandam quoad fabricam factam cum impenſa ſcut. 7800.

Neque ſubſiſtit licitum hodiè partibus eſ-
7 ſe prædictas deciſiones, & ſententias impugnare eo ſub fundamento, quod reſtitutio in integrum adverſus illas obtenta à DD. Nicolinis, & Falconeriis ex perſonis prędictarum DD. Sororum de Bubalo ad impugnandam adiudicationem Primogenituræ DD. Marchionibus pariter de Bubalo in iiſdem Deciſionibus, & Sententiis definitam effecta fuerit utrique parti communis, cæteris namque omiſsis, ea reſponſio in præſenti ſatisfacere videbatur, quod id peragere non licebat ſub dato dubio reſpiciente confirmationem, aut infirmationem præcedentis Rotalis Sententiæ, ſed fuiſſet neceſse pro hujuſmodi effectu diſputationem aſsumere ſuper reſtitutione in integrum concedenda necne adverſus pręfatas aliàs antiquiores ſententias, prout de facto practicarunt ſuper puncto ſucceſsionis in Primogenitura DD. Falconerii, & Ni-
8 colini, aliàs namque inverteretur antiquiſsima praxis hujus Tribunalis, ad propoſita dubia ſtrictè reſpondendi, & ſecundum ea regulandi cauſarum diſputationes, ac reſolutiones ut in propoſito, monet cum aliis relatis, *Card. de Luc. de Regal. diſc. 177. ſub n. 2.*, & dixit *Rota in Romana Fornacis ſuper exceſſu 4. Decembris 1697. §. finali cor. bo me. Urſino, & in Romana Primogenituræ de Corſinis ſuper Trebellianica 22. Iunii 1714. §. Nec eſt cor. R. P. D. meo Cerro.*

Hoc utique fundamentum ſatis eſſe Dominis poterat pro prætentis dubii, & cauſæ reſolutione, cum cærti Juris ſit rem judica-
9 tam parere exceptionem litis finitæ pro veritate habendam eſſe, & executionem in omnibus promereri, juxta vulgatas regulas; nihilominus tamen intrinſecis examinando partium jura, ponderabant rectè fuiſſe conſtitutam quantitatem Primogenituræ ſuper Palatio in prædictis ſcut. 7800., quippe quia certa hujuſmodi quantitatis probatio oritur
10 ex confeſſione ipſius Octavii Primogenituræ conditoris, qui ut ait ſub §. 4. ſuæ diſpoſitionis, volens certo ſciri, quæ bona ſub ea compræhenderentur, notulam bonorum mobilium, & immobilium, ac etiam creditorum ad ſe ſpectantium ejus inſervit Teſtamento; in hac autem, non jam Palatii medietatem, aut aliam deſcripſit portionem, ſed creditum ſimpliciter melioramentorum in illo ſuis ſumptibus conſtructorum indentificè calculatum in præfata ſumma ſcut. 7800. quan-

11 quanti vero facienda ſit adeo clara ipſius originarii creditoris confeſſio, ſatis indicat notoria regula, quæ ſuperat omne genus probationis, itaut melior unquam aſſerri non poſſit, ad *Text. in l. cum precum. 9. C. de liber. cauſ., l. cum tela 2. cod. de tranſact.* eique ſtare procul dubio tenentur ejus quoque hæredes, & ſucceſſores, quales ſunt Domini Marchiones de Bubalo juxta aliam regulam *Text. in l cum à Matre C. de rei vindic.* latè in puncto exornatam in antiquis cauſæ deciſionibus, & præſertim *dec. 381. num. 6., & ſeq. par. 17. dec. 27. num. 13., & 17., & dec. 164. num. 10. par. 18. rec.*

12 Neque ſubſiſtere viſæ ſunt repetitæ exceptiones, & præſertim illa augumenti valoris palatii promanantis ab extrinſeco motivo majoris affluentiæ Populi in ea Urbis regione, in qua ſitum eſt, atque ejuſdem regionis nobilitate, cum aliis nobilibus ædificiis, quando prius erat fermè inhabitata, itaut Eccleſia illa à Conditore Primogenituræ conſtructa, & D. Andreæ dicata, nomen eo tunc ſortita fuerit *delle fratte*, arguendo, quod hujuſmodi augumentum cedere non debeat in utilitatem fideicommiſſi Antonii dumtaxat, ſed etiam Primogenituræ pro ea ſaltem portione, in qua ſumptibus Octavii ejus Inſtitutoris Palatium melioratum extitit.

Admittebant quippè DD. juxta peritias Palatii valorem auctum quidem fuiſſe ratione nobilitatis ſitus, & etiam majoris æſtimationis, quam tractu temporis ſortita eſt aqua Fontis Trivii jam exiſtens in dicto Palatio, itaut ſitus juxta ſtatum antiquum valutatus ad rationem ſcut. 18, aut reſpectivè decem pro qualibet canna, moderno tempore valutetur in ſcut. 28., ac reſpectivè quindecim, aqua vero prius æſtimata in ſcut. 80. pro qualibet unica, æſtimatur hodie in ſcut. 350. Dicebant tamen ex hujuſmodi incremento reſultante, ut dictum eſt ex ſitu & aqua, nullam ſibi utilitatem obvenire poſſe Primogenituræ Octavii, cum neque ſitus, neque Aqua ad iſtum ullo modo pertineant, & ſolum ratione melioramentorum, & expenſarum factarum in Palatio repræſentet ille perſonam Creditoris in præſtabilita quantitate, uti vero Creditor nullum poteſt augumentum valoris non provenients à ſuis melioramentis prætendere, ſed hoc ſpectat totaliter ad Dominum, ut inquit *Rot. dec. 178. num. 17. poſt Torr. de pact. futur. ſucceſ., dec. 232. num. 17. par. 15. recent., & dec. 66. num. 29. coram Ubago*, & conſequenter ad Antonium, & fideicommiſſum ab iſto conſtitutum.

Abſque eo quod neceſſe ſit aſſumere quæ-
13 ſtiorem circa condominium, quod ſuperædificando Octavius in alieno ſitu prætenditur acquiſiviſſe de eodem ſitu. Urget enim in oppoſitum Juris regula, quod ſolo cedat ædificium ſuper inſtructum, ad *Tex. in §. Cum in ſuo inſtit. de rer. diviſ. l. ſi ſupra §. Sed Proculus ff. de acquir. rer. domin. l. 1. §. Quod ait. ff. de ſuperficie., de Angel. de Impenſ., & melioram. artic. 7. nu. 36., Gall. de fruct., diſp. 13. num. 53., Card. de Luc. de feud. diſ. 88. num. 3.*, & ſi contrarium deſumi velit ex tacito conſenſu ſcientis, ac permittentis in ſolo ſuo ædificari, id ſanè dicendum eſſet in-
14 niti præſumptioni implicitæ donationis, quæ ex quavis diverſa animi declaratione poſſit excludi, juxta deducta per *Gratian. diſcept. 32. num. 1. cum plur. ſeq.* ubi concordan., *& diſcept. 442. num. 180.*, cum aliis relatis *in deciſ. ipſius Cauſæ ſuper Palatio ad Plateam Columnæ 12. Martii 1703. §. Vel ſaltem cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo*.

Non deficit autem in præſenti talis decla-
15 ratio, & quidem ex parte ipſius met Octavii, iſte enim, ut ſupra diximus enumerans bona, & credita, quæ adeo ſolicitè ſubiicere intendebat ſuæ primogenituræ, neque Palatii condominium, neque ullam partem illius adnotavit in folio prædictorum bonorum, ſed ſolum ſe creditorem conſtituit impenſæ factæ pro melioramentis, ſi autem intellexiſſet condominium acquirere etiam ſoli, ſuper quo melioramenta fuerunt extructa, utique id expreſſiſſet, neque in præjudicium ſui Patrimonii id enunciare providus
16 Teſtator prætermiſiſſet, ne dicamus, quod voluerit jactare ſuum, & rem, cui facile po-
17 terat provid re, relinquere ſub illa incertitudine, ad *Com. reg. de qua Rot. dec. 46. n. 14., & 20. coram Dunoz. jun., deciſ. 151. nu. 19. par. 5., dec. 274. num. 24., & dec. 638. nu. 8. par. 18. rec.*, & paſſim.

Corruere eodem modo viſum fuit & aliud
18 objectum deductum ex retentione, quam ex perſona Octavii prætendere poterat Primogenitura vigore dotis Juliæ de Alteriis Uxoris Pauli ſenioris filii Antonii fideicommittentis, & Matris reſpectivè dicti Octavii, juxta arborem impreſſam in fronte deciſionis editæ in præcedenti inſtantia coram Reverendiſſimo P. D. meo Decano; quandoquidem preter generalem reſponſionem inſinuatam *in dicta deciſione §. Sed poſthabitis*, quod talis inſpectio non cadat ſub præſenti quæſtione, ſed à Dominis Marchionibus de Bubalo Actoribus deducenda ſit in proprio judicio, duplex placuit animadverſio, prima quod non probatur Octavium fuiſſe hæredem ejus Matris, reſpectu cujus non
19 procedit regula Filius, ergo hæres, ut probat *Cyriac. controv. 254. num. 21.*, & firmavit *Rot. dec 9. num. 10. poſt Urceol. de tranſact. dec 757. nu. 10. coram Merlin., & dec. 165. nu. 49. par. 7. recent.* Secunda, quod poſt
20 obitum ejuſdem Juliæ creditricis dotis lapſum eſt ſpatium pluſquam centum annorum. Unde ſuborta eſt validiſſima Juris præſumptio, quod illa fuerit reſtituta, aut ſaltem præſcripta eſt omnis actio pro illius peti-
21 tione, *Surd. conſ. 60. nu. 15., Ciroce. diſcept. 16. num. 40., Gratian. diſcept. 881. num. 18. Rot. dec. 270. num. 1. par. 6. rec., & dec. 2. n. 1. coram Emerix Jun.*

Quoad

Quoad cæteras difficultates promotas ex legato controverſi Palatii facto per Antonium fideicommittentem Stephano Auctori Octavii ſæpedictæ Primogenituræ Inſtitutoris, & in reliquis omnibus alias deductis remiſſivè ſeſe Domini habuerunt ad deciſionem præcedentis inſtantiæ ejus fundamenta approbantes.

Et ita utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO SUPER RELIQUIS BONIS AD CLOACAM.

Lunæ 7. Junii 1717.

ARGUMENTUM

Valor melioramentorum ex temporis lapſu diminuitur.

Dominium unius corporis, quod pænes Teſtatorem non extiterit, bene infertur ex hoc, quod ille omnia ſua bona in teſtamento deſcribens, de eo mentionem non feciſſet, neque ex locationibus, quæ jure familiaritatis fieri potuiſſent, deducitur, nec ex penſionum depoſito in confuſo abſque individuatione perſonæ ad quem ſpecialiter pertinerent.

SUMMARIUM.

1 *Ædificans ſuper ſolo alieno remanet merus creditor ædificii, & valor ſitus ſemper penes illius dominium remanet, & vide caſum.*

2 *Valor ſitus non minuitur per hoc, quod valor melioramentorum ex lapſu temporis decadat, cum ille idem ſemper permaneat.*

4 *Teſtator, qui in ſuo teſtamento omnia bona à ſe poſſeſſa deſcripſiſſet, quod non deſcripſit, præſumitur ſe non poſſediſſe.*

5 *Pertinentia unius corporis, an ſequatur fideicommiſſum, ſeu primogenituram ab altero erectam, id declaratur à re judicata, favore cujus ex his patrimoniis emanaſſet.*

6 *Res judicata ſtatum facit, donec reſtitutio in integrum non reportetur.*

7 *Situs ut ad primogenituram pertinere dicatur, illius identitas probanda eſt.*

8 *Locatio domus, quæ non compræhenderet lavatorium, non ſufficit, ut dici poſſit iſtud ad locantem non pertineret, cum talis reticitas ad ſimplicem ex emptionem à re locata ſit referibilis.*

9 *Facultas locandi domum, ſeu ipſa lacatio, quando ab uno exerceri, & fieri potuiſſet etiam jure familiaritatis, & condominici circa rem locatam, ſuper pertinentia iſtius ſtatum non firmat.*

10 *Socius, ſocio non reluctante, rem ſocialem alteri locare poteſt.*

11 *Pertinentia lavatorii pænes dominum domus non probatur ex depoſito penſionum, quæ in confuſo fuiſſent penes ædem ſacram recondita ſub diverſis nominibus, cum individua expreſſio nominis, ad quem illud pertineret fieri debuiſſet.*

12 *Bona non pertinere ad primogenituram præſumuntur, quando in illorum notula deſcripta una cum aliis non legerentur.*

13 *Pertinentia ſitus per Inſtrumentum acquiſitionis probatur.*

14 *Filius patris hæreditatem repudians, ad ejus debita non obligatur.*

15 *Filius totum id, quod tali caſu fuiſſet adeptus, à Patris hæreditate independenter præſumitur acquiſiviſſe.*

16 *Situs, quod pertineat ad primogenituram probatur per inveſtituram, quam ſucceſſor à domino directo de eo uti talis, reportaſſet.*

17 *Adminiſtrator Primogenituræ, quod ex primogenialibus pecuniis emit, illius commodo acquiſiviſſe præſumitur.*

18 *Qualiſcumque præſumptio cedere debet veritati.*

DECISIO MXIII.

NON diſſimilis quæſtioni actitatæ inter partes in hac Cauſa ſuper Palatio, ac diſcuſſæ in contemporanea deciſione, fuit etiam altera, quæ excitata una cum aliis coram R̃mo P.D. meo Anſaldo reſpiciebat cætera bona poſita è conſpectu ejuſdem Palatii circa Cloacam Bubali nuncupatam, & fuit definita, quo *ad Fœnile, & Stabulum* pro ſc. 643. favore Primogenituræ, pro ſcutis vero 505. favore fideicommiſſi Antonii, *quoad Remiſſam cum manſionibus ſupra poſitis, & Lavatorium* favore pariter fideicommiſſi Antonii, & demum quoad *ſitum, Domunculam & Apothecam Inciſoris* favore dictæ Primogenituræ. Per appellationem à ſententiis ſuper his corporibus latis utrinque interpoſitam, hæ quoque controverſiæ redierunt hodiè ad trutinam ſuper dubio -- *An ſententiæ Rotales ſint confirmandæ, vel infirmandæ* cui reſponſum fuit pro confirmatione in omnibus.

Diſtinguendo ſiquidem, ut par eſt prædictà corpora, & incipiendo à Stabulo, & Fœnili, de quibus in præcedenti Inſtantia actum fuit in deciſione edita ſuper Palatio ad Cloacam 8. Maii 1705. coram R̃mo P.D. meo Decano, ratio reſolutionis ea fuit, quod juxta peritias ſitus ſuper quo hujuſmodi ædi-
1 ficia fabricata reperiuntur, pertinens procul dubio ad fideicommiſſum Antonii purificatum favore Dominarum Sororum de Bubalo eſt valoris ſcut.505., & è converſo melioramenta in eo ſitu facta per Octavium conditorem Primogenituræ valutantur juxta modernum ſtatum in ſcut.643., unde ut Ius ſuum unicuique tribuatur, rectè fuit ſtabilita in antecedenti Judicato pertinentia ſitus pro d. ſumma ad fideicommiſſum, & creditum melioramentorum, pro alia ſumma ad Primogenituram, juxta fundamenta, & theo-

ricas

ricas laudatas *in contemporaneâ Deciſione ſuper Palatio cor. Me*.

Non obſtat, quod in antiqua re judicata, & in Deciſionibus toties agendo de Palatio laudatis, hujuſmodi melioramenta fuerint æſtimata, ac ſuppoſita, & admiſſa in ſc. 1500. Unde iniuſta ſit illorum reſtrictio ad dictam ſummam inferiorem. Etenim poſt lap-
2 ſum decennii, & tot ultra annorum, quid facilius credere eſt, quam quod prætium dd. melioramentorum fuerit immutatum, conſeneſcentibus cæmentis, aut lapſu temporis collabeſcente ex aliquo vitio in fundamentis ædificio, fuerit diminutum, *juxta vulgar regul. Text. in l. pretia rerum §. fin. ff. ad l falcid. de qua plenè dec.545. num.8. par. 18. rec. & cum aliis in Aſculana redditionis rationis 27. Januarii 1710. §. Hæc quoad coram Reverendiſſimo P.D. meo Anſaldo Decano*.

3 Minuſque exindè prætendi poteſt, quod talis diminutio valoris melioramentorum minuens pretium, & æſtimationem totius ędificii debeat communis eſſe, & repartiri pariter ſuper toto ædificio, itaut æqualiter debeat ſentire ejus incommodum Dominus ſitus, & ſic fideicommiſſum Antonii, ac creditor melioramentorum, qualis eſt, ut diximus, primogenitura, quippe quia ſi diſtinctim conſiderentur ſitus, & melioramenta, nulla ſane eſt implicantia, quod iſta tantum decreverint in ſuo primævo valore, neque eorum deterioratio, & diminutio quicquam poteſt detrahere valori ſitus, qui ſemper remanſit idem, & imò potius ratione nobilitationis ejus Urbis regionis, in qua reperitur, potuit augumentum aliquod promereri, ut fuit animadverſum in contemporanea *deciſione ſuper Palatio §. Admittebant*.

Subſequeretur modo diſcuſſio pertinentię *Remiſſæ* cum manſionibus ſuprapoſitis canonizatæ in antecedenti inſtantia favore Dominarum Sororum, ſed quia Partes acquieſcere viſæ ſunt latè deductis *in deciſione tunc edita cor. Rmo P.D. meo Anſaldo Decano à §. Quamvis enim uſque ad §. Hoc ipſum*, & ſic ferè per totam, ideo remiſſive ad hanc deciſionem Domini ſeſe habuerunt.

Deſcendendo modo ad examen pertinentię Lavacri vulgo dicti *Lavatoio* adjudicati eiſdem Dominis Sororibus uti hęredibus fideicommiſſariis Antonii, idem fuit & hodie D minorum ſenſus non obſtantibus pluribus adductis pro D. Marchione exceptionibus,
4 quia dictæ Dominæ Sorores fundatam habent intentionem non ſolum in omiſſa iſtius Capitalis deſcriptione in teſtamento Octavii conditoris primogenituræ, ubi cætera bona huic ſubiecta, fuerunt diſtinctè enarrata, quæ omiſſio præſumptionem validam inducit, quod illud ad teſtatorem non pertineret, juxta firmata *in contemporanea deciſione ſuper Palatio §. Non deficit coram Me*, cui concordant deducta per *Text in l. fin. §. Licentia C. de jur. deliber.*, *dec 246. n.3. cor. Cava-*
5 *ler., & dec.212. nu. 2. cor. Duran.*, verum etiam in antiqua re judicata, ubi occaſione agendi de bonis primogenialibus, ad quæ Marchioni de Bubalo competeret immiſſio, exemptum fuit ab huiuſmodi actione controverſum Lavacrum, quemadmodum conſtat ex *ultima deciſione edita cor. bon. mem. Calataiù impreſſa par. 18. rec. tom 2. dec. 406. §. Convenerunt*. Quæ ſanè res iudicata in preſenti judicio ſupponenda obicem facit, ne contrarium ullo modo queat judicari, ne-
6 ve ſine pręvia in integrum reſtitutione poſſint ullæ adverſus illam ponderari exceptiones, ut fuit dictum in præcedenti hujus cauſæ *dec. 8. Maii 1705. §. Victoria cor. Reverendiſſimo P.D. meo Anſaldo Decano, & in d contemporanea mea deciſione ſuper Palatio §. Quemadmodum*.

Eoque fortius adheſerunt Domini hujus rei iudicatæ fundamento, quia prædictas exceptiones aut inſubſiſtentes, aut æquivocas invenerunt. Pro eo enim, quod attinet ad illius exiſtentiam in ſitu emphyteutico pertinente ad primogenituram, obiectum remove-
7 tur, ex quo non probatur identitas illius ſitus cum illo, in quo Lavatorium reperitur, quemadmodum eſſet neceſſarium, ut illud ſpectare dici poſſet ad primogenituram, ut aliàs inquit *Rota d. dec. 496. d. §. Cenſuerunt p. 18. rec.*

8 Quo verò ad locationes, illa anni 1597. facta per Octavium conditorem primogenitureę, ac nepotem Antonii fideicommittentis cuidam Architecto de Manſionibus ſupra Remiſſam cum onere ducendi aquam ad cortile nulla facta mentione Lavatorii, quod eſt iiſdem contiguum, argumentum non præbet, quod illud ex poſt fuerit ab eodem Octavio conſtructum, ex tali namque locatione minime coarctatur negativa præexiſtentię eiuſdem Lavatorii, quia omiſſa illius mentio, poteſt optime referri ad non comprahenſionem in locatione; onus autem ducendi aquam ad cortile, ſeu potius (ut verè exprimit locationis inſtrumentum) ad viridarium nihil commune habet cum Lavatorio.
9 Altera pariter locatiò domus cum horto, fonte, & Lavatorio facta à Paulo primo ſucceſſore in primogenitura Octavii, paulò poſt iſtius obitum expreſſo titulo hæredi ejuſdem Octavii tantum, nullatenus concludere viſa fuit pertinentiam ejuſdem Lavatorii ad Octavium prædictum, aut eius primogenituram; quippe quia, cum nullum expreſſerit titulum Paulus locator provenientiæ rei locatæ, eiuſque proprietatis pręciſive à fideicommiſſo Antonii, cuius tunc erat poſſeſſor Angelus eius Pater, poteſt huiuſmodi actus etiam ad hoc fideicommiſſum referri iure familiaritatis, & compoſſeſſionis cum eodem Angelo.
10 Poteſt namque ſocius, & compoſſeſſor, altero non reluctante rem ſocialem locare, ad. *Text. in l. ſi quis 6. §. Sive autem ff. commun. dividun.*, *Pacion. de locat. & conduct. cap. 9. n. 1.*, *Michalor. de frat. p. 3. cap. 36. n. 2.*, *Rot. dec. 692. n. 3. p. 1. rec.*, ut in individuo huic obiecto reſpondendo occaſione agendi de Re miſſa

miſsa dictum fuit in *dec. præteritę inſtantiæ 8.Maii 1705. §. Hiſce tamen cum ſeqq. cor. Reverendiſ. P. D. meo Anſaldo Decano*, ubi cæteris in puncto ſatisfit argumentis.

11 Reſpectu demum ad depoſitum penſionũ fieri ſolitum ſub expreſſione *detta Eredità, e Primogenitura*, animadverſum fuit, quod in eadem met menſa nummularia deponebãtur omnes pecuniæ etiam propriç Angeli, & Pauli; unde non poteſt prædicta expreſſio concludere, quod penſiones Lavatorii ibidem pariter depoſitæ proveniant à re primogeniali, potius quam aliunde, ideoque talis expreſſio adduci non valet pro qualificanda rei pertinentia, circa quam primogenitura nullum individuum, aut certum, prout cæteroquin teneretur, exhibet documen-

12 tum, imo habet contra ſe præſumptionem ex omiſsa deſcriptione in notula bonorum primogenialium, *Fuſar. de ſubſtit. titul. 9. n.20., Rot. cor. Arguel., dec.19.n.10., dec.60. num.1.p.17., dec.406. nu.4., & ſeqq. p.18. rec. tom.2.*

Sicut ex premiſſis cenſuerunt Domini reſpondendum pro confirmatione ſententiæ Rotalis in partibus favorabilibus Dominis Sororibus Victoriæ, & Contiſsæ, ita parem confirmationem illam promereri poſse putarunt in reliquis partibus favorabilibus primogenituræ à ſæpedicto Octavio inſtitutæ.

13 Situs enim è conſpectu eiuſdem Palatii exiſtens *Emphyteuticus Monialium* S. Silveſtri in capite pertinere procul dubio viſus eſt ad Octavium, dum ab ipſo probatur acquiſitus anno 1592. ex inſtrumento inveſtiturę reportatæ à dictis Monialibus, occaſione, qua talis ſitus ob non factam durante vita Pauli ſenioris eius Patris Canonum ſolutionem fuerat ad ipſas Dominas directas devolutus. Certior autem probatio deduci non poteſt illa, quæ reſultat ex publico inſtrumento, iuxta auctoritates plene cumulatas *in deciſ. præcedentis inſtantiæ §. Victoria*, quibus in propoſito conſonat *Fuſar. de ſubſtit. q.618.n.4., Rot. dec.27.nu.13. coram Bich., dec.166.n.18.p.17., dec.568.nu.17.p.18. rec., & paſſim alibi.*

Nec valuit objici, quod ideo fuit Octavius de ſitu controverſo inveſtitus, quia curavit ipſe devolutionem prædictam non ſolvendo

14 Canones decurſos in vita ſui Patris. Etenim ad talem ſolutionem nullo modo teneri poterat, quando paternam hæreditatem repudiaverat, ut conſtitit *Summario diſtributo in alio dubio ſuper Palatio pro d. Marchione*

15 *n.5.*, qua ſtante repudiatione, independenter omnino à perſona Patris ipſe acquiſivit, neque ullo modo redargui poteſt, quod devolutioni cauſam dederit, dum ad debita à Patre contracta non tenebatur, ne aliàs ad onus, & incommodum ſine ulla utilitate dici debeat adſtrictus, contra vulgares regulas.

16 Concurritque in comprobationem pertinentiæ hujus ſitus ad primogenituram ea ponderatio, quod Octavio defuncto ejus poſſeſſionem nactus fuit Angelus eiuſdem Octavii frater, uti uſufructuarius, & adminiſtrator bonorum primogenitnrę, talis conſtitutus in illius teſtamento §.12., & acquieſcens inveſtituræ ad proprium commodum per eius fratrem reportatæ, curavit in Cataſtro dictarum Monialium deſcribi Octavium in poſseſsorem memorati ſitus, ac ſeſe in eius ſucceſsorem, ut in *Summario reſponſionis d. Marchionis num. unic.*; ex hac autem obſervantia optimum pertinentiæ argumentum eruitur, *ex vulgat. jur.*

Relicta quæſtione alias promota circa *Apothecam ad uſum Inciſoris* definita in alia inſtantia favore primogenituræ particulari *dec. Reverendiſ. P. D. mei Decani edita 20. Januarii 1706.*, cuius fundamenta non fuerunt hodie amplius in controverſia, poſtrema inſpectio Dominorum examini in præſenti ſubiecto ſtetit circa *domumculam cum alio ſitu* provenientem à retractu intentato per Angelum fratrem Octavii conditoris memoratæ primogenituræ contra Univerſi-

17 tatem Aurigarum, nec dubitatum fuit, quin rectè adiudicata extiterit D. Marchioni primogenito, quia prædictus retractus ab Angelo intentatus extitit tempore quo erat adminiſtrator bonorum primogenialium nomine ipſius primogenituræ, & pretium domus ac ſitus controverſi fuit ſolutum ex pecuniis eiuſdem primogenituræ; unde huic, non autem Angelo facta dici debet acquiſitio, ad *Text. expreſſum in l. item veniunt ff. de petit. hæred. Mantic. de tacit. lib.4.tit.22.n.1. & 2. Rot. dec.308.nu.5.p.11.*, & in hac cauſa circa Palatium in Platea Columnæ, dictum fuit *dec. 27.n.21.p.18.rec.*

Nullatenus urgente ea ponderatione, quod adeſſent contigua d. domui alia bona pertinentia ad fideicommiſsum Antonii, ideoque præſumi debeat acquiſitio facta ex illius juribus, & primogenitura conſtituta tantum creditrix pretii ſoluti; ultra enim quod conſtitit in facto adfuiſse ibidem contermina etiam bona ſpectantia ad primo-

18 genituram, adhuc tale obiectum fundatum in ſola præſumptione, quod retractus fuerit innixus iuribus fideicommiſſi non relevat, dum evidens eſt ex relato ipſius Angeli facto veritas in contrarium, cui cedere procul dubio debet qualiſcumque prçſumptio, ad *Text. in l. fin, in princ., & l. in rebus Cod. de iur. dot. l. continuis §. Cum ita ff. de verbor. obligat., Rot. dec.527.nu.12.p.14., & dec.396. n.12., & ſeqq. p.18. rec.*

Et ita adherendo fundamentis deciſionum in præcedenti inſtantia editarum reſponderunt Domini utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO SUPER DEPOSITO PENSIONUM, ET INVESTIMENTO.

Veneris 11. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Pertinentia domorum, ſeu Palatii, quando adhuc

adhuc Rota totaliter non decidiſſet, & res in diverſis compoſſeſſoribus ſuper eis ius privativum habere prætendentibus verſaretur, rite operatur, ſi cum clauſula preſervativa *S. P. jurium partium* penſiones deponi jubeat ad effectum inveſtiendi iuxta ſenſum in deciſione panditum, & reſolutum:

Adverſus inſtrumentum publicum ſimulatio contractus non eſt allegabilis, & decretum contra proprium auctorem (qui illo tunc legitimus fuiſſet contradictor) prolatum, ſucceſſor impugnare non poteſt.

SUMMARIUM.

1 *Decreta Auditoris Sanctiſſimi cenſentur ab ipſo Papa per illius organum pronunciata.*

2 *Pacta in inſtrumentis conventa ſunt omnino ſervanda, niſique æquius reperitur.*

3 *Simulatio in contractibus non præſumitur, & ob id ab allegante probanda eſt.*

4 *Amplia, adverſus publicum inſtrumentum, ſique nulla ſimulandi cauſa adduceretur.*

5 *Exequutio obligationis Cameralis non retardatur per exceptionem ſimulationis in contractu, quæ altiorem reſpiceret indaginem.*

6 *Decreta Rotalia eo magis ſunt à litigantibus exequenda, ſi illis eorum authores obtemperaſſent.*

7 *Decretum latum inter diverſas perſonas allegari nequit, cum patiatur exceptionem* de re inter alios peracta.

8 *Exceptio de jure tertii non eſt allegabilis.*

9 *Decretum obtentum, citato legitimo contradictore in cauſa ſtatus inducit jus, & ſtatum facit quoad omnes, & ſucceſſores etiam citatorum illo tunc afficit.*

10 *Amplia, quando ſucceſſor ex perſona etiam propria ſe illud exequutioni demandaturum obligaſſet, ex quo ſe illud acceptaſſe preſumitur.*

11 *Depoſitum penſionum à Judice demandatum cum clauſula* S. P. *jurium partium, nemini præjudicat.*

12 *Liquidatio penſionum ex locationibus, ſeu conductorum, ſeu exactorum fidibus probatur.*

DECISIO MXIV.

INnixæ Dominæ ſorores de Bubalo favorabilibus reſolutionibus obtentis circa pertinentiam Palatii poſiti in Platea Columnæ, & alterius poſiti ad Cloacam, una cum aliquibus ex corporibus illi adiacentibus, ad fideicommiſſum Antonii pariter de Bubalo ipſarum favore purificati, juxta deciſiones editas prius coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano 12. Martii 1703., 8. Martii 1705., & 20. Juanuarii 1706., & ſubinde coram Me in Rotis proximè præcedentibus, petierunt contra Dominos Marchiones de Bubalo detentores dictorum bonorum, quod declararetur ipſos teneri pro rata pertinentiæ dictorum bonorum deponere penſiones, ideoque hodie dubium propoſui -- *An, & pro qua rata ſit relaxandum mandatum pro depoſito, & inveſtimento penſionum decurſarum, & decurrendarum tam Palatii, & Apothecarum ad Plateam Columnæ, quàm ad Cloacam Bubali, & fuit affirmativè reſolutum juxta modum*, nempè quod fiat depoſitum, & inveſtimentum pro nunc, & ſine præjudicio jurium partium, juxta illud, quod fuit deciſum ſpectare ad fideicommiſſum Antonii.

Procedendo itaque cum diſtinctione bonorum, quæ ad hujuſmodi fideicommiſſum pertinere declarata fuerunt, primo loco ſeſe offert Palatium cum Apothecis poſitum ad Plateam Columnæ Antonianæ, ſuper quo in antecedenti inſtantia coram Reverendiſſimo P. D. meo Decano prodiit ſententia prævia deciſione edita 12. Martii 1703. (ſubductis ſubducendis favore Primogenituræ conditæ ab Octavio) attribuens fideicommiſſo Antonii ratam ſcutor. 14143. 76., ut conſtat ex calculo in eadem *deciſ. relato* §. *Ab hoc itaque*. Et quantum attinet ad hujuſmodi Palatium ea ratione depoſitum demandatum extitit, quod jam antiquitus vertente inter has partes lite ſuper ſucceſſione in primogenitura, & oppoſita pertinentia iſtius corporis ad dictum fideicommiſſum, eaque per Sac. Rot. admiſſa, ut in deciſionibus editis cor. clar. mem. *Card. Vicecomite*, & *bon. mem. Calatain impreſſis part.* 18. *recent.*, & ſepiùs allegatis in deciſionibus nuper à me editis in hac cauſa, prodiit uſque de anno 1680. die 7. Maii decretum à clar. mem. Card. de Luca, tunc ſan. mem. Innocentii Papæ XI, Auditore relatum *Summario reſponſ. DD. Sororum Num. unic.*, quo definitum fuit, citato Curatore Domini Marchionis Rinaldi de Bubalo ſucceſſoris in primogenitura, penſiones decurſas, & decurrendas ex dicto Palatio, & Apothecis deponendas eſſe in Sacro

1 Monte Pietatis. Notorium verò eſt, quanti fieri debeat hujuſmodi decretum, cum editum cenſeatur per ſui Auditoris organum ab ipſo met Principe, juxtà ea, quæ in propoſito ponderat idem *Card. de Luca in relatione Rom. Cur. diſc.* 8. *num.* 11., & *ſeq.*

Non minori fundamento conſimile depoſitum atque inveſtimentum demandatum extitit à Dominis, quo ad Palatium ad Cloacam Bubali, quia quo ad illud non ſolum teneri viſus eſt idem Dominus Marchio de Bubalo ex pluribus decretis Rotalibus, de quibus infrà, ſed etiam ex propria ſpontanea obligatione, cum enim fuiſſet locatum Laurentio Corſio ſub die 18. Septembris 1690., una cum Remiſſa, Fœnili, ac Viridario pro annua penſione ſcut. 400. cum pacto ea ſingulis annis deponendi in Sacro Monte Pietatis Urbis juxtà præcedentia decreta Rotalia, voluit ipſe præferri in eadem locatione, & inſtrumentum ſuper hujuſmodi prælatione exaravit, ſuſcipiens in ſe ſingula pacta, & obligationes contentas, & expreſſas in inſtrumento locationis factæ prædicto Corſio:

2 Nihil autem juſtius, atque æquius conſiderari

vari poteſt, quam quod pacta conventa, & ſuſceptas obligationes unuſquiſque ſervare teneatur, *Leg. Paciſci ff. de pact., leg. pacta conventa ff. de contrahen. obligat., & leg. pacta Cod. de locat., Rot. deciſ.387. num.1. deciſ.762. num.2. par.18. recent.*, & cum aliis *in Balneoregien. depoſiti, & inveſtimenti 15. Junii 1714. §. Neque moleſtiæ cor. R.P.D. meo Falconerio.*

Neque ullatenus attendi valuit reſponſio, quod prędicta locatio inita cum Corſio fuerit ſimulata, ideoque obligatio conſentaneè ad illam ſuſcepta nullius remaneat efficaciæ. Præter enim alias replicationes, eà ſatis viſa
3 fuit, quod hujuſmodi ſimulatio non probatur, prout neceſsè foret ab allegante concludentibus, & efficacibus documentis, juxta plenè deducta *deciſ.141. num.4. coram Buratt. deciſ.196. num.7. coram Celſo deciſ. 89. nu. 2. coram Vbago, & deciſ.54.num.6., & 7. part.*
4 *17.recent.*; quando præſertim, prout hic concurrit in contrarium publicum inſtrumentum, *Rot. dec.47. num.fin. part.13., d. deciſ. 54. num.8. part.17.*, & cum aliis *deciſ. 509. num.9 part.18.*, neque ulla ſaltem veroſimilis indicatur cauſa ſimulandi, ut plenè dictum fuit in *Peruſina Manutentionis 21. Januar. 1704. §. Cæterum coram Eminentiſſimo Domino Cardin. Scotto, in Romana Immiſſionis 6. Febr. 1705. §. Etenim cor. Me, & in Senogallien. Pecuniaria 28. Jun. 1709.*
5 *Hæc quemadmodum cor. Emo D. Card. de §. Polignac*, & ulteriùs (concludebant Domini) non erat ſufficiens hujuſmodi ſimulationis exceptio, uti requirens altiorem indaginem ad retardandam obligationis admodum claræ executionem, *Rot. deciſ.178. num.13., & 14. part.19. rec., in Maceraten. Cambii 12. Decembris 1704. §. Abſque eo quod cor. Emo D. Card. Scotto, & proſequitur alleg. Senogallien. Pecuniaria §. Nec dicatur cor. Emo D. Card. de Polignac.*

Sicut autem ſatis valida præbuerunt hodiernæ reſolutioni fundamenta præmiſſæ ra-
6 tiones, ità etiam non inferiora promanabant in illarum confirmatione ex decretis jam diu editis ab hoc eodem noſtro Auditorio, ac relatis *Sum. DD. Sororum nu.2., & 3.*, quibus non minus æquum erat, quod aliquando obtemperaretur, partibus jam illis tanto tempore acquieſcentibus, *Rot. deciſ.170. nu. 8. part.16., & deciſ.505. num.19., & ſeq. par. 19. recent.*

Nec relevat, quod in decreto bo.me. Paulutii anni 1684. *relat. in Sum. D. Marchionis* onus injungatur conſimilis depoſiti, & inveſtimenti DD. Sororibus, ideoque ſi ipſę propriam non adimplerunt obligationem, nequeant alios ad idem implementum adſtringere. Quandoquidem animadverſum fuit in facto, quod in dicto decreto depoſitum injunctum fuit DD. Sororibus de Bubalo ad inſtantiam Marchionis de S. Cruce, uti hęredis Hiacynthi pariter de Bubalo primi ſucceſſoris in Primogenitura, tempore cujus poſſeſſionis etiam ipſæ bona controverſa compoſſederant. Hodiè tamen ipſæ nihil petunt à d. D. Marchione Sanctacrucio, ſed unicè inſtantiam dirigunt contra dictum Marchionem Rinaldum de Bubalo, qui per obitum prædicti Hiacynthi ſucceſſit de anno 1690. in eadem primogenitura, quo tempore ipſæ DD. Sorores controverſa bona amplius
7 non detinebant, ideoque non poteſt iſte jus ullum deducere à dicto decreto lato inter diverſas perſonas, à quibus jus non habet, & tempore quo nullum pariter jus habebat in
8 bonis Primogenialibus, ne alias ſe ſe tueri videatur exceptione juris tertio competentis, quod fieri non poteſt, ut latè *deciſ. 582. n. 7. cor. ſa. me. Gregor. XV. dec. 505. num. fin. par.19. rec. tom.2., dec.382. num. 19. cor. Beninc., & dec.56. num.1. cor. Rmo P. D. meo Anſaldo Decano.*

Minuſque ſubſiſtit, quod nequidem teneatur ex dictis decretis D. Marchio Rinaldus, cum prodierint tempore quo adhuc Primo-
9 genituram non erat aſſequutus, ſatis quippè eſt DD. Sororibus, quod illa obtinuerint citato Marchione Hiacyntho tunc Primogenito, & ſic legitimo contradictore, ut illarum exequutionem prætendere poſſint contra ſucceſſorem in eadem Primogenitura, uti paſſim firmatum videmus de ſententiis, & præſertim *deciſ.313. num.3. coram Celſo, dec.197. nu.2. par.17. aliiſque allegat. concordan. dec.*
10 *613. num.8. par.18. rec.*, ultra quod ipſe ut ſupra premiſimus ex propria etiam perſona remanet obligatus, & per ſuſceptas obligationes videtur quoque hujuſmodi decreta acceptaſſe, & eorum exequutioni conſenſiſſe.

Nec demum quicquam DD. obeſſe putarunt quo ad Palatium ad Plateam Columnę, quod in præſenti inſtantia coram Me nulla ſuper illo capta fuerit reſolutio. In præſenti namque controverſia ſufficienter jus Dominarum Sororum reſultare viſum fuit ex favorabili ſententia antecedentis inſtantiæ, prædictiſque decretis, cum certum ſit, quod ſuper dicto quoque Palatio jus illæ habent, ſolumque difficultas conſiſtat in ſeparatione ratarum, vel ad fideicommiſſum, vel ad Primogenituram ſpectantium, & ſic in quantitate per peritiorem à Me eligendum, juxta reſcriptum Audientię diei 4. currentis cla-
11 rius liquidanda. Interim verò præſenti reſolutione cuiquam ex partibus præjudicandum non cenſuerunt, ideoque ſupraſcripto modo adjicierunt clauſulas illas ſalutares *pro nunc, & ſine præjudicio jurium partium*, quarum effectum in propoſito laudat *Rota dec.474. num.7., & dec.1804. nu.7. cor. Emer. jun., dec.71. nu.5. par.17., & dec.171. num.9. par. 19. rec.*

Prout neque immorandum fuit in liquida-
12 tione ſummæ deponendę, cum facilis liquidatio haberi poſſit, vel ex locationibus, vel ex fidibus ipſorum conductorum, aut Exactorum aliiſvè probationibus latè ponderatis *deciſ.1107. num.4., & 7. coram Emer. Jun.*, non attento calculo per partes exhibito, cum de-

deceat potius per Peritum Ratiocinatorem illum expleri.

Et ita utraque &c.

LAURETANA CENSUUM.

Lunæ 14. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Hæres beneficiatus ex inventario nullo fit ſimplex, & ad debita defuncti in perſona, & bonis propriis remanet obligatus; Paria enim ſunt defectuoſum conficere inventarium, & ſine illo hæreditatem adire.

SUMMARIUM.

1 *Aditio hæreditatis facta per filios cum defectuoſo inventario non liberat eoſdem à dimiſſione æris alieni à Patre contracti,* & num. 3.

2 *Inventarium defectuoſum qualitatem hæreditariam in hæredem inducit, ac ſi ille abſque illo hæreditatem adiviſſet.*

3 *Hæres ſimplex tenetur in perſona, & bonis propriis pro debitis defuncti.*

4 *Inventarium præſumitur nullum, quotieſcumque hæres reſtitutionem in integrum ob malam illius confectionem poſtulaſſet.*

5 *Confeſſio propria unicuique os claudit, ne contrà eam venire poſſit.*

DECISIO MXV.

Condemnati Fratres de Dionyſiis, uti hæredes quondam Joannis eorum Patris ex judicio A. C. Cincii, ad ſubeundam exequutionem mandati ab ipſo relaxati favore ſucceſſorum Angeletti creditoris pro fructibus cenſuum, & depoſito capitalium, donec præſtaretur idoneus fidejuſſor, etiam in eorum bonis, cum ſolito exequatur contra perſonas, & bona propria, ſuſpenſivam appellationem obtinuerunt à Signatura juſtitiæ, cujus ratione delata causa ad R. P. D. meum Foſcarum, fuit diſputatum in Audientia diei 22. Martii 1715. dubium -- *An mandatum, & exequatur A. C. Cincii ſit exequendum -- Et affirmativè in omnibus* reſponſum prodiit, ut ex deciſione tunc edita, quam cauſæ expeditio ſubſequuta fuit.

Ut autem adhuc omni ſtudio curarent ſeſe eximere ab hoc onere iidem Fratres de Dionyſiis advertentes, quod fundamentum eorum condemnationis innixum erat nullitati inventarii per ipſos confecti de paterna hæreditate, tempore quo in minori adhuc ætate conſtituti erant, inſteterunt cor. R. P. D. meo Auditore Sanctiſſimi pro reſtitutione in integrum adverſus malam confectionem dicti inventarii, & remiſſione cauſæ ad Judicem de partibus, coram quo ſimilis reſtitutio in integrum alias fuerat expetita, ſed remiſſa eorum inſtantia ad Signaturam juſtitiæ, fuit in ea reſcriptum, *quod cauſa examinaretur etiam quoad dictam petitionem admiſſionis ad confectionem novi inventarii in hoc noſtro Tribunali, prout de jure, ſuſpenſa exequutione quoad perſonas, & bona propria cum clauſula -- Alteri qui ad legitimam, & rejecta ulteriori reviſione, quo ad bona hæreditaria debitoris cum clauſula ſine præjudicio.*

Directis itaque mihi congruis commiſſionibus, fuerunt inter partes concordata bina dubia, alterum -- *An ſit concedenda reſtitutio in integrum adverſus malam confectionem Inventarii* -- & alterum -- *An conſtet de credito contra bona hæreditaria, & ſit procedendum ad legitimam* -- Quibus propoſitis in Audientia diei 3. Martii ſuperioris anni, & non concordantibus Dominis in reſolutione primi, fuit tantummodò reſponſum ad primam partem ſecundi -- *conſtare de credito, & in reliquis iterum proponatur*, ut etiam conſtat ex deciſione à Me tunc evulgata.

Opus propterea fuit, ut rursùs præmiſſum dubium ſuper reſtitutione in integrum diſputandum Dominis exhiberem, una cum alio -- *an ſit procedendum ad legitimam, ſub die 8. Maii ejuſdem anni*, ſed neque tunc ob ſuffragiorum ſciſſuram ulla capi potuit reſolutio, unde fuerunt ex laudabili ſtylo noſtri Tribunalis adſciti ad ſuffragium ferendum quintus, & ſextus, & cauſa hodiè repropoſita, ſicuti quoad reſtitutionē in integrum, Domini reſponderunt *negativè*, ut in alia contemporanea mea deciſione, ita quoq; ad præſens dubium exequutionis mandati -- reſponderunt -- *eſſe procedendum ad legitimam*.

Eaque moti ſunt ratione, quod exequatur mandati, contra perſonarum, & bona propria illorum de Dionyſiis relaxatum validum, & juſtum compertum eſt, & validitate non impugnata, juſtitia clarè effulgebat ex deciſione præcedentis inſtantiæ coram R. P. D. meo Foſcaro, ad quam ſatis fuiſſe in præſenti relativè ſe habere.

1 Et ſanè cum dicti Fratres de Dionyſiis Paternam adierint hæreditatem, & inventarium per ipſos confectum ob multiplices defectus tam quo ad formam, quam quo ad ſubſtantiam minus legale, & imò invalidum detectum fuerit, conſequens eſt, ut ſub ejus præſidio propriam ſubſtantiam tueri non poſſint adverſus creditores ejuſdem hæ-

2 reditatis, paria quippe ſunt inventarium omittere, vel illud nulliter explere, juxta latè firmata per *Rot. dec. 495. n. 3. par. 19. rec.*, & cum aliis *in Aſculana Fidejuſſionis, ſeu relevationis indemnitatis 23. Aprilis 1714.*

3 *§. ſi quidem coram Me*, ita ut, imò tanquam ſimplices hæredes conſiderandi, ad defuncti debita in omnibus ipſi remaneant obſtricti, ex alia regula, de qua *Rot. dec. 924. num. 1. cor. Emerix Jun. dec. 689. num. 11. part. 18. rec., & in Romana Salviani 19. Aprilis non elapſi §. Et in univerſum pariter cor. Me.*

Neque obſtat, quod defectus impicti prædicto Inventario non ſint relevantes; ultra enim quod tales plenè dignoſcuntur ex de-

du-

ductis in deciſione præcedentis inſtantiæ coram R. P. D. meo Foſcaro, & in contemporanea coram Me, iſta exceptio videbatur hodie non poſſe amplius allegari, dum Rei
4 agnoſcentes nullitatem Inventarii ex eiſdem defectibus, petierunt in integrum adverſus ejus malam confectionem reſtitui. Unde urget adverſus ipſos propria confeſſio, contra
5 quam non eſt cuiquam licitum reclamare, ad *text. in l. cum te C. de tranſact.* cum aliis allegatis *in Romana Domus ad Curſum* 25. *Novembris* 1715. *§. fin.*, & 6. *Maii* 1716. *§. quam quidem cor. Me.*

Præſidium verò ejuſdem reſtitutionis in integrum multò minus poteſt illis opitulari, quia ad eam non veniunt admittendi, juxta deducta in dicta contemporanea mea deciſione, in qua de iſto reſtrictivè articulo diſputatur.

Et ita quinto, & ſeſto ſuffragium ferentibus, & utraque &c.

LAURETANA CENSUUM SUPER RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Lunæ 14. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Adverſus defectuoſum inventarium reſtitutio in integrum pro nova firmatione ſtatus nunquam hæredi conceditur, niſi prius de læſione paſſa, & patienda ob illius defectus edocuiſſet, ac per coarctatam negativam aliorum bonorum, præter illa in eo adnotata, non exiſtentiam concludenter probaret, & niſi intra quadriennium (ſi hæres prædictus de tempore obitus teſtatoris minor fuiſſet) à die completæ minoris ætatis eam poſtulaſſet. Deſcriptio de rebus hæreditariis turmatim congeſta, in confuſo, & generica, malam fidem parit, & inventarium facit omnino nullum. In hac materia lex nemini parcit, cum quilibet teneatur peritiores conſulere: Ad hanc eandem rem facientem vide deciſionem 755. in tom. 3.

SUMMARIUM.

1 Reſtitutio *in integrum nunquam conceditur adverſus inconſulto aditam hæreditatem, vel male confectum inventarium, niſi prius hæres rigoroſè, & concludenter edoceret de dolo, & læſione ex hac cauſa à ſe ſubeundis.*

2 *Læſio ad effectum prædictum probanda eſt ex firmatione ſtatus de tempore obitus Teſtatoris, & per coarctatam negativam, quod in axe, præter deſcripta in tali inventario, bona adfuiſſent*, & n. 20.

3 *Inventarium defectuoſum, & illegale nullam probationem facit favore hæredis, ut excludatur poſſibilitas, quod in hæreditate defuncti alia bona, præter deſcripta non adfuiſſent.*

4 *Defectus citationis creditorum facit inventarium omnino nullum.*

5 *Amplia, quando res hæreditaria in confuſo deſcripta reperiretur.*

6 *Inventarium tutelare factum à Matre ſine ſolemnitatibus non probat verè, & realiter, quæ bona in hæreditate Viri remanſiſſent nec illius creditores iſti ſtare tenentur.*

7 *Inventarium eſt inſanabiliter nullum, ſi in eo reperirentur deſcriptæ arcæ ſine adnotatione an eſſent plenæ, vel vacuæ, & quibus rebus onuſtæ.*

8 *Talis deſcriptio confuſa in odium res verè repertas deſcribere omittentis præſumere facit fuiſſe plenas.*

9 *Amplia, ut dicatur nullum ex deſcriptione auri, gemmarum, & argenti ſine ponderis, & valoris expreſſione, ſed in confuſo, quod de dolo ſapit.*

10 *Subamplia, ſi etiam Scripturæ, & Inſtrumenta (quæ benè à Teſtatore fuiſſe conſervata probarentur) in confuſo fuiſſent adnotata, abſque expreſſione contentorũ in eis, & quid talis præſumere faciat omiſſio.*

11 *Fructus dotis decurſi uſque ad obitum Viri, & non ſoluti adſcribenda ſunt ſtatui activo ejuſdem hæreditatis.*

12 *Tutrix, quæ in inventario tutelari omiſiſſet deſcribere creditum ex fructibus decurſis, & non ſolutis de ſua dote favore prædefuncti Viri, doloſè id omiſiſſe præſumitur, & de eo non ignoraſſe.*

13 *Tutrix, ſi creditum notorium in tutelari inventario deſcribere omiſiſſet, a fortiori minus nota occultaſſe præſumitur, idemque inventarium non attenditur.*

14 *Tutrix præſumitur exegiſſe creditum Viri prædefuncti ad eludendos creditores, quoties receptas Viri de illis non adduceret.*

15 *Inventarium eſt nullum, ſi animalia, quæ defunctus poſſediſſet, in eo deſcripta non reperirentur.*

16 *Amplia, ſi deficeret deſcriptio pecuniarum, & frugum, quibus Teſtator non caruiſſe probaretur, & n.* 19.

17 *Inventarium defectuoſum, ſtatum hæreditarium non firmat.*

18 *Nulliter factum non ſanatur ex alio primo inventario tutelari facto ab Uxore defuncti, quod quoque defectuoſum eſſet.*

20 *Impoſſibilitas exiſtentiæ aliorum bonorum, præter deſcripta in defuncti hæreditate, non remanet probata ex confrontatione cũ inventario defectuoſo.*

21 *Inventarium non fit nullum ex omiſſa deſcriptione ſtabilium, cum occultationi non ſint obnoxia.*

22 *Limita, ſi ageretur de inventario, in quo repertæ fuiſſent etiam aliæ omiſſiones doloſæ, quæ nec incuriæ, nec oſcitantiæ tribui poſſent.*

23 *Defectus inventarii non ſanantur per demonſtrationes redditionis rationis, quam feciſſet Uxor defuncti tutorio nomine filiorum, ſed nemine citato, etiamſi hoc eſſet ad formam localis Statuti*, & vide rationem in n. ſeq.

24 *Sta-*

24 *Status hæreditarius non remanet firmatus ex redditione rationis à muliere tutorio nomine facta de dato, & accepto, cum iſta cauſam propriam fovere dicatur in fraudem creditorum:*

25 *Ignorantia æris alieni allegata pro obtinenda reſtitutione in integrum adverſus inventarium defectuoſum non attenditur, niſi conſtet ex illius omiſſione Minores fuiſſe læſos.*

26 *Hæreditas præſumitur idonea, & capax pro dimittendo ære alieno à defuncto contracto:*

27 *Notula debitorum hæreditariorum deducta ad firmandum ſtatum hæreditatis paſſivũ non dicitur juſta, ſi non ſecum ferret etiam relevationem, quam hæreditas haberet adverſus alios coobligatos:*

28 *Reſtitutio in integrum prædicta non conceditur, niſi prius hæres ſe debitorem deſcripſiſſet de ſummis, & fructibus hæreditariis exactis à die obitus Teſtatoris.*

29 *Amplia, ut neque juvetur à bona fide ut tales fructus ſuos facere potuiſſe dicatur, quia ex reſtitutione in integrum titulus hæreditarius, quo exacti fuiſſent, ad non titulum redigitur.*

30 *Subamplia, quando peteretur poſtquam Signatura actoris creditum cum clauſula* S. P. *canonizaſſet, pro cujus executione retardanda talis deduceretur exceptio.*

31 *Item ſi eam petens ſe pro hærede bona hæreditaria diſtrahendo geſſiſſet.*

32 *Adde, ſi eam poſt lapſum quadraginta annorum poſtulaſſet.*

33 *Hæres ad talem reſtitutionem in integrum reportandam, debet eam petere intra quatriennium à die completæ minoris ætatis, alias eo elapſo, tali jure ſpoliatur.*

34 *Amplia, ut neque ex ignorantia excuſetur, cum ſit iuris, & non facti.*

35 *Ignorantia Juris in materia defectuoſi inventarii, nec mulierem, nec pupillum, nec ruſticum, nec minorem, nec militem iuvat, cum quilibet ex iſtis peritiores conſulere teneatur.*

DECISIO MXVI.

CUrantes, (*ut etiam in contemporanea Deciſione dictum fuit*) Fratres de Dionyſiis evitare executionem mandati favore Succeſſorum Angeletti relaxati pro creditis cenſuum impoſitorum à Joanne eorum Patre, decretam tàm *ab A. C. Cincio*, quàm *à Sacra Rota coram R. P. D. meo Foſcaro*, contra eorum quoque Perſonas, & bona, probeque noſcentes hujuſmodi condemnationem innixam eſſe nullitati Inventarii per eos adhuc in minori ætate exiſtentes confecti de bonis hæreditariis Patris, petierunt prius *coram R. P. D. Auditore Sanctiſſimi*, & ſucceſſivè *in Signatura Juſtitiæ* reſtitutionem in integrum, qua mediante ad novi, validique Inventarii exarationem poſſent admitti, eorumque inſtantiam remitti obtinuerunt ad hoc noſtrum Auditorium, *Prout de jure*, ſuſpenſa interim mandati executione.

Delata propterea Mihi *hujus quoque novi Judicii* cognitione, duo contemporaneè pluries propoſui dubia, alterum reſpiciens prædicti mandati executionem, & alterum petitam à Dionyſiis reſtitutionem in integrum; videlicet -- *An ſit concedenda reſtitutio in integrum adverſus malam confectionem Inventarii* -- & hodiè tandem in tertia cauſæ propoſitione ſuffragium ferentibus *quinto, & ſexto* reſponſum habui quoad hujuſmodi dubium *Negativè*, & quoad executionem mandati, & exequatur conſecutivè reſcriptum fuit -- *Affirmativè*, ut in d. alia deciſione pleniùs enarratur.

Reſtrictivè hìc igitur agendo de primo dubio, negativæ reſolutioni fundamentum præbuerunt multiplices animadverſiones, quæ ſive *ſeparatim*, ſive *unitim* à DD. ponderarentur, excluſionem cujuſcumque reſtitutionis in integrum operari neceſſario videbantur.

Et primo quidem animadverſum fuit nul-
1 lam à Fratribus de Dionyſiis probari læſionem ex ita adita hæreditate in ipſos reſultantem, quando tamen certi Juris eſt, huic extraordinario remedio reſtitutionis in integrum adverſus non confectum, vel male confectum inventarium, ſive ex capite minoris ætatis, ſive ex alia quacumque cauſa poſtuletur, locum eſſe non poſſe, niſi prius rigoroſè, & concludenter doctum fuerit de gravi læſione ſine ipſius culpa, vel dolo per hæredem ſubeunda, ut præter alios allegatos in *deciſione hujus cauſæ 22. Martii 1715. §. Tum etiam cor. R. P. D. meo Foſcaro*, firmavit *Rota in Romana Cambii 19. Januari 1705. §. finali coram bon. mem. Muto, in Romana, ſeu Ferrarien. Cambii 30. Januarii 1711. §. Minus officiebat cor. Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto, in Anconitana, ſeu Recineten. Cauthelæ Angeli ſuper reſtitutione in integrum 26. Februarii 1712. §. Etenim reſtitutio cor. Reverendiſſimo D. meo Aldrovando Epiſcopo Neoceſarien., & in Aſculana reſtitutionis in integrum 23. Aprilis 1714. §. Tantoque magis cor. Me*, -- Quæ quidem læſio aliunde probari non poteſt, quàm ex firmatione ſtatus hæreditarii, habito reſpectu ad tempus obitus Joannis Dionyſii debitoris ſequuti de anno 1671., & quidem cum negativa coarctata, videlicet cum certa probatio-
2 ne, quod tunc in Aſſe hæreditario iſta dumtaxat bona reperirentur, & non alia, *Rota dec. 87. n. 4., & dec. 88. n. 1. poſt. Urceol. de tranſact., in Bononien. immiſſionis 6. Martii 1702. §. Quod autem coram Emenentiſſimo Scotto, in d. Anconitana, ſeu Recinaten Cauthelæ Angeli ſuper reſtitutione in integrum eodem §. Etenim reſtitutio cor. Reverendiſſimo P. D. Aldrovando*, & in allegata *Aſculana reſtitutionis in integrum §. Nec facile cor. Me*.

Hæc vero firmatio Status non videbatur, unde poſſet in præſenti deduci, cum ad hunc effec-

effectum ſatis apta documẽta non afferretur;
3 quatenus enim inſiſtebatur illimet Inventario hæreditario, quod poſt ſeptem annos à die obitus debitoris fuerat exaratum, ſtatim validiſſima occurrebat reſponſio, quod ex eo non poterat univoca, & certa demonſtratio bonorum à defuncto relictorum deſumi cum excluſione poſſibilitatis quoad majorẽ quantitatem, cum id præſtare non poſſit inventarium vitioſum, & illegale, quale eſt illud tam
4 quoad ſolemnitates omiſſas, & precipuè illam citationis Creditorum certorum, quales erant Auctores illorum de Quattrinis, & litis con-
5 ſortium, quàm etiam quoad informem; & confuſam deſcriptionem rerum hereditariarum, & omiſſionem quoque aliarum, quibus debitor defunctus carere non poterat, juxtà optime expenſa *in deciſione cauſæ edita cor. R. P. D. meo Foſcaro* §. Præterea, *& per tot* & in puncto firmationis ſtatus pro reſtitutione in integrum aliàs dixit *Rota in Vrbevetana fideicommiſſi ſuper reſtitutione in integrum 5. Martii 1608.* §. *Quo vero cor. bon. me. Vrſino, in d. Romana cambii 19. Ianuarii* 1705. §. *fin. cor. bon. mem. Mato, in Romana* Pecuniaria *27. Iunii* 1798. §. Precipuè *cor. Eminentiſsimo Scotto, in Romana fideicommiſsi de Radichettis 27. Februarii* 1711. §. *Nihil relevante cor. R. P. D. meo Criſpo, in eadem Anconitana, ſeu Recineten. cauthelæ Angeli ſuper reſtitutione in integrum 26. Februarii* 1712. §. *Etenim cor.* Reverendiſsimo P. *D. Aldrovando, in Romana, ſeu Florentina cenſus 6. Iunii eiuſdem anni* §. *finali cor. Me, & in relata Aſculana reſtitutionis in integrum 23. Aprilis* 1714. §. *Nec facile pariter cor. Me.*

Quatenus verò recurrebatur ad primum
6 Inventarium tutelare paulo poſt Joannis obitum à Matre illorum de Dionyſiis confectum, & iſtud quoque inefficax illico detegebatur ratione conſimilium vitiorum, quibus æque, ac aliud prædictum poſtea exaratum refertum eſt. Quippe quia præter quod factum dignoſcitur ſine ulla penitus ſolemnitate, cum illæ ſervatæ in ſuſceptione Tutelæ minimè cadant ſuper confectione Inventarii, quod ſeparato actu expletum legitur, & ſonat in meram, ſimplicemque deſcriptionem privatè factam ab ipſa Tutrice, ut ex ipſius lectura deprehenditur, ibi -- *Dixit, & aſſeruit in hæreditate d. Ioannis inveniſſe infraſcriptas res &c.* -- Cui quidem deſcriptioni fidem præſtare Viri Creditores non tenentur, illius nullitas inſanabilis, & longe gravior eſt in
7 ſubſtantia, dum in eo plura Scrinia, pluresque Arcæ, ſeu Capſæ deſcriptæ fuerunt ſine neceſsaria ſpecificatione, an eſſent vacuę, vel plenę, & quibus rebus, ibi -- *Vn Credenzino di noce, due Tavolini, uno di noce, e l'altro di Ebano con il ſuo Scrigno ſimile, un forzieretto di noce, un' Inginocchiatoio, una Caſſettina d. noce* -- & rurſus infra -- *Una Caſſa di noce, una Caſſa di Abeto dipinta, un Credenzino di noce, quattro Caſſe di noce con un Credenzino* -- quam ſane omiſſam ſpecificationem rerum, quæ in illis continebantur, quæque in odium deſcribere omit-
8 tentis in eis contineri præſumuntur, Inventario fidem adimere certum eſt, ex doctrina *Bald. conſ. 256. n. 4. lib. 3., Conſtant. de reſtit. in integr. diſtinct. 95. n. 11., Rota dec. 350. n. 3. p. prima rec., & in Romana Pecuniaria 11. Januarii 1712.* §. *Et contrarium coram Reverendiſſimo P. D. Aldrovando Epiſcopo Neoceſarien.*

Nec minoris eſt roboris confuſa auri, ar-
9 gentique, & gemmarum deſcriptio ſine ulla expreſſione, aut ponderis, aut valoris, aut qualitatis opificii, unde poſset illorum identitas plenè, ut debet concludi, ibi -- *Altri argenti, due ſottocoppe, una guantiera, due aquaſante una piccola, una grande, una tazza di argento, dodici coltelli con manichi di argento &c.* --, & iterum -- *Vn giglio d'oro ſmaltato con perle, un golino ſmaltato con Diamantini, perle in due Vezzi n. 170., un altro vezzo groſſo n. 109., Gargantiglia con rubbini, e perle &c., una collana di oro con una roſetta di diamantini n. 18. tra piccoli, e groſſi &c., un'anello d'oro ſmaltato con ſei diamanti in lungo, e uno quadro in mezzo &c., un'anello di oro con zaffiro orientale &c.* -- reliquis pluribus conſimilibus omiſſis. Qua ſtante confuſione quomodo poteſt evitari ſuſpicio facilis ſuppoſitionis unius gemmæ vilioris pretii loco alterius longe majoris, aut unius vaſis argentei levioris ponderis, loco gravioris, propter quam ſuſpicionem, dicta ponderis, aliarumque qualitatum deſcriptio requiritur, ex vulgato *conſil. Natte 574., Poſthl. reſol. 3. n. 2., Rota dec. 877. n. 3. cor. Emer. jun.*, & cum aliis *in Romana Legati de Caraffis 20. Ianuarii 1712.* §. *Minuſque cor. Eminentiſsimo D. Cardinali Priolo.*

Succedit alter defectus conſimilis deſcri-
10 ptionis Inſtrumentorum, & ſcripturarum factę ſine ulla expreſſione eorum cõtinentię, reticito penitus eorum tenore, non expreſſo Notario de illis rogato, nulloque tempore, quo fuiſſent ſtipulata ibi -- *Due libri d. Inſtrumenti publici, Inſtrumenti diverſi n. 119. tutti legati aſſieme &c.* -- Undè præſumptio legalis oritur, dum à defuncto tam benè aſſervabantur, quod inter illa adeſse poſsent plura hæreditatis utilitatem concernentia, vel cambia activa, vel cenſus, vel alia credita, quæ tamen ſubinde in perniciem Creditorum ejuſdem hæreditatis fuerunt occultata, ut agendo de conſimili deſcriptione facta in Inventario hæreditario, firmavit etiam *dec. R. P. D. mei Foſcari* §. *Et demum cum cum ſeq. & aliis concordan., Rota dec. 279. n. 16. p. 10. rec., in Romana Pecuniaria, ſeù locorum Montium 12. Decembris 1712.* §. *Conſtitit cor. Me, & 3. Julii 1713.* §. *Non leviorem cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Eoque magis augetur vis hujuſmodi defectus, quo palam fit ex facto omiſſam effecti-
11 vè fuiſse alicujus crediti deſcriptionem, & ſignanter illius, qui promanabat ex fructibus dotis

dotis ipſius Tutricis promiſſæ in ſcut. 3000, & de tempore obitus Joannis non ſolutæ, niſi pro ſcut. 1500., quæ ipſe in contractu matrimonii receperat uſque de anno 1661., ideoque cum Vir deceſserit ſub anno 1671., deſcribendum erat ſavore hæreditatis creditum fructuum ex dictis ſcut. 1500. decurſorum per decennium, neque hujus crediti
12 ignorantia poteſt ullo modo per Tutricem allegari, quia agebatur de ipſiusmet dote, cujus ſubinde ſolutionem curavit à promiſſoribus, & obtinuit ſub anno 1675. Poſita autem adeò certa omiſſione deſcriptionis hujus crediti reſultantis ex publico inſtrumento conſtitutionis dotis, ſubintrat præſertim in
13 hac materia, in qua qui cadit a ſyllaba cadit a toto, ut ait *Bald. in Auth. ſed cum Teſtator n. 8. Cod. ad l. falcid.* regularis illatio, quod ſi fuit occultatum tale creditum aliquo modo notorium, quid dicendum erit de aliis quæ difficilius poſsent Creditoribus pateſieri, ut alias advertit *Rota in Romana Cambii 19. Ianuarii 1705. §. Iſtaque doloſa omiſſio cor. bon. me. Muto, & in allegata Aſculana fidejuſsionis, ſeu relevationis indemnitatis 23. Aprilis 1714. §. Unam tamen cor. Me.*
14 Non ſubſiſtente eorum præſumpta exactione per virum; quippe quia cum nullæ exhibeantur receptæ, eodem quoque modo præſumi poteſt fuiſſe exacta in perniciem Creditorum poſt ejus obitum à Tutrice, vel Pupillis.

Inexcuſabilis denique dolus promanat
15 (*omiſsis iis, quæ inferius ponderabimus quoad ſtabilia*) non ſolum ex quo integra non videtur deſcriptio animalium exiſtentium tunc temporis in bonis hæreditariis, ut in ſpecie convincitur reſpectu pecudum relatarum in n. 35., quando tamen convincitur ex facto illas fuiſſe 74. circiter, verum etiam ex omiſſa totaliter deſcriptione nummorum,
16 & frugum, quas tamen res pro quotidianis uſibus facile eſt credere Defunctum Domi, ſaltem in aliqua mediocri quantitate retinuiſſe, ex quibus ſane defectibus Inventariorum fidem infici ſemper tenuit *Rota*, ut quoad animalium deſcriptionem dictum fuit *in Urbeventana fideicommiſſi ſuper reſtitutione in integrum 26. Junii 1697. §. Talem, & 5. Martii 1698. §. Quo vero cor. bon. mem. Muto*, & quoad nummos, & frumentum, aliaſque res, quibus defunctum caruiſse non eſt veriſimile *in recentior. parte 19. dec. 658. n. 4., in Romana cambii 19. Januarii 1705. §. Secundo, & ſeq. cor. bo. mem. Muto, in Romana, ſeu Florentina cenſus 19. Junii 1711. §. Hinc inutiliter cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*, & *in Aſculana fideiuſsionis, ſeu relevationis indemnitatis 23. Aprilis 1714. §. Nullum præterea coram Me.*

Subſiſtente autem nullitate utriuſque in-
17 ventarii, tàm ſcilicet hæreditarii, quam tutelaris, fruſtra ſibi blandiebantur Dionyſii, quod ſaltem ex utroque ſimul juncto quantitas Patrimonii eorum Patris firmari poſſet. Id enim pluribus excludebatur reſponſionibus, ex quibus validior illa viſa eſt, quod pinguius ex dd. Inventariis eſt illud hæreditarium confectum per plures annos poſt exarationem alterius Tutelaris, & tamen non
18 valent cum illo ſuppleri defectus primi, cum utrumque careat earundem rerum deſcriptione, & utrumque eaſdem contineat plurium rerum omiſsiones, ut ſignanter certum
19 eſt quoad *ſcripturas*, quoad *nummos*, itidem, & *fruges*, quoad *credita quoque hæreditaria*, & alia, quæ ex confrontatione magis eluceſcunt, itaut nequidem iſto modo
20 excludi poſſit ea poſſibilitas exiſtentiæ aliorum bonorum, quám ad hunc effectum Doctores, & Tribunalia requirunt, ex adductis *per Rot. dec. 457. n. 11. p. 19. rec.*, *in Urbeventana fideicommiſsi 26. Junii 1697. §. Eiſdemque defectibus cor. bon. me. Urſino, in Bononien. Reſtitutionis in integrum 22. Martii 1700. §. Et quidem cor. Reverendiſſimo dell'Olmo*, & in aliis ſupra allegatis *§. Et primo*.

Magiſque confunditur hujuſmodi poſſibilitas, ſi reſpectus habeatur ad deſcriptionem
21 ſtabilium, quorum omiſſa adnotatio, licet de per ſe non influat in nullitatem Inventarii,
22 quia non ſunt obnoxia occultationi; nihilominus concurrentibus aliis doloſis omiſſionibus, de quibus ſupra, præſertim quando, ut hìc, Inventarium conficientes aliquod ex eis deſcripſerunt, itaut neceſſariam in ſe arbitrati fuerint eorum deſcriptionem, maxima oritur exinde præſumptio, quod cætera non deſcripta fuerint potius ex malitia, & fraude, quam ex incuria, & oſcitantia, ut advertit *Rota in Romana Cambii 19 Januarii 1705. §. Iſtaque cor bon. me. Muto*, & cum aliis in allegata *Aſculana fidejuſsionis, ſeu relevationis indemnitatis §. Eademque cor. Me.* Reſpectu autem horum ſtabilium certum eſt, quod ſi aliqua ex illis fuerunt vel in uno, vel in altero, vel etiam in utroque ex dd. Inventariis adnotata, aliqua temen è contrario in nullo fuerunt deſcripta.

Abſque eo quod ad eumdem effectum re-
23 curri poſset ad redditiones rationum de annis 1676., & 1679. factas à Tutrice ad formam Statuti Localis coram Prætore, & Conſanguineis. Sunt enim innixæ fragili fundamento ſupradicti Inventarii, enunciant debita, & credita in illo non deſcripta, convincuntur erroneæ in pluribus partitis exactionis fructuum, & factæ ſunt nemine citato, & in fide ejuſdem Mulieris facta calculatione, & collatione dati, & accepti ſine ulla penitus juſtificatione, proptereaque actus adeo informes nullũ poſſũt pręſtare adminiculũ pro aſſequẽda certitudine ſtatus hęreditarii concludẽtibus probationibus, & aliunde juſtificanda, quam ex enarratione Tutricis, quæ ſui ipſius intereſse, vel filiorum amore capta, fraudem feciſse Creditoribus ſummopere ſuſpicari poteſt, ut in propoſito ponderat *Rota in Peruſina Pecuniaria 8. Februarii 1706. §. Non obſtat cor. Eminentiſſimo D.*

Car-

Cardinali Priolo, & in alia 6. Maii 1707. §. Prout nec ulla, & §. Non enim cor. Eminentiſsimo D. Card. Scotto.

Neque ullatenus ſuffragari poſse viſa fuit
25 debitorum ignorantia, & magni æris alieni, quo gravabatur hæreditas; ſi enim non conſtat ex ſolutione hujuſmodi debitorum Minores læſos eſse, prout ex ſupradictis conſtare non poteſt, talis ignorantia non attenditur,
26 & præſumitur è contrario tot bona in hæreditate extare, vel extitiſse, quę ſufficiētia ſint ad d. ſolutionem, *Andreol. contr.* 101. *n.* 10., *Rota dec.* 179. *n.* 11., & 12. *poſt Vrceol. de tranſact.*, & *dec.* 457. *n.* 12., & 13. *p.* 19. *recent.*

Maxime quia nec fidelis eſt notula debito-
27 rum ab ipſis exhibita, dum nullo modo refert relevationem ſibi competentem ſuper bonis coobligatorum cum Patre, & è contrario ipſi non ſolum habent in manibus bona ōnia hæreditaria Patris debitoris, ſed etiam
28 gerendo ſeſe ab anno 1671. uſque in præſens pro hæredibus, exegerunt ex fructibus eorumdem bonorum plura ſcutorum millia, quorum etiā abſoluti Juris eſt habendam eſſe rationem pro regulando Judicio circa læſionem allegatam ab hęrede, qui petit ſeſe in integrum reſtitui, juxta paſſim firmata per *Rot. dec.* 263. *cor. Bich*, *in Sabinen. bonorum* 12. *Iunii* 1705. §. *Certum namque*, & 20. *Iunii* 1706. §. *His præmiſsis cor. Reverendiſsimo P.D. meo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*, *in Romana cenſus ſuper reſervatis* 13. *Maii* 1709. §. *fin cor. Eminentiſsimo Priolo*, & *in Anconitana*, *ſeu Recineten. Cauthelæ Angeli ſuper reſtitutione in integrum* 29. *Februarii* 1712. §. *Præterea cor. Reverendiſsimo P. D. meo Aldrovando Epiſcopo*
29 *Neoceſarien.*, nulla habita ratione bonæ fidei, qua fuerint percepti, quia ſi per reſtitutionem in integrum titulus prœcedentis aditionis hæreditatis reduceretur ad non titulum, etiam in ſtatu bonæ fidei percepti eſſent reſtituendi, ut proſequuntur *relatæ auctoritates*, & *præſertim Rota in d. Anconitana*, *ſeu Recineten. Cauthelæ Angeli ſuper reſtitutione in integrum eodem* §. *Præterea cor. Reverendiſsimo Aldrovando*.

Ponderabant ſecundo DD. pro excluſione
30 propoſitę inſtantiæ, non ſolum, quod illam hodiè expoſtulant Dionyſii poſt diutinam oppoſitionem contra realitatem crediti a Partibus propoſiti tandem canonizati a Signatura Juſtitiæ cum clauſula *Sine præjudicio*, in quibus terminis illam non competere latè probat *Card. de Luca de hæred. diſc.* 14. *numero* 13., ſed etiam quod alias ipſis indulta fuit, ſed inutiliter anno 1677., ſimilis in in-
31 tegrum reſtitutio, poſtquam adhuc ſe pro hæredibus gerere non deſtiterunt vendendò ſignanter prædium hæreditarium de anno 1683. cum accollatione controverſorum cenſuum in partem pretii. Undè videbatur ipſis obſtare Juris communis diſpoſitio, in *L. final. Cod. ſi ſępius in integrum reſtit. poſtul.* prohibens in una, eademque cauſa illam iterato concedi, ut tradunt *Angel. in l.* 2. *C. de appellat.*, *Barz. dec. Bonon.* 107. *num.* 17., *Giurb. dec. Sicil.* 66. *n.* 3., *Magon. dec. Lucen.* 68. *n.* 25., *Rota in Tuden. Parochialis de Reverteme* 17. *Junii* 1712. §. *Quotieſcumque cor. R. P. D. meo Falconerio*.

Et pro coronide demum addebant, quod
32 eadem inſtantia renovatur hodiè poſt lapſum quadraginta, & ultra annorum, quando ta-
33 men ejus impetratio ex capite minoris ætatis a Jure reſtringitur ad quadriennium dumtaxat a die complete d. minoris ętatis, ut ſunt *text. in l. fin. Cod. de temp. in integr. reſtit.*, & *cap.* 1., & 2. *de reſtit. in integrum in* 6., & alias firmavit *Rota dec.* 79. *n.* 11. *poſt Vrceol de tranſact.*, *dec.* 311. *n.* 8. *p.* 19. *rec.*, *in Ravennaten Evictionis* 4. *Iulii* 1696. §. *Facilius cor. R̄mo Molines Magno Hyſpaniarum Inquiſitare*, *in allegata Anconitana*, *ſeu Recineten.* §. *Etenim cor. Reverendiſſimo P.D. Aldrovando*, & *in Aſculana reſtitutionis in integrum* 23. *Aprilis* 1714. §. *fin. cor. Me*, ubi concurrebat lapſus 16. Anno-
34 rum, non admiſsa ullius ignorantiæ excuſatione, quia agitur non de ignorantia alicujus facti, ſed de ignorantia Juris circa formam ſervandam pro validitate Inventarii,
35 quæ neminem juvat, neque Minores, neque Mulieres neque Pupillos, neque Ruſticos, neque Milites; debent enim peritiores conſulere, ut inquit *Rota dec.* 72 *n.* 16. *p.* 2. *diverſ.*, & conſonant *Natt. conſil.* 575. *n.* 22. & 23., *Cyriac. controv.* 127. *n.* 13., *eadem Rota in Romana Pecuniaria* 7. *Maii* 1701. §. *Quanquam cor. bo. me. Muto*, & proinde tempus declarationis Judicis non eſt attendendum, *Rota in Romana Pecuniaria*, *ſeu locorum montium* 11. *Junii* 1706. §. *Nihilque cor. Reverendiſſimo P.D. Molines*, *in Romana*, *ſeu Florentina cenſus* 6. *Junii* 1712. §. *Hinc nil profuit cor. Me*, & *in dicta Anconitana*, *ſeu Recinaten. Cauthelæ Angeli ſuper reſtitutione in integrum* 26. *Februarii ejuſdem anni* §. *Minuſque cor. Reverendiſſimo P.D. Aldrovando*.

Et ita utraque Parte *ter* audita, ac *Quinto*, & *Sexto* ſufragium ferentibus, fuit &c.

PERUSINA IMMISSIONIS.

Veneris 18. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hipotheca inter præſentes per decennium, & inter abſentens per vintennii in judicio Salviani ex creditoris acquieſcentia præſcr ipta non remanet, niſi ſcientiam certam de ea Creditorem habuiſſe probaretur, nec ſufficit præſumpta, à cujus die præſumptio currere incipit. Pro præſumpta cenſus extinctione centenaria non oritur, quoties creditor intermedio tempore pro fructibus mandatum reportaſſet, filius pro credito turbido ex materna dote deſumpto retentionem non habet.

SVMMARIVM.

1 *Immiſſio, tribus verificatis extremis, nempè credito cum hypotheca, antiqua debitoris poſſeſſione, & rei conventi moderna, ſemper conceditur.*

2 *Creditum cum hypotheca ex inſtrumento publico probatum redditur incontrovertibile.*

3 *Poſſeſſio Rei probatur ex diſpoſitione illius, quam Dominus de ea ad ſui libitum feciſſet.*

4 *Poſſeſſio Rei conventi in judicio Salviani probatur ex ſubſtentatione litis.*

5 *Hypotheca favore tertii poſſeſſoris preſcripta remanet ex acquieſcentia Creditoris per decennium inter præſentes, & per viginti annos inter abſentes.*

6 *Præſcriptio non incipit currere, niſi à die, qua creditor ſcientia habuit de diſtractione rei ſibi hypothecatæ penes tertium facta.*

7 *Amplia ut hec ſcientiam non debeat eſſe preſumpta, ſed requiritur certa, & indubitata probatio de illa.*

8 *Creditum non præſumitur extinctum, quando creditor pro eo, tam contra principalitèr obligatum, quam contra fidejuſſorem mandatum obtinuiſſet.*

9 *Centenaria remanet interrupta, quando debitor circa ſexageſimum annum à die initi contractus fuiſſet pulſatus.*

10 *Cenſus non dicitur pro medietate extinctus, ex quo creditor pro medietate tantum egiſſet, quando de preſervatione ſuorum jurium pro altera medietate ſibi caviſſet.*

11 *Extinctio cenſus probanda eſt per actum impoſitioni retroſimilem.*

12 *Cenſus non poteſt credi totaliter extinctus, ex eo, quia pro medietate illius extinctio apparet, niſi concludenter probaretur.*

13 *Amplia, ut neque ex quo creditor contra unum tantum ex duobus obligatis egiſſet, quando utriuſque ſolidalis adfuiſſet obligatio.*

14 *Subamplia, ut neque ex hoc, quod in deſcriptione cenſuum facta à debitore occaſione diviſionis peractæ inter ejus filios, talis cenſus non reperiretur adnotatus, ſi in eo Pater eſſet fidejuſſor ſolidaliter obligatus, & vide caſum.*

15 *Pater ſi dixiſſet, quod filii teneri deberent ad omnes cenſus à ſe impoſitos, ſub hac obligationis generalitate, cenſus quoque comprendi voliſſe illos, in quibus ipſe fuiſſet ſolum fideiuſſor.*

16 *Retentio bonorum non competit ſucceſſori pro credito, quod ejus author iam fuiſſet ante obitum conſequutus.*

17 *Obligatus de evictione favore emptoris bonorum, ea jura, quæ hac de cauſa in iſtum transtulit, non poteſt per poſteriorem contractum in alterum transferre.*

18 *Obligatio jurata non irritatur ob non ſervatam formam ſtatuti localis, cum, ob juramentum, ſtatuto locali non ſubjaceat.*

19 *Retentio, quæ patitur exceptiones, non infingit vim publici inſtrumenti obligatione Camerali muniti.*

20 *Retentio pro credito dotali poſtulata adverſus creditorem certum non admittitur, quoties illam allegans retineret tot bona, ex quibus tam ipſe, quam creditor poſſent ſatisfieri.*

21 *Hæres tenetur adimplere obligationem à ſuo authore approbatam.*

DECISIO MXVII.

JURA Cenſus impoſiti uſque ab anno 1595. à Camillo de Cornea ſub ſolidali obligatione Boncambii de Boncambiis favore Angeli Scarlatti, & ſibi translativè ceſſa, experiri voluit in Judicio Baltaxar de Veglis ex dicta ceſſione à Creditore cauſam habens, ideoque inſtetit uſque de an. 1709. coram Judice de Partibus contra D. Iuniperam de Balleonibus tertiam poſſeditricem Prædii à dicto Boncambio provenientis immitti vigore Salviani Interdicti in illius poſſeſſionem, ad effectum ſibi ſatisfaciendi de fructibus medietatis ejuſdem cenſus, ſed per ſententiam reæ conventæ abſolutoriam repulſus fuit.

Non ita tamen in noſtro contigit Auditorio, ad quod in gradu appellationis cauſa devoluta fuit, propoſito quippè Dubio ſub die 20. Martii 1711., an eſſet danda Baltaxari petita immiſſio, affirmativa prodiit reſolutio, ut conſtat ex deciſione tunc edita coram R. P D. meo Criſpo, cùm ſubſequta pronunciatione ſententiæ, quam, & hodie in gradu ulterioris appellationis à Junipera interpoſitæ, *confirmandam eſſe* DD. ſub congruo Dubio à Me conſulti reſponderunt.

Præter enim validitatem dictæ ſententiæ ſinè controverſia reſultantē ex actis, conſtitit
1 quoque de juſtitia optimè innixa illi fundamento, quod concurrunt favore actoris tria neceſſaria requiſita pro obtinenda Immiſſione, creditum videlicet cum hypoteca, antiqua poſſeſſio debitoris, & moderna reæ conventæ, juxta nuperrimè deducta *in Romana Salviani* 19. *Aprilis currentis anni* §. *Suppoſitis, & in alia* 14. *Maii mox elapſi* §. *Reſtrictive coram Me*.

2 Creditum namque promanat ex inſtrumento publico impoſitionis Cenſus, ubi litteralis eſt obligatio in ſolidum ſuſcepta per Boncambium cum hypoteca omnium ejus bonorum, *Rota dec.* 156. *num.* 2., & 3. *coram ſa. me. Alexand. VIII.*, & *in Romana Salviani* 30. *Martii* 1714. §. *Concurrere coram Me*. Antiqua controverſi Prædii poſſeſſio
3 penes eundē Boncambiū convincitur ex illius diſpoſitione in aſſignatione facta Ardeliæ ejus filiæ, & ex ſucceſſiva illius permutatione, ut in ſimili ex venditione arguit *Rota dec.* 433. *num.* 3., & 4. *par.* 19. *rec*, & *in Peruſina reintegrationis ſuper fructibus* 27. *Martii* 1713. §. *Altera, coram R.P.D. meo Falconerio*, & *proſequitur allegata Romana Salviani* §. *Poſſeſſio coram Me*. Sicut
4 etiam moderna penes ream probatione non indiget, ſtante illius ſubſtentatione præſentis litis cor: Judice de partibus & proſequutione in hoc noſtro Auditorio, ut ſepiſſimè dictum fuit,

ſuit, & præſertim *dec.*446. *num.*1.*cor.Emer. Jun.*,*dicta dec.*611. *num.*5. *par.*19. *rec.*, *& in ead. Romana Salviani* §. *Et demum coram Me*.

4 Neque ullo modo ſuffragari potuerunt Juniperæ adductæ exceptiones, aut præſcriptionis hypothecæ, aut præſumptæ liberationis Boncambii fidejuſſoris, aut retentionis bonorum ex juribus Proſerpinæ primæ uxoris ejuſdem Boncambii. Quantum quippe
5 attinet ad hypothecæ præſcriptionem, quam jura noſtra inducunt favore tertii poſſeſſoris, ſtante acquieſcentia Creditoris inter præſentes per 10., & inter abſentes per 20. annos, ut ſunt *Text. in l.*1. *&* 2. *C. ſi adverſ. Credit. præſcript. oppon.*, *& l. fin. C. de preſcript. long. temp.*, difficultas ceſſabat ex eo, quod præſignati temporis lapſus ad hujuſ-
6 modi præſcriptionis effectum non currit, niſi à die, qua Creditor ſcientiam habuit, rem hypotecatam per debitorem in tertium fuiſſe alienatam, ut præter adduct. *in deciſ. praecedentis Inſtantiæ* §. *Neque Immiſſioni*, *cor. R. P. D. meo Criſpo*, late probat *Merlin. de Pignor.*, *& hypoth. lib.*5. *quæſt.*21. *tit.*1. *num.*58., & firmat *Rota dec.*408. *num.*18. *par.*5. *rec.*, & melius *in Urbinaten. Salviani* 29. *Junii* 1680. §. *At fuit reſponſum coram cl. me. Card. Mattheio*, *confirmat.* 3. *Julii* 1688. §. 1. *cor. cl. me. Card. Caprara impreſſ. dec* 1. *num.*3., *& dec.*10. *nu.*3. *poſt. tract. var. Gobbii*. Hæc verò ſcientia in caſu noſtro nullo hactenus modo probata fuit, neque in Balthaxare actore, neque in ejus auctoribus, quando tamen certi etiam Juris
7 eſt, quod ſola præſumptio non ſufficit, ſed requiritur certa, & indubitata probatio, ut firmavit *Rota dec.*311. *num.*10. *cor. ſa. mem. Gregorio XV.*, *dec.*500. *num.*46. *cor. Bich.*, & proſequitur *dicta dec.*1. §. *Stant vera poſt Gobbium*.

8 Quo vero ad præſumptãCrediti extinctionem, ſeu ſaltem liberationem Boncambii deductam ex longiſſimi temporis lapſu, ab annno ſcilicet 1595. ad annum 1709., quo fuit inchoatum præſens Judicium, dixerunt Domini, ex ſingulari facti circumſtantia totaliter illam excludi, ex eo nempè, quod hoc intermedio tempore, & præcisè de an. 1663. conſtat ipſum Balthaxarem actorem pro hoc eodem cenſu egiſſe, & mandata judicialiter obtinuiſſe contra hæreditates tàm principalis debitoris, quam etiam Boncambii fidejuſſoris inſolidum obligati, ſi autem Judiciali
9 hoc actu cenſus recognitus fuit pro vigenti etiam quoad fidejuſſorem, interrupta exindè remanet quælibet centenaria, neque ulla poteſt, aut extinctio, aut liberatio præſumi, juxta regulas, de quibus in propoſito *Rot. dec.*32. *n.*8. *cor. Priol.*, & in puncto advertit eadem *Rot. in Callien. Salviani* 1. *Febr.*1706. §. *Ceſſatque*, *coram alio Eminentiſſimo D. Card. Priolo*.

Abſque eo quod hujuſmodi præſumptionem augerent leves illę coniecturæ, quæ unitim à Junipera adducebantur. Extin-
10 ctio quippe medietatis cenſus fruſtra allegabatur ex eo, quod Balthaxar agat effectivè pro alia medietate dumtaxat, etenim hujuſmodi agendi modus in iſtius Judicii inſtructione munitus fuit ſalutaribus clauſulis, quibus jura ſua pro majori etiam ſumma actori remanerent illæſa, & adhuc talis re-
11 ſtrictio non argueret ad extinctionem, quę in cenſibus fieri debet per actum retroſimilem impoſitioni, ideoque regulariter peragi ſolet mediante Inſtrumento, imo verò
12 probata etiam medietatis extinctione, non per hoc tamen inferri poſſet ad extinctionem alterius medietatis, niſi de iſta pari modo conſtaret, ut alias dictum fuit *in allegata Romana Aſſociationis* 3. *Decembris* 1714. §. *fin.*, *ubi concordan. cor. Me*.

Quod autem de anno 1706. iterum Bal-
13 thaxar curaſſet fructuum ſatisfactionem ab hæreditate principalis debitoris dumtaxat, nequidem concludit, nam duos habens correos debèndi, quales erant Camillus, & Boncambius, potuit creditor abſque ullo ſui Juris quoad alium præjudicio contra unum
14 vel alterum tantum ex eis agere, *Rota deciſ.*619. *num.*3. *cor. Coccino*, *deciſ.*30. *num.*23., *& ſeqq. par.*10., *& dec.*426. *num.*2. *par.*19. *recent.*

Sicut neque meruit attendi deſcriptio cenſuum facta à Boncambio occaſione aſſignationis, & diviſionis peractæ inter ejus filios, in qua deſcriptione, iſte, de quo agitur, non legitur, tunc enim actum fuit de debitis principaliter ad ſe ſpectantibus, non autem de iis, in quibus ipſe fidejuſſerat, & eſt etiam in hac deſcriptione notandum, quod ſubinde idem Boncambius filios dixit velle
15 generaliter & indefinitè ad omne æs alienum à ſe contractum obligatos eſſe, ſub qua generalitate, certum eſt, potuiſſe & controverſum cenſum contineri, ad regulam, de qua *Text. in l. Julianus in princ. ff. de leg.*3., *& DD. in l. Lucius* 88. *ff. de leg.*2.

Quod demum ad retentionem alias plenè rejectam in deciſione præcedentis inſtantiæ coram R.P.D. meo Criſpo, fruſtra iterum Junipera inſiſtebat ſuper juribus dotalibus Proſerpinæ primæ Uxoris Boncambii, quæ mediante perſona Marci, & Aldæ iſtius Uxoris perveniſſe in ſe aſſerebat. Quandoquidem vel eadem Jura jam plenè Marcus fuerat aſſequutus occaſione, qua vivente adhuc Boncambio Patre, factaque cum cæteris fratribus ex alio natis matrimonio diviſione, obtinuit ipſe ſcuta 3000. pluſquam ejus portio caperet cum ſpeciali expreſſione, quod in ea erat comprehenſa etiam dos Proſerpinæ ejus matris (fuerunt enim aliis Fratribus aſſignata ſcuta 6450. pro quolibet, ipſi verò ſcuta 9450.) unde ſi ejuſdem crediti ſolutionem Marcus obtinuit, non poteſt ejus ſuccedritrix eo uti ad retentionem, ut
16 cæteris in dicta deciſione allegatis §. *Inſubſiſtentia*, concordat *Rot. in Peruſina Dotis*, *& fructuum* 12. *Decembris* 1710. §. *Hæc*, *coram Emo D. Card. Scotto*, & nu-

perrimè firmatum fuit *in Romana Salviani 14. Maii mox elapſi §. fin. coram Me*.

17 Vel potius eadem Jura occaſione, qua Marcus una cum Patre ſeſe de evictione obligavit quorumdam bonorum venditorum illis de Monteſperellis, jam tranſtulerat in alios, & ſic antequam pervenirent ad Aldam, & ex Alda in Juniperam, itaut ex poſteriori contractu non potuiſſent amplius in iſtam tranſire, ut cum reliquis *in dec. R. P. D. mei Criſpi allegat. §. Alterum*, firmat *Rota dec. 397. num. 13. par. 18 rec.*, *& in Romana Cambii 29. Februarii 1712. §. Iterum coram Eminentiſſimo D. Card.* Priolo,

18 non attenta nullitate obligationis ejuſdem Marci, ex quo non ſervaverit ſolemnitates requiſitas à ſtatuto Peruſino, quia cum fuerit juramento munita, laicalis Statuti diſpoſitione, non potuit irritari, in puncto *Honded. conſ. 42. num. 22. lib. 1., & Rot. dec. 391. nu. 4. coram ſa. me. Greg. XV.*

Ex quibus ſanè facti circumſtantiis quiſ-

19 que videt, quales patiatur allegata retentio exceptiones, itaut illius vigore actio ex publico Inſtrumento competens nequaquam valeat impediri, juxta plenè animadverſa *in Cameriuen. Aſſociationis 17. Junii 1701. §. fin. coram Me, in Romana Salviani 19. Februarii 1712. §. Denique cor. Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano, & in Romana Salviani 20. Aprilis 1714. §. Nihilominus, pariter coram Me*.

20 Creſcit tamen multo fortius iſta turbiditas crediti Dotalis ex perſona Marci allegati pro retentione, tum ex quo Junipera poſſidet mediante illo plura bona provenientia ab eodem Boncambio valoris longè exuberantis tàm dotem Proſerpinæ, quam & creditum actoris, itaut in omnem caſum locus ſit etiam ipſius crediti ſatisfactioni, nec valeat propterea agentem repellere, ut ponderat *dicta dec. præcedentis Inſtantiæ §. fin.*, tum etiam ex quo in ſupramemorata diviſione à Boncambio facta inter ejus filios, Marcus, ſicut alii Fratres obligationem acceptavit ſolvendi omnia Paterna debita, qua ſtante

21 obligatione quemadmodum nullo jure poſſet Marcus Balthaxaris actionem impugnare, ita nec poteſt Junipera ab illo cauſam habens, ut expendit etiam allegata Deciſio R.P.D. mei Criſpi §. *His omnibus*, ad quam relative Domini ſe habuerunt.

Et ita utraque &c.

SUESSANA BONORUM.

Veneris 18. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Deliberatio facta abſque denunciationibus, accenſione candelæ, æſtimatione bonorum (ſi plures non concurriſſent oblatores) ac ſine duobus diſtinctis decretis -- *Subhaſtari* -- & *deliberari* -- fit nulla, & ex qualibet ex his enunciatis omiſſionibus, atque etiam ex capite læſionis in æſtimatione bonorũ ſubhaſtatorum incurſæ, & quomodo iſta probetur, optimè explicat ſequens

SVMMARIVM.

1 *Res judicata oritur ex quatuor ſententiis conformibus, validis, & juſtis.*

2 *Deliberatio, ſi ſit malè facta, tribuit eam paſſo reintegrationem ad bona deliberata.* & num. 17.

3 *Fit nulla, niſi in ipſo actu deliberatarius ſolviſſet illius pretium pro dimittendo creditore.*

4 *Deliberatarius non admittitur ad deliberationem, & licitationis actum, ſine pecuniis numeratis.*

5 *Amplia, ut neque talis pecuniarum defectus per accollationem debitorum, pro quibus fieret ſubhaſtatio, ſuppleatur, niſi iſta in ipſo deliberationis actu in veram delegationem pertranſiret.*

6 *Deliberatio fit nulla, quando, non tantum concurrente oblatore, æſtimatio non præcederet de bonis ſubhaſtandis ad removendas fraudes.*

7 *Amplia in caſu, quo deficerent proclama ad alliciendos licitatores requiſita, candelæ accenſio, & Judicis decretum ſub ea forma deliberationem fieri demandantis.*

8 *Subamplia, ut tales defectus neque ſanentur ex enunciativa Notarii affirmantis prædictas ſolemnitates præceſſiſſe, cum debeant conſtare ex actis*, & n. 10.

9 *Curſor debet accendere candelam in deliberationibus, bannimenta facere, ac affigere publica edicta, non verò Notarius.*

11 *Deliberatio, ut ſit valida, debent ei præceſſiſſe hæc duo inter ſeſe diſtincta decreta, nempe* ſubhaſtari & deliberari -- *alias omninò irritatur.*

12 *Amplia, ut terminus ad reluendum, deficientibus prædictis decretis, talem non ſanet defectum.*

13 *Deliberatio ex quibus actibus præcipitanter, irregularique methodo facta dicatur.*

14 *Vt dicatur fraudolenta, Doctores ſatis eſſe putant, quod fiat favore ipſius creditoris palam non comparentis, ſed per interpoſitam perſonam.*

15 *Debitor non poteſt dici quod acquieverit deliberationi nullæ, & ex ejus acquieſcentia tales nullitates præſcriptas remanſiſſe, quando, vix ſequuta deliberatione, de nullitate proteſtatus fuiſſet.*

16 *Deliberatio fit nulla ex enormiſſima læſione, quæ interceſſiſſet.*

18 *Læſio enormiſſima conſiſtit in venditione rei minori pretio duarum ex tribus partibus veri valoris.*

19 *Deliberatio nulla ex capite enormiſſimæ læſionis optimè probatur per teſtes de qualitate bonorum optimè imbutos, eorumque ſcientiæ cauſam reddentes.*

20 *Teſtes ex probabilioribus circumſtantiis adminiculati, cæteris præferuntur.*

21 *Valor bonorum ſtabilium in conflictu probationum*

*bationum optimè deſumitur ex valore bonorum contermi*n*orum*, & n.ſeq.

22 *Amplia, ex locationibus, & affictibus, nec non ex inſtrumentis emptionum, atque ex contractibus de terris adjacentibus.*

23 *Æſtimatio prædii ex quo dicatur juſta.*

24 *Melioramenta in magna quantitate facta non præſumuntur, poſtquam adverſus meliorantem fuiſſet intentata lis ſuper dominio fundi meliorati.*

25 *Melioramenta ſunt concludenter probanda ab illo, qui ex tali titulo retentionem poſtularet.*

26 *Exceptio* de non jure actoris *oppoſita adverſus contradictorem à Judice ad cauſam admiſſum, & poſt rem judicatam, uti calumnioſa rejicitur.*

27 *Donatarius fiduciarius, qui poſt ſui obitum hæredem deberet nominare, quando abſque juramento ad talem actum admittatur?*

28 *Monacus quidquid adipiſcitur, Monaſterio acquirit.*

29 *Archivium Monaſterii Caſſinenſium dicitur publicum, & ſcripturæ de eo extractæ pleniſſimè probant.*

DECISIO MXVIII.

NUllitas deliberationis bonorum pertinentium ad Carolum Baranellum, ſequutæ uſque de anno 1642. vigore crediti, quod adverſus illum habere prætendebat Franciſcus de Martino, propoſita ſtatim fuit ab ipſo debitore in judicio, & approbata per gemina judicata Curię Epiſcopalis Sueſſanę, & Curiæ Metropolitanæ Capuanæ, liteque proſequuta per Ven. Monaſterium Montis Caſini cauſam habens à deliberationem paſſo ratione donationis ab ejus ſucceſſoribus factæ favore Patris Abbatis Honorii Scaramucciæ à Venafro, victor & hoc fuit, poſt contrariam Sententiam Tribunalis A. C. coram bo. me. R.P.D. Bernino, obtinendo mandatum de reintegrando, canonizatum ſucceſſivè à Signatura Juſtitiæ cum clauſula -- *Sine præjudicio*--& exequutum mediante actuali poſſeſſionis appræhenſione.

Quæ tamen pacifica parum fuit, dum ſubinde renovata lite in gradu devolutivę appellationis, prodierunt in Curia duo contraria judicata, trium præcedentium revocatoria, cum relaxatione mandati de manutenendo favore Jo. Aloyſii de Martino; à quibus ſignata iterum fuit commiſſio ulterioris appellationis directa huic ſacro Auditorio coram cl. me. Card. Carpineo, ſed cauſa aliā diſcuſſionem non habuit, donec ſuffectus in illius locum bo. me. Mutus, dubium propoſuit -- *An conſtet de enormiſſima læſione, & ſit danda Monaſterio manutentio, ſive reintegratio* -- cui in Audientia diei 16. Januarii 1704. Sacra Rota reſpondit -- *Conſtare de læſione, & eſſe dandam Monaſterio reintegrationem* -- ut ex Deciſione tunc edita, quam ſubſequuta fuit Sententia trium præcedentium confirmatoria.

A' quo poſtremo Judicato, cum iterum recurſum habuerint ad Signaturam Juſtitiæ Jo. de Martino, & alii litis Conſortes, dicti Jo. Aloyſii ſucceſſores, & reſcribi obtinuerint cum clauſula -- *De præfixione termini* -- cauſa mihi commiſſa, dedi dubium -- *An conſtet de re judicata, ſeu potius de cauſis reſtitutionis in integrum* -- fuitque hodie à Dominis reſolutum -- *Conſtare de re judicata* -- quæ dubiò procul habere locum videbatur, dum quatuor antecedentes Sententiæ, favore Monaſterii latæ, validæ ſimul, & juſtæ compertæ ſunt, ad *Text. in Clement. 1., ibique gloſſ. verb. alicujus de ſent. & re judic.*

Et quidem validitas non controvertebatur, & juſtitia illo præcipuè ſuffulta erat
1 fundamento, quod prærecenſita deliberatio ac ſubhaſtatio tot infecta dignoſcebatur vitiis, & nullitatibus, ut omnino corrueret, & locum faceret conceſſæ Monaſterio reinte-
2 grationi, juxta firmata *in dec. 388. n. 2. & 3. cor. Remboldo, dec. 236. n. 10. cor. Royas, & dec. 183. n. 16. cum pluribus ſeqq. poſt Conſtantin. ad Statut. Urb.*

3 Ex his autem nullitatibus gravis apud Dominos illa viſa fuit, quæ promanabat ex defectu numeratę pecuniæ, in ipſo deliberationis actu requiſitæ, juxta celebrem diſpoſitionem *Tex in l. à Divo Pio §. Sed ſi emptor ff. de re iudic.*, per quam præſcribitur, credi-tores illicò numerata pecunia dimittendos
4 eſſe, quod ideo emptor ad actum licitationis, non niſi numerata pecunia admitti poſſit. docent *Ridolphin. in prax. p. 1. cap. 15. num. 111., Mangil. de ſubhaſt. q. 61. n. 7., & q. 115. nu. 1., Poſth. eod. tract. inſpect. 37. n. 1.*, & alias firmavit *Rot. dec. 496. n. 6. cor. Emerix jun.*, *in Ceſenaten. Spolii 25. Junii 1700. §. Nullatenus cor. bo. me. Muto, in Bononien. ſubhaſtationis 1. Julii 1707. §. Conſtitit, & 27. Junii 1710. §. Reſultavit cor. R̃mo D. meo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*, & articulo diu, lateque diſcuſſo *in Romana Spolii 19. Febr. 1712. §. Cęterum cor. R̃mo D. meo Anſaldo Decano, confirmata 3. Februarii 1713. §. Alterum cor. R. P. D. meo Falconerio, & iterum 16. Januarii 1715. §. Ineluctabilis cor. R. P. D.*
5 *meo Cerro*, ubi etiam dictum fuit, nequidem ſuppleri hujuſmodi defectum per accollationem debitorum, niſi iſta tranſeat in ipſo actu deliberationis in veram delegationem.

Nec dicatur, Mendillum deliberatarium noluiſſe ſibi acquirere, ſed acquirere Franciſco de Martino creditori Baranelli, cui ideo ſatis erat proponere loco pretii extinctionem, & quietantiam ſui crediti, ut ſubinde poſt ſequutam deliberationem idem Mendillus declaravit. Si enim Mendillus volebat repræſentare perſonam creditoris, tenebatur, hoc ipſum in actu deliberationis declarare, qua etiam declaratione ſequuta,
6 nequidem ab alia nullitate æque gravi deliberatio fuiſſet immunis; eo quippe caſu, prę-cipuè cum alibi non concurrerent oblatores, perneceſſe debuiſſet præcedere Peritorum æſtimatio, & bonorum ſubhaſtandorum ap-

pretium

pretium, juxta alium *Text. expreſſum in l. ſi quis C. de reſcind. vendit.*, laudatum in propoſito ad removendas fraudes *per Afflict.*, alioſque Regni Neapolitani Doctores, teſtantes etiam de praxi, relatos per *Gavaver. poſt eius deciſiones conſ. 6 art. 4 n. 44. & 45., Gratian. diſcept. 686. n. 3., Paulut. diſſert. 9. nu. 48. & 51., & Poſth. de ſubhaſt. inſpect. 47. n. 9. & 22.*

7 Minoris non eſt viſa ponderis alia nullitas profluens ex omiſſione proclamatum, quæ tam ſcripto, quàm voce Præconis omnino ſunt præmittenda ad alliciendos licitatores, & ex omiſſione accenſionis candelæ, contra non ſolum à jure, & praxi præſcripta, ſed etiam Decretum Judicis, ſub ea forma deliberationem demandantis, itaut deliberatio aliter ſequuta, vitioſa remaneat, & nulla, ut quoad proclamata tradunt *Merlin. Pignattel. controv. 202. cap. 75. n. 23.*, *ibique Scop. n. 5., Carleval. de iudic. lib. 1. tit. 3. diſp. 1. n. 28. tom. 2., Poſth. de ſubhaſt. inſpect. 29. nu. 5., 6.. & 14., poſt eum Rota dec. 32. n. 2. & 3., & dec. 95. n. 25. cor. Bich.*, & quoad præſcripta in Decreto Judicis, ſeu mandato, *Rota deciſ. 782. n. 7. cor. Emerix iun., & dec. 96. n. 12. cor. Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano.*

8 Hujuſmodi verò defectum ſanare non poteſt enunciativa emiſſa in inſtrumento deliberationis à Notario, fidem faciente, *qualiter Andreas Creo Curſor, præcedentibus bannis de more ſolito, & candela accenſa vendidit, & alienavit Clerico Leoni Mendillo &c.* -- Debent enim hæc ſolemnia deliberationis conſtare ex ipſis actis, non ex

9 ſola Notarii aſſertione, ad cujus officium non pertinet facere Bannimenta, affigere, aut publicare edicta, & accendere Candelam, ſed ſpectat ad Curſorem, ſeu Nun-

10 cium, neque propterea aſſertio illius, teſtantis, Nuncium vendidiſſe, præcedentibus edictis, ad extinctionem Candelæ, venit ad hunc effectum attendenda, ut in individuo inquit *Poſth. de ſubhaſt inſpect. 67. n. 14, 15., 20., Niger eod tract. cap. 2 §. 9. n. 3., & 6, Rota dec. 38. n. 3 cum pluribus ſeqq. cor. Emerix ſen., & dec. 782 n 5. cor. Emer. iun.*

Sicut quoque paris apparuit relevantiæ

11 omiſſio duplicis citationis, ut præcedere debuiſſent duo diſtincta neceſſaria Judicis Decreta, alterum, quo demandaretur ſubhaſtatio, & alterum quo demandaretur deliberatio, ut docet *Mangil. de ſubhaſt. q. 147. n. 10., ac ſeqq.*, ubi quod id ſervatur in omnibus Italiæ Civitatibus, *Rot. dec. 95. num 26. cor. Bich, cum concordantibus in Cæſenaten. Spolii 25. Junii. 1700. §. Nec ad ſupplendum,*

12 *cor. bon. mem. Muto.* Quæ ſanè omiſſio ſuppleri nequaquam poteſt ex eo, quod Baranellus debitor monitus fuerit ad ſolvendum & relevandum infra biduum bona executa, quia talis terminus à neceſſitate prædictarum Citationum, & Decretorum non excuſat, ut proſequitur *Rota in d. Cæſenaten. Spolii eodem §. Nec ad ſupplendum cor. bon. mem. Muto, & dec. 96. n. 5. cor. Reverendiſſimo D. meo Decano.*

Ad augendas magis, magiſque vires hujuſmodi nullitatum, ponderabant quoque Domini complexive, & unitim modum procedendi in judicio pariter contra Baranellum actitato, atque in complenda prædicta nulla deliberatione ſervatum. Ille quidem

13 magis irregularis eſſe non poterat, quippe quia expedito unico contextu mandato non ſolum pro credito conſiſtente in ducatis 432. (ſi tamen, & iſtud, cum conſiſteret in puro mutuo ex fructibus jam ſolutis plurimum non decreviſſet) ſed etiam pro expenſis, patrociniis, & honorariis exceſſivè taxatis in duc. 68., & quidem vis exequutiva, & ſi nulla concurreret obligatio, nullumque pactum illam importans in perſona Baranelli Clerici, non ſubjecti laicalibus conſtitutionibus, deventum illico fuit ad exequutionem perſonalem, mediante carceratione debitoris, & ſubinde ad aliam exequutionem ſuper bonis, & paulò poſt, affecto adhuc illo præcedenti carceratione, proceſſum fuit ad relaxationem mandati de vendendo ſub haſta bona exequuta, non præceſſerunt deliberationem ſupra relata neceſſaria requiſita, & fuit expleta per ſuppoſitam perſonam Mendilli, nullis intervenientibus ob-

14 latoribus, quæ omnia magnam fraudis ſuſpicionem ingerunt, quando tamen ad illam arguendam Doctores ſatis eſſe putant, quod deliberatio fiat ipſi creditori, palam non comparenti, ſed per interpoſitam perſonam, *Poſth. in addit. ad tract. de ſubhaſt. inſpect. 32. n. 23., Paulut. diſſert. 9 nu. 47., Rot. dec. 284 nu. 15., 18., & 19., cor. Royas, & dec. 95. n. 9., 24., & ſeq. cor Bich.*

Ad quas quidem nullitates, & exceptiones evitandas, fruſtra allegabatur generalis illa reſponſio, quod poſt lapſum tanti temporis amplius allegari non poſſunt, dum præſertim in anteactis inſtantiis non fuerunt deductæ. Conſtans enim in facto eſt, quod

15 ipſemet Baranellus, vix ſequuta ſæpedicta deliberatione, de hujuſmodi nullitatibus, & præſertim de illa non facti per Peritos appretii, quando ſub ficta Mendilli perſona procedebatur ad adjudicationem favore Martini creditoris, expreſsè proteſtatus fuit in Curia Epiſcopali Sueſſana, in qua ſubinde litem proſequens, ſententiam favorabilem reportavit uſque de anno 1645., confirmatam anno 1646. in Curia Metropolitana Capuæ; & hæc ipſa lis fuit illa, quæ ſucceſſivè fuit actitata per tot inſtantias inter Adiudicatarii, ſeu Deliberatarii hæredem, & Ven. Monaſteriũ Montis Caſini, itaut nulla omnino ſit allegabilis contra iſtum acquieſcentia, quæ nec præſcriptionem, neque immo agnitionem mali iuris inducat, ut præcisè ponderat *Poſth. de ſubhaſt. inſpect. 67. n. 59., Rot. in ſæpe allegata Cæſenaten. Spolii 25. Junii 1700. §. Neque has nullitates, & §. Maximè cor. bo. me. Muto.*

Quod ſi tot præmiſſarum nullitatum congeries pro juribus ejuſdem Monaſterii non

16 ſufficeret, præſto etiam erat ad illius intentum

tum enormiſſima læſio, ſemper Martino oppoſita, & ob quam dubium non eſt, ſicut cęteros contractus, vitiari quoque deliberationem, latè *Philipp.de ſubbaſt.cap.4.comm. 22. n.1.*, *Maſtrill. dec.33.*, *Giurb. dec.105.*, *Caſtil. dec.14.*, omnes per totas, *Fontanell. dec.652. n.5.& 6.*, *Rota dec.871.n.6.cor.Cerro, dec.151.nu.1., & per totam p.17.rec., cum aliis in deciſione huius cauſę 6. Junii 1704.*

17 §. *Clara cor. bon.me. Muto*, itaut deliberationem paſſo, ejuſque ſucceſsoribus ſuccurri debeat extraordinariis juris remediis, aut reintegrationis, aut manutentionis, *Rota dec.150. n.4.p.15.rec., in Hydruntina manutentionis 4. Julii 1704. §. Principali coram clar.me.Card. Caprara, & in Bononien. ſubbaſtationis 1. Julii 1707. § Conſtitit coram Reverendiſſimo Kaunitz Epiſcopo Labacen.*

Probatio autem iſtius lęſionis, & quidem
18 enormiſſimæ cum requiſito, quod duas ex tribus partibus veri valoris excedat, juxta firmata *in dec.270. nu.12., & ſeq. p.14. rec.*, cum aliis concordantibus relat. *in d dec. cauſæ §.Clara cor. bo.me. Muto*, optimè reſultare viſa fuit, ex quo bona controverſa deliberata fuerunt pro duc. 500, quando tamen eorum valor aſcendebat ad duc.2600., iuxta dicta teſtium formiter in prima inſtantia examinatorum coram Ordinario Sueſsano, quorum fidem approbant alii examinati in Regio Conſilio anno 1667., deponentes de valore duc. circiter 4000., iis verò teſtibus,
19 ſcientiæ cauſam reddentibus, plenè informatis de qualitate bonorum, & annuo redditu, & percutientibus præcisè tempus ſequuti contractus, ſatis deferri poſse ad probandum rei valorem pro annullanda ex capite lęſionis deliberatione, per *Text.in l. Si voluntate C.de reſcind. vendit.*, aliàs tenuit *Rot.dec.538. n.9. cor. Buratt., dec.278. nu.4. p.4. rec.tom.2., & in Aſculana prędii 30.Ianuarii 1701. §. Huiuſmodi cor.bo.me. Pio.*

Abſque eo, quod è contrario mereantur attendi alii plures Teſtes pro parte Martini adducti, qui probare conantur valorem rerum deliberatarum non excedere ſummam duc. 500., quanti fuerunt deliberata; Prætermiſſis namque plurimis exceptionibus, contrarietatibus, & mendaciis, quæ latiſſimè contra dd.Teſtes opponebāt informantes pro Monaſterio, ex quibus ſanè eorum fides non
20 modicè videbatur obumbrari, procedere ſe tutius Domini putarunt cum regula, quod concurrentibus hinc indè Teſtium depoſitionibus, adhærendum illis ſit, quorum dicta aliundè adminiculantur, & probabilioribus circumſtantiis comprobantur, *Felin. in cap. Noſtra nu.23. de Teſt.*, *Rot. deciſ. 457. nu. 5. cor. Dunoz. Jun., dec.442. num.13. par.4. rec.*, aliiſque relati *in Romana Locorum Montium ſuper Dominio 3. Junii 1711. §. Quibus, cor. Rmo P. D. Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Nequit ſanè in præſenti caſu impugari, quod omnia certiora adminicula adſtipulantur Teſtibus deponentibus pro Monaſterio; Quandoquidem apparet, Viridarium (quod eſt unum ex ſex Corporibus bonorum ſępedicto vili pretio venditorum) fuiſſe uſque ab anno 1632. locari ſolitum pro ducat. 40. Conſtat item dicto anno exiguam portionem Terrenorum in vocabulo *li Mataloni* (quod eſt aliud Capitale integrè compræhenſum in deliberatione) emptam fuiſſe pro
21 ducatis 220. Certum pariter eſt ex publicis documentis, contermina Bona iiſdem Corporibus deliberatis, fuiſſe antecedenti, proximo, & ſequenti tempore, ad rationem duc. 5. 7. 10. 20., & etiam ultra, pluries vendita pro quolibet Tumulo, quando tamen Teſtes, ex parte illorum de Martino adducti, illa ęſtimarunt ad rationem decem carolenorum. Ex quibus utique circumſtantiis, non ſolum adminicula, ſed probationes deduci poſſe ad juſtificandum bonorum valorem, certum
22 eſt apud Doctores, ut de locationibus, & affictibus videre eſt *in Melevitana Bonorum 8. Junii 1682. §. Ex quibus, cor. bo. me. Urſino, & in Caurien. Juriſdictionis 22. Junii 1699. §. Nullatenùs, cor. cl.me. Card.Caprara*, & de inſtrumentis emptionum latiſſimè *Rota dec.232. num.2., & per totam par. 15. rec.*, ac demùm de contractibus Terrarum adjacentium, penès *Maſcard. de probat. concluſ.1496. num.34. tom. 3.*, *Gratian. diſcept. 461. num.14., & 15.*, *Urceol. conſult. 3. nu. 30.*, *Rota cor. Seraph. dec. 433. num. 10., dec.298. nu. 14. par.17. rec., & in Adrien. prætenſæ læſionis 20 Martii 1711. §. Et id ipſum cor. bo. me. Caſſarello.*

Succeditque in eamdem comprobationem factum quoque ipſorum met Reorum conventorum, qui de anno 1706. medietatem tenutæ *de Mortula*, paritèr in deliberatione integrè contentam, vendiderunt conſpicuo pretio duc. 5000., & paulò antè à Peritis
23 longè pluris illam fecerant ęſtimari; Si autem medietas tantùm unius ex corporibus deliberatis vendita fuit pro duc.5000., quàm rectè cenſeri poteſt æqua, & juxta æſtimatio in duc. 2500. non integri ejuſdem Corporis duntaxat, ſed etiam tot aliorum Bonorum, ſub eadem æſtimatione cadentium.

Spreta penitùs interpretatione, ducta ex augumento proveniente à melioramentis factis per ſucceſſores deliberatarii in iiſdem
24 bonis; Etenim viſum Dominis non fuit poſſibile adeò ingens augumentum ex melioramentis, quando præſertim bona in ipſa venditione deſcripta fuerunt uti fructifera, & quando, mota ſtatim lite, non eſt veroſimile, quod ſub illius incerto eventu tanta ſumma in controverſis bonis meliorandis impenſa fuerit, & nullatenùs hujuſmodi prætextus meruit attendi, dùm nulla concludens
25 eorumdem melioramentorum probatio adducebatur, proùt neceſſe erat ex parte eadem allegantium, *Fulgin. de Jur. Emphyt. tit. de melioram. qu. 7. num.7.*, *Poſth. reſol. civil. 86. num.68., & reſol.131. n.16.*, *Rota dec.317. n.23. cum ſeqq. par.11. rec.*

Poſtremum denique diffugium, ad quod recur-

recurrebant illi de Martino negandi jus Monaſterii, ſibi ſuadentes ex non jure Actoris cauſæ victoriam conſequi poſſe, reiici meruit uti inſubſiſtens, & calumnioſum; Ponde-
26 rabant quippè Domini, agnitum huc uſque fuiſſe d. Monaſterium non ſolum ab ipſa parte, ſed à tot cauſæ Judicibus in præcedentibus inſtantiis pro legitimo Contradictore, & præſertim occaſione admiſſionis ad cauſam poſt obitum Caroli Baranelli coram bo. me. Bernino, itaùt talis exceptio promota tam ſerò, poſt rem judicatam, jure merito uti calumnioſa à Doctoribus, & Tribunalibus reprobetur, *Rot. dec.* 18. *num.* 6. *cor. Benincaſa*, *dec.* 45. *num.* 10. *in Mantiſſ. ad Card. de Luc. de Jurepatr.*, *in Tarentina Salviani* 27. *Junii* 1696. *cor. bo. mem. Muto*, *& in Maſſana*, *ſeù Jannuen. Immiſſionis* 4. *Julii* 1698. §. *Cæterum cor. Rmo Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Ulteriùs verò concurrebat bonum jus Monaſterii ex donatione iſtorum bonorum facta P. Honorio Scaramucciæ tunc Abbati V. Monaſterii Caſinenſis, uſq; ab anno 1663., quæ
27 donatio, licèt contineat fiduciam circa ſucceſſorem in eiſdē bonis poſt obitum d. Abbatis, tamen iſta fiducia ſatis declarata intelligi debet favore Monaſterii, juxtà partitas librorum ejuſdem Abbatis, qui non tenebatur id explere medio iuramento per donantes ipſi remiſſò, ſed ſatis erat, quod id faceret ſimplici declaratione verbaliter, vel in ſcriptis, juxtà donationis literam ibi -- *ſimplici cujus declarationi verbali, vel in ſcriptis voluerunt, & volunt ſtari &c.* -- ex quibus fuiſſe remiſſum juramentum in explicanda fiducia, ad terminos *Text. in l. Theopompus ff. de dot. prælegat.*, benè arguit *Card. de Luca diſc.* 183. *num.* 14. *de fideicom.* Tantoque magis huic declarationi ſtandum venit, quia ful-
28 citur etiam vulgari regula, quod quid quid acquirit Monachus, acquirat Monaſterio.

Non omiſerunt denique Domini animad-
29 vertere, quod fruſtra impugnabantur documenta; & jura exhibita pro parte ejuſdem Monaſterii, tanquam extracta ex ejus Archivio; Jam enim Rota pluries profeſſa eſt, eidem Archivio, utpotè publico, & ſumma legalitate retento, pleniſſimam fidem præſtandam eſſe, ut videre eſt præſertim *deciſ.* 264. *num.* 19. *cor. Merlino*, *dec.* 56. *n.* 35. *par.* 19. *rec.*, *& in Nullius*, *ſeù Montis Caſinen. manutentionis*, *ſeù Proceſſionum* 27. *Junii* 1714. §. *Relicta cor. Me.*

Et ita Partibus latiſſimè informantibus reſolutum &c.

ROMANA SALVIANI

Lunæ 15. *Iunii* 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatæ ſub die prima Julii 1712.

Cambia, ne dicatur creditum ſiccum, tranſmiſſionem pecuniarum ad nundinas requirit. Socius qui ſocialem pecuniam invadendo *ex lege prima* §. *Socius ff. de uſuris*, ultra illius ſortem, etiam uſuras refundere tenebatur; hodiè moderatoria inolevit ſententia, juxta *Text. in leg. Socium* 60. *ff. pro ſocio*: nec non ſocius, qui prius ex *lege ſi unus* §. *ſi quid ff. pro ſocio*, ultra id, quod de proprio in ſocietate impendiſſet, etiam uſuras repetebat, hodie pariter ad id tantum, quod ſua intereſſet ratione damni emergentis, ultra ſortem, actionem habet.

SUMMARIUM.

1 *Decoctio debitoris excluditur ex contractibus inter illum, & creditores initis, in quibus uti verus rerum ſuarum adminiſtrator fuiſſet recognitus.*

2 *Fraus, & colluſio obiectæ ſolidationi à debitore factæ evaneſcunt, ſi per peritum ratiocinatorem, mediante recognitione librorum negocii ſocialis, eadem ſolidatio veritati conſona reperiretur.*

3 *Immiſſio non datur pro credito mere Chirographario, & hypotheca deſtituto.*

4 *Cambium ſiccum non parit fructus, niſi conſtet de vera contractione cambii, & de tranſmiſſione litterarum ad nundinas.*

5 *Socius in caſu neceſſitatis pro ſociali negocio habens facultatem ſumendi pecunias ad cambium, non poteſt ad hanc rationem fructus pretendere de pecuniis ſuis ibi erogatis, niſi verè de hujuſmodi contractu cum ſe met ipſo inito edoceret, ac de animo eaſdem cambiandi pecunias.*

6 *Amplia, ut teneatur etiam docere de tranſmiſſione pecuniarum ad nundinas, cum in iſto caſu gerat munus alterius.*

7 *Socius, ſi pecunias ſociales negocii in proprios uſus convertiſſet, nulla interveniente mora, tenetur, & ad illas, & ad uſuras favore conſocii ex* leg. prima §. Socius ff. de uſuris.

8 *Socius actione pro ſocio repetit id, quod de ſuo ex cauſa ſocietatis erogaſſet una cum uſuris* ex leg. ſi unus §. ſi quid ff. pro Socio.

9 *Limitatur hodie hæc propoſitio, quod uſuræ in actione pro ſocio non veniunt.*

10 *Socius, qui pecunias proprias in ſocietate erogavit, repetit ſortem, & id, quod ratione damni emergentis de ſuis pecuniis ibi erogatis aliunde percipere potuiſſet.*

11 *Socius non tenetur alteri ſocio refundere fructus pecuniarum de communi negocio ſibi appropriatarum ex titulo damni emergentis, & lucri ceſſantis, niſi iſte doceat quod ſocietati deperiiſſet propter moram adhibitam ab illo ob non redditas pecunias.*

12 *Amplia, ut requiratur requiſitorum Pauli de Caſtro interpellatio, etiam ſi res inter mercatores negocia gerere ſolitos eſſet.*

13 *Cambia paſſiva ſocialis negocii etiam à conſociis approbata, quando uſuraria fierent, præſertim ex non tranſmiſſione pecuniarum ad nundinas, numquam debentur,*

cum

eum partium conſenſus illicita, licita non faciant.

DECISO MXIX.

DIſſoluta ſocietate, quam ſuper negocio Sylvæ Cæduæ Arcis Prioris à Reverenda Camera ad novennium conductæ pretio ſcutorum 18300. inter ſe ſub certis legibus, & conditionibus inierant Dominicus Sbordonus, & Laurentius Candulphus cum ſucceſſiva admiſſione Andreæ Brotani ad participationem ejuſdem pro tribus ex duodecim unciis, Cæſar tunc Marchio Baldinottus memorati Candulphi hæres, innixus cuidam apocæ privatæ, in qua Sbordonus alter ex Conſociis ratione prædictæ ſocietatis ſeſe debitorem conſtituerat in ſumma ſcutorum 4476., & correſpectivè ad liberalem, & gratuitam remiſſionem partis debiti ab eodem Marchione obtentam, ſolvere ipſi intrà quinquennium promiſerat reliqua ſcu. 2250., judicium immiſſionis inſtruxit ex interdicto utilis Salviani adversùs Dominum Marchionem Joannem Baptiſtam Strozzium, uti poſſeſſorem domus, Albani poſitæ, à dicto Sbordono provenientis; ſed quemadmodum A. C. in prima inſtantia reum conventum ab imperitis abſolvit, ita quoque Rota cor. Me, cui in ſecunda cognitio cauſæ delegata fuerat die prima Julii 1712. immiſſionem denegavit.

Verùm quia ex deciſione deſuper edita creditores Baldinotti, qui ejus nomine litem proſequebantur, probè agnoverunt, quod niſi legitimè firmatus fuiſſet ſtatus memorati negocii ſocialis, impoſſibile ipſis erat oſtendere veritatem crediti, ſuper quo ipſorum actio fundabatur, quodque ſola confeſſio Sbordoni contenta in apoca ab ipſo conſcripta favore Baldinotti de jure apta non erat præjudicium ullum inferre Domino Marchioni Strozzio, cum maximè ex pluribus facti circumſtantiis in deciſione perpenſis de fraude, & colluſione non immeritò ſuſpecta eſſet: Hinc ad hujuſmodi maculam abſtergendam, quo tempore petierunt ad novæ audientiæ beneficium admitti, poſtularunt quoque electionem Periti Calculatoris, & voti compotes in utroque facti, tandem hodiè exhibita jam in actis illius relatione, cauſam reproponi curarunt ſub conſueto dubio -- *An ſit ſtandum, vel recedendum à Deciſis*, ſed in deciſis ſtandum eſſe reſponſum fuit.

Ratio ſic decidendi non fuit amplius illa præcedentis reſolutionis, quod videlicèt confeſſio debiti ſcutor. 4476. emiſſa à Sbordono in ſtatu decoctioni proximo favore Baldinotti ſuſpecta eſſet de fraude, & collu-
1 ſione. Nam ultrà quod oppoſita decoctio hodiè per Actores excludebatur ex pluribus circumſtantiis, potiſſimum ex ea, quod Dominus Marchio Strozzius poſt novem annos à die prædictæ Confeſſionis ſtipulatus fuit cum ipſo Sbordono dationem inſolutum ejuſdem Domus, de qua eſt præſens controverſia, atque ita ipſum recognovit in verum, ac legitimum rerum ſuarum adminiſtratorem; & præterea quatenùs ille tunc temporis in eo ſtatu, & conditione fuiſſet, ſuſpicio
2 nihilominùs exindè oriens, ſicut qualibet alia fraudis, & colluſionis præſumptio cedere in præſenti debebat veritati erutæ ex libris negocii ſocialis, quorum ope diſpunctis à Perito Calculatore partitis dati, & accepti, iiſque invicem collatis, hodiè conſtitit, ipſum adamuſſim remanſiſſe debitorem in ſumma ſcutorum 4476., prout confeſſus fuit in apoca ſolidationis conſcripta favore Baldinotti, nempè in ſcutis 3254. 17 $\frac{1}{2}$ pro quota debiti communis totius negocii ad ipſum ſpectante. & in reliquis ſcutis 1222. pro totidem ab ipſo particulariter debitis, occaſione tamen ejuſdem ſocietatis in computo ad partes. Undè in his terminis, cum debitum controverſum non amplius probaretur ex ſola confeſſione, & ſolidatione debitoris; ſed iſta ad unguem juſtificata remaneret ex libris ſocialibus, omnis utique per evidentiam facti ceſſare videbatur fraudis, & colluſionis ſuſpicio, ut benè in ſimili notavit *Gratian. diſc. foren.* 391. *num.* 12., *& ſeqq.*, *& reſpondit Rot. deciſ.* 169. *nu.*10., *& ſeqq. coram ſa. me. Alexandro VIII.*

Fundamentum itaque, cur Domini petitam immiſſionem hodiè denegaverint, in eo conſtitutum fuit, quod ex partitis, pro quibus Sbordonus in dictis libris ſocialibus poſitus, ac deſcriptus fuit debitor; altera ſcutorum 317. 18., neque occaſione, neque ex cauſa hujus ſocietatis contracta reſpicit negocium longè diverſum, nempè affictus Caſtri Candulphi, ut etiam ab Actoribus ingenuè admittebatur. Undè pro hac partita immiſſio concedi non poterat, cum ſit debi-
3 tum merè Chirographarium, ac deſtitutum hypotheca omninò neceſſaria in judicio utilis Salviani, *Rot. deciſ.* 64. *num.* 36. *par.*17. *recent.*, *& coram Priol. deciſ.* 319. *num.* 22., *& in Romana, ſeù Januen. Locorum & Montium prima Februarii* 1709. §. *Atque hinc coram Reverendiſſimo Neoceſarien, & in Nullius, ſeù Terræ Pontiani cenſus* 10. *Junii* 1709. §. *Oppoſita coram bon. mem. Caſſarello.*

Altera verò ſcutorum 200. 9. relata ad debitum ejuſdem Sbordoni in computo communi pro fructibus cambiorum unius anni correſpectivè ad ſummam ſcutorum 3334. 92. ab ipſo debitam ſocietati pro totidem exactis ex effectibus ſocialibus, & non conſignatis capſerio communi, juxta pacta, & conventiones inter ſocios ab initio conſtitutas, viſa eſt omninò delenda, quia quidquid ſit, an iſtud debitum fructuum dici pariter debuiſſet merè Chirographarium, vel potius pro eo competeret hypotheca, tamquam
4 contracto occaſione ſocietatis. Hoc unum Domini pro certo habuerunt, quod ſine manifeſta labe pravitatis uſurariæ bonificari nullo modo poſſet, cum non doceatur de contractu cambii, multoque minus de tranſ-

miſſione pecuniarum ad nundinas, ſaltem per litteras reditus vulgò nuncupatas *del ritorno*, ſine quibus explorati juris eſt, cambia, utpotè ſicca, & illicita non deberi, *Card. de Luc. de camb. diſc* 4. *num.*6., *Leotard. de uſur. quaeſt.*25. *num.*4., *& ſeq.*, *Rot. coram Dunozett. deciſ.*962. *nu.* 12., *& coram Peutinger. deciſ.*96. *num.*1., *& coram Emerix. deciſ.*127. *num.*5., *& in Romana Cambii* 31. *Januarii* 1707. §. *Cum enim coram Me*, *& in Romana Cambii* 14. *Februarii* 1714. §. *Prodiit cor. Em̃o Scotto.*

Et ex hac eadem ratione, quod non probetur à Candulpho Authore Baldinotti ullum cambium cum ſemet ipſo contractum, nec pecunias ad nundinas tranſmiſſas fuiſſe, Domini cenſuerunt delendam pariter eſſe à calculo communis debiti totius ſocietatis aliam inſignem partitam ſcutorum 9554. 73. poſita in dictis libris ad creditum ejuſdem Candulphi pro fructibus cambiorum correſpectivè ad plures pecuniarum ſummas ab ipſo interpolatis vicibus de proprio ſubminiſtratas in beneficium negocii ſocialis.
5 Nam licet ipſe virtute pactorum inter ſocios conventorum, quoties deficeret pecunia communis, teneretur illam de proprio refundere, cum facultate eamdem accipiendi ad cambium, etiam à ſemetipſo, cum tamen non probetur ipſum ejuſmodi facultate uſum fuiſſe, non poſſunt hoc nomine fructus, & acceſſiones pecuniae ab eo ſubminiſtratae,
6 tamquam Cambia praetendi, cum eo magis graveiur Creditor onere probandi tranſmiſſionem ſpacciorum ad nundinas, quando prout in caſu aſſumpſit in ſe onus accipiendi pecunias ad cambium, ex quo tunc Actoris munus gerere videtur, ut benè diſtinguendo tradunt *Card. de Luc. de Cambiis diſcurſ.*4. *num.*8., *& diſcurſ.*28. *ſub num.*9., *Rocc. diſput. jur. cap.*95. *num.*15. *Samm controv.*183. *num.* 43., *Reverendiſſimus Dominus meus Anſaldus in ejus luculento tractat. de Commerc, & Mercat. diſcurſ.* 66. *num.* 281. *n.* 9. *part.* 16, *deciſ.*518. *num.* 14. *part.* 18., *& coram Bich. deciſ.*191. *num.*9., *& coram Benincaſ. deciſ.*281. *num.*2., *& in dicta Romana Cambii* 31. *Ianuarii* 1707. §. *Undè coram Me.*

Non obſtat, quod hęc omnia benè quidem procedant in terminis creditoris indifferen-
7 tis, non verò, quando, prout hic agitur de Sociis, & ſocietate in cujus hypotheſi de jure civili pro eo, quod attinet ad pecunias exactas à Sbordono, & non conſignatas Capſerio Societatis, cautum reperitur, quod ſi Socius pecuniam communem invaſerit, eamque in proprios uſus converterit, etiam nulla mora interveniente, uſuras quoque praeſtare teneatur, *leg. prima* §. *Socius ff. de uſuris*; Et pro eo, quod reſpicit pecunias à Candulpho de proprio impenſas in rem communem
8 litteraliter diſponitur, quod Socius actione pro Socio non tantum repetit id, quod ex cauſa Societatis de ſuo impendit, ſed etiam uſuras, *leg. ſi unus* §. *Si quid ff. pro Socio.*

Quidquid enim in dictis legibus quoad uſuras diſponatur, hoc utique certum eſt, quod hodiè, eo jure, quo generaliter uſurae interdictae fuerunt, illas omninò abrogatas eſſe conſtat, ut de dicta *leg. prima ff. de uſuris*, *advertit Leotard. eodem tractat. quaeſt.* 31. *num.*1., *& de alia lege ſi unus ff. pro Socio*, *idem Leotard. dicta quaeſt.* 31. *num.*44, quem ſequitur *Rocca dicto cap.*101. *nu.* 29. Ità quidem, ut ſivè Socius pecuniam communem invaſerit, & in proprios uſus converterit, ſive è converſo pecuniam propriam in rem communẽ impenderit, neutro caſu uſurae debeantur. Sed in primo ſocius tenetur dumtaxat favore ſocietatis refundere, id, quod ejuſdem ſocietatis interfuit moram ſibi in reddendo, quod ſuum erat factam non fuiſſe,
9 juxtà *Text in leg. Socium* 60. *ff. pro Socio*, ibi -- *Non quaſi uſuras, ſed quod Socii interſit moram eum non adhibuiſſe* -- *Angel. in l. prima* §. *Primo num.* 5. *ff. de uſur. Cujac. ad tit. ſentent.*, *Felician. de Societat. cap.* 24. *num.* 1., *Aretin. conſ.* 156. *num.* 5., *&* 6., & ſequitur *Leotard. dicto cap.* 31.
10 *numer.* 1. In ſecundo verò caſu Socius, qui pecuniam de proprio impendit, id tantum praeter ſortem repetere poteſt, quod ſua intereſt, ratione damni emergentis; Si nempè pecuniam eamdem ipſe accepit ſub uſuris, ut negocia Societatis expediret, vel lucri ceſſantis, ubi videlicet potuiſſet ex ſua pecunia lucrum facere, juxta alium *Text. in leg. cum duobus* §. *Item reſpondit ff. pro Socio*, ut diſtinguendo firmat *Leotard. dict. cap.* 31. *num.*44., imò non aliam eſſe ſententiam oppoſitae legis *ſi unus* §. *Si quid benè*, ibi advertit *Ant. Fab. in rational. Borgnin. deciſ.* 10. *part.*2. *num.*23., & latè probat *Epiſcop. Rocc. dicto cap.*101. *num.*28., *& ſeqq.*

Jam igitur ex his patet, tam partitam ſcutorum 200. 09. poſitam ad debitum Sbordoni, quam aliam ſcutorum 9544. deſcriptam ad debitum Societatis, & deindè pro quinque ex duodecim partibus ſpectantibus ad Sbordonum calculatam ad ejuſdem debitum in ſcutis 3981. ex cauſa, & titulo cambiorum eſſe omninò erroneas, & inſubſiſtentes, tamquam merè foenoratitias, & uſurarias, ſed
11 neque ſuſtineri poſſunt ex titulo damni emergentis, aut ratione lucri ceſſantis, cum hactenus probatum non fuerit quidquam Societati deperiiſſe proptèr moram adhibitam à Sbordono in reddendis pecuniis exactis, aut pecunias à Candulpho ſubminiſtratas pro expediendis negociis Societatis, fuiſſe ab ipſo ſub uſuris acceptas, prout nec minus doctum fuit de neceſſaria interpellatione
12 debitoris, aliiſque notiſſimis requiſitis *Paul. de Caſtro in l.* 3. §. *Nunc de Officio ff. de eo, quod certo loco*, ſine quibus explorati juris eſt, debitorem condemnari non poſſe ad intereſſe, etiam ſi agatur de mercatoribus ſolitis negociari, juxtà celebrem deciſionem Mohedani la ſeconda ſub titulo de uſuris, quam Rota, & Curia Romana inviolabiliter obſervat, ut tradit in terminis *Rocca dicto cap.*

cap. 101. num. 32., Reverendiſſimus Anſaldus de Commerc., & Marcat. dicto diſcurſ. 66. num. 29., eadem Rota coram Bich. deciſ. 16. num. 9., & 10.

13 Atque hinc minimè relevat, quod cambia, prędicta liquidata fuerint quolibet anno de conſenſu partium, & aliqua etiam prævils earum ordinibus communi Caſperio directis per contrapoſitionem partitarum, vel alias effectivè ſoluta, quia cum ea ſine tranſmiſſione pecuniarum ad Nundinas eſſent omninò illicita, fænoratitia, atque indebita, non poterant ex conſenſu debitorum licita fieri, ut reſpondit *Rota coram Peutinger. deciſ. 356. num. 11., & coram Bich. deciſ. 74. num. 23., & ſeqq., & coram Benincaſ. deciſ. 338. num. 7., & in dicta Romana Cambii 31. Januarii 1707. §. Nec ad evitandam cor. Me.*

Et ità omiſſo examine aliarum partitarum, & reſtrictivè ad tres ſupra recenſitas, ſimul conſtituentes ſummam ſcutorum 4498. 27. cum Domini cenſuerint deficere creditum Baldinotti ſolidatum à Sbordono in ſcutis 4476., in deciſis perſiſtendo reſponderunt dandam non eſſe immiſſionem utraque &c.

PERUSINA PECUNIARIA.

Veneris 25. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Evicta re, quam quis, cum ſua permutaſſet, illicò ad iſtam regreſſum habet, atque etiam actionem pro fructibus loco damnorum, & intereſſe adipiſcipitur, veluti ſi evictio non fuiſſet exorta.

SUMMARIUM.

1 *Evictionem paſſus ſuper re ſibi ceſſa habet regreſſum ad primæva jura, & actionem pro damnis loco damnorum, & intereſſe acquirit.*

2 *Creditor ſui favore obligationem Cameralem debitoris habens, etiam executivè contra debitorem iſtius, ita favore illius obligatum agere poteſt.*

3 *Moleſtiæ denunciandæ ſunt cedenti à ceſſionario, antequam iſte ad ſua primeva jura regreſſum in tali caſu conventum habere poſſit.*

4 *Permutans rem cum altero, habet regreſſum ad ſua jura, evicta, ſeu deficiente re permutata.*

5 *Amplia, ſi ille in tali caſu de dicto regreſſu in permutationis inſtrumento fuiſſet ſollicitus.*

6 *Deputatio curatoris hæreditati jacenti neceſſaria non eſt, ne dicatur, quod in cauſa non citetur legitimus contradictor, quando creditores, illius patrimonii defenſionem aſſumentes, in judicio comparent.*

DECISIO MXX.

Studuerunt Comites Julius, & Jo: Antonius de Bigazzinis, occaſione qua prædium emerunt anno 1653, nuncupatum *li Palazzi* à Joanne Maria, & aliis de Cornea, aliquo modo ſibi præcavere adverſus moleſtias, quas probabiliter ſuper re empta ſibi obventuras fore timebant; ideoq; curarunt à Proſerpina Monteſperellis ejuſdem venditoris uxore jurium dotalium provenientium ab anno 1644. ceſſionem reportare, correſpectivè ad quam ceſſionem, & ipſi eidem ceſſerunt duos cenſus, alterum ſcut. 600., & alterum ſcut. 200. olim impoſitos favore Bigazzini de Bigazzinis, inita conventione, quod ſi Proſerpina, ejuſque ſucceſſores, ex ipſorumet emptorum facto impediretur unquam de illis diſponere, licitus eidem eſſet regreſſus ad jura ceſſa cum facultate exercendi ſuper quibuſcumque bonis illorum à Cornea, & ſignanter ſuper bonis tunc à dict. Comitibus de Bigazzinis emendis.

Vendidit anno 1689. Proſerpina cenſus prædictos Comiti Juliano Salvatorio, quo defuncto, cum Antonius, & alii de Righettis iſtius creditores inſtetiſſent pro exactione fructuum, invenerunt eoſdem per Bigozzinos extinctos, ſeu compenſatos fuiſſe uſque de anno 1668. occaſione emptionis aliorum bonorum cum aliis de Venturinis; utentes propterea ſuprarecenſita ſtipulatione, Judicium introduxerunt coram A.C. contra Patrimonium Comitum de Bigazzinis exiſtens ſub concurſu in Congregazione Baronum, mandatumque reportarunt tam pro fructibus, quam pro ſorte relatorum cenſuum, quo exhibito in dicta Congregatione, obtinuerunt ab Eminentiſſimo Card. Protheſaurario decerni conſignationem pecuniarum retractarum ex illorum bonis.

Quam tamen, ut impedirent alii ejuſdem Patrimonii creditores, recurſum habuerunt contra mandatum A.C. ad Signaturam Juſtitiæ, habitoque favorabili reſcripto, cauſa mihi fuit commiſſa, & dedi dubium -- *An mandatum A. C. ſit exequendum*, cui, creditoribus pluries vocatis fruſtra dilationem petentibus -- *Pro informante* Domini reſponderunt.

Mandatum enim uti validum, & juſtum exequtionē promereri omninò viſum fuit, & validitate non controverſa, ejus juſtitia re-
1 ſultabat ex eo, quod cum Comites de Bigazzinis ob ceſſionem jurium dotalium obtentam à Proſerpina de Monteſperellis, eidem correſpectivè ceſſerint de anno 1653. ſupradictos duos cenſus, itaut illorum dominium tranſierit in dictam mulierem, & cedentibus adempta remanſerit facultas de eis amplius diſponendi, juxta firmata *deciſ. 58. num. 18. penes Poſth. de Manut., & in Balneoregien. Pecuniaria 22. Martii 1706. §. Dixerant cor. Rmo P. D. meo Anſaldo Decano*, ſtatim ac dicti Comites, eoſdem cenſus ceſſos, ex poſt de anno 1668. extinxerunt, & compenſarunt cum Venturinis, orta fuit actio Proſerpinæ Ceſſionariæ, & reſpectivè Com. Juliano Salvatori in iſtius juribus ſubingreſſo, tam ad reſtitutionem ſortis prędictorum cen-

cenſuum, quàm ad ſolutionem fructuum loco damnorum, & intereſſe, ob non manutentam, neque ſervatam dictam ceſſionem eo modo, quo dicti Comites de Bigazzinis cedentes ſe ſe in inſtrumento ejuſdem ceſſionis litteraliter obligaverant, ad *tex. in l. Vendit. ff. de evict. Rot. dec. 20. nu. 21. par. 18. rec., in Romana Vineæ* 16. *Febr.* 1705. §. *duplici, & in Romana evictionis* 17. *Februarii* 1710. §. *Æquè clara coram Eminentiſſimo D. Card. Scotto.*

Neque dubium eſt hujuſmodi actionem
2 exerceri poſſe etiam à Righettis hodiernis Actoribus, ſunt enim creditores dicti Comitis Salvatoris ſubingreſſi in juribus Proſerpinæ; ita ut, ſicut ipſe contra Patrimonium Com: de Bigazzinis agere potuiſſet, & quidem executivè ob promiſſam ab illis manutentionem, & evictionem cenſuum ſub obligatione Camerali, ita, & iſti pari privilegio viæ executivæ agere poſſint tamquam contra debitorem ſui debitoris, *Rot. poſt Merlin. de Pign. deciſ.* 106. *num.* 10., *poſt Zacch. de oblig. Cam. dec.* 261. *num.* 14., *& in Romana Penſionum domus* 2. *Junii* 1704. §. *Quapropter coram Rmo P. D. Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Abſque eo quod obſtare poſſit, quod licitè potuerint Comites de Bigazzinis devenire ad dictam cenſuum extinctionem in præjudicium Proſerpinæ ceſſionariæ, ex quo receptis per ipſos moleſtiis in bonis emptis ab illis de Cornea regreſſi fuerint ad eoſdem
3 cenſus. Tenebantur enim, antequam ad actum hujuſmodi regreſſum deduci poſſent, ex capite moleſtiarum ſuper bonis emptis, eaſdem moleſtias denunciare, tam mulieri ceſſionariæ, ac reſpectivè cedenti, quàm Venditoribus, ad *Text. in l. Emptor Fundi C. de evict., Rot. dec.* 200. *num.* 4 *par.* 17. *rec. in Auximana Prædii* 10. *Martii* 1698. §. *accedit cor. cla. me. Card. Caprara, & in puncto deciſ.* 311., *&* 345. *utrobique nu.* 1. *cor. Cerro.*

Præterea verò etiam dato hujuſmodi regreſſu, omiſſis cæteris per informantes adductis, alia occurrebat reſponſio, quod evictis dictis cenſibus, & Proſerpina regreſſum habuiſſet ad jura ſua dotalia eodem modo, ac ſi nunquam ceſſa fuiſſent, tum ex na-
4 tura contractus mutuæ ceſſionis, & permutationis, ut evicta, ſeu deficiente re permutata, competat permutanti regreſſus ad ſua jura, juxta litteralem *Text. in l.* 1. *C. de rerum permut.* cum aliis relatis per *Gobb. conſul.* 109. *num.* 1., *&* 2., *Card. de Luc. de empt. diſc.* 20. *num.* 2. *Mangil. de evict. qu.*
5 140. *num.* 5., tum & fortius, ex quo in inſtrumento dictæ mutuæ ceſſionis, & permutationis expreſsè Proſerpina ſe cautam voluit de tali regreſſu, ex plenè firmatis in *Spoletana Cenſus* 16. *Maii* 1699. §. *Quandoquidem, &* 17. *Jun. ejuſdem anni* §. 1. *cor. Reverendiſſimo dell' Olmo.*

Nec demum allegare juvit, prout in ſuo memoriali conabatur inſinuare deſenſor
6 creditorum domus Bigazzinæ, quod modo cauſa non agitetur cum legitimo contradictore, dum defuncto nuper Comite Bigazzino, non fuit ejus hæreditati deputatus curator. Quandoquidem ſatis hodie eſt Righettis citare ipſos creditores, qui aſſumentes defenſionem Patrimonii eorum debitoris appellarunt, & cauſam appellationis proſequuti fuerunt, & qui ad impediendam executionem mandati ad favorem illorum de Righettis Actorum relaxati, nunc comparent, ex adductis per *Ruginell. de appellat.* §. *unde Gloſ.* 1. *cap.* 1. *nu.* 27., *&* 28., *Lancellot. de attentat. par.* 2, *cap.* 12. *ampliat.* 11. *n.* 9.

Et ita unica &c.

RIPANA DIVISIONIS SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 25. *Iunii* 1717.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Frater tenetur reſtituere alteri partem fructuum, quos de communi prædio mala fide percepiſſet, & à die motæ litis.*

2 *Fructus ſecundum hodiernam praxim, quam Rota ſervat, ad rationem quatuor pro centenario, juxta legalem taxam liquidantur.*

3 *Debitor offerens ſuo creditori compenſationem cum ſuo credito certo, & liquido, conſiderandus eſt, ac ſi ſuum debitum extinxiſſet.*

4 *Amplia, ut ſi, abſoluta compenſatione, in ulteriori ſumma creditor reperiretur, pro iſta ejus favore ſit relaxandum mandatum contra creditorem.*

DECISIO MXXI.

Quamvis in hac cauſa propter tenuitatem rei, quæ in controverſiam venit, ſatius fuiſſet, Partes amicabili concordia litem dirimere, quam Tribunalis Majeſtatem ſuper iis, de quibus Prætor curare non ſolet, laceſſire, ut tamen jus ſuum etiam in minimis unicuique reddatur, non dedignati ſunt Domini congruo dubio per Me hodie propoſito reſpondere -- *Deberi fructus, & eſſe relaxandum mandatum juxta modum* pro ſumma videlicet inferius exprimenda.

1 Debentur ſanè fructus à die motæ litis mala fide percepti à Luca Buccablanca ex tertia parte Vineæ communis ſpectante ad Joſephum, & cæteros Fratres pariter de Buccablanca tamquam filios, & hæredes Philippi, ut jam deciſum fuit 20. Junii 1708. coram bo. me. Omanna; ſed quia ex concordi relatione peritorum hinc inde electorum conſtat dictam tertiam partem non excedere
2 valorem ſcut. 8. 33. 1÷ hinc, calculatis fructibus juxta taxam legalem ad rationem ſc. 5. pro centenario ab anno 1660., quo lis ſuper divi-

diviſione mota fuit, uſque ad annum 1679., & ab inde, uſque ad totum annum 1707. ad rationem ſcu. 14 juxta praxim, quam Rota, & Curia conſtantiſſimè ſervat, planè conſequitur illos in totum taxandos eſſe in ſumma ſcut. 17. 25. ÷ à quibus cum ſubduci debeant ſcut. 4. 30. pro totidem à Luca proportionabiliter ad eamdem tertiam partem perſolutis pro oneribus Cameralibus, remanet creditum dictorum fructuum in ſumma ſcutor. 12. 95. ÷

Abſque eo quod contendi valeat, quod debeantur etiam alii fructus decurſi ab anno 1707. uſque ad præſens, quia cum tunc op-
3 poſita fuerit à Luca compenſatio debiti tam dictorum fructuum, quam valoris dictæ tertiæ partis Vineæ cum credito longe majori ſcut. 66. quod ipſe habebat contra eoſdem filios, & hæredes Philippi pro reſtitutione partis dotis Spinæ communis Aviæ ad ipſum ſpectantis, perindè eſt, ac ſi dictum debitum cum effectu ſolviſſet, *Gratian. diſcept. Forenſ. 728. num. 6., & ſeqq., Card. de Luc. de credit. diſc. 46. num. 22. Fontanel. dec. 206. num. 16., Rot. dec. 409. nu. 30., & ſeqq. par. 9. rec. tom. 2.*

4 Eſt autem relaxandum mandatum favore Lucæ in ſumma ſcut. 44. 71., quia ſi dicta ſumma ſcut. 66., pro qua ipſe ratione dictæ dotis eſt creditor non controverſus Joſephi, & aliorum Fratrum de Buccablanca, demantur ſcut. 12. 95. ab ipſo debita ratione fructuum, & alia ſcut. 8. 33. ÷ pro valore, & pretio tertiæ partis Vineæ, quæ Domini mutuo hinc inde compenſanda eſſe cenſuerunt, remanet ejus creditum in ſolis ſcut. 44. 71. pro quibus ejus favore eſt relaxandum mandatum,

Quin ejuſmodi ſumma diminui debeat pro compenſando valore tertiæ partis alterius prædii in vocabulo *Magnola*, ex fructibus ex illo perceptis, quia probatum fuit, illud ſemper poſſeſſum fuiſſe, & adhuc poſſideri à Joſepho, & ejus Fratribus.

Et juxta hunc modum utraque &c.

ROMANA CAMBII.

Ven. 25. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Cambium ex quibus conjecturis non fuiſſe remiſſum, neque extinctum deducatur; maximè cum remiſſio fortiſſimam juris contra ſe præſumptionem habeat. Quælibet ſolidatio licèt à clauſulis reſtrictivis non coarctetur, attamen ſemper ad cauſas, & debita tantum in ea expreſſa, non verò ad cætera, de quibus non fuiſſent contrahentes loquuti, extendi poteſt.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum juſtum, & rei judicatæ auctoritate munitum eſt exequendum.*

2 *Obligatio ſolidalis operatur, ut taliter ligatus, uti principalis reus debendi reputetur.*

3 *Remiſſio debiti tamquam habens contra ſe fortiſſimam juris præſumptionem eſt concludenter probanda.*

4 *Amplia, ut neque admittantur conjecturæ, quæ poſſent alium ſenſum recipere.*

5 *Cambium non dicitur extinctum, ex quo inter creditorem, & debitorem omnia computa mercium fuiſſent ſolidata, quia talis ſolidatio ad eas tantum reſtricta, ad cambii extinctionem non extenditur, & n. 13.* ac vide rationem in n. 14.

6 *Amplia, ut à fortiori vigens præſumatur, ſi eodem tempore creditor cum eodem debitore alias pecunias cambiaſſet.*

7 *Subamplia, quando illo tunc debitor fuiſſet idoneus, & fructus punctualiter perſolviſſet, ac adfuiſſet alter ſolidaliter obligatus.*

8 *Solutio fructuum cambii probatur ex partitis extractis de libris fundacalibus ipſius debitoris.*

9 *Creditor ex cambio actionem contra fidejuſſorem ſui debitoris non perdit, ex eo quia per aliquot annos iſtum non pulſaſſet, quo tempore hæreditatem principalis debitoris ille diſpunxiſſet.*

10 *Exiſtentia ſcripturarum penes reum conventum eſt prius probanda, antequam ille ad earum exhibitionem condamnetur.*

11 *Extinctio cambii inveriſimilis eſt quod conſtet per apocam privatam, quando per inſtrumentum illud creatum fuiſſet.*

12 *Probatio extinctionis cambii non præſumitur à debitore in manibus ſui creditoris relicta.*

14 *Quietantia à debitore reportata, ad cauſas expreſſas, & debita enunciata refertur, etiam ſi dictionibus reſtrictivis illa careret.*

15 *Amplia, etiam non obſtante Aquiliana ſtipulatione, cum ejus vis ad ea, de quibus contrahentes non fuerunt loquuti, non extendatur.*

16 *Extinctio cambii ex ſilentio creditoris non deducitur, ex eo quia vidiſſet, quod ex bonis principaliter obligatis poſteriores creditores fuiſſent dimiſſi, quando alter ſolidaliter obligatus fructus punctualiter perſolviſſet.*

DECISIO MXXII.

Conſulti Domini ſuper dubio -- *An conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, ſive potius de re judicata, itaut mandatum ab A. C. relaxatum pro ſolutione ſortis cambii, ejuſque fructuum contra hæredes Felicis de*
1 *Giraud ſit exequendum*, cum illud non minus juſtum, quàm validum eſſe compererint, & propter lapſum utriuſque fatalis in auctoritatem rei judicatæ tranſiiſſe, non dubitarunt hodie reſpondere -- *Conſtare de re judicata, & mandatum A. C. eſſe exequendum*, juxta monitum *Textus in l. 2. Cod. de exequut. rei judic.*, & firmata per *Rot. dec.* 392.

393. *n.2.p.1.*, & *dec.78.n.3. cor. Reverendiſſimo Decano.*

Enim verò ſicuti de validitate nulla erat inter Partes diſſentio, ita quoque juſtitia perſpicua reddebatur ex publico inſtrumento cambii uſque de anno 1667. in ſumma ſcutorum 600. contracti per Dominicum favore Joannis Baptiſtæ Manganoni cum ſolidali obligatione Felicis de Giraud, quo attento, quemadmodum in controverſiam venire nequibat creditum Joannis Jacobi Manganoni à memorato Joanne Baptiſta cauſam habentis, ita neque controverti poterat, quin ad ejus inſtantiam rite, recteque debuerit ab A. C. Cincio relaxari mandatum exequutivum contra filios & hæredes dicti
2 Felicis fidejuſſoris: cum ea ſit virtus obligationis ſolidalis, qua ille erga Joannem Baptiſtam ſe adſtrinxit, ut perinde cenſeri debeat, ac ſi eſſet principalis debendi Reus, ut docent communiter Scribentes *in l. Reos, ff. de duobus Reis*, & dixit *Rot. dec.153. nu.8. p.2.diverſ.*, & *dec.80.n.4.*; & *ſeqq.p.12.*

Nec ſubſiſtere viſa fuit exceptio præſumptæ ſolutionis, aut ſaltem remiſſionis, ſuper qua tota verſabatur dd. hæredum defenſio. Nam præmiſſo, quod ſolutio tanquam quid
3 facti, remiſſio verò tanquam habens contra ſe fortiſſimam præſumptionem juris, probari debet per concludentes, & univocas demon-
4 ſtrationes, ita ut argumenta, & conjecturæ, quæ alium ſenſum recipere poſſunt ad hunc effectum minime ſufficiant, *l. Quingenta*, & *l. Cum de indebito, ff. de prob. l.1. Cod.eod.*, *Rota in Romana Salviani 26. Junii 1702.* §. *Ad evitandam cor. Rmo Molines magno Hiſpaniarum Inquiſitore*, & hinc deſcendendo ad examen illarum, quę pro parte eorumdem hæredum deducebantur: quod
5 attinet ad primam deſumptam ex eo, quod ab anno 1665., uſque ad annum 1678. inter Jo.Baptiſtam Creditorem, ac Felicem plura interceſſerint computa mercium, quodque in generali illorum ſolidatione eodem anno 1678. inter eos celebrata, nulla facta fuerit preſervatio controverſi cambii, prompta occurrebat reſponſio ex ipſis verbis ejuſdem ſolidationis, quæ cum reſtricta legatur ad debitum, & computum mercium, nullo pacto referri poteſt ad ſolutionem, & extinctionem cambii à debito mercium omnino ſeparati, ac diſtincti, *Mart. Medic. deciſ. Senen. exam.15. n.27.* & *36.*, *Rmus D. meus Decanus de Commerc.*, & *Mercat. diſc.83. n.37.*, *Rot.cor.Cavaler. dec.165. n.1.*, & *cor. Bich. dec.306.n.31.*, & *dec.329. n.10.*
6 Secunda verò preſumptæ ſatisfactionis cōjectura elicita ex eo, quod de dicto anno 1678., idem Joannes Baptiſta Felici ad cambium tradiderit alia ſcuta 200., potius retorquebatur; nam ſi ipſe pecuniis tunc indigebat, & nova debita contrahebat, credi profectò non poteſt, quod eodem tempore, vel paulo ante ſummam triplo majorem exſolverit, *Conſtant.ad Stat.Urbis annot.44. n.473.*, *Rot. penes eumdem dec.102. n.18.* Et cætero-
7 quin non bene exinde deduci poſſe videbatur, quod aliàs niſi Joannes Baptiſta fuiſſet de primo cambio ſatisfactus, ſecundum non contraxiſſet, quia neque utraque ſumma ſimul juncta tanta erat, ut Felici credi non poſſet uſque tunc probo, & boni nominis mercatori; neque pro primo cambio ipſe tantum erat obligatus, cum immo directus illius debitor eſſet Dominicus, à quo pariter tunc ſperari poterat prompta ſortis reſtitutio, quemadmodum fructus, & acceſſiones prompte, & fideliter ſolvebantur, ut patet ad ſenſum.
8 Solvebantur, inquam, à Dominico fructus, & ſoluti fuerunt, nedum uſquequo ipſe inhumanis fuit, ut plene conſtat ex ejuſdem libris fundacalibus, ſed etiam ab ejus hæredibus, per aliquot menſes poſt illius obitum, videlicet per totum menſem Octobris anni 1687., juxta relationem tertii Periti. Unde ceſſat ex facto tertium argumentum præſumptæ ſolutionis deſumptum ex ſuppoſito, quod à die conſtitutionis controverſi cambii, nec ſors unquam repetita, nec
9 fructus exacti fuiſſent: & licèt re vera à dicto anno 1687. uſque ad annum 1694., quo pulſati judicialiter fuerunt hęredes Felicis fideiuſſoris, Joannes Baptiſta Creditor nihil aliud conſequi potuerit ab hæreditate Dominici, hoc tamen evenit, quia ipſe mitius agendo cum dictis hæredibus Felicis antequam eos conveniret, diſcutere voluit dictam hæreditatem Dominici ſub generali concurſu poſitam, qua tandem detecta non ſolvendo, ſi ſtatim adverſus fideiuſſorem ſe convertit, utique ipſi imputari non debet præcedens taciturnitas paucorum annorum, dum etiam ſi illa valde longior fuiſſet, adhuc eius iuribus nullum præiudicium intuliſſet, ut in ſimili ponderat *Palma alleg.69. n.19.*, *Conſtant. ad Statut. Urb. adnotat.48.n.293.*, *Rot. in Bononien. dotis*, & *pecuniaria 15. Maii 1682.* §. *Nec magis cor.bo.me. Urſino.*

Debilior cæteris viſa eſt quarta coniectura fundata in eo, quod nunquam ab Actore exhibita fuerit ſchedula quædam vulgo *Pagarò* licèt pluries à Reis conventis petita, in qua correſpective ad eiuſdem ſatisfactionem præſupponitur contineri poſſe dicti Felicis liberatio; nam ut Domini bene animadvertetunt, neque de dicta petitione ullibi con-
10 ſtat in proceſſu cauſæ, neque unquam doctum fuit de illius exiſtentia penes modernum Actorem hæredem Joannis Baptiſtæ, prout neceſſe erat ad effectum, ut cogi poſſet ad illius exhibitionem, ut per *Text. in l. hac actione*, & *l. Theſaurarius, ff. ad exhiben.*, aliàs dixit *Rota in Romana diviſionis ſuper exhibitione Scripturarum 18. Aprilis 1712.* §. *Poſita enim cor. Me.* Nec denique juſtificatum fuit ſaltem probabile Reorum
11 intereſse. Cum imo valde inveriſimile ſit, quod in apoca privata conſcripta fuerit quietantia cambii contracti per publicum inſtrumentum, ut obſervat *Poſth. reſol.24. n.20.*, & *ſeq.*, *Rot. poſt Zacch. de Societ. Offic. deciſ.14.*

*ciſ.24. num..fin.,& in rec.dec.*488.*n.*11.*p.*18.,
12 quodque inſuper relictum fuerit penes creditorem documentum, ex quo unice debitor ſuam liberationem oſtendere potuiſset, ut ponderat *Rot. in Romana Pecuniaria* 17. *Junii* 1712. §. *Quæ cor. Reverendiſſimo Aldrovando Epiſcopo Neoceſarien.*

Alicujus fortaſse momenti videri potuiſset quintum, & ultimum argumentum deductum ex inſtrumento anni 1681., quo mediante poſt obitum Felicis, eius filii, & hærèdes ad effectum extinguendi debita paterna dederunt in ſolutum pluribus ejus creditoribus magnam partem mercii exiſtentium in fundaco hæreditario, & hoc pacto dimiſso inter cæteros Jo. Jacobo creditore hæreditatis in tenui ſumma ſcutorum circiter quatuordecim pro ſolidatione antiqui computi mercium à Jo. Baptiſta ejus Auctore Felici traditarum, devenerunt ſubinde ad alienationem reſidui fundaci favore Dominici Giraud cum interventu, & conſenſu reliquorum crditorum, & ſignanter ipſius Jo. Jacobi moderni Actoris, qui eumdem Dominicum emptorem pro eorum creditis acceptarunt in novum debitorem, hæredeſque Felicis liberarunt in forma ampliſſima etiam per Aquilianam ſtipulationem, & pactum de non petendo.

Sed Dominis etiam in hac parte plenè
13 ſatisfecit reſponſio, quod cum dicta alienatio, & reſpective delegatio facta legatur, non quidem pro extinguendis omnibus, ſed tantum pro certis peculiaribus debitis in eodem inſtrumento expreſſis, & ſignanter quoad Manganonum pro duobus dumtaxat cambiis à Felice perſonaliter contractis, alio nempe ſcut.500. anno 1665., & alio ſcut.200. anno 1678., ut ad litteram probant verba illa -- *Liberano &c. la detta eredita &c. dalli ſudetti cambii*, -- & paulò infra -- *Caſſando &c. li ſopradetti inſtromenti*, utique operari nullo modo poteſt, aut inducere liberationem ab altero controverſo cambio ſcut. 600., pro quo Felix fideiuſserat, & cuius
14 intuitu nulla mentio facta fuit: nam ſi regulariter quietantia, & liberatio quæcumque reſtringitur ad cauſas expreſsas, etiamſi deſtituta ſit verbis, & dictionibus reſtrictivis, juxta *Text. litterales in l. Pluribus in princ. ff. de ſolut.*, & *l. emptor* §. *Lucius ff. de*
15 *pactis*. Et quidem non obſtante Aquiliana ſtipulatione, cujus vis, & efficacia, licet magna, & latiſſima ſit, non tamen protenditur ad ea, de quibus contrahentes non cogitarunt, ut reſpondit *Papinianus in l. Cum Aquiliana*, ubi *Gloſſ. in verb. præcedentes*, & *Bart. in ſumma, ff. de tranſact., Faber in Codic. lib.* 2. *tit. eod. Urceol. de tranſ. qu.* 9. *numer.* 24., & *ſeqq.* Potiori ſanè jure nullam pati debet extenſionem, cum Partès, ut hic, voluntatem ſuam per dictiones, & verba mox recenſita tam apertè declararunt, ut advertunt Doctores *in l. Si certa, Cod. de tranſact.*, *Rot. cor. Carill. dec.* 200.; *n.*5.

16 Nec profecto mirum eſt, quod Joannes Jacobus in dicto inſtrumento anni 1681. de hoc cambio, ſicuti de aliis duobus, non cogitaverat; nam, ut ſupra dictum fuit, hæc duo directè contracta fuerant à Felice, illud verò, quod hodie controvertitur creatum fuerat à Dominico, qui fructus promptè ſolvebat, & ſortem quoque reſtituere poſſe ſperabatur, cum non defecerit, niſi lòngè poſt, nempe anno 1687.

Et ita prætermiſſo de induſtria alio objecto deducto ex eo, quod Joannes Jacobus permiſerit ex mercibus dicti fundaci ſatisfieri creditoribus poſterioribus tanquam in facto non bene probato, & in jure ex ſupra deductis minus relevante, reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA EXHIBITIONIS SUPER EXPENSIS.

Veneris 25. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Merces periti à ſuccumbente in judicio omnino reficienda eſt, etiam ſi peritia fuiſſet à Judice demandata ex cauſa alicujus creditoris ad cauſam admiſſi.

SUMMARIUM.

1 *Expenſæ peritiæ, quæ à Judice fuiſſet demandata, uti neceſſariæ, ſunt à ſuccumbente omnino reficiendæ cum aliis expenſis*, & num.4.

2 *Deciſiones Rotales validæ ſunt præſupponendæ, quando allegantur in comprobationem alicujus condemnationis in expenſis à reo convento paſſæ, nec in judicio ſuper prætenſo illarum exceſſu poſſunt revideri*, & vide caſum.

3 *Interpellatio moleſtiarum, operatur, quod moleſtatus perſolverit, non poſſit à principali debitore de dolo redargui, qui earum aſſumptionem negligendo, ſibi imputare debet, quid ſui juris deperiret.*

5 *Exceptio de Jure tertii non poteſt à Reo convento allegari.*

6 *Res judicata parit exceptionem litis finitæ.*

DECISIO MXXIII.

INter cæteras lites actas contra D. Antonium Columnam, & Achillem Turſium à Joanne Maria Blanciflorio uti creditore Urſini, ſub cuius nomine cantabat Ratio Bancaria, in qua Pater dicti D. Antonii per viam Accommandigiæ contulerat ſcuta 17. mil., ea quoque fuit, qua mediante idem Blanciflorius inſtetit pro generali exhibitione rerum omnium provenientium ab eodem Urſino, & in qua per tres conformes, rem judicatam, & taxationem expenſarum ipſe ſuccubuit.

Cum autem ageretur de harum expenſarum refuſione, novum exarſit inter Partes litigium circa partitam mercedis Periti electi in dicto judicio, taxatæ in ſcutis 400., quam tamen, non obſtantibus pluribus adverſus illam

lam deductis à Blanciflorio, uti neceſſariam, vivam, & iudicialem approbavit Sacra Rota, cenſuitque ab illo reficiendam eſſe, iuxta deciſiones editas 2. Decembris 1711. coram R.P.D. meo Criſpo, & 1. Julii 1712. coram R.P.D. meo Falconerio meritiſſimè ad Urbis Gubernium aſſumpto.

Sed quia Signatura Juſtitiæ pro medietate dictę ſummę ſuſpenſivam appellationem conceſſit, Peritus integram curans ſui crediti ſatisfactionem, iterum egit contra D. Antonium, quem quoad ſe melius putabat recognoſcere in debitorem pro finali ſolutione, eiuſque inſtantias ille notificavit prævia interpellatione Blanciflorio, qui tamen ad cauſam venire tunc non curavit; undè ad evitandam mandati expeditionem, perſolvit ipſe eidem Perito mediante ordine directo Menſæ Nummulariæ SanctiSpiritus reliqua ſcuta 200, exhibitoque poſtmodum huius ſolutionis documento in hoc ſacro Tribunali, ſolitam expenſarum taxationem, comprehenſa tali ſumma, obtinuit à R.P.D. meo Corio.

Promovit adverſus hanc ultimam taxationem hæres Blanciflorii interim defuncti novas exceptiones, & ſtudens infringere partitam dd. ſcut. 200, impugnavit extra ſacram Rotam eorum ſolutionem uti fictam, & colluſivam, ſed duabus ſententiis, canonizatis poſtea cum reſcripto - *ſine præjudicio* - talis exceptio rejecta fuit. Adhuc verò non deſtitit appellare ab exceſſiva taxatione, cujus cognitione mihi directa, propoſui in hodierna audientia congruum dubium, & reſponſum habui - *non conſtare de exceſſiva taxatione*.

Reſtricta namque iterum quæſtione ad ſolam partitam medietatis mercedis ſolutæ Pe-
1 rito in ſcut. 200, concurrere videbatur in exclusionem cuiuſcumque exceſſus animadverſio, quod huiuſmodi expenſa dubio procul venit reficienda à Blanciflorio, tum quia ſuccubuit in lite exhibitionis rerum hereditarium Urſini, in qua talis expenſa Iudicialis peritiæ facta fuit, per *Text. in cap. Calumniam de pœnis, & l. eum qui ff. de judic., Rot. dec. 1151. per tot. cor. Emerix, & dec. 1. nu. 3. cor. Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano*. Tum
2 quia ad illam ſubeundam condemnatus jam fuit in aliis huius ſacri Auditorii judicatis, & deciſionibus ſatisfaciendo omnibus objectis, & exceptionibus, quæ contra talem condẽnationem deduci poterant, itaut eadem hodie repetere inutilis labor ſit, cum hujuſmodi deciſiones in præſenti veniant ſupponendæ juxta vulgares regulas, de quibus aliàs *dec. 267. n. 5., & dec. 360. num eod. cor. Benincaſa, dec. 77. n. 66. cor. Rm̃o. P D. meo Anſaldo Decano*, & paſſim.

Tantoque magis excludi videbatur Blanciflorius à quacumque ſua exceptione in hac
3 ſtricte controverſia, quia inſtante adverſus D. Antonium Perito pro ſolutione medietatis ſuę mercedis ſuſpenſæ ex reſcripto Signaturæ Juſtitiæ, iſte eumdem Blanciflorium interpellavit, eique notificavit inſtantias Periti; unde ſi quas habebat exceptiones, tenebatur eo tunc comparere, etſi eo negligente alter ſuccubuit, & ſolvit, iſtam ſolutionem non poteſt ipſe impugnare, & ſibi deberet imputare ſi quid ſui juris deperiiſſet ob malã fidem ex factis interpellationibus in ipſo inductam, *Honded. conſ. 82. n. 47., & ſeq. lib. 1.*, & cum aliis *Rot. dec. 89. n. 10 p. 17. rec.*

4 Non obſtat itaque quod Blanciflorius in judicio exhibitionis egerit cotra Turſium depoſitarium rerum Urſini, non contra D. Columnam, ideoque ille tantum habeat actionem repetendi expenſas in ea lite factas. Etenim cum D.Columna uti creditor Urſini venerit, & ipſe ad cauſam, in eaque una cum Turſio Victoriam reportaverit, cum Turſius hodie non contradicat eidem Columnæ, & demum cum verè conſtet de ſolutione mercedis Periti ab iſto facta non ſolum ex ordine cum recepta, ſed etiam ex alia re judicata, certior ejuſdem actio eſſe non poteſt, juxta omnes regulas, quibus edocemur expenſas à
5 victo eſſe reficiendas Victori, & exceptiones tertio tantum competentes ab aliis allegari non poſſe, ut de prima ſunt *Text. in l. eum quem 79. ff. de judic. l. properandum 11. §. Sin autem ex geſtis, & §. Sive autem alterutra Cod. eod.*, & de ſecunda *in l. 2. ff. de except. rei judic.*, ubi *Bartol., & l. loci corpus §. Compet. ff. ſi ſervit. vindic.*

Et fruſtra demum opponebatur non fuiſſe locum taxationi expenſarum, ex quo adhuc pendeat judicium inter D. Antonium Colũnam, & Blanciflorium, ideoque veniat expectandus ejus exitus. Hoc enim judicium eſt omnino diverſum ab illo exhibitionis rerum, & bonorum Urſini, de cujus judicii expenſis agitur, & in quo neceſſaria fuit relatio Periti, de cujus mercede quæritur, un-
6 de cum in hoc prodierit res judicata, dubitari non poteſt, quod totaliter fuerit terminatum, cum vulgare ſit rem judicatam parere exceptionem litis finitę, *Text. in cap. de lit. conteſtat. in 6., l. 1. & 2. Cod. ut lit. pend., & l. final. C. ſent. reſcin. non poſſ. cum aliis relat. dec. 39. n 15. cor. Benincaſa*, & dictum fuit in præciſis terminis *in Peruſina fideicommiſſi, ſeu Salviani ſuper expenſis 1. Jul. 1715. §. Minuſque cor. Me.*

Et ita omiſſis cæteris à Blanciflorio deductis, & ad præſentem controverſiam non pertinentibus fuit reſolutum. Utraque &c.

TRIDENTINA DOMUS

Veneris 25. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Subrogatio fundi vinculati in locum liberi, (quæ illius diſtractioni æquiparatur) eodem detecto vinculo, evanida fit, neque ille, qui tali ſubrogationi conſenſum dediſſet, ad alterius fundi novam ſubrogationem acceptandam compelli poteſt.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Dominium domus probatur ex acquiſitionis Inſtrumento.*
2 *Subrogatio unius corporis in locum alterius liberi remanet nulla, ſi ſubrogatum fideicommiſſi vinculis reperiretur obnoxium.*
3 *Subrogatio unius corporis in locum alterius, tamquam vera alienatio conſideratur, & ſubrogatum induit naturam illius, in cujus locum ſubrogatur.*
4 *Subrogatio fieri non poteſt abſque conſenſu dommini corporis ſubrogati.*
5 *Conſenſus datus in uno caſu, & in uno contractu non extenditur ad alium diverſum, & ſeparatum.*

DECISIO MXXIV.

UT diſſolverent Joſeph Fortunatus, aliique Fratres de Oliva æs alienum à Carolo eorum Patre contractum in ſummaRagneſiorum 873. cum Antonio, ac Nicolao de Zenonianis, devenerunt ſub anno 1708. iſtorum favore ad dationem in ſolutum, ac reſpectivè venditionem domorum, aliorumque omnium bonorum, quæ ipſi poſſidebant in Villa, & pertinentiis Campi *di Denna* pro pretio in totum Ragneſiorum 3017., factaque excomputatione prædictæ ſummæ, cujus erant creditores, promiſerunt emptores reſiduale pretium ſolvere intra certum tempus, conventis interim fructibus recompenſativis.

Aſſertum fuit in hujuſmodi contractu bona ſub illo comprehenſa eſſe libera, francha, & expediti allodii, ſubinde tamen compertum fuit, quod inter ea aderat Domus *Arnolda* nuncupata, ſubjecta directo Dominio Comitis Franciſci Paridis à Spahur, annuique liveili onere pergravata; unde illi de Olivis venditores ad evitandas moleſtias, & controverſias, quas prævidebant ex parte emptorum, curarunt in locum d. Domus Vineam ſubrogare poſitam in loco detto *Vetti*, tanquam ad ſe libere ſpectantem cum conſenſu etiam d. Comitis, quo abſente, deventum fuit ad ſubrogationis Inſtrumentum ſtipulante pro illo Notario, & aſſerente ſe verbaliter facultatem habuiſſe præſtandi petitum conſenſum.

Rebus ita jam compoſitis, devenit ad notitiam eiusdem Comitis à Spahur, fundum *Vetti* ſubrogatum, eſſe obnoxium ſtrictiſſimo particulari fideicommiſſo condito à Joanne de Olivis ſub anno 1698., ideoque in Curia Decanali Tridentina dixit de nullitate hujus contractus, petiitque ſe in dominũ recognoſci ſupradictæ livellariæ Domus Arnoldæ, & contẽporaneè aliud promoverunt fundamentũ illi deZenonianis pro reſciſſione cõtractus, venditionis, & dationis in ſolutum bonorum loci *de Denno*, in qua Curia opponentibus illis de Olivis ſuper prædicto fideicommiſſo ſibi competere detractiones, ob quas potuiſſent prędium *Vetti* ſubrogare, & alienare, prodiit ſententia declarans, quod ſi doceretur ab Olivis non fuiſse factas detractiones, d. prædium in illas imputaretur; aliàs vero locus eſſet ſubrogationi alterius Fundi liberi, idonei.

Infirmata fuit hæc ſententia ab A. C. de Gentilibus, qui in gradu appellationis pronunclavit, conſtare de directo dominio Comitis a Spahur ſuper domo Arnolda, & eſſe d. Comitem recognoſcendum in illius dominum, ſubrogationem vero fundi *in Vetti* factam per illos de Olivis eſſe nullam, eumdemque Comitem non teneri ad præſtandum conſenſum ſubrogationis alterius Fundi, & denique eſſe locum reſciſſioni contractus venditionis factæ per dd. deOlivis cum illis de Zenonianis.

Devoluta cauſæ cognitione ad noſtrum Tribunal, dedi duo dubia, alterum -- *An conſtet de directo dominio Comitis a Spahur ſuper Domo Arnolda, itaut ſit recognoſcendus in dominum, ſeu potius ſit locus ſubrogationi alterius fundi in locum Fundi in Vetti* -- & alterum -- *an ſit locus reſciſſioni contractus venditionis, ſeu dationis in ſolutum* -- iiſq. hodiè propoſitis, Fratribus deOlivis cõparere negligentibus, fuit à Dominis reſponſum, quoad primum, de quo hìc, pro Comite informante, quoad ſecundũ favore illorũ de Zenonianis, ut in contemporanea deciſione.

Conſtitit enim de Comitis dominio ſuper
1 Domo Arnolda ex inſtrumento publico inveſtituræ anni 1681., quod pleniſſimam probationem conſtituit, *ad text. in l. cum præcibus* 18. *cap. de probat.*, *& l. emancipatione* 11. *cap. de fide. inſtrumen.*, eoque poſito certum eſt illum eſſe in dominum ejuſdem domus recognoſcendum.

Neque obſtare poſſe videtur conſenſus præſtitus ſubrogationi fundi in *Vetti* loco
2 ejuſdem Domus, quippe quia talis ſubrogatio nullius fuit efficaciæ, cum hujuſmodi fundus repertus fuerit gravatùs ſtricto particulari fideicommiſſo, propter quod erat rigorosè prohibitus alienari, & ſtante hujuſmodi prohibitione remanſit d. ſubrogatio inanis, & nullum transferre valuit dominium, *ad text. in l. ſi filius Familias* §. *Divi*, *& l. cum Pater* §. *libertas ff. de legat.* 2., *Rota cor. Seraph. dec.*321. *n.*13., *& dec.* 374. *n.* 4. *p. prima rec.*

Et dubium eſſe non poteſt, quod in pręſenti caſu ſubrogatio vim haberet effectivę
3 alienationis à Teſtatore prohibitæ, cum facta fuerit loco Domus Arnoldæ, quæ in antecedenti contractu fuerat alienata; unde ſi verum eſt, quod ſubrogatum vices ſubit alterius rei, cui ſubrogatur, eamdemque naturam, & qualitatem induit, *ex text. in l. ſi cum* §. *Qui iniuriarum ff. ſi quis cauſ &c.*, *aliàque Jura plene deduct. dec.* 74. *n.* 28., *& dec.* 80. *n.* 25. *cor. Reverendiſſimo P.D. meo Anſaldo Decano*, utique dici debet, ſicut fuerat plene alienata cum translatione dominii d.domus, ita etiam hujuſmodi ſubrogationem veram, & realem importaſſe d. Prædii ſubrogati alienationem.

Quo demum ad ultimam dubii partem cenſuerunt pariter Domini non eſſe locum ſubrogationi alterius fundi loco illius nuncu-
4 pati *in Vetti*; ſi enim renuit Comes a Spahur præſtare conſenſum alienationi Domus Arnoldæ de ipſius directo dominio exiſtentis, inutile remanet agere cum illo de tali ſubrogatione.

Abſque eo quod ad illum cogendum allegari valeat conſenſus aliàs ab eo præſtitus conſimili ſubrogationi d. Prædii *in Vetti*,
5 quia conſenſus in uno contractu datus, in quo ex particulari ratione ſituationis, aut qualitatis bonorum d. Comes moveri potuit, trahi non valet ad alium totaliter diverſum, & ſeparatum, ex animadverſis per *Peregrin. conſ. 78. n. 19. lib. primo, Cyriac. controv. 461. n. 16., & Gob. conſult. dec. 64. nu. 55.* Et ita unica &c.

TRIDENTINA DOMUS SUPER RESCISSIONE CONTRACTUS.

Veneris 25. Junii 1717.

ARGUMENTUM.

Contractus uti actus indididuus, quando corruit in una parte, corruit in totum.

SUMMARIUM.

1 *Venditio ſit nulla, quando pro libero venditur, quod non eſt liberum,*
2 *Contractus ſuper fundo emphiteutico abſque Domini directi conſenſu non ſubſtinetur.*
3 *Venditio, quæ non regit in parte, corruit in totum, neque emptor in ea parte, in qua hypothecas detigit, ad aliquid aliud in locum partis evictæ recipiendum nequit compelli.*
4 *Contractus tanquam individuus, ſi in una parte ſit nullus, in totum cadit.*
5 *Fundus emphiteuticus ſine conſenſu Domini directi nunquam ſit liber.*

DECISIO MXXV.

Contractum dationis in ſolutum, ac reſpectivè venditionis bonorum exiſtentium in Villa, & pertinentiis Campi *Denni* impugnarunt Lenoniani Emptores occaſione alterius Judicii, de quo in contemporanea mea deciſione promoti in partibus ſuper dominio domus in eo comprehenſæ à Comite de Spahur, & Fratres de Oliva venditores ſententiam favorabilem obtinuerunt, revocatam ſucceſſivè in Tribunali A. C. à R. P. D. de Gentilibus, qui locum eſſe pronunciavit reſciſſioni prædicti contractus.

Nec diverſus fuit hodie Dominorum ſenſus; propoſito enim à Me dubio, una cum altero reſpiciente Jura d. Comitis Domini directi recenſitæ Domus, de quo in alia mea deciſione *An ſit locus reſciſſioni contractus venditionis, ſeù dationis in ſolutum – Affirmativum pro informante reſponſum prodiit.*

Siquidem Leoniani fundatam pro reſ-
1 ciſſione contractus intentionem habere videbantur in eo, quod bona ipſis vendita fuerunt cum expreſſione, quod eſſent libera, & franca, & expediti allodii, quando tamen dubium non eſt inter ea comprehendi Domum nuncupatam *Arnolda* ſubiectam directo dominio Comitis à Spahur, & nullatenus liberatam mediante inefficaci ſubrogatione prædii *in Vetti*, ut fuit dictum in contemporanea deciſione. Indubitati vero Juris eſt
2 poſita iſta qualitate livellaria, ſeu emphiteutica d. Domus, contractum ſine conſenſu Domini directi ſubſtineri non poſſe, *ad text. in l. fin. C. de Jur. emphit. late exornatum in propoſito per Fulgin. de emphit. tit. de alienat. q. prima n. primo.*

Abſque eo quod opponi valeat hujuſmodi
3 nullitatem operari reſciſſionem poſſe quoad venditionem Domus, non autem quoad reliqua bona, quæ nullo affecta ſunt vinculo, aut impedimento; ponderabant enim Domini hìc agi de contractu totaliter individuo, in quo Partes profeſſæ ſint unico contextu emere reſpectivè, ac vendere omnia, & ſingula bona ſita in Campo Denni, uti libera, franca, & expediti Allodii, unde ſi hodie unum ex principalioribus corporibus venditis detegitur eſſe ſine volita qualitate libertatis, itaut pro eo emptio habere locum non valeat, id utique operatur, quod ex defectu voluntatis contrahentium, contrac-
4 tus in totum individuus, nullus, & vitiatus remaneat in totum, ut per *text. in l. ſi plura ff. de Ædilit. edict.*, late probant *Ruin. conſ. 141. n. 5. verſ. & ideo, Mantic. de tacit. lib. 4. tit. 19. n. 65., Mangil. de evict. qu. 165. n. 12., Rota cor. Celſ. dec. 319. n. 7., & cor. Dunoz. jun. dec. 71. n. 9., & ſeqq.*

Minuſque dici poterat in præſenti locum tantummodo eſſe liberationi d. domus. Omiſſis quippe iis Juris quæſtionibus, quæ potuiſſent in hoc puncto deduci, talis liberatio,
5 diſſentiente Domino directo, totaliter videbatur excludi ex deductis in contemporanea mea deciſione.

Et ita Zenonianis tantum informantibus, & illis de Oliva comparere negligentibus &c.

ROMANA IMMISSIONIS.

Lunæ 28. Junii 1717.

ARGUMENCUM.

Pingue prælegatum à Viro ſecundæ Uxori (extantibus Nepotibus ex filia præmortua) relictum, quod remuneratorium non eſſet, ſed ex mera animi liberalitate, & voluptuarium, non impedit, quin iidem Nepotes matrem prædefunctam in ſtirpes, & non in capita immediatè repræſentantes legis *Hac edictali* privilegio gaudeant. Maternam tamen dotem ab eodem Avo profectitiam in legitimam imputare tenentur.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Teſtes informes, & pendente lite expiſcati, nil probant.*

2 *Cauſa illa prælegati à Teſtatore in teſtamento expreſſa attendenda eſt, non vero illa, de qua Teſtes loquerentur.*

3 *Allegans aliquem titulum, ſemper meliorem allegare præſumitur.*

4 *Amplia, ſi ageretur de legato relicto à binubo favore Uxoris, cum præſumatur meliorem exquiſiviſſe modum ad fraudandam legem.*

5 *Cauſa ſervitii præſtiti, & bonæ ſocietatis dicitur nimis vaga, ad hoc, ut legatum à Viro relictum dici poſſit remuneratorium.*

6 *Amplia, ut ex iſta cauſa fiat gratuitum, & ex mera liberalitate Viri procedens.*

7 *Nepotes ex filia præmortua dicuntur primi in jure ſanguinis erga Avum, & ad effectum ſuccedendi non in capita, ſed in ſtirpes conſiderantur.*

8 *Nepotes dotem maternam eb eorum Avo profectitiam, in legitimam ſibi imputare debent.* & vide caſum, & n. 10.

9 *Amplia, etiam ſi non concurreret pactum reverſivum favore Avi dotantis, dos adhuc naturam, & qualitatem ab Avo profectitiam retinet, adeout data præmorienti filiæ, filiis relictis, iſti ſub ejuſdem imputationis lege matri ſuccedunt.*

10 *Nepotes ex filio maſculo tali ſubjacent imputationi, ſi quid Avus eorum Patri contuliſſet.*

11 *Filii primi thalami non afficiuntur, nec præjudicio aliquo ſubjacent ob conventiones inter eorum patrem, & materteram initas.*

12 *Uxor in ſecundis nuptiis virtute legis* hac edictali, *ſi de primo thalamo quinque ſuperextarent filii, ſextam tantum partem, quando hæres fuiſſet deſcripta, poſſet de illa retinere, & nil ultra.*

13 *Retentio Tabernæ, ſuper qua quinque filii pro rata ſuam partem haberent, & matertera ſextam, illis, & non iſti majorem partem habentibus concedenda eſt.*

DECISIO MXXVI.

Placuerunt DD. fundamenta Deciſionis editæ 21. Februarii currentis anni coram Me, in qua dictum fuit dandam eſſe immiſſionem fratribus de Gruettis Nepotibus ex filia ſuſcepta in primo Matrimonio Hieronymi de Rubeis ad formam *text. in l. hac edictali C. de ſecund. nupt.*, redacta ad æqualitatem ſucceſſione cum Roſa Peruſina Uxore ſecundi thalami, & hærede per illum inſtituta, factis tamen hinc inde prius iis detractionibus, quæ pro una, vel altera ex partibus meruerunt approbari; ideoque reſponderunt hodie ſuper viribus ejuſdem deciſionis conſulti, in omnibus *ſtandum eſſe in deciſis*.

Et ſanè omiſſa diſputatione quoad plura in dicta deciſione jam ſtabilita, fruſtra iterum Roſa proponebat ſibi competere ex Teſtatoris judicio prælegatum ſcut. 3000., non obſtante diſpoſitione *d. legis hac edictali*, ſibi debitum, eo, quod factum fuerit in remunerationem juventutis, & diſparitatis Natalium: Hujuſmodi quippe cauſæ, ex quibus relictum Uxori factum in conſpicua ſumma dici poſſet remuneratorium, nunquam fuerunt à Roſa probatæ, dum ad eas juſtificandas attulit ſolum depoſitiones informes quo-
1 rumdam Teſtium, quæ tanquam pendente lite expiſcatæ, fidem promereri non potuerunt, quemadmodum agnovit ipſamet, quæ ad illos formiter examinandos articulos petit admitti in dubio contemporaneè propoſi-
2 to, & contra ipſam reſoluto; & quamvis etiam plenæ concurrerent ad illius intentum probationes, adhuc pro conſequtione prælegati in præjudicium Nepotum Hieronymi minime relevarent, cum expreſsè pugnent cum cauſa per ipſum Teſtatorem allegata, quæ non fuit illius diſparitatis, aut ætatis, aut Natalium, ſed ibi -- *Per il buon ſervizio, e compagnia preſtatami* -- cui quidem cauſæ potius ſtandum eſt, quàm alteri per
3 teſtes allegatæ, cum allegans aliquem titulum, meliorem allegaſſe regulariter præſumatur, *Rota dec. 227. n. 17., & ſeq. cor. Cerro, & in Cracovien. Matrimonii ſuper validitate 4. Julii 1698. §. Sed ulterius cor. Emo*
4 *D. Cardinali Priolo*, creſcitque talis præſumptio in relictis à binubo factis favore Uxoris, cum cenſeatur omnem meliorem modum exquiſiviſe fraudandi legem, ut in terminis probant *Valenzuel. conſ. 148. n. 6., de Marin. reſolution. 273. n. 16. lib. 1., Hodiern. ad leg. hac ædictali qu. 25. nu. 21., & pluribus ſeqq., Vicent. de Franch. dec. 428. n. 25., Rota cor. Mantic. dec. 49. n. 5., & ſeq., & dec. 179. n. 18. p. 8. rec.*

Stante autem hac cauſa ſervitii rectè præſ-
5 titi, bonæque ſocietatis, quæ nimis vaga ſtatim dignoſcitur, cùm ex legibus connubialibus Uxores benè ſe cum Viris habere teneantur, non poteſt exindè argui ad ullam remunerationem onerosam, quæ legatum
6 eximat à d. legis diſpoſitione, ſed potius gratuitum, & voluntarium, atque ex mera Viri liberalitate procedens judicari debet, eique conſequenter ſubjectum, ut præter mox allegatos cenſuit *Senatus Mantuanus apud Gobb. conſult. dec. 64. n. 71., Fontanell. de pact. nupt. clauſ. 5., Gloſſ. 8. p. 4. n. 72., & ſeq.*, aliique in deciſione, quæ revidetur adducti §. *Neque attendenda*.

Et hæc reſpectu prælegati remiſſivè quoad prædictas probationes ad contemporaneam deciſionem ſuper articulis, in qua habentur alia plura circa earum irrelevantiam, inutiliter non repetenda, & in qua deciſione plenè excluditur etiam probatio machinationis Nepotum Hieronymi in ejus vitam, quæ pariter à Roſa deducebatur ad juſtificandam eorum excluſionem ab hæreditate.

Tranſeuntes propterea DD. ad cæteras controverſias, approbarunt quoque fundamenta deciſionis reſpectu quantitatis legitimæ per Gruettos Nepotes detrahendæ ex bo-

bonis, non in triente tantum (ut Roſa prætendebat) ſed in ſemiſſe; quandoquidem licet ipſi non ſint filii primi gradus, ſed Ne-
7 potes ex filia præmortua dicti Hieronymi, adhuc tamen, cum ex tali premorientia eorum Matris primi effecti fuerint in jure ſanguinis, & ſucceſſionis, in vim præcitatę *l. hac edictali C. de ſecund. nuptiis* non ſunt in capita, ſed in ſtirpes connumerandi, quemadmodum in punctualibus terminis deciſum fuit pelenè diſcuſſo articulo *dec.* 293 *n. primo, & ſeqq. cor. Bich.*, *& dec.* 352. *n.* 13., *&* 14. *cor. Cerro*, quicquid dixerint Doctores hodiè in contrarium pro parte Roſæ allegati.

Sicut etiam perſtiterunt in decisis quoad imputationem dotis Antoniæ eorum Matris
8 in iſtam legitimam, quam imputationem fruſtra in præſenti impugnabant Gruetti ſub motivo, quod ipſis illa debeatur particulari titulo hæreditario d. eorum Matris; hujuſmodi enim titulum, prout in præterita propoſitione, ita in preſenti ceſſare DD. cenſuerunt. Quippe quia ſubſiſtit pactum reverſivum prædictæ dotis favore Hieronymi Patris ejuſdem Antonię, ex quo dos remanſit ſemper profectitia; & conſequenter venit in legitimam imputanda á filiis d. Anto-
9 nię, & reſpectivè Hieronymi Nepotibus, juxta auctoritates in deciſione, quæ revidetur allegat. §. *Et quamvis*, immo & ſi hujuſmodi pactum reverſivum favore Avi dotantis non concurreret, attamen, niſi aliundè de animo donandi conſtaret, adhuc pro effectu imputationis dos retineret naturam, & qualitatem profectitiam ab Avo, atque ideo data præmorientia filiæ dotatæ cum filiis, iſti ſuccedere non poſsunt Matri, niſi ſub lege d. imputationis, ut egregiè docet *Caſtren. conſ.* 109. *n.* 3. *lib.* 1., *Manſ. conſult.* 353. *n.* 45., *Card. de Luca de dot. diſc.* 34. *n.* 12.,
10 ubi quod cum Nepotes ex filio maſculo ſubiaceant huic imputationi, ſi quid Avus eorum Patri contulerit, ita conveniens multo fortius eſt, quod etiam dotes maternas imputent Nepotes ex filia, *& diſc.* 154. *nu.* 9., *& ſeq.*, *Gobb. de jur. inteſtat. ſucceſſ. obſerv.* 56. *n.* 12., *&* 21., & optimè *Rota dec.* 433. *n.* 9., *& ſeqq. cor. Merlin.*

Nec ſubſiſtit in facto, quod è contrario habeatur in præſenti pactum, quod dos in caſu reſtitutionis, reſtitui debeat, vel Antonię,
11 vel ejus filiis; etenim hoc pactum appoſitum non fuit ab Avo, ſeu Patre reſpectivè, ſed à Viro favore Uxoris, quorum pactiones illi præjudicare non potuerunt, & non repugnant alteri pacto, quod reverti debeat ad Patrem.

Atque ex his deſcendebant DD. ad poſtremam queſtionem vertentem ſuper avviamento Tabernæ, circa quod in præterita reſolutione ſoluto pretio ſextę Partis Roſæ, conceſsa fuit prælatio Gruettis. Impugnabat illa hujuſmodi prælationem ſub motivo, quod admiſſis etiam terminis *legis hac edictali* in præſenti caſu, non expoliabatur ipſa qualitate hæreditaria ſui Viri, cujus vigore retentionem, dimiſſis Gruettis ſibi competere prætendebat, ſed DD. id ſufficere non puta-
12 runt ad ejus intentum, quia ex qualitate hæreditaria, quam ipſi præſervat prędicti textus diſpoſitio, argui ad aliud non poteſt, quàm ad id, quod ipſa habeat in avviamento Tabernę ſextam partem, ſicuti in reliquis corporibus hæreditariis, & hoc poſito æquius ſemper eſt, quod preferantur in retentione
13 Tabernæ alii conſucceſſores habentes quinque partes, potius quàm ipſa, quæ unam habet dumtaxat, juxta Theoricas laudatas § *finali præcedentis deciſionis*, ad quam in reliquis etiam DD. ſeſe relativè habuerunt.

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER ARTICULIS.

Lunæ 28. Iunii 1717.

ARGUMENTUM.

Articuli obiectivi, irrelevantes, & in nichilum profuturi non admittuntur. Mulier juvenis, quæ viriũ ſenẽ duxiſſet, propter ætatis diſparitatem, ſemper ſollicita fuiſſe præſumitur de reportatione promiſſionis alicujus prælegati poſt viri obitum in juventutis remunerationem conſequutura.

SUMMARIUM.

1 *Articuli in materia profana ſemper admittendi ſunt.*

2 *Limita quando eſſent irrelevantes, & in nihilum profuturi*, & num. 10.

3 *Articuli ad probandum legatum remuneratarium, conſtito de defectu cauſę remunerationis, non admittuntur.*

4 *Legatum à viro mulieri relictum, non poteſt dici remuneratorium ratione ętatis & natalium, quando uxor de tempore ſponſalium 34. numeraſſet annum, & vir 64. ſique vir fuiſſet dives, & uxor paupera.*

5 *Amplia, quando vir in teſtamento diverſam cauſam allegaſſet, & non remuneratoriam.*

6 *Mulier, quę virum ſenem duxit cum ſpe legati remuneratorii preſumitur de eo fuiſſe ſollicita ante nuptias.*

7 *Voluntas hominis uſque ad mortem eſt ambulatoria.*

8 *Vir ſenes præſumitur ſe noluiſſe obligare poteſt obitum uxori juveni legatum remuneratirium relicturum, ne deſiderio ſuæ mortis illa exardeſceret.*

9 *Amplia, ſi talis præſumptio adminicularetur à teſtibus deponentibus virum taliter requiſitum à muliere reſpondiſſe tantum, quod erga illum ſe benè fuiſſet habiturus & ad nihilum ſe poſitivè obligare.*

12 *Nepotes, ſi ob adoleſcentiam potius, immaturumque judicium ſe irreverenter erga Avum gererent, non ideo illius hæreditate veluti ingrati ſunt reputandi indigni.*

12 *Avus*

12 *Avus non præſumitur voluiſſe legatum nepotibus relinquere, quando iſti erga ipſum ſe male geſſiſſent.*

13 *Articuli objectivi ſunt criminoſiſſimi, & ideo numquam admittuntur.*

14 *Nepotes ætate teneri numquam præſumi poſſunt capaces, & tam deperditi, ut avum veneno voluiſſent afficere.*

DECISIO MXXVII.

EXperta Roſa Peruſina non ſolum per contrarium Judicatum A. C. de Gentilibus, ſed etiam per uniformem reſolutionem editam in audientia diei 26. Februarii currentis anni coram Me totalem excluſionem earum prætenſionum, quas vigore Teſtamenti conditi à Hieronymo de Rubeis ejus viro cum ipſius inſtitutione in hæredem, & inſigni prælegato ſcut. 3000. ejus pariter favore relicto, habere prætendebat in omnibus defuncti Viri bonis, admiſſis è contrario ad æqualem conſucceſſionem fratribus de Gruettis ex filia Teſtatoris nepotibus juxta *celebr. Text. in l. hac ædictali cod. de ſecund. nupt.*, putavit conferre ad comprobationem ſui Juris examen formale quorumdam Teſtium, qui conventum deponerent ante nuptias legatum remuneratorium ratione diſparitatis in ætate, & natalibus conjugum, ac malæ valetudinis Viri, & aliorum, qui teſtarentur prædictos nepotes erga Avum malè ſe habuiſſe uſque ad parandas ejus vitæ inſidias cum propinatione veneni, itaut voluntatem ille habuerit, & cauſam eos ab hæreditate excludendi.

Cum itaque illa adverſus prædictam reſolutionem obtinuiſſet ex conſueta Dominorum benignitate audiri, exhibuit articulos, petiitque illos admitti, undè contemporaneè ad dubium reſpiciens Vires jam editæ deciſionis, dedi, & aliud dictam Mulieris petitionem concernens -- *An ſint admittendi articuli*, & ſicut in primo non dubitarunt Domini reſpondere *in deciſis*, ut ex contemporanea deciſione, ita quoad iſtud reſcripſerunt -- *negativè* --

Quamvis enim materia, quę totaliter pro-
1 ſana eſt, illorum admiſſionem ſuadere videretur, irrelevantia tamen movit Dominos
2 pro illorum reiectione, cum etiam in materia profana admittantur probationes, quæ dignoſcuntur in nihilum profuturæ, *Rot. dec. 143. num. 1. coram Priol., in Romana, ſeu Bonon. Pecuniaria ſuper Articulis 17. Februarii 1713. §. Abſoluta coram R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore, & in Romana Hæreditatis ſuper articulis 4. Maii 1716. §. primo coram R. P. D. meo Criſpo.*

Hæc autem irrelevantia facile dignoſcitur ex deductis in contemporanea mea deciſione edita ſuper bono Jure, in excluſionem prætenſionum Roſæ, ex quibus articuli remanunt inefficaces, ideoque non admittendi juxta alias firmata *dec. 26. num. 5. de Dilat. coram Caſ. de Graſſ., dec. 45. num. 1., & ſeqq. coram ſa. me. Alex. VIII., & dec. 1246. num. 5. coram Benincaſa.*

Ex fundamentis itaque ſuper bono jure deductis, quoad prælegatum, illud, præceteris
3 in excluſionem articulorum videbatur maximopere concludere, quod deficiebat cauſa aſſertæ remunerationis, propter quam Hieronymus moveri deberet ad promittendum; & ſucceſſivè relinquendum adeò pingue legatum ſcut. 3000. Quantum enim attinet ad prætenſam diſparitatem ratione ætatis, & natalium, viſa fuit Dominis condignam exinde remunerationem habuiſſe, quod Mulier jam attingens annum 34. (quouſque Virum ſibiparem non invenerat) nupſit Viro, licet majori ætate pergravato, & annum 64. jam agenti, diviti tamen, & congruè fortunæ bonis proviſo, & quidem cum exigua dote ſcut. 330. dumtaxat, in quibus ſanè terminis recto Judicio cenſendum eſt, quod ſi Vir cæteroquin dives, modica, iſta quantitate contentus
4 fuit, ad aliam erga magis juvenem Uxorem recompenſationem probabiliter teneri noluerit, ut optimè inquit *Surd. conſ. 164 nu. 36. in fin., Paſcal. de Viribus patr. poteſt. p. 1. cap. 4. nu. 45. verſ. limitatur, Seperell. dec. 172. num. 25., Rota dec. 91. num. 22., & ſeq. poſt Zacchiam quæſt. Medicolegal. cor. Buratt. dec. 422. nu. 11., & ſeqq., & par. 5. rec. dec. 200. num. 11.*

Coadjuvantibus in facto hujuſmodi ſenſum pluribus circumſtantiis, & præſertim
5 illa, quod ipſe vir in ſuo Teſtamento diverſam cauſam allegavit, non vero illam talis remunerationis, juxta animadverſa in dicta contemporanea deciſione §. Et ſanè, quod-
6 que inveriſimile totaliter eſt, mulierem ſollicitam, ut dicunt articuli, de remuneratione nullatenus curaſſe antè contractum Matrimonii illam inſcriptis ſaltem per privatam Apocam redigi, & voluiſſe fidere inſtabili ejus Viri voluntati, quæ uſque ad mortem
7 erat ambulatoria, quando etiam poterat illo moriente ab inteſtato fraudari ſpe concepta, ut advertit *Rot. dec. 290. num. 10. par. 6. Recent., & cum aliis in Romana Immiſſionis 1. Julii 1701. ſub §. Et demum coram R̃mo Conchen.*

Non attenta excuſatione illa, quam ſubdunt iidem articuli, non faciendi ullam præ-
8 cedentem obligationem ex cauſa evitandi in muliere juvene motivum optandi mortem Marito ſeni, quia hoc idem in Muliere deſiderium poterat concurrere etiam ex promiſſione verbali, quæ prætenditur, nec remedium ſupererat ullum coercendi hujuſmodi aviditatem, ſive promiſſio redigeretur in ſcriptis, ſivè non, itaut potius ſubintret præſumptio, quod, ita actum fuerit, quia Vir hujuſmodi obligationem, & ex tali cauſa noluerit ſuſcipere, *Mantic. de Tacit lib. 11. tit. 10. ſub num. 16, Cyriac. contr. 207. num. 49., Manſ. conſult. 358. num. 25. tom. 4.*

Et hunc de facto Senſum comprobant di-
9 cta ipſorum met teſtium à Roſa adductorum, qui ſolummodo deponunt ſub ortis difficultatibus ratione aſſertæ diſparitatis noluiſſe Hieronymum obligationem ullam exarare,

ſac

ac generaliter dixiſſe erga Uxorem benè ſe habitum, & concludunt potius curaſſe illum effugere hujuſmodi pactionem, quàm ſuſcipere, itaut probent quidem fuiſſe ex parte mulieris promotam talem prætenſionem, ſed non à Viro fuiſſe approbatam, unde, &
10 alia oriebatur ratio articulos non admittendi, quia, & ſi idem in formali examine depoſuiſſent, adhuc cauſæ merita, & terminos quæſtionis non percuſſiſſent, neque quicquam relevans concluſiſſent, *Rot. d. dec.* 45. *num.* 11. *coram Otthobon.*, *& dec.* 615. *num.* 5. *par.* 18. *Rec.*

Idemque fuit Dominorum ſenſus quoad articulos reſpicientes malos tractatus Nepotum erga Avum, & veneni propinationem contra illius vitam. Quippe quia
11 mali tractatus provenientes ex debili minuſque maturo adoleſcentum judicio reſpicientes aliquam irreverentiam, aut inobedientiam minimè poſſent conducere ad finem illos excludi a ſucceſſione eorum Avi,
12 qui ſi talem, aut aliam cauſam pro illorum excluſione habuiſſet, utique non omiſſiſſet in Teſtamento illam exprimere, nec curaſſet nepotes in eius amoris teſtimonium honorare legatis, ſicut fecit, ut advertit deciſio in Cauſa edita 26. Februarii currentis anni §. *Abſque eo quod coram Me*, ideoque etiam iſti convincuntur irrelevantes, & conſequenter reiiciendi, juxta auctoritates ſuperius allegatas. Percutientes vero propinationem venini nihil aliud dicunt, quam quod ſuſpicionem hujuſmodi habuerit Hieronymus, ſunt obiectivi, & quidem enor-
13 miſſimi criminis, ideoque non admittendi *Rota deciſ.* 197. *num.* 12., *coram Benicaſa decis.* 13. *num* 6. *par.* 12. *& dec.* 264. *num.* 8., *& ſeqq. par.* 18. *rec.* Imo etiam laborant ingenti illa in veriſimilitudine, de qua in mox dicta Cauſæ *dec.* §. *Aſque eo quod*, nempè,
14 quod nepotes Hieronymi erant aut Pupilli, aut minores, & ſic in ætate, prona potius ad modeſtiam, quam ad machinationem adeo gravis delicti in perſonam Avi, qui cum illis convivebat, & convivere ſucceſſivè non deſtitit, & propterea, ex hoc etiam capite videbantur excludi poſſe, ad *Tex. in cap. quia verſimile* 10. *de præſumpt. Rota dec.* 414. *nu.* 3. *coram ſa. me. Greg. XV.* & *dec.* 51. *num.* 1. *coram ſa. me. Alexand. VIII.*

Et ità utraque &c.

ROMANA, SEU BONONIEN LITTERARUM CAMBII SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 28. *Junii* 1717.

ARGUMENTUM.

Creditum mere pecuniarium, inter mercatores, per epiſtolas, in quibus ſe quis fructus ſoluturum promitteret, fieri poteſt fructiferum abſque alia ſcriptura, imo ii agatur de credito ſicco, concurrentibus Pauli de Caſtro requiſitis, de ſui natura fructiferum pariter evadit. Mercator ſuas pecunias otioſas retinere non præſumitur, nec non cambia, quoties no adeſſet conventio, juxta loci conſuetudinem taxantur.

SUMMARIUM.

1 *Epiſtolæ inter Mercatores vim publici inſtrumenti habent, & per eos creditum ſiccum fieri poteſt fructiferum.*
2 *Creditum pecuniarium inter mercatores, ſi concorditer fructiferum fiat, uſurarium non dicitur, maxime ſi non ex mutuo proveniat, ſed ex ſolutione litterarum cambii ſub implicita conditione ſe revalendi cum aliis ſimilibus litteris*, & num. 4.
3 *Stylus iſte inter mercatores eſt uſitatiſſimus, nempe, ſolvendi litteras cambiales ſub intelligentia ſe revalendi cum aliis ſimilibus litteris.*
5 *Creditum deductum in contractum lucri productivum, & non adimpletum ex culpa, ſolvere debentis, parit fructus loco damnorum, & intereſſe.*
6 *Creditum etiam pecuniarium, de quo fructus conventi non fuiſſent, concurrentibus Pauli de Caſtro requiſitis, fit fructiferum.*
7 *Mora debitoris eſt primum requiſitum Pauli de Caſtro.*
8 *Proteſtatio litteræ cambii moram inducit in illum, qui eam ſolvere debet.*
9 *Mora probanda eſt, ut creditum litterarum non ſolutarum fiat fructiferum, quando de nullo intereſſe fuiſſet conventum.*
10 *Intereſſe ab initio taxatum debetur ante moram, cum pactum idem operetur, ac mora, & interpellationis vim habeat.*
11 *Conventio de fructibus operatur, ut debitor certo ſciat quod creditor pecunias otioſas nolleat retinere.*
12 *Mercator nummulariam menſam publicè exercens non præſumitur credere alteri pecunias ſine fructibus.*
13 *Mercator ſemper præſumitur habere promptam occaſionem implicandi pecunias in cambiis, & recambiis, & quomodo.*
14 *Mercator, qui alterius mercatoris creditor eſſet, ſi iſte cambiales litteras ab illo ſcriptas ſolvere detrectaret, poteſt iſtius damno ſimiles pecunias ad cambium ſumere ab aliis atque etiam à ſemetipſo.*
15 *Uſus communis mercatorum inter ipſos eſt omnino ſervandus.*
16 *Cambia, & recambia quando eſſent inter partes in certa ſumma taxata, inquirendum non eſt, an magis vel minus fructuum reddere potuiſſent, ſed ſat eſt, quod taxa eſſet locali conſuetudini uniformis, & quid ſi de eis non adfuiſſet conventio.*
17 *Cambia inter mercatores ſolent eſſe in ſcut.* 10., *& ultra pro centenario.*
18 *Cambia ad rationem ſcut.* 6. *ſunt à Doctoribus approbata.*
19 *Cambia ad rationem ſc.* 5. *dicuntur honeſta & juſta.*

20 *Cam-*

20 *Cambia inter Mercatores taxantur juxta id, quod in Nundinis probetur decurriſſe de tempore, quo petebantur.*

DECISIO MXXVIII.

JAcobus Natuccius Nummulariam in Urbe exercens pro conſequenda ſatisfactione ſc. 5362. ſibi debitorum à Stephano Plaſtra Mercatore Bononienſi ex cauſa litterarum Cambii de ejus mandato ex propria pecunia ſolutarum, ut moris eſt inter Mercatores, alias Cambii litteras ad eumdem Stephanum direxit nomine ipſius Jacobi diverſis Perſonis perſolvendas, quæ tamen non, ut par erat, impletæ, ſed poteſtate redierunt. Hinc veritus idem Plaſtra præjudicia illa, in quæ incidunt Mercatores, quando ſunt debitores ſcribentis, & litteras non implent, memoratum Natuccium per epiſtolam enixè rogavit, ut ſibi concedere vellet dilationem quatuor annorum, ſpopondirque interim in ſingulos annos ſolvere moderatum intereſſe ſcutorum quinque pro quolibet centenario, votique compos ex benignitate Creditoris factus fuit.

Sed cum lapſo biennio ultra tempus ſolutioni præſtitutum, adhuc promiſſio prædicta debito effectu vacua eſſet, oportuit ut Natuccius priùs in Curia Legationis Bononiæ, deindè verò in Tribunali A.C. Stephanum judicialiter conveniret. Cumque ſecundus Judex mandatum relaxaverit nedum pro ſorte, ſed etiam pro fructibus conventis, quos Auditor Legationis in prima Inſtantia reliquerat in ſuſpenſo, hinc quo ad iſtos commiſſa mihi ex reſcripto Signaturæ appellationis cauſa cum clauſula -- *Si quid exequendum* -- conſului hodiè Dominos ſuper Dubio -- *an mandatum A.C. ſit exequendum* -- & fuit -- *affirmativè* -- reſponſum.

Prætermiſſo enim examine validitatis mandati, ſuper qua partes hinc indè conveniebant, quod ad Juſtitiam attinet, ea ſatis
1 reſultare viſa fuit ex promiſſione fructuum, ſeu intereſſe, de quibus agitur iteratò facta in duabus epiſtolis à Stephano ſcriptis, & ad Natuccium directis, quæ inter Mercatores ratione publici Commercii, ſolemnis inſtrumenti vim habent, promptamque exigunt exequutionem, *Rota Januen. deciſ.* 142. *per tot.*, *Rota noſtra in recent. dec.* 15. *num.* 11. *par.* 16., *& coram Zarat. deciſ.* 221. *numero* 1.

2 Non obſtat, quod creditum Natucci eſſet merè pecuniarium, ideoque conventio cum eo inita à Stephano mediantibus dd. Epiſtolis de ſolvendis interim certis fructibus redolere videatur uſuram, & fænus, Divino humanoque jure prohibitum. Quamvis enim Rota in hujuſmodi materiis cum magna circumſpectione procedat, ſeque inimicam profiteatur uſurarum, Domini tamen in præſenti hypoteſi ſedulo perpenſis totius facti circumſtantiis, ex duobus potiſſimum fundamentis nullam damnabilis uſuræ labem in prædicta conventione contineri cenſuerunt.

Primum itaque ex illis fuit, quod creditum Natucci non provenit ex mutuo, ſed à ſolutione tot litterarum Cambii ad ipſum à Stephano directarum ſub implicita conditione ſeſe revalendi de pecuniis eo nomine perſolutis præviis aliis litteris Cambii ad eumdem debitorem, vel alterum Mercatorem ad computum tamen ipſius Stephani à Creditore dirigendis, juxta reciprocum illud commercium, quod non ſine magno
3 Reipublicæ commodo eſt in uſu apud Mercatores. Hoc autem poſito, cum effectu Natuccius ejuſmodi litteras ad Stephanum tranſmiſerit, & illæ ab eo impletæ non fuerint, non poteſt intereſſe inter eos conventum uſuræ, & iniquitatis redargui, quia ex hoc
4 ipſo, quod Stephanus dictas litteras non implevit, uti debebat, Natuccius qui illas tranſmiſerat, accepta prius pecunia ab iis, quibus ſolvendæ erant, coactus fuit eamdem pecuniam reſtituere cum omnibus damnis, & intereſſe, & amittere lucrum illud, quod jam fecerat in dictis litteris trahendis, ut advertit *Scacc. de commerc., & mercat* §. 6. *gloſſ.* 1. *num.* 99., *Torre de Camb. diſput.* 3. *quæſt.* 12. *num.* 50., *Card. de Luca de Camb. diſc.* 26. *num.* 2., *Rmus Anſald. de commerc., & mercat. diſc.* 1. *num.* 8., *&* 9., *Rota Januen. dec.* 6. *ante num.* 6., & ſic non agitur de credito mere pecuniario, ſed de credito jam deducto in contractū, lucri productivū, & non
5 impletum propter culpam Stephani ſolvere recuſantis, qui propterea damnum omne exindè Natuccio reſultans omni Jure refundere tenebatur *leg.* 2. §. *ult. ff. de eo, quod cert. loc. l.* 1. *Cod. ſent., quæ pro eo, quod inter, Leotard. de uſur. quæſt.* 75. *num.* 1., *&* 4. *Rot. coram Duran. dec.* 346. *num* 4., *& ſeq., & in Ariminen attentatorum* 15. *Januarii* 1717. §. *haud reſiſtente coram R. P. D. mea Foſcaro*, & paſſim alibi.

Alterum, & quidem magis tutum, ſolidumque fundamentum in eo poſitum fuit,
6 quod etiamſi creditum fuiſſet merè pecuniarium, & ad mutui potius, quàm alterius contractus naturam accederet, illicita nihilominus non fuiſſet conventio prædicti intereſſe propter concurſus illorum trium requiſitorum, quæ tradit *Paulus de Caſtro in leg.* 3. *ff. de eo, quod certo loc., & quæ Rota, & Curia etiam inter Mercatores omninò exigit juxtà celebrem deciſionem Mohedani la* 2. *ſub tit. de uſuris, quam ſemper ſequitur eadem Rota, ut in deciſ.* 16. *num.* 9., *&* 10. *cor. Bichio., & noviſſimè aliis relatis concordantibus in Romana Salviani* 21. *Junii currentis* §. *Iam igitur coram Me.*

7 Enim verò de mora debitoris, quæ primo loco requiritur, nulla eſſe poteſt difficultas;
8 tum quia proteſtationes eorum, quibus de mandato Natuccii litteræ ſolvendæ erant, in primis continent interpellationem Stephani ad ſolvendum, & ſic ille ſtatim in mora con-
9 ſtitutus fuit; tum etiam quia probatio moræ tunc exigitur, cum nullum intereſſe inter partes

10 partes conventum fuit, at quando, prout in caſu, illud fuit taxatum, tunc pactum idem operatur ac mora, & juſtę interpellationis
11 vice fungitur, quia eo mediante non ſecùs, ac per interpellationem debitor certus redditur de intentione Creditoris, quod nempè pecunias otioſas retinere non intendit, ut pluribus adductis, latè probant *Torr. de Camb. diſput.2. quæſt.24. num.41., Staiban. de intereſſ. lib.1. quæſt.12. num. 20., Leotar. de uſur. quæſt.74 num.21., & 22, Rm̃us D. meus Anſald. de commerc., & merc. diſc.67. nu.9., & 10., Adden. ad Gregor. deciſ.148., num.4., Rot poſt contr.dec.155. num.5., & cor. Ubald. dec.118. nu.6., & in rec. dec.157. num.2., & ſeqq. par.13., & dec.301.num.4., & 5. par. 15.*

Prout etiam nullum dubium verſari pote-
12 rat circa ſecundum, cum res ſit de Mercatore Nummulariam publicè exercente, & qui imò hanc eamdem pecuniam, pro qua Stephanus debitor remanſit mediantibus literis Cambii ſibi ab eo tractis præcedenter negociatus fuerat, ut in terminis advertit idem *Rm̃us Anſald. dict. diſc. 67. num.17., Rota cor. Seraph. dec.714. num.1.*

Tota itaque difficultas reduci potuiſſet circa tertium, quod ſcilicet Natuccius de tempore dictæ conventionis habuiſſet promptam, ſpecificam, atque individuam occaſionem implicandi pecuniam ſibi debitam
13 cum tanto lucro. Sed DD. hanc quoque tunc temporis non defeciſſe animadverterunt, eo ipſo, quod Natuccius ſtatim ſequuto redditu ſuarum litterarum ſinè implemento, liberam atque expeditam facultatem habebat, vel eaſdem litteras toties mittendi, & remittendi ad eumdem Stephanum debitorem cum augumento expenſarum, proteſtationum, proviſionum, cambiorum, & recambiorum, quo uſque tandem cum maximo damno debitoris ab eo impletæ fuiſſent, vel
14 tantumdem ſumendi ab aliis Mercatoribus, ſivè etiam à ſemetipſo ad cambium, & recambium per nundinas, damno pariter, expenſis, & periculo ipſius Stephani, ut benè in propoſito firmat *Scacc. de Commerc., & Camb. §.6. gloſſ.1. num.99.* ibi -- *vel accipere cambio, & recambio expenſis debitoris* --
15 & docet communis uſus Mercatorum, qui in rebus Mercaturam concernentibus omninò ſervandus eſt, *Rot. Januen. deciſ. 7. nu. 11. Sac. Rot. cor. Ninot. dec. 50. num. 33., & in rec. dec. 123. num.3. part. 13.*, & ſepè alibi.

Quin juvet replicatio, quod etiamſi licitum ex præmiſſis fuiſſet convenire, & paciſci
16 de intereſſe in genere, non tamen illud taxari poterat in certa quantitate ſcut. quinque pro quolibet centenario in ſingulos annos, cum cambia, à quibus pactum dependebat non ſint ſemper uniformia, ſed quandoq; plus, quandoq; minus, & non numquam etiam nihil lucri afferant; ideòq; antequam Natuccius fructus conventos exigere valeat, probare teneatur, quod tanti ejus interfuerit pecuniam ſibi debitam ſolutam non fuiſſe.

Objectum namque duplici reſponſione ſubmovetur, altera nempè quod, quandò, prout hic, certum intereſſe ab initio inter partes taxatum fuit, non requiritur ex poſt ità rigida juſtificatio, quod tanti revera interfuerit, quemadmodum opus eſſet, ſi nulla præceſſiſſet conventio, ſed ſatis eſt, quod illud attentis loci, Regionis, ac perſonarum circumſtantiis, & ſolito, Religioni Judicis juſtum, proportionatum, ac veriſimile videatur, ſicuti interpretando theoricam *Caſtren. in d.leg.3., probant Giovagn. conſil.46. num.5., & ſeqq. lib.1., Roſa conſult.13. num. 21., & ſeqq. lib. 2., Andreol. contr. 83 §. Et hinc cor. Card. de Luca de uſur. diſc. 18. ſub num.10., Rm̃us Anſald. d. diſc.67. num.4., & ſeqq., Rot. dec. 325. num.7., & deciſ.33. num.3. poſt 2. vol.conſil. Farinac., & cor. Ubald. dec.118. num.4., & ſeqq., & cor. Emerix deciſ.934. ſub num. 4., & in Romana Fabricę 4. Iulii 1696. coram bon. mem. Urſino, impreſſ. poſt Palm. deciſ. Lucen.112. lib.2.*

Hęc autem proportio, & veriſimilitudo in
17 caſu non deficit, quia ſi lucrum mercatorum in cambiis ſolet eſſe in ſcutis decem, & ultrà pro quolibet centenario, ut inquit
18 *Surd. conſil.327. ſub num.5.*, vel ſaltèm excedere ſcuta ſex, juxta taxam approbatam à DD. plena manu congeſtis per *Bonden. collect. 20 ex num. 2. cum ſeqq.*, controverti
19 profectò nequit, quin conventio limitata ad ſcuta quinque ſit prorſus honeſta, juſta, & veriſimilis, ut de ſimili taxa in ſcutis quinque, relata opinione, Rotę dixit *Fontanell. de pact. nupt. clauſ.5. gloſſ.9. num.18.*

Altera verò, & quidem magis valida
20 quod ex notula Cambiorum ab Actore exhibita conſtat toto tempore, quo intereſſe petitur, curſum cambiorum in feriis, & nundinis longè exceſſiſſe ſcuta quinque pro quolibet centenario; undè non deficit vera, & poſitiva probatio, quod tanti interfuerit Natuccii pecuniam ſibi debitam à Stephano ſolutam non fuiſſe.

Et ita utraque &c.

CRACOVIEN. PAROCHIALIS.

Veneris 2. Iulii 1717.

ARGUMENTUM.

Ad jus præſentandi, quod ad quatuor Villarum poſſeſſores pertineret, ille præfertur Patronus, qui vocum majoritate gauderet, iſtaque ex antiquis ſententiis in rei judicatæ authoritatem tranſactis, ſemperque obſervatis, concludentiſſimè probatur.

Quadrimeſtre Patronis Laicis ad præſentandum conceſſum non expirat, ſi eo currente lis ſuper tali jure fuiſset exorta; imò à die, qua in præſentandi libertate Patronus poſitus fuiſset, computari incipit.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus à Patrono majorem vocum numerum habente, eſt in inſtitutione præferendus.*

2 *Majoritas vocum probatur ex ſententia declarante jus nominandi ſpectare ad poſſeſſores quatuor villarum, quarum tres poſſiderentur à Patrono, cujus nominatio cæteris prælata fuiſſet.*

3 *Sententia antiqua Ordinarii numquam revocata, & imò obſervata, in hac materia ſtatum facit*, amplia ut in nu.5., & 6.

4 *Sententia, quam quis pro ſuæ intentionis fundamento coram Judice deduxiſſet, ab iſto non poteſt impugnari.*

5 *Majoritas vocum fundata in ſententia, quæ ad aliam antiquiorem ſententiam relationem haberet, optimè probata dicitur.*

6 *Amplia, quando iſta ſecunda authoritate rei judicatæ maniretur, neque ullus actus in contrarium reperiretur.*

7 *Poſſeſſio ex ſententia probata habet pro ſe juris aſſiſtentiam, & qui contrarium prætendit, tenetur probare.*

8 *Probatio ſpectat ad reum conventum, quando in exceptione adverſus actorem objecta fieret actor.*

9 *Jus præſentandi non dicitur pro ſe ſtatum habere, quando Ordinarii approbatione præmunitus non appareret.*

10 *Status erroneus, ſubque ſuppoſito erroneo fundatus non attenditur.*

11 *Amplia, quod ſi in una parte tantum erroneus reperiretur, totaliter eſſet reiiciendus.*

12 *Probatio contra tertium ex meris enunciativis deducta, tamquam turbida, reiicitur.*

13 *Quadrimeſtre datur Patronis Laicis ad præſentandum.*

14 *Non currit, ſi Patronus legittimo impedimento afficeretur ex cauſa litis.*

15 *Incipit currere à die, qua Patronus, lite finita, in præſentandi libertatem redigeretur.*

16 *Simonia, tamquam ſapiens de enormi crimine, ab allegante probanda eſt, cum non præſumatur.*

17 *Simonia probata de præterito tempore non firmat conſequentiam pro præſenti, ex quo in eam incurſus reſipiſcere potuit.*

18 *Sententia lata abſque citatione eſt nulla.*

19 *Teſtes viles, & ſingulares nil probant.*

DECISIO MXXIX.

VIduata Rectore ſuo per obitum Michaelis ſequutum de anno 1705. Parochiali Eccleſia Niegovicenſi de jurepatronatus Poſſeſſorum quatuor Villarum exiſtente, duo ad illius Proviſionem conſequendam aſpirarunt; quorum primus fuit Ludovicus præſentatus à Petro, & Andrea poſſeſſoribus Villæ *Kraſuzovich*, qui non obſtante proteſtatione Adami alterius Compatroni petentis adhuc durante legitimo tempore quatuor menſium ad præſentandum, ſuam quoque expectari nominationem, imò pendente appellatione ad Rmum Poloniæ Nuncium, obtinuit ab Ordinario inſtitutionem; alter verò fuit Jordanus, qui poſt decretam à dicto Rmo Nuncio circumſcriptionem omnium geſtorum coram Ordinario, à præfato Adamo poſſeſſore trium aliarum Villarum promeruit nominari, atque etiam per alios ſupradictos quartę Villæ poſſeſſores à prima præſentatione variantes approbari.

Inter hos itaque Competitores gravis exarſit controverſia, delata primum per appellationem interpoſitam ex parte Ludovici à decreto Rmi Nuncii ad Judicem Delegatum Apoſtolicum, qui inſtitutionem iſti conceſſam ab Ordinario confirmavit, & deindè devoluta per ulteriorem appellationem Jordani ad noſtrum Auditorium, in quo renovata quęſtione, an, & cui eſſet danda inſtitutio, prævia deciſione edita 12. Maii 1713. coram Rmo P.D. meo Anſaldo Decano, dandam eſſe Jordano pronunciatum fuit; cumque reclamante Ludovico ulterior cauſæ cognitio commiſſa mihi fuerit, quæſivi hodie à Dominis -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda*, -- & reſponſum habui *pro confirmatione*.

Suppoſita enim illius validitate, conſtitit,
1 etiam de juſtitia, ex eo quod Jordanus præſentatus reperitur ad controverſam Parochialem ab Adamo, qui reſpectu aliorum, qui præſentarunt Ludovicum Competitorem, majores habet voces, ideoque jure meritò venit in inſtitutione præferendus, per *Text. in cap. quoniam, ibique gloſ. verb. qui majoribus de jurepatr.*, *& Clement. plures eod. tit.*, *Rot. in Comen. Archipresbyteratus 17. Iunii 1715. §. Motique*, *& 12. Iunii 1716 §. Et jure coram R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.*

2 Vocum autem majoritas, ſeù pluralitas in Adamo exindè pleniſſimè reſultare viſa eſt, quod ex ſententia lata, jam à Sæculo, & ultra per Cardinalem Marzieuski Epiſcopum Cracovienſem ſtabilitum comperitur, quod juſpatronatus Eccleſiæ Niegovicenſis ſpectare debeat ad Dominos quatuor Villarum adiacentium *Niegovich*, *Marzovich*, *Cichaova*, *& Kraſuzovich*; undè cum ille trium præcedentium ſit Dominus, & poſſeſſor, dici utique debet, quod tres habeat ex
3 quatuor vocibus iſtius Juriſpatronatus. Facit enim ſtatum hujuſmodi ſententia, tanquam lata à proprio Ordinario, neque unquam revocata, imò è contrario obſervata, etiam quoad Poſteros, & Succeſſores, *Rot. deciſ. 11. de Iurepatr. in novis, deciſ. 265. num. 2. cor. Merlin., deciſ. 58. n. 26. cor. Arguell.*, & in puncto *deciſ. 174. num. 5. part. 5. rec.*,
4 nulloque pacto poteſt hodiè à Ludovico impugnari ex ea quoque ratione, quod ipſe pro fundamento ſuæ intentionis illam in præſenti judicio produxit, *Rot. deciſ. 71. nu. 5. cor. Card. Cerro, & deciſ. 299. num. 1., & ſeqq. par. 19. rec.*

Tantoque magis certum eſt majorem vocum partem in Adami præſentatione conſiſtere

5 itere, quia præter dictam generalem ſententiam anni 1605., habet ipſe etiam aliam poſteriorem Vicarii Generalis Cracovienſis, latam anno 1688., occaſione ſimilis vacationis iſtius Eccleſię, in qua dictum fuit, illum uti Poſſeſſorem trium Villarum tres voces integras habere cum relatione etiam ad alios duos antecedentes ſtatus uti favorabiles ju-
6 ribus ejuſdem Adami, quæ ſanè ſententia, cum tranſitum fecerit in Judicatum, neque ullus contrarius actus adversùs illam allegetur, ponit rem in claris, & obſtat Ludovico, quin hodiè contrarium valeat prætendere, ex adductis in propoſito *deciſ. 698. nu. 3. cor. Emerix, deciſ. 109. num. 1. coram Benincaſa*, & generaliter *deciſ. 465. num. 5. part. 19. rec., & in Romana Salviani 19. Aprilis currentis anni §. Idque Dominis cor. Me.*

Abſque eo quod quicquam relevet, quod una ex dictis Villis nempè *Cichavva*, non ab ipſo Adamo poſſideatur, ſed à Petro altero ex Patronis, qui Ludovicum præſentarunt,
7 Etenim aſſerta Ludovici poſſeſſio non probatur, prout cæteroquin neceſſe foret aſſiſtente intentioni Adami, & Jordani ejus præſentati dicta ſententia, in qua Poſſeſſor dicitur Adamus etiam iſtius tertiæ Villę, & ratione illius poſſeſſionis Patronus canonizatur pro
8 tribus vocibus; undè fit, quod ipſe Ludovicus in iſta ſua exceptione ſit Actor, & onus habeat faciendæ probationis, ad *Text. in leg. 1. ff. de except., leg. in exceptionibus ff. de probat., Rot. dec. 332. n. 3. cor. Card. Cerro.*

Qualis probatio deſumi certè non potuit ex enunciativis emiſſis in pręſentationibus
9 anni 1695., & 1703., quippè quia reſpectu primi ſtatus occurrit reſponſio, quod non probatur ullo modo executus prævia approbatione Ordinarii, & ideò non meretur attendi, *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſ. 45. §. 2. num 37., Rota deciſ. 247. num. 13. part. 7., deciſ. 6. num. 6. part. 10. rec., & cor. Eme-*
10 *rix Jun. dec. 67. num. 4.* Quo verò ad ſecundum animadverſum fuit in illo ſtatu proceſſum fuiſſe cum erroneo ſuppoſito, quod voces eſſent quinque, addendo aliam Villam, neque in ſententia Ordinarii Cracovien-
11 ſis ſupra relata, neque in alio quopiam actu unquam nominata; quapropter ſicut eſt erroneus in hac parte, & quidem æquè principali, ità præſumi debet, & in alia, *Rot. dec. 596. num. 10. cor. Bich., deciſ. 584. num. 12. part. 19. rec., & in Aſculana redditionis rationis 27. Januarii 1710. §. Deſcendendo coram Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano.*

Ceſſatque in univerſum probatio iſta eruta ex enunciativis, tum ex quo pugnat cum
12 antedictis ſententiis, ideoque ſufficit, quod aliquo modo ſint turbidæ, ut adverſus illam nullam valeant ingerere difficultatem, tùm ex quo ipſe Ludovicus tacitè confeſſus eſt poſſeſſionem controverſæ Villæ non ſpectare ad Petrum, dùm produxit præſentationem ſui favore factam ab Andrea, & eodem Petro cum enunciativa, quod dicta præſentatio erat emiſſa pro Villa *Kraſzovich* dumtaxat; tùm demùm, ex quo ſunt ſimplices enunciativæ, quæ contra tertium nullam probationem valent conſtituere, plenè *Rot. deciſ. 408. num. 7., & deciſ. 617. num. 5. cor. Emerix Jun., deciſ. 96. num. 11., & dec. 243. num. 9. cor. Benincaſa.*

Neque etiam obſtare valuit Jordano,
13 quod ſui præſentatio facta non fuerit intra legitimum tempus quadrimeſtris à die ſcientiæ vacationis à jure Canonico præfixi Pa-
14 tronis Laicis ad præſentandum. Quoniam conſtitit adhuc illo pendente Adamum declaraſſe enixam voluntatem, quam habebat utendi jure ſuo, & perſonam idoneam ad vacantem Parochialem præſentandi, quod ſi id poſteà ad effectum non deduxit, niſi lapſo jam quadrimeſtre, notandum Domini putarunt in facto, quod fuit ex pendentia litis aſſumptę per Ludovicum tuentem intempeſtivam inſtitutionem ſibi conceſſam ab
15 Ordinario impeditus; undè cum per circumſcriptionem geſtorum coram iſto fuerit ſubindè repoſitus de menſe Decembris 1705. per ſententiam Rm̃i Nuncii, in libertate præſentandi, ab hoc tempore initium dimetiri debuit quadrimeſtre favore ejuſdem Adami reintegrati ad præſentandum, ut probat *deciſ. præcedentis inſtantiæ §. Etenim cor. Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano*, & punctualiter firmat *Rot. deciſ. 2085. num. 5., & 6. coram Coccino*, & propterea præſentando die 7 Januarii ſubſequentis Jordanum, dici procùl dubio debet pluſquam legitimo tempore præſentaſse, ut cum aliis in *dicta deciſ. relat.*, latè probat *Lambertin. de jurepatron. 3. part. lib. 2. quæſt. 2. art. 2., Rota in Compoſtellana Parochialis de Pardaſſoa 2. Julii 1710. §. Inſpexerunt cor. R. P. D. meo Falconerio Urbis Gubern., & in Melevitana Beneficiorum 10. Iunii 1712. §. His in jure coram Rm̃o P. D. meo Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*

Parumque juvit repetitum objectum labis ſimoniacę, de qua Ludovicus Jordanum increpabat. Fuit enim optimè rejecta in dicta deciſione edita in antecedenti *Inſtantia 12. Maii 1713. coram Reverendiſſimo P. D. meo*
16 *Decano*, ubi quod requiritur illius concludentiſſima probatio, quod ſolitum Adami
17 non juſtificabatur, & juſtificatum in præteritum, non potuiſſet argumentum facere ad præſens, cum potuerit, prout deberet, reſi-
18 piſcere; & demùm quod ſententia contra illum edita, fuit nulla, tanquam lata adversùs ipſum ſine ulla citatione contra omnia utriuſque juris principia, & quod depoſitio Te-
19 ſtium deducta ad probandas conventiones in ultima vacatione nullam meretur fidem ratione vilis qualitatis perſonæ, ſingularitatis, ac plurium ſuſpicionum.

Et ità omiſsa qualibet diſputatione circa variationem aliorum Patronorum favore ejuſdem Jordani, & circa gratificationem illius in poſſibili paritate, cum ejus jus ex ſupra recenſitis rationibus plenè videatur comprobatum, fuit reſolutum utraque &c.

FIR-

FIRMANA CAPPELLANIARUM.

Veneris 2. Julii 1717.

ACGUMENTUM.

Beneficia primæ erectionis oneribus Cammeralibus non ſubiacent; bene vero illa, quæ merè laicali ſubiacent beneficio. Teſtator quando mere laicale beneficium cum onere Miſſarum dicatur voluiſſe, non vero Eccleſiaſticum, bene diſtinguit, & demonſtrat ſequens,

SUMMARIUM.

1 *Ordinarius, reſiſtente Teſtatoris voluntate, legatum cum onere Miſſarum, ſivè aliam piam diſpoſitionem non poteſt in Eccleſiaſticum Beneficium convertere, neque id poteſt ab hærede expoſtulari*, & n. 4.

2 *Amplia, quod ſi illud Ordinarius erigeret, erectio nulla eſſet.*

3 *Ordinarius habet facultatem exequendi defunctorum voluntates etiam in his, quæ communi jure adverſarentur, dummodo turpia, & inhoneſta non eſſent.*

4 *Ordinarius alterare mentem defuncti non poteſt.*

5 *Legatum cum onere Miſſarum Beneficium laicale, & ſæculare, non vero Eccleſiaſticum appellatur.*

6 *Amplia, quando Teſtator in d. legato nullum verbum de Beneficiis feciſſet.*

7 *Legatum cum onere Miſſarum non dicitur Beneficium, nec ſub tali appellatione continetur.*

8 *Subamplia, quando Teſtator in toto teſtamento conſenſum, & authoritatem Epiſcopi nullibi imploraſſet, & quid eo caſu intelligatur*, & nu. 10., & 17.

9 *Beneficia ex dedicatione temporalium facta Deo per Epiſcopos, & ex ſeparatione bonorum, quæ illis ſubiiciuntur de temporalibus ſpiritualia fiunt.*

10 *Cappellaniæ ſimplices ſine conſenſu, & authoritate Ordinarii erigi poſſunt.*

11 *Beneficium non dicitur Eccleſiaſticum per hoc, quod Teſtator inſtituendo merè laicale, & ſæculare, juſſiſſet hæredibus, ut ab Ordinario licentiam peterent pro Miſſis celebrandis in Altari à ſe deſignato.*

12 *Amplia in caſu, quo Teſtator nullum titulum Cappellaniæ à ſe fundatæ impoſuiſſet, quod dat intelligere mere ſæculare beneficium inſtituiſſe.*

13 *Subamplia, quando de aliis beneficiis ſub proprio titulo mentionem feciſſet, quem in Legati expreſſione ſilentio prætermiſiſſet.*

14 *Adde ſi inter Sacra de ejus mandato celebranda, declaraſſet contineri illa titulo legati ab ejus Noverca relicta.*

15 *Item, ſi in caſu obitus unius ex Cappellanis ſubrogationem ſucceſſoris cæteris ſuperſtitibus commiſiſſet, nulla requiſita collatione, aut inſtitutione Ordinarii*, amplia ut in n. 18.

16 *Collatio, & inſtitutio Ordinarii eſt neceſſaria in Eccleſiaſticis Beneficiis erigendis.*

19 *Adminiſtratio bonorum ſubiectorum Eccleſiaſtico beneficio, ad Beneficiatum pertinet.*

20 *Teſtis ad proprium commodum deponens non admittitur.*

21 *Teſtes non conteſtes, non admittuntur.*

22 *Voluntas Teſtatoris in concurſu, potius probatur ex fide illius exequtoris teſtamentarii, quæ teſtamento eſſet conſona, quam ex fide alterius exequtoris, qui diceret inopinato ſibi contigiſſe, ut talem voluntatem exequi deberet.*

23 *Bona primæ erectionis authoritate Epiſcopi dicata Deo pro dote Eccleſiæ, vel Beneficii, oneribus Cameralibus non ſubiacent.*

24 *Limita quoad bona laicalia cum onere Miſſarum relicta, & pro ſimilibus Cappellaniis aſſignata.*

DECISIO MXXX.

UT immunia ab oneribus Cameralibus redderentur bona relicta per Angelum de Angelis cum onere miſſarum tribus Cappellanis ab ipſo nominatis in ejus ultimo teſtamento, curarunt iſti poſt obitum Pii Teſtatoris, quod prædictæ Cappellaniç in Beneficia Eccleſiaſtica ab Ordinario erigerentur; cumque ipſe eorum votis annuere recuſaverit, obtinuerunt mihi delegari ulteriorem cauſæ cognitionem in gradu appellationis, unde hodie dedi dubium -- *An ſit locus erectioni Cappellaniarum, de quibus agitur in beneficia Eccleſiaſtica*, itaut bona eiſdem aſſignata eſſe debeant immunia ab oneribus Cameralibus, *& in omnibus negativè* reſponſum fuit.

Moti ſunt DD. ex certiſſima illa Juris pro-
1 poſitione, quod ubi deficit, vel adverſatur voluntas Teſtatoris, non eſt in facultate hæredum, neque Ordinarii, legatum, ſive aliam piam diſpoſitionem in beneficium Eccleſiaſticum erigere, *ad text. in Clemen. cum contingit verſ. cum tamen de religioſ. domibus, Garzias de benef. q. prima cap. 2. n.* 105., *Monacell. form. legal. prat. 1. tom. primo ſog. 3. n. 6. Pax jordan. Elucub. Can. lib. 3. tit. 5. n. 91. §. Non licet atem*; imo ſi Or-
2 dinarius de facto erigat, talis electio nulla,
3 & invalida remanet, cum ex præſcripto ſacrorum Canonum ſit quidem ipſi ampla conceſſa facultas exequendi voluntatem defunctorum, etiam in iis, quç Juris communis diſpoſitioni contraria ſunt, dummodo turpia, & inhoneſta non fuerint, ſed nulla è conver-
4 ſo tributa poteſtas eamdem voluntatem alterandi, aut evertendi, ut in puncto advertunt *Donat. de Marinis reſol. jur. lib. 1. cap. 36. n. 1., Rota dec. 238. n. 3. p. 5., dec. 182. pariter n. 3., & ſeqq. p. 18. rec.*

Ex pluribus autem in præſenti apparebat voluntatem Angeli nedum deficere, ſed potius petitæ erectioni adverſari, ut probè quoque Ordinarius loci recognovit. Et primo,
5 quia ipſe nihil aliud fecit, quàm bona ſua tribus Sacerdotibus relinquere cum onere cele-

celebrandi in perpetuum quinque miſſas pro quolibet eorum ſingulis hebdomadis, undè dici nequit voluiſſe relinquere, niſi tres Cappellanias merè laicales, & temporales, ut in puncto docuit *Felin. in cap. ex parte il ſecondo n 2. de reſcript., Navarr. con 5., & conſ. 7. utrobique n. 1. de præben., Card. de Luc. de jurepatr. diſc. 27 nu. 7., Rota dec. 283. n. 7., & 9, & dec. 334. n. primo cor. Manzaned, & cor. Caval dec. 640. n. 6., & in rec. dec. 294. n. 1. p. 2., & d. dec. 238 nu. 1. p. 5.*, cum maximè nullum verbum de bene-
6 ficiis fecerit, ſed ſolum de Cappellaniis, quæ
7 de jure neque ſunt beneficia, neque beneficiorum appellatione continentur, *Garzias de beneficiis d. cap. 2. n 102., & ſeqq., Rot. cor. Pen. dec. 125. n. primo, & per tot., & dec. 327. n. 8. p. 15. rec.*

Secundo quia Teſtator nullibi in to-
8 to ejus teſtamento, aut Codicillis ſucceſſive conditis Ordinarii conſenſum, & authoritatem imploravit. Unde cum
9 jus illud ſpirituale, quando beneficiis Eccleſiaſticis ineſt non aliunde oriri poſſit, quàm ex legitima temporalium dedicatione facta Deo per Sacroſanctos Epiſcopos, ex quorum authoritate à cæteris bonis non beneficialibus, & profanis omnino ſeparantur, ac Divini Juris peculiariter efficiuntur, ut poſt Gloſſ. prim. in Clementina 2. de decim. firmant communiter Doctores omnes, quos ſequitur *Guidepap. dec. 167., Lotter. de re benefic. lib. 1. qu. 5. n. 54., & ſeqq., de Marin. reſol. jur. 56. n. primo lib. 1., Rota dec. 11. de jurepatr in antiq., & dec. 509. nu. 1. p. prima diverſ., & in Buren. Benefic. 10. Januarii 1713. §. ſubſtineri cor. Emo D Card. Scotto*, plane conſequitur ipſum habuiſſe quidem in votis fundationem ſimplicium
10 Cappellaniarum, quæ ſine conſenſu, & authoritate Ordinarii ex ſolo ejus placito, & voluntate conſiſtere poterant, noluiſſe tamen in ejus bonis formam imprimi beneficialem, ut per *text. in cap. ad hæc, ubi Gloſ. in verb. authoritate Pontificis de relig. dom.* advertit *Bellamer. in cap. ſuper hoc n. 17., & ſeq. de renunc., Lotther. de re Benefic. lib. 1. q. 5. n. 42.*

Haud relevante reſponſione, quod a Te-
11 ſtatore iniunctum fuerit ejus hæredibus onus petendi licentiam ab Ordinario, ſeù alio, ad quem pertineret pro celebratione Miſſarum, nam impetratio hujuſmodi facultatis non alia ratione demandata fuit, quàm ut Miſsę celebrari poſſent in eo Altari, quod ipſe Teſtator deſignaverat, ex quo in illo duo beneficia erecta reperiebantur, alterum de jurepatronatus ſub titulo Sanctorum Petri, & Pauli, & alterum ſuffragii, ut ad litteram conſtat ex ipſo contextu Teſtamenti, ideoque trahi non poteſt in ſenſum longè diverſum, quod nempe requiſita fuerit approbatio Ordinarii pro erectione Cappellaniarum in beneficia, cum exinde ſolum deduci valeat, quod celebratio Miſſarum addicta fuerit certo Altari in perpetuum, quod tamen nihil adverſatur qualitati laicali earumdem Cappellaniarum, *dec. 12. d. cap. ex parte de reſcript., & conſ. 34. n. 9. lib. 4., Gonzal. de Reg. 8. Cancell. gloſ. 5. n. 20., et 21., Rota cor. Cavall. dec. 640. n. 8., et in Mantiſ. dec. 46. n. 13. lib. 13.*

Imo ex hac eadem Teſtamenti parte DD.
12 deſumebant aliud argumentum excluſivum voluntatis Angeli, quod Cappellaniæ in Beneficia erigerentur, quia licet ipſe occaſionem deſignandi d. Altare expreſsè in ea meminerit duorum titulorum inibi exiſtentium, nullum tamen proprium, ac diſtinctum titulum impoſuit Cappellanis à ſe fundatis, prout ipſum facere opportebat, ſi beneficiorum erectionem in animo habuiſset, *ad text. in Can. nemo de conſecr. diſt. prima, et tradita per Lotter. de re Benef. lib. 1. q. 4. n. 55., Rota cor Duran. dec. 295. n. 85., & 57.* Quamo-
13 brem cum ejuſmodi nuncupationem omiſerit, & de aliis beneficiis ſub propoſito titulo mentionem fecerit, magnum oritur Argumentum, quod conſulto id fecerit, quia non beneficia, ſed ſimplices laicales Cappellanias fundare intelligebat, quæ nulla indigent ſpeciali nuncupatione, & in titulo non conferuntur, juxta *Conſ. Calderin. 26. de præben., Rot. dec. 204. in fin. p. 2. diverſ., & cor. Buratt. dec. 224. n. primo, & ſeq., & in rec. dec. 571. n. primo p. 4. tom. 1., & dec. 249. n 9. p. 5.*

Ad hæc accedit, quod Teſtator inter Miſ-
14 ſas de ejus mandato à Cappellanis celebrandas declaravit contineri etiam illas titulo legati relictas à Doralice ejus Noverca; unde ſequitur, quod omnes jure legati pii cenſeri debent, juxta regulam vulgati text. in *l. jam hoc jure ff. de vulg., & pupill. ſubſtit.*
15 Præterea in caſu obitus unius ex Cappellanis totalem electionem, & ſubrogationem ſucceſsoris cæteris ſuperſtitibus commiſit, nulla requiſita collatione, aut inſtitutione
16 Ordinarii, prout in beneficiis omnino requiritur, ut ſequendo diſpoſitionem *Sac. Conc. Tridentini ſeſ. 24. cap. 12., & 13. de refor*, firmavit *Rot. in Burgen. juris inſtituendi 23. Junii 1690. per tot., & in Gerunden. juriſdictionis 5. Martii 1692. §. Similiter cor. Reverendiſſimo Hiſpaniarum in-*
17 *quiſitore*. Ex qua circumſtantia excludi voluntatem erigendi Beneficium dixit *Rota penes Garziam de Benef. p. prima cap. 2. nu-*
18 *mero 107.* Ac denique demandavit exequtoribus curam, & adminiſtrationem tàm mobilium, quàm ſtabilium hæreditariorum ad effectum illa vendendi, & pretium retractum inveſtiendi. Et tamen hęc adminiſtratio, qua-
19 tenus beneficia fundare intellexiſſet, non aliis quàm ipſis Beneficiatis concedi potuiſſet, ut in propoſito ponderat *Rota dec. 254. n. 3. p. ſecunda rec.*

His autem ita conſtitutis nihil obſtat depoſitio quorundam Teſtium, & declaratio unius ex teſtamentariis Exequtoribus ſuper voluntate Teſtatoris erigendi beneficia Eccleſiaſtica, & eximendi bona ab oneribus

Ca-

Cameralibus, nam ultra quod alter ex dictis teſtibus, tanquam unus ex tribus Cappel-
20 pellanis agit de intereſse proprio, & alii non ſunt confeſſes; prædictus vero exequtor
21 aliàs confeſſus fuit ſibi inopinato contigiſse ut tale munus ipſi committeretur, cum nunquam Teſtator animum ſuum circa diſpoſitionem bonorum ſibi aperuiſset. Ceſsat inſuper omnis difficultas ex depoſitione aliorum Teſtium, & alterius Exequtoris decla-
22 ratione omnino contraria, quæ in concurſu potius attendi debet, cum ſit magis conformis voluntati Teſtatoris elicitę ex viſceribus ipſius Teſtamenti, ad tradita per *Rot. cor. Merlin. dec.* 340. *n.* 6. *dec.* 216. *n.* 4. *p.* 2., *et dec.* 136. *n.* 4. *p.* 13. *rec.*

Benè autem ſubſequitur, quod bona aſſi-
23 gnata Cappellanis immunia eſſe non debent ab oneribus Cāmeralibus, juxta ſecundā reſcripti partem, cum diſpoſitio *text. in cap.* 1. *de cenſibus* eximat ſolū bona primæ erectionis Epiſcopi authoritate dedicata Deo pro dote Eccleſiæ, vel Beneficii, non autem bo-
24 na laicalia relicta cum onere Miſſarum, & aſſignata à piis Teſtatoribus pro ſimplicibus Cappellaniis, ut communiter diſtinguunt Scribentes ſuper eodem textu, & ſignanter *Gonzales*, & probant *Monacell. form. legal. tom.* 2. *fol.* 106. *n.* 12. *R. P. D. de Zaulis ad Stat. Favent. lib.* 6. *rubr.* 7. *n.* 34.

Et ita utraque &c.

REATINA IMMISSIONIS.

Veneris 2. *Julii* 1717.

ARGUMENTUM.

Immiſſio neceſſariis verificatis extremis, hæredi fideicommiſſario ad bona in tertios diſtracta, illique obnoxia concedenda eſt.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata oritur ex non proſequtione appellationis, prævia actorum tranſportatione tempore habili.*

2 *Immiſſio concedi debet hæredi fideicommiſſario ad bona penes tertios diſtracta, illique fideicommiſſo, ad quod vocatur, obnoxia.*

3 *Immiſſio, ut concedatur, probationem trium neceſſariorum extremorum expoſcit.*

4 *Prædium fideicommiſſarium pro reſtitutione dotis aſſignatum evadit liberum.*

5 *Sententia lata ſuper adiudicatione Prædii fideicommiſſarii titulo dotis, vocatis ad illud non citatis, ſed curatore tantum ad placitum electo eſt nulla.*

6 *Amplia quando ille, qui ſententiam retuliſſet, tale agnoviſſet fideicommiſſum.*

7 *Tutor ſine cauſa neceſſaria pupilli bona obligare non poteſt.*

8 *Aditio hæreditatis non præſumitur, ſed ab illo, qui contra ſuppoſitum hæredem agit, probanda eſt.*

9 *Vitium litigioſi inducitur ſuper re, quam quis ſine conſenſu illius, qui ſuper illa litem intentaſſet, in tertium diſtraheret.*

DECISIO MXXXI.

Immiſſionem ad Prædium *di Fravagnano* à R. P. D. tunc A. C. Anſideo conceſſam Mariano de Vecchiarellis per ſententiam, quę ob non tranſportationem actorum tranſitum fecit in rem judicatam, Rota hodie quoque coram me confirmavit, reſcribentibus Dominis, *conſtare de re judicata*, cum hæc inducta cenſeatur eo ipſo, quod appellatio interpoſita à ſententia, cæteroquin valida, & juſta tempore habili prævia Actorum tranſportatione, proſequta non fuit, juxta *text. in cap. cum in Romana de appellatione*, *et in authentica Si qui C. de temp. appell.*, *cum aliis in Balneorigien. manutentionis.* 5. *Julii* 1715. §. *Poſita cor. R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore.*

Porro validitas extra omnem controverſiam poſita erat, Juſtitia autem perſpicua videbatur ex eo, quod ſicuti in dubium venire
1 non poteſt, quin Prædium controverſum ab illis de Ciampis loco pignoris detentum, obnoxium ſit fideicommiſſis antiquis Domus Vecchiarellæ, & tanquam tale obtigerit in partem Mariani in diviſione bonorum fideicommiſſariorum celebrata anno 1710. inter ipſum, ac Bartholomeum ejus Patruum cum ſpecifica approbatione Eminentiſſimi Corradini tunc Sanctiſſimi D. N. Auditoris, ita ne-
2 que controverti poteſt, quin eidem Mariano concedenda ſit immiſſio ad illius poſſeſſionem, cum ex prædictis omnia concurrant
3 requiſita ad eam obtinendam de jure neceſſaria, juxta *text. in l. fin. C. de edict. D. Adrian. tollen.*, *Rota cor. Cerro dec.* 414. *n.* 2. *& in Romana Domus ad Cartarios* 9. *Decembris* 1715. *in principio coram R. P. D. meo Cerro.*

Nec ſubſiſtere viſa fuit duplex exceptio à reis conventis promota pro ſe confovendo in detentione d. Prędii: altera nimirum, quod licet illud ab initio ſuppoſitum fuerit memoratis fideicommiſſis, poſtquam tamen
4 per ſententiam Judicis latam de anno 1677. aſſignatum fuit Bartholomeo pro reſtitutione dotis Victoriæ de Canalibus vigore authenticæ res quæ C. cum de leg. ab omni nexu liberum, & exemptum remanſerit; altera vero, quod quatenus etiam obnoxium dici deberet dictis fideicommiſſis, non ideo tamen poſſet à Mariano avocari de manibus ipſorum de Ciampis, cum ipſis ante d. diviſionem à memorato Bartholomeo traditum fuerit in pignus pro ſeſe ſatisfaciendo ex illius fructibus de ſorte, & fructibus cujuſdam cenſus eorum favore impoſiti uſque, & de anno 1656. ab ipſo Bartholomeo, & Victoria de Canalibus tàm nomine proprio, quàm uti Avia, Tutrice, & Curatrice Joannis Vincentii, & Valerii de Vecchiarellis, cujus non minus, quàm Victorię ipſe Marianus eſt hęres.

Quod enim ad primum attinet, Domini animadvertebant ceſſare difficultatem ex facto
5 dum ſcientia prædicta ceteroquin lata nemine citato ex vocatis ad fideicommiſſa, ſed tan-

tantùm Curatore ad placitum deputato, nullum ſubinde effectum ſortita fuit, dum pro reſtitutione d. dotis diſtracta fuerunt tot loca montium, & Bartholomeus ipſe, qui illam obtinuerat in diviſione bonorum fideicom-
6 miſſariorum longè poſt celebrata, Prædium controverſum, tanquã fideicommiſſariũ recognovit; unde ex multiplici capite nullo numero haberi debet, *Rota in recen. deciſ. 240. n. 11. in fin p. 6., & cor. Bich. dec. 322. n. 18., & 19, & cor. Emer. Jun. dec. 883. n. 15, & dec. 1188. n. 12.*

Prout etiam in facto corruit altera obiectio, quia licet Marianus ſit hæres Beneficiatus Valerii ejus Patris, iſte tamen, neque ex propria perſona, neque ex perſona Victoriȩ ejus Aviæ pro debito d. cenſus obligatus erat; non quidem èx perſona propria, quia
7 quamvis Victoria dictũ cenſum impoſuerit etiam tutorio nomine Valerii tunc in ȩtate pupillari conſtituti, tamen neque ex ipſo Inſtrumento impoſitionis, neque aliunde conſtat de cauſa neceſsaria, aliiſque requiſitis, ſine quibus res, & bona Pupillorum obligari non poſſunt, *l. magis puto ff. de rebus eorum l. ob æs de præd. min., Rota dec 355 nu. 44., & ſeqq. p. 12., & dec. 292. n. 5. p. 15., & dec. 579 n. 1., & 10. p. 19. rec.* Neque etiam ex perſona ejuſdem Victoriȩ, quia hactenus doctum non fuit, quod ipſe Valerius fuerit
8 ipſius hæres, prout de jure opus erat, *Rota dec. 611. n. 8. p. 19. rec., et coram Emer. dec. 1141. n. 3.*, & alibi paſſim.

Non omittendo, quod de tempore, quo Bartholomeus d. Prædium loco pignoris aſſignavit illis de Ciampis, jam illud litigioſi vitio effectum erat propter controverſiam ſuper eo, ac cæteris bonis fideicommiſſa-
9 riis à Valerio motam; unde eo minus poterat ſine ejus ſcientia, & conſenſu in alios transferri, ne alias Judicium eluſorium, & inane redderetur, juxta *tex. in l. fin. Cod. de litig., de quo Rot. cor. Duran. deciſ. 88. per tot., & cor. Bich. dec. 394. n. 4., & in rec. dec. 229. num. 8. p. 9., & in Ferrarien. Primogenituræ prima Julii 1715. §. Negocium cor. R. P. D. meo Anſaldo Decano, & in Romana Domus ad Curſum 25. Novembris 1712. §. Abſque eo quod, & 6. Martii 1716. §. Ac ſane cor. Me.*

Et ita utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPERR EXPENSIS.

Vener. 2. Julii 1717.

ARGUMENTUM.

In refectione expenſarum ſtylus eſt, ut ſuccumbens in cauſa, quoad Judiciales, uſque ad obulum eas reficiat, quo verò ad extrajudiciales, honoraria Procuratoris coram A. C. in ſcut. 3., & in Rota in ſcut. 10. pro qualibet inſtantia taxantur; epenſȩ verò, quas ad propriam legitimandam perſonam, & antelitem motam victor feciſſet, nullimodè taxantur.

SUMMARIUM.

Res judicata intrat in taxatione expenſarum, ſi eam paſſus intra decendium non appellet.

2 *Taxatio expenſarum venit in ſequelam victoriȩ in cauſa.*

3 *Depoſitum unius Julii in taxatione expenſarum à ſuccumbente factum, ad totius taxæ ſolutionem obligat.*

4 *In refectione expenſarum, regeſtra, citationes, extractus, omneſque aliæ judiciales expenſæ veniunt uſque ad ultimum quadrantem,*

5 *Honoraria Procuratoris coram A.C. taxantur in ſcut. 3. pro qualibet inſtantia, & in ſcut. 10. in Rota.*

6 *Expenſæ factæ ante motam litem pro aditione hæreditatis cum beneficio legis, quæ fuiſſent neceſſariæ actori, ut poſſet agere, à ſuccumbente non ſunt reficiendȩ.*

7 *Factȩ pro compilatione proceſſus, & cauſæ expeditione taxantur, licet ſententia ex capite nullitatis fuiſset circumſcripta, benè verò illæ factæ pro publicatione hujuſmodi ſententiæ.*

DECISIO MXXXII.

Immiſſionem conceſſam à R.P.D. meo Riccio Judice ab A.C. deputato Fratribus de Niccolis uti proximioribus ad bona hȩreditaria Franciſci de Niccolis contradicente Innocentia Prateſia Defuncti Uxore, quæ retentionem allegabat ex pluribus titulis, confirmavit quoque noſtrum Tribunal proponente Me dubio -- *An ſit danda immiſſio ad bona hæreditaria Franciſci* -- in Audientia diei 25. Novembris anni elapſi, reſervata diviſione, & liquidatione eorumdem bonorum in facienda executione, juxta deciſionem tunc editam coram Me.

Hanc reſolutionem acceptavit Innocentia, renunciando liti, & appellationi, melius eſſe putans, allegando (prout ſucceſſive fecit) Cauthelam Angeli ſub congruo dubio, & judicio deducere illa jura, quæ cȩteroquin immiſſionem in genere Fratribus de Niccolis non potuerunt retardare.

Vigore prædictæ renunciationis liti, inſteterunt Actores pro refectione expenſarum in recenſito Judicio factarum, & obtinue-
1 runt illas taxari in ſcut. 58., quæ taxatio ob omiſſam debito tempore appellationem, rei judicatæ vires acquiſivit; obtinuit tamen Innocentia à Signatura Juſtitiæ commiſſionem cum clauſula *de cauſis reſtitutionis in integrum ab exceſſiva*, ad cujus tenorem propoſui hodie congruum de more dubium, & reſponſum habui, *Conſtare de re judicata*, certa res eſt, dum fuit omiſſum intra decem dies appellare, & taxatio expenſarum valida ſatis, & juſta comperitur, validitate
2 namque non controverſa, juſtitia plenè viſa fuit innixa, tum obligationi à jure prove-
3 nienti expenſas Victori reficiendi, tum obligationi formiter emiſſȩ ab Innocentia cum depoſito unius Julii, juxta praxim in ipſa litis renunciatione.

De-

Devenientes itaque Domini ad quantita-
4 tis examen, omnes illas approbarunt, quæ in regeſtris, extractibus, & citationibus, aliiſque judicialibus actis conſiſtebant, & cum quarum, tam de jure, quàm de ſtylo Curiæ, nullus prætendi poterat exceſſus, neque ulla peti moderatio, juxta deducta in *Romana emphiteuſis ſuper expenſis 40. Decembris 1708. §. Exceſſus cor. Emo. D. Card. Polignach, in Romana expenſarum 9. Jan. currentis anni §. Præſertim cor. Me*, & paſſim alibi.

5 Sicut etiam illas, quæ concernebāt Defenſorum honoraria, quia reſtrictè erant pro inſtantia Tribunalis A. C. ad conſuetam ſummam ſcut. 3., & pro inſtantia Rotali ad ſcut. 10., prout ſemper practicari videmus, & plenè habetur in *Reatina fideicommiſſi ſuper expenſis 6. Feb. 1705. §. Alia verò cor. Rmo Molin. mag. Hiſpan. Inquiſitore, in Bononien. bonorum ſuper expenſis 6. Martii 1713. §. Cum cor. R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore, & in Bononien. legati ſuper expenſis 21. Novembris 1714. §. Quo verò cor. Emo D. Card. Scotto.*

Difficultas itaque erat ſuper expenſis factis à Niccolis in aditione hæreditatis Franciſci, & aliis ab illis factis in prima inſtantia coram R. P. D. Baleſtra Judice ab A. C. deputato, cujus ſententia fuit à Signatura Juſtitiæ ex capite nullitatis ob errorem Notarii, qui illam publicavit die non juridica
6 circumſcripta, & Domini quantum attinet ad primas expenſas aditionis hæreditatis, cenſuerunt eas non debuiſſe taxari, quippe quia actus illi, qui occaſione iſta peracti fuerunt à Niccolis ante ullam inceptam litem cum Innocentia, iſtaque non opponente, fuerunt totaliter neceſſarii ipſis Niccolis pro effectu qualitatem hæreditariam acquirendi cum beneficio legis, & inventarii ideoque inter expenſas litis poſtea motæ numerari non poſſunt, *Gratian. diſc. 725. n. 26., Card. de Luc. de Judic. diſc. 29. n. 20.*, & de facto acquieſcebant Niccoli huiuſmodi expenſarum ſubductioni, quæ importabat ſcut. 3. 80.

7 Quo verò ad alias expenſas factas coram R. P. D. Baleſtra, ratio ſane illarum ſubductionis videbatur eſſe in circumſcriptione eius ſententiæ per Prateſiam obtentæ in Signatura Juſtitiæ. Ponderabant tamen Domini, quod non ex quo Signatura Juſtitiæ ob ſolum dicti Notarii errorem circumſcripſit ſententiam, circumſcripta remanſerunt alia quoque acta coram dicto Judice facta, ſed illa imo in ſtatu validitatis perſtiterunt, & inſervierunt reſtaurationi novi Judicii coram R. P. D. Riccio alio Judice ab A. C. deputato, & tales expenſas factas ratione iſtorum actorum, niſi factæ fuiſſent coram illo, neceſſe fuiſſet Partibus facere coram illo; undè exiſtimarunt expenſas illas, quæ pro evulgatione dictæ ſententiæ circumſcriptæ, ejuſve pronunciatione fuerunt factæ non deberi, deberi tamen illas, quæ fuerunt factæ in compilatione proceſſus, & actorum, juxta diſtinctionem, quam in ſimilibus terminis approbant *Gratian. diſcep. 734. n. 54. Rot. p. 2. rec. dec. 400. n. 12.*

Et juxta hunc modum, reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER CAUTHELA ANGELI.

Luna 22. Novembris 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatæ ſub die 8. Martii hujus anni.

Mobilia, argenta, & iocalia in hæreditate Viri reperta, quando de dominio Viri; & quando de Mulieris dicantur, & quid dicendum in caſu, quo Vir Uxoris domum, & non Uxor domum Viri adiviſſet.

SUMMARIUM.

1 *Dotalia non præſumuntur bona, quæ in inventariis rerum ad mulierem pertinentium non reperirentur deſcripta.*
2 *Bona reperta in hæreditate Viri, Viri & non Uxoris præſumuntur.*
3 *Mobilia, & jocalia præſumuntur mulieris ſi fuiſſent domi ſuæ reperta, ad quam ipſa Virum conduxiſſet.*
4 *Præſumptio cedit veritati.*
5 *Mobilia præſumuntur mulieris, ſi ſit dives, & Vir pauper.*
6 *Bona aſſignata creditori pro ſatisfactione crediti, de dominio aſſignantis exeunt.*
7 *Mobilia ſpectantia ad mulierem ex aliqua hæreditate ad eam delata, & ex confrontatione inventariorum recognita, de ejus dominio ſunt reputanda.*
8 *Pecuniæ repertæ in hæreditate Viri, ad iſtum, & non mulierem pertinere præſumuntur.*
9 *Mobilia, & ſtylia reperta in vinea mulieris, iſtius, & non Viri præſumuntur.*
10 *Fructus bonorum extradotalium ad Uxorem pertinent.*
11 *Fructus vineæ dotalis, defuncto Viro, ad mulierem devolvuntur.*
12 *Argenta ſignata cum litteris reperta in hæreditate Viri, Mulieris eſſe præſumuntur, quando eadem literæ nomen Mulieris, vel eius Patris poſſent indicare.*

DECISIO MXXXIII.

Cauthelam Angeli allegatam ab Innocentia Prateſia pro excludendis fratribus de Niccolis ab immiſſione, quam obtinuerant ad bona hæreditaria Franciſci pariter de Niccolis eius Viri, approbavit noſtrum Auditorium juxta modum expreſſum in deciſione edita 8. Martii currentis anni coram Me, demandando, quod ſervari deberet ſuper duabus vineis hæreditariis quondam Philippi Prateſii, & propriis ipſius Innocentiæ, nec non ſuper mobilibus concorditer deſcriptis in inventariis confectis de hæreditati-

ditatibus tum Philippi Prateſii mox memorati, tum ſupradicti Franciſci Niecoli Viri ultimo loco defuncti, approbando etiam pro huiuſmodi effectu favore mulieris jura ipſi competentia tam ratione dotis, quàm etiam lucri dotalis, & reiiciendo ulteriores eius prætenſiones quoad reliqua mobilia in ambobus dictis inventariis non deſcripta, & quoad pecunias, aliaque, de quibus in dicta mea deciſione.

Admiſſis utrinque partibus ad novam Audientiam, renovatum hodie fuit examen circa plura ex contentis, ac diſcuſſis in antecedenti reſolutione, propoſitoque per Me conſueto dubio, reſponderunt Domini *Handum eſſe in deciſis iuxta modum* inferius explicandum.

Siquidem concordant Partes ſervandam Cauthelam Angeli ſuper duabus vineis, quarum altera dotalis erat, & altera extradotalis eiuſdem Innocentiæ, necnon ſuper iis mobilibus, quæ perveniſſe ex hereditate Philippi Prateſii delata ad eandem mulierem probabantur ex confrontatione utriuſque inventarii, illius nempe confecti de dicta hæreditate, & alterius exarati de hæreditate Franciſci Niecoli eius Viri: itemque admittebatur hinc inde quantitas dotis, & lucri dotalis, prout fuit conſtabilita in antedicta mea deciſione.

Contentio verò præſens reducebatur ad alia plura, quæ contra mulierem deciſa extiterunt, & quæ, cum non bene fuiſſent in facto elucidata, fuerunt in dicta mea deciſione generali ſublata reſponſione, quod utpote illiquida, & incerta pro Cauthela Angeli admittenda non eſſent, ut in §. *fin. dictæ deciſionis, quę revidetur.*

Singula autem breviter nunc percurrendo,
1 do, fruſtra Innocentia ad ſe ſpectare contendit, & alia mobilia vel iocalia, quę in dictis inventariis non ſunt deſcripta, hæc enim
2 cum reperta fuerint in hæreditate Franciſci, ad illum pertinere præſumuntur, ut late probant *Menoch. pręſump. 51. nu. 22. lib. 3.*, *Cancer. var. reſol. p. 1. cap. 9. n. 76. §. Quod dictum*, quibus concordat *Conſtantin. de Cauthel. Angeli diſc. unico n. 34.*, & cum aliis *Rot. in Romana Cambii 4. Martii 1712. §. Nec ſuffragatur cor. Rm̃o P. D. Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*

Abſque eo quod mulieris intentioni ſuffragetur, quod Maritus contractis nuptiis in illius domum ſe receperit, non autem uxorem traduxerit ad ſuam, quaſi quod eo caſu præſumptio eſſe debeat, quod mobilia, &
3 iocalia ſint mulieris. Quidquid namque ſit in caſu, quo Vir non longè poſt contractum matrimonium in eadem uxoris domo decedat, utique in præſenti applicari non po-
4 terat prędicta contraria præſumptio, quæ cæteroquin cedere ſemper debet veritati, *Text. in l. cum de indebito §. 1. de probation. & in l. Imperator §. Cum autem ff. de legat. 2., & in l. Patruus C. Communia utriuſque Juris*, ubi communiter Doctores, dum conſtat in noſtro themate Franciſcum obiiſſe domi ſuæ poſt plures annos hic habitæ habitationis cum uxore, & poſtquam illi (præter ea, quę ex propria induſtria poterat acquirere) plura obvenerunt ex duabus hęreditatibus Antoniæ, & Jo. de Meis, ut fuit nunc in facto iuſtificatum.

Sicut etiam nullo modo ſubſiſtebat, quod
5 mulier dives eſſet, maritus vero pauper, & inops, adeout inferri poſſet, vel mobilia ad eandem mulierem ſpectare, vel ſaltem à Viro nonniſi cum pecuniis eius uxoris potuiſſe comparari. Hæc enim Viri paupertas nullatenus probabatur, & potius excluſa remanebat ex prædictis, dum præſertim non agebatur de mobilibus tam eximii valoris, aut quantitatis, itaut de proprio non potuerit Vir etiam ante matrimonium illa poſſidere, vel ſubinde propria induſtria, propriiſque ſumptibus acquirere, & ex his quoad mobilia, & iocalia in dictis inventariis non deſcripta excludebatur Cauthela Angeli p r mulierem allegata ex defectu probationis illorum pertinentiæ ad ipſam allegantem, iuxta plene deducta, etiam in antecedenti deciſione, quæ revidetur § *non ita tamen, & ſeq.*

Nec minus recte fuiſſe exceptam ab eadem Cauthela Domini exiſtimarunt ratam illam mobilium valoris ſcutorum centum,
6 quæ quamvis ab initio propria eſſent Philippi Prateſii, fuerunt tamen pro ſuo credito aſſignata Antoniæ Matri Catherinæ, & ab iſta translata fuerunt in Franciſcum Niccolum, iam enim amplius dici non poterant pertinere ad Prateſium, neque ad ipſam Innocentiam, cum mediante prædicta diſtractione facta fuerint de dominio Antoniæ, & deinde Franciſci eius ſucceſſoris.

Haud relevante, quod illa commixta ſint cum mobilibus propriis ipſius Innocen-
7 tiæ, & quod amplius non exiſtant. Poſito namque quod dicta Innocentia in hac rata nullum habeat ius, quoties ipſa dempta huiuſmodi rata, & mobilibus repertis in hæreditate Franciſci obtinebit reliqua concordantia cum ambobus inventariis ſupra relatis, utique nullum ex commixtione prædicta patietur præiudicium, minuſque quærendum erit amplius de illorum exiſtentia, nec ne, quia ſemper quod ſuum eſt, utrique attributum remanebit, conſequentibus Niccolis illa ad ſe pro dicta rata pertinentia, & conſequente ipſa Innocentia illa reliqua ad ſe uti hæredem Philippi ſpectantia.

Uniformis fuit ſenſus cum antecedenti de-
8 ciſione etiam quoad pecunias repertas in hæreditate, & domo Franciſci Niccoli, & deſcriptas in eius inventario, licet enim, & prius aliqua illarum quantitas fuiſſet reperta in hæreditate Philippi, fuit tamen demonſtratum in facto, quod illas vivente Franciſco Viro exegit ipſa Innocentia, iuxta plura documenta enunciata in eadem deciſione §. *Abſque*, ideoque extantes de tempore obitus Viri, iſtius propriæ cenſeri debent,

bent, non attenta obiectione illius paupertatis, quia, ut iam dictum fuit, non regit in facto, imo excluſa remanet contraria probatione.

E contra verò præter ſuperius admiſsa, ſervandam quoque Cauthelam Angeli Domini cenſuerunt quoad mobilia, & ſtylia
9 vineæ extradotalis, ſicut namque vinea, & domus in eadem vinea ſita, ſunt propriæ d. mulieris, ita etiam præſumptio eſt, quod ſint eiuſdem propria mobilia, & ſtylia, quæ ibidem reperiuntur, nec poſsunt conſequenter comprehendi in hæreditate Franciſci debita fratribus de Niccolis.

Eodem ſenſu proceſſerunt quoad fructus ex dictis duabus vineis recollectos, quippe
10 quia, quoad provenientes ex memorata vinea extradotali, indubitatum eſt, quod ad ipſam Uxorem uti Dominam pertinebant iuxta vulgare principium, de quo *Text. in l. ex diverſo ff. de rei vindic.*, *& l. qui ſcit in*
11 *princ. ff. de uſur.* Quo vero ad alios provenientes à vinea dotali, cum eadem Uxor poſt Viri obitum effecta fuerit creditrix alimentorum, & fructuum ſuæ dotis, æquum eſt, ut illos conſequatur.

Nullatenùs refragante reſponſione, quod maritus ante recollectionem fecerit neceſſarias expenſas de proprio in colendis eiſdem vineis. Etenim de huiuſmodi expenſis haberi poterit ratio in iudicio redditionis rationis iam aliàs utrique parti præſervato, nec propterea cadunt ſub præſenti quæſtione.

12 Demum adverterunt Domini, quod ſi quæ ſunt argenta, quæ ſignata ſint cum litteris initialibus nominis, & cognominis Innocentiæ Prateſiæ, aut Philippi eius Patris, nempe *I. P.*, *& F. P.*, ea quoque cenſenda ſunt propria illius, dum huiuſmodi litterarum initialium inſcriptio in argentis, quorum uſus eſt communior, quoddam ſignum eſt pertinentiæ, & experientia nos docet, & quoad iſta quoque ſervanda erit Cauthela Angeli.

Hic itaque fuit modus, quem ſuper addendum Domini putarunt antecedenti reſolutioni, ſeſe in reliquis ad ſæpedictam meam deciſionem referentes.

Et ita utraque &c.

LAURETANA CENSUUM SUPER RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

Veneris 10. Decembris 1717.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt revocatoria alterius emanatæ ſub die 14. Junii labentis anni.

Reſtitutio in integrum adversùs inconſulto aditam hæreditatem, vel male confectum inventarium datur Minori, quando de læſione hac de cauſa paſsa edoceret, vel de imminenti carceratione ob æs alienum à Patre defuncto contractum; maximè quando obvius ei eſset modus, ut fidelem de bonis hæreditariis rationem redderet, pro qua attingenda inventarium tutelare à matre factum multum operaretur; quando verò iſtud doloſum dici poſſit, & quando iuſtum, ac ex quibus vitioſum fiat, diſtinctè explicat ſequens

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum datur Minoribus ob male confectum ab eorum maioribus inventarium, data poſſibilitate de meliori faciliter conficiendo.*

2 *Competit filio ex capite læſionis, qui, non obſtante, quod perſolviſſet ingentem ſummam pro dimiſſione æris alieni à Patre contracti, adhuc ex urgentia creditorum, carcerationis periculo ſubiaceret.*

3 *Læſio præſumitur favore Minoris adeuntis hæreditatem Patris ſine legis beneficio, præſertim ad propriam perſonam liberandam.*

4 *Læſio non excluditur per hoc, quod filius, caſu quo ſolveret debita patris, habere poſſet relevationem adverſùs alium, adeo quod ex hoc capite reſtitutionis prædictæ beneficio juvari nequeat.*

5 *Amplia, ſi ille, qui ad relevationem teneretur, eſſet decoctus.*

6 *Reſtitutio in integrum prædicta concedenda eſt Minori læſo ob inconſulto aditam hæreditatem, etiam ſi reſtituere deberet fructus bonorum hæreditariorum perceptorum, quando id reſpiceret redditionem rationis ex poſt in illius ſequelam faciendam.*

7 *Inventarium tutelare, licèt non ſuppleat vices hæreditarii, ſtatum hæreditarium probat, & diſtractionis bonorum præſumptionum tollit*, & n. 28.

8 *Inventarium tutelare, licèt nullum, ex quo arcæ in confuſo fuiſſent deſcriptæ; ſanatum tamen remanet, ſi in tutelari inventario minutatim apparerent deſcripta ea omnia, quæ turmatim in hæreditate fuiſſent adnotatæ.*

9 *Quantitas argentorum obpignoratorum, ne inventarium invalidum reddat probata remanet ex eorum individuatione cohærenti pretio de illis retracto.*

10 *Deſcriptio jocalium, quæ juſta dicatur, & de dolo non ſuſpecta, ne inventarium decadat.*

11 *Inventarium non fit defectuoſum ex deſcriptione ſcripturarum in genere, quando individuarentur libri, in quo continerentur*, & vide rationem.

12 *Amplia, quando hæredes exhiberent ſe promptos tradendi eoſdem libros in manibus creditorum*

13 *Inventarium non fit nullum, ex eo quia in hæreditate non fuiſſent repertæ apocæ creditorum, quorum exiſtentia poſſibilis fuiſſet, cum per talem ſimplicem poſſibilitatem illud non vitietur.*

14 *Tutrix bona fide omiſiſſe dicitur in inventario*

tario tutelari deſcriptionem fructuum ſuæ dotis decurſorum, & Viro non ſolutorum, quando iſte nihilominus quietantiam de iſtis feciſſet.

15 *Amplia etiam ſi talis quietantia impugnata fuiſſet, cum ſatis ſit, quod de tempore inventarii fuiſſet inimplicito ſtatu validitatis.*

16 *Tutrix præſumitur bona fide non deſcripſiſſe in ſuo inventario credita illa, de quibus ea habuiſſe notitiam non conſtaret.*

17 *Tutrix non præſumitur habuiſſe animum occultandi credita, quæ in inſtrumento redditionis rationis fideliter adnotaſſet.*

18 *Debitor, qui oberatus occubuit, præſumitur illud vendidiſſe frumentum, quod in ejus hæreditate repertum non fuiſſet.*

19 *Inventarium nullum non fit, ex quo in eo frumentum non appareret deſcriptum, quando eſſet præſumibile, quod à defuncto vendi potuiſſet.*

20 *Similiter ex non deſcriptione pecuniarum, quando defunctus decoctus fuiſſet.*

21 *Pecuniæ non repertæ in hæreditate, in expenſis ultimæ infirmitatis, funeris, & veſtium lugubrium conſumptæ præſumuntur; adeo quod ex eorum defectu inventarium non irritetur*, & vide caſum.

22 *Inventarium non fit vitioſum ex defectu deſcriptionis ſtabilium, cum iſta occultationi ſubjacere nequeant.*

23 *Tutrix in inventario tutelari bona ſua dotalia non tenetur deſcribere.*

24 *Inventarium tutelare dicitur iſtud, ſi, eo mediante, tutrix rationem reddidiſſet coram Judice, ex quo præſumitur approbatum.*

25 *Amplia, ſi de tempore illius nulla potuiſſet adeſſe ſuſpicio de animo defraudandi creditores.*

26 *Solemnitates adhibitæ à tutrice in ſuſceptione tutelæ, in inventario immediatè facto, continuatæ præſumuntur, licèt id in iſto non fuiſſet expreſſum.*

27 *Reſtitutio in integrum adversùs inconſulto aditam hæreditatem ut concedatur, neceſſe non eſt ſolemne inventarium, ſed ſufficit, quod de ſtatu hæreditario quomodocumque, etiam per ſimplicem deſcriptionem conſtet.*

29 *Competit Minori, etiam ſi de ea tutrix fuiſſet negligens, poſtquam illam reportaſſet, ſi tamen Judex, qui eam conceſſit, incompetens fuiſſet*, & vide caſum.

30 *Quadriennium datur Minori ad petendam reſtitutionem in integrum adversùs inconſulto aditam hæreditatem, vel inventarium malè confectum.*

31 *Limita in ſupremis Tribunalibus, probata læſione, apud quæ quicumque temporis lapſus non conſideratur.*

32 *Non currit Minori, niſi à die, qua de nullitate inventarii ſcientiam habuiſſet.*

33 *Amplia, ut prædicta in integrum reſtitutio concedatur, quando hæredes in juſta credulitate fuiſſent verſati, quod in hæreditate alia debita non adeſſe potuiſſent.*

DECISIO MXXXIV.

Reſtitutionem in integrum petitam à fratribus de Dionyſiis reis in Judicio conventis pro creditis cenſuum impoſitorum à Joanne eorum Patre adversùs malam confectionem inventarii iſtius hæreditatis exarati per eorum tutricem, cenſuerunt Domini non eſſe concedendam poſt plures cauſæ propoſitiones in Audientia diei 14. Junii labentis anni Quinto & Sexto ex Dominis ſuffragium ferentibus, ut ex deciſione tunc edita coram Me.

Cum autem ex conſueta huius ſacri Auditorii benignitate facultatem illi obtinuerint eorum jura iterum deducendi adversùs captam reſolutionem, elucidatis hodie pluriſacti circumſtantiis, iiſque novo ſuppoſitis examini, inclinarunt è contrario Domini in ejuſdem reſtitutionis in integrum conceſſionem, & annuentes inſtantiæ, reſcripſerunt *eſſe recedendum à deciſis*.

Moti ſunt ex eo, quod fratres de Dionyſiis tempore obitus Joannis Patris eo-
1 rum erant in pupillari ætate conſtituti, aditaque per eorum matrem, & tutricem illius hæreditatē cum inventario, fuit hoc ſubinde nullum, & irritum à ſacra Rota declaratum coram R. P. D. meo Foſcaro, itaut ex hujuſmodi declaratione compertum ſit ſeſe illos immiſcuiſſe hæreditati maximoque damnoſæ, & obbertatæ, remanentibus ipſis graviter læſis, etiam in perſonis, & bonis propriis, qua læſione poſita, & concurrente poſſibilitate ſtatum hæreditarium firmandi, mediante inventario tutelari per eamdem eorum matrem uti tutricem diverſimodè antea confecto, certum eſt ipſis adversùs irritam, & illegalem hædeditarii inventarii confectionem, cōpetere reſtitutionem in integrum, juxta deducta per *Monticul. de invent. q.224. nu.43. & ſeqq.*, *Galeſ. de reſtit. in integr. cap.2. n.219.*, *& nu. 240.*, *Cyriac. controv.294. n.1.*, *Rot. coram ſa. me. Gregorio XV. dec. 181. nu.6.*, *& in rec. dec.82. n.10.*, *& per tot.*, *& dec.381. n.2. p.13. rec.*

Abſq; eo quod reſpectu læſionis dici queat illam excludi, dum non probatur bona hæreditaria Patris eſſe inſufficientia ad ſolutio-
2 nem æris alieni; pluribus enim documentis demonſtratū fuit, debita illius dimiſſa jam à filiis uti hæredibus, ad conſpicuam ingentemque ſummam circiter ſcut. 14000. aſcendere, ac plura adhuc alia exiſtere, pro quibus creditores inſtant tam contra bona propria, & etiam perſonas exequutiones expoſtulantes, quo imminente damno, dubium eſſe non poteſt, quin ad effectum obtinendæ reſtitutionis in integrum, ſatis ſuperque probata ſit læſio, prout concludunt in fortioribus terminis exiſtentiæ debitorum, & litium *Bal in Auth. ſi omnes in princ. C. ſi minor ab hæred. abſt. ibique & Paulus de Caſt. n.3.*, & cum aliis *Rot. dec.2. n.6. poſt Albic. de inconſt. in Judic.*, & in his termi-
3 illam præſumi favore Minoris adeuntis ſine

benefi-

beneficio inventarii, ex quo hujuſmodi beneficium non habeat, ſeu amittat præſertim in eximenda perſona, & bonis propriis ab exequutione, latè tradunt *Surd. conſ.95. n.16. & 18., Magon. dec. Lucen.68. num.9. cum ſeqq., R. P. D. Thomat. in vot. impreſ. apud Galeſ. de reſtit. in integ. cap.2. n.25. in fin., Rot. inter impreſſ. ad ornatum, Card. de Luc. de teſtam. lib.9. tom.1. dec.19. num.9.*

4 Nec relevat pro pluribus debitis exiſtentibus poſſe fratres de Dionyſiis relevationem obtinere contra alios coobligatos. Hoc namque læſionem illorum non excludit, dum ſupponit ipſos de proprio teneri, aut etiam urgentes creditores dimittere, cum iſtorum reſpectu habeantur, pro principalibus debitoribus, ad *Tex. in l.1. & 2. ff. de duobus reis*, & deinde per litium amfractus,
5 alios conveniendo, curare recuperationem, dum præſertim conſtat relevatorem pro pleriſque ex hujuſmodi debitis eſſe Nicolaum Thomaſinum,, qui, ut dictum fuit in *præſenti ſumm. num.8.*, aliis pluribus debitis preſſus, ad evitandum in perſonam exequutionem, latitare ſuevit in Eccleſia, & demum obiit decoctus, itaut difficilis admodum remaneat aſſerta coobligatorum relevatio in iſtius bonis.

6 Prout non refert, quod teneantur iidem fratres de Dionyſiis rationem reddere de fructibus per ipſos hucuſque perceptis ex paterna hæreditate, conſtat enim in facto, nequidem dictos fructus fuiſſe tantæ quantitatis, itaut habito eorum reſpectu, ſine gravi læſione potuiſſent Minores æs alienum dimittere, dum præcipua pars bonorum ad hujuſmodi effectum vendita fuit, & ſic fructus quoque hujuſmodi bonorum hæredes amiſerunt, & ulterius non reſpicit hæc objectio præſentem quæſtionem reſtitutionis in integrum, ſed potius redditionem rationis faciendam, poſt confectum vigore dictæ reſtitutionis in integrum, novum inventarium, ut inquit *Rot. in Sabinen. bonorum ſuper reſtitutione in integrum 9. Jun. 1704. §. Altera animadverſio coram bon. mem. Kaunitz.*

Quemadmodum ex his ſubſiſtere viſa fuit læſio fratrum de Dionyſiis, ita etiam concurrere viſa fuit firmatio ſtatus hæreditarii Joannis eorum Patris, quia etſi deficiat baſis illa tutior inventarii hæreditarii, cujus defectus cauſa, præſens prmovetur inſtantia,
7 adhuc tamen concurrit in illius ſupplementum inventarium tutelare non longè poſt obitum dicti Joannis per Uxorem tutricem ejus filiorum exaratum, quod quidem pro firmando ſtatu hæreditario attendendum eſt, ut in puncto pluribus relatis firmat *Rota dec.387. n.17. & ſeq. coram Duran., dec. 886. n.10. & ſeq. cor. Coccin., dec.475. n.49. & 50. p.19. rec., & dec.19. num.10. & 18., & ſeq. in impreſſ. ad ornatum Card. de Luc. de teſtam. lib.9. tom.1.*

Neque in illius everſionem ſuffragari valuit, quod pluribus laboret defectibus, præſertim quoad ſubſtantiam, in deſcriptione ſcilicet non integra rerum hæreditariarum, itaut nullum ſit, & nullum conſequenter effectum valeat operari, prout arguit deciſio, quæ revidetur à §. *Quatenus verò, cum ſeq.* Omnes enim defectus illi, qui ad probandam nullitatem, & illegalitatem iſtius inventarii fuerunt in præterita propoſitione enucleati, ex nova facti elucidatione
8 comperti ſunt inſubſiſtentes. Et quidem, quantum attinet ad deſcriptionem capſarum & ſcriniorum ſine individuatione rerum in iis contentarum, placuit Dominis animadverſio, quod res illæ, quæ poterant in iis contineri, ut ſunt veſtes, tam ad uſum mulieris, quàm viri, res lintearia, argenta, gemmæ, & ſimilia, fuerunt diſtinctè, & minutatim deſcriptæ in eodem inventario; undè nil mirum, ſi ad evitandam inutilem repetitionem fuerunt deinde adnotatæ ſine tali rerum contentarum ſpecificatione capſæ, arcæ, & ſcrinia, ad illas conſervandas deſtinatæ, ſicut enim res fuerunt deſcriptæ ſine indicatione loci, ubi aſſervabantur, ita proceſſum fuit in adnotatione capſarum, & ſcriniorum ſine deſcriptione rerum, quæ in iis continebantur, neque proinde ab exiſtentia eorumdem ſcriniorum, & capſarum argui valet, quod in hæreditate adeſſent plures res in illis aſſervatæ, quorum ſpecificatio fuerit omiſſa.

Corruit quoque alter defectus deſcriptionis gemmarum, & argentorum ſine expreſſione, aut ponderis, aut valoris, aut qualitatis Opificii, ex quibus illarum identitas poſſet concludi, ut inquit deciſio, quæ revidetur
9 §. *nec minoris*. Quo enim ad argenta illa, quæ domi exiſtebant de tempore confecti inventarii, apparent ponderata uſque ad num. librarum 41., & unc.8., alia verò, quæ oppignorata reperiebantur, ideoque non poterant ponderari, ſpecificata fuerunt cum ſuis qualitatibus, enunciando, quod eſſent: *Due Sottocoppe, una Guantiera &c.* concurritque etiam certitudo earum ponderis, & valoris ex ſucceſſiva eorumdem argentorum venditione, quod fecit Tutrix ad effectum dimittendi creditores; quod quidem ſufficere ad probandam eorum quantitatem, & pretium, de quo hæres rationem reddere poſſit, egregiè firmat *Rota deciſ.1147. num. 15. cor. Penia, & alias dictum fuit in Romana Pecuniaria, ſeu locorum Montium 3. Junii 1707. §. expediti, & §. hujuſmodi coram Rmo Moliu. Gener. Hiſp. Inquiſit.*

10 Et quoad iocalia, & gemmas compertum eſt ex inſpectione ipſius inventarii, quod diſtinctè, accurateque deſcripta fuerunt cum deſignatione quantitatis Margaritarum, Adamantium, aliorumque ſimilium, ibi -- *Perle in due Vezzi nu.170., Un' altro Collogroſſo nu. 109. Una Garantiglia di Rubini, e Perle, cioè Rubini 10., e Perle 57. con un Diamante*

mente in mezzo &c. Trè para di Orecchini, il primo con perle 14., e 4. Brilli &c. Un anello di Oro con una roſetta di Diamanti num.7. Un' anello di Oro con una pietra roſſa à foggia di Sigillo &c. ex qua quidem individua cujuſcumque gemmæ ſpecificatione, & Margaritarum enumeratione, impoſſibilis redditur ſuppoſitio unius loco alterius, propter cujus ſuſpicionem earum deſcriptio dici queat illegalis, & non attendenda, ut non deductis hujuſmodi circumſtantiis arguebat deciſio, quæ revidetur §. *nec minoris*, etiamſi deficiat illarum æſtimatio, cum ea non ſit de ſubſtantia talis inventarii, *Gloſ. in l. ſumus verb. quantitatem Cod. de jur. deliberan., Ridolph. in praxi par.1. cap. 9. n.57. plenè Manſ. conſult.269. num.35., & ſeqq. Adden. ad Pamphil. dec. 75. verſ. item nec omiſſio, Rot. dec.165. num.20 cor. Peutinger.*

11 Alter defectus deſcriptionis inſtrumentorum, & ſcripturarum ſine ulla expreſſione eorum continentiæ facile etiam ſublatus fuit ex facto; dum non conſtat adfuiſſe in hæreditate Joannis Dionyſii, alias ſcripturas præter duos libros inſtrumentorum in inventario tutelari adnotatos cum expreſſione eorum numeri ibi -- *due libri d' iſtromenti publici, iſtromenti diverſi num.119. tutti legati inſieme* -- quæ ſanè inſtrumenta, cum etiam aſſeruentur in publicis Archiviis, nulli ſubjacent occultationis ſuſpicioni, ideoque omiſſa illorum expreſſio, validitati inventarii nullatenus officit, ut dixit *Rot. dec. 256. nu.*

12 *8. par. 19. rec:* Ultra quod placuit etiam Dominis oblatio, quam ad removendum quacumque fraudis ſuſpicionem faciebant Fratres de Dionyſiis exhibendi creditoribus eoſdem libros, ut poſſent inſtrumentorum in illis alligatorum tenorem ad eorum

13 libitum inſpicere, & recognoſcere. Quod verò poſſibiliter adeſſe poſſent etiam Apocæ privatæ, aliæve ſcripturæ commodum hæreditatis reſpicientes, non relevat, dum nullus datur fumus illarum exiſtentiæ, & ſola talis poſſibilitas inventarium vitiare non debet, *Rot. dec. 470. nu.5. par.9., & dec. 254. nu. 27. par.16., & dec.6. num. 14. in impreſ. in Mantiſ. ad Card. de Luc. de Teſtam.*

14 Eodemque modo excuſabilis, & eijcienda viſa fuit omiſſio deſcriptionis crediti fructuum dotis ipſius Tutricis decurſorum vivente viro, & quorum notitiam, cum de proprio intereſſe ageretur, habere debeat ipſa Tutrix; quippe quia apparuit in præſenti tali utique deſcriptione non indiguiſſe, dum vir ante obitum, generalem, finalemque quietantiam illorum debitori exaraverat, ex qua ceſſabat omne fundamentum ejuſdem crediti, ita ut illud bona fide ejus uxor

15 habere poſſet pro extincto, & licet hæc quietantia fuerit deinde impugnata occaſione reſtitutionis ejuſdem dotis; tamen id accidit poſt confectum inventarium, de quo agitur, & inſuper fuit adhuc in implicito ſtatu validitatis illa relicta, præſervatis tantum favore filiorum juribus perſequendi illius

16 irrelevantiam in judicio; parique bona fide credendum eſt omiſiſſe quoque deſcriptionem aliorum quorumdam creditorum, dum de illis ſcientiam habuiſſe ullo modo

17 non conſtat, & patens eſt, poſtmodum illam deſcripſiſſe ſumma integritate in publico inſtrumento redditionis rationis, id quod utique non feciſſet, ſi malum habuiſſet animum eadem occultandi, *Rota deciſ. 387. la prima num.21., & 22. cor. Duran., & in Mantiſ. ad Card. de Luc. de Teſtam. lib. 9. tom.3. dec.6. num.11.*

Succedit defectus deſcriptionis aliàs in deciſione, quæ revidetur, expenſus §. inexcuſabilis, ſed & iſte ſublatus fuit ex facto, nam pecudes deſcriptæ fuerunt in ſæpedicto inventario non in *num.* 36. dumtaxat, ſed uſque ad *num.* 84. ibi -- *Antonio Cerquelella Pecore 35. A Pier Simone d' Innocenzo Pecore à Soccio 49.*, ex his percipi potuit ea quantitas Lanæ, de qua, juxta animadverſionem creditorum, rationem reddidit Tutrix. Quemadmodum nec ſubſiſtit defectus deſcriptionis frugum, dum ibi adnotata leguntur vinum, & oleum ibi -- *9. Botti &c. delle quali ſono piene cinque di vino; ſei Brocche d' oglio piene di metri 7. in cir-*

18 *ca*. Frumentum verò præſumptio eſt, quod non extiterit, fueritque, aut venditum, aut conſumptum, dum obiit Joannes, & quidem valdè obæratus, & plurimis debitis involutus paulò ante novam ejuſdem recollectio-

19 nem, & dum alii fructus verè extantes fuerunt, ut diximus, deſcripti, ut ſatis eſt ad excuſandam defectuoſitatem inventarii, *Text. in l. fin. §. licentia, Cod. de jur. deliber., Rot. dec. 246. num.3. cor. Cavaler. dec.607. nu.7. par. 1., & dec.470. nu.5. par.5. rec. tom.2.*

20 Nec difficilius removetur objectum omiſſæ deſcriptionis pecuniarum; illæ namque extitiſſe non præſumuntur in hæreditate, ut mox dictum fuit, decocta, *Rot. apud Palm.*

21 *Nep. dec.47. num.10.*, & ubi etiam ſi aliqua quantitas illarum adfuiſſet, præſumi deberet conſumpta in expenſis ultimæ infirmitatis, funeris, & veſtium lugubrium, *Rot. dec. 883. nu.9. cor. Beninc., & in Ravennaten. immiſſionis 20. Junii 1707. §. nec fomentum cor. Rmo P. D. Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*

Supereſt examinare defectum deſcriptio-

22 nis ſtabilium, de quo in deciſione, quæ revidetur, §. *magiſque*, ſed præterquamquod ex eo non vitiatur inventarium, cum ſtabilia nulli ſubjaceant periculo occultationis, adhuc etiam ille ſtatim corruere dignoſcitur, advertendo in facto, quod prædia dicta *la Monocchia, e Carpano* a Tutrice acquiſita poſt obitum Joannis, non erant de tempore confectionis inventarii in hæreditate, id eo-

23 que non poterant deſcribi; aliud verò nuncupatum *Poticcio*, ſeu *Pian di Moſcione* cum domo in eo exiſtente erant dotalia, & propria ipſius Margaritæ Tutricis, quæ res proprias, ne ſibi præjudicaret, deſcribere non debebat, ad *Text. in l. fin. ibique Otofred. Cod.*

*Cod. de arbitr. tutel. Bart. in l. Tutor. qui
repertorium num.*12., *& ſeqq. ff. de admini-
ſtrat.*, *& peric.tutel.cum aliis apud Gratian.
diſcept.*71. *num.* 8., *&* 9.

Addebantque Domini ſingulis hiſce facti
24 circumſtantiis animadverſionem, quam
Margarita Mater Fratrum de Dionyſiis, eo-
rumque Tutrix, quæ in ſuſceptione tutelæ
hujuſmodi confecit inventarium, eodem uſa
fuit in redditione rationis coram Judice de
ſua adminiſtratione expleta, quæ declarata
fuit ſufficiens, & legitima, ita ut quodammo-
do fuerit etiam dictum inventarium judicia-
liter canonizatum, multoque minus valeat
ex capite tot vitiorum nullum, & ille-
25 gale putari, maximè quia id contingit,
tempore quo nulla ſuſpicio haberi poterat
de præjudicio creditoribus inferendo, non
attenta ulteriori replicatione, quod etiam
deficiat in ſolemnitatibus, quia illæ adhibi-
tę à Tutrice reſpiciunt ſolam tutelæ ſuſcep-
tionem; pręter enim alias reſponſiones, illæ
26 prę cæteris Dominis placuerunt, quod ſo-
lemnitates adhibitæ in dicta tutelę ſuſceptio-
ne, continuatæ preſumuntur in inventario
immediatè, & per viam continuationis ejuſ-
dem actus exarato, licèt in illo id non fue-
rit enunciatum, ut inquit *Ridolphin.in praxi
lib* 1. *cap.*9. *num.* 102. 103., *&* 106., *Rota
dec.*597. *num.*1. *in fin. par* 4. *recent. tom.*1.
27 quodque in omnem caſum ad effectum re-
ſtitutionis in integrum neceſſarium non eſt
inventarium ſolemne, ſed ſufficit, quod de
ſtatu hæreditario conſtet quomodocumque,
etiam per ſimplicem deſcriptionem, *Sammi-
niat. contr.* 48. *num.* 17., *Staibau.reſol.* 168.
*num.*30., *& ſeqq.*, *Gobat. conſul.* 122. *n.* 21.,
*Vrceol. conſult.*19. *in* 2. *appendic. num.*2., *&*
7., *bo.me. Thomat. in vot. impreſſ.apud Gal-
les de reſtit. in integr.cap.*2. *n.*240., *&* 256.

Minuſque relevante ponderatione illa
habita in præterita reſolutione, quod inven-
tarium hæreditarium nullum jam declara-
tum à Sacr. Rot. pinguius ſit illo Tutoris,
quod modo approbatur; utriuſque enim le-
ctura, & accuratior tranſcriptio Dominis
exhibita in præſenti Audientia, illos docuit
28 de inſubſiſtentia iſtius ſuppoſiti, ita ut, his
omnibus ex facto corruentibus, viſum ſit
tutelare integrè confectum, & bona fide exa-
ratum, adeoque ad effectum concedendæ
reſtitutionis in integrum pro confectione al-
terius legittimi inventarii omnino attenden-
dum, ex authoritatibus relatis in antece-
denti deciſione §. *quemadmodum*.

Quibus attentis, cum conſtet de firmatio-
ne ſtatus, ex hoc inventario, & de læſione
ex imminenti periculo exequtionis in bonis
propriis, & in perſonis, fruſtra petita in in-
tegrum reſtitutio excludi prætendebatur, ex
eo, quod illa peteretur poſt diutinam oppo-
ſitionem contra realitatem crediti, & poſt-
quam aliàs petita, & obtenta fuerat in parti-
bus per eorumdem Fratrum Tutricem, uſque
de anno 1677.

Etenim prima objecti pars non ſubſiſtit in
facto, quia omnes exceptiones adductæ in
præſenti cauſa per Fratres de Dionyſiis ſem-
per reſpexerunt præſervationem eorum bo-
norum, & perſonarum; creditum verò nun-
quam impugnarunt, nec illius conſequtionem
29 in bonis eorum Patris. Secunda autem non
ſubſiſtit in jure, quia cum deventum ad id
fuerit coram Judice incompetente, & Tutrix
poſt illam obtentam non confecerit inventa-
rium legitimum, illaque uti neglexerit, po-
teſt Minor, detecta nullitate, petere ex ſe no-
vam reſtitutionem in integrum, ne ex culpa
ſuæ Tutricis enormiſſimè læſus remaneat, *Fa-
nucc.de invent. quæſt.*239. *nu.*26., *Mareſcott.
var. reſol. lib.*2. *cap.*98. *nu.* 13., *Oddus de re-
ſtitut. in integr.par.*16. *art.*2. *num.*24., *Ro-
ta in Sabinen. bonorum ſuper artic.* 29. *Ja-
nuarii* 1703. §. *quoniam cor. bo.mem. Kau-
nitz*.

30 Demum non urget, quod hæc inſtantia
promoveatur non ſolum poſt lapſum qua-
driennii à jure præfixi ad petendum dictam
in integrum reſtitutionem, ſed etiam poſt
31 annos quadraginta. Etenim certum eſt de
ſtylo Curiæ, quod in ſupremis Tribunalibus
lapſus quadriennii non attenditur, ſed pro-
bata læſione, ſemper conceditur reſtitutio,
præſertim Minoribus, non obſtante quocum-
que temporis lapſu, ut teſtantur *citat. bo. me.
R. P. D. Thomat. apud Galles cap.*2. *n.*248.,
*& Sac. Rot. dec.*2083. *num.* 44. *cor. Coccin.
dec.*540. *num.*17. *par.* 4. *rec.*, & apud *Card
32 de Luc. de Teſtam. dec.* 19. *num.* 103. Tem-
pus namque quadriennii eſt utile, nec inci-
pit currere, niſi à die ſcientiæ nullitatis in-
ventarii tam Facti, quam Juris, *Vrceol.conſul.*
63. *num.*31., *& deciſ. Florent.* 10. *num.* 3.,
*Rodulphin. allegat.*175. *nu.*34. *Card. de Luc.
de hæred. diſc.*29. *num* 6., *& Rot.apud cum-
dem de Teſtam. ſępè allegata dec.* 19. *nu.* 15.,
*& cor.ſa. me. Alex. VIII. dec.*204. *nu.* 1.

Hanc autem ſcientiam in præſenti Fratres
de Dionyſiis non habuerunt, niſi in die, quo,
examinato negocio, fuit defectuoſitas inven-
tarii detecta coram R. P. D. A. C. Cincio,
33 itaut uſque tunc in juſta fuerint credulitate
ne dum Juris ſed etiam Facti ſuper defectibus
illud inficientibus, & ſuper quantitate de-
bitorum, quorum plura noviter detecta fue-
runt, & propterea (quicquid ſit, ſi ageretur
de ſubſtinenda inventarii validitate) certè
quoad reſtitutionem in integrum admiſſa il-
lius nullitate, ut validum conficere poſſint,
omni jure promærentur, ut in terminis for-
tioribus de Majore petente poſt quadrien-
nium reſtitui adverſus malam inventarii con-
fectionem, dixit *Rot. dec.*475. *num.* 48., *&
ſeqq. par.*19. *rec.*, *& apud Card. de Luca de
teſtam. dicta dec.* 19. *num.*12., *&* 13.

Et ita, omiſſa quacumque inſpectione titu-
lorum, qui pro præſervandis aliquibus bonis
à qualitate hæreditaria allegabantur, uti
præſentem quęſtionem non reſpiciente re-
ſolutum fuit Quinto, & Sexto ſuffragium fe-
rentibus, & utraque parte &c.

RO-

ROMANA DOTIS SUPER EXPENSIS.

Lunæ 10. Januarii 1718.

ARGUMENTUM.

De Stylo Curiæ in cauſa victus tenetur victori expenſas reficere, & quoad judiciales, nulla illius favore datur liſtæ moderatio.

SUMMARIUM.

1 *Expenſæ judiciales uſque ad obulum à victo reficiuntur, & iſtæ quæ dicantur.*

2 *Honoraria procuratorum coram A.C. pro quolibet inſtantia in ſcut. tribus taxantur, & in ſcut. 10. in Rota.*

3 *Refectio expenſarum, quando plures ſunt in cauſa citati, ab illo tantum ſubeunda eſt, qui litem, cæteris reluctantibus, proſequi voluiſſet.*

DECISIO MXXXV.

Conſequi volentes Fratres de Inghiramis ſc.200. promiſſa per Catharinam Nunez Mariæ Fælici Almeidæ ejus Filiæ, & ipſorum prædefunctorum Matri, quorum ſolutio poſt promittentis obitum ſtipulata fuerat, judicium inſtruxerunt coram R.P.D.Tanara Judice ab A.C.deputato, & unicum oppoſitorē reperierūt Cæſarē Amadeum intereſſe habentem, ex eo quod in Primogenitura per eamdem Catharinam ordinata ſubſtituti ſint illius Filii, qui á mandatis per dictos Fratres reportatis appellationem obtinuit, diſcuſſam ex pluribus Signaturæ Juſtitiæ commiſſionibus prius coram R. P. D. meo Foſcaro, deinde coram Me, & demum coram R.P.D. Herrera, à quo in ſequelam reſcripti *ſine præjudicio*, rem judicatam inductam eſſe declaratum extitit, & de more taxatæ fuerunt expenſæ.

Cum autem ab hac quoque expenſarum taxatione fuerit iterum hactenus recurſus ad Signaturam Juſtitiæ, cauſa mihi delegata, propoſui dubium commiſſioni conformæ. *An conſtet de exceſſiva taxatione, & Domini negativè reſponderunt.*

Quippe quia inſpecta earumdem expenſarum qualitate, nullus ex cogitari valuit in
1 illarum notula exceſſus, partim enim erant ex illis, quæ vivę, & judiciales appellantur, nempe regeſtra actorum, eorumque extractus, Sportulæ, citationes, & ſimilia, quorum rerum tam de jure, quam de Stylo Curiæ, & prę ſertim hujus Sacri Auditorii nulla peti poteſt moderatio, ſed ſunt per Victum Victori integraliter reficiendæ, juxta plenè deducta in *Romana expenſarum 11. Januarii elapſi anni 1717. §. Præſertim, & in Romana Immiſſionis ſuper expenſis 2. Julii ejuſdem anni §. devenientes cor. Me* & paſſim alibi.

Partim vero conſiſtebant in aliis, quæ extra judiciales ſūt, nempe honoraria defen-
2 ſorum litis, & harum quoque rerum, optimè proceſſum fuit in taxatione, dum fuerunt calculatæ juxta praxim frequenter admiſſam quoad primā inſtantiā corā Judice ab A.C. deputato in ſc.3. & pro aliis inſtantiis Rotalibus in ſcut.10. pro quolibet inſtantia, unde neque quoad primas, neque quoad iſtas ullus concurrere viſus fuit exceſſus, ad firmata in propoſito *per Rot. in Bononien. bonorum ſuper expenſis 6. Martii 1713. §. Reſpectu cor. R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore, in Romana redditionis rationis ſuper expen. 15. Jan. anni proxime præteriti §. Expenſæ cor. R. P. D. meo Rovault. de Gamaebes, & in allegata Romana immiſſionis ſuper expenſis §. Sicut etiam cor. Me.*

Neque exceſſus deduci valuit ex eo, quod fuerit ad expenſarum refuſionem condemnatus Cæſar Amadæus dumtaxat, quando tamen in lite citatus fuit, & ſuccubuit etiam Petrus Franciſcus de Inghiramis hæres Ca-
3 tharinæ debitricis. Etenim juſtè proceſſit contra ipſum Cæſarem ſolum condemnatio, dum Petrus Franciſcus recognita ſtatim ſubſiſtentia actionis intentatæ per alios Fratres de Inghiramis, ſtatim acquievit Judicio R.P. D. meo Tanaræ, non ita tamen ſe geſſit idem Cæſar, dum petita deputatione Curatoris pro ulterioribus vocatis ad Primogenituram conſtitutam à ſupradicta Catherina, appellationem à mandato d. memorati Iudicis petiit, obtinuit, & proſequtus fuit uſque adhuc per tres inſtantias Rotales; unde cum ipſe ſolus cauſam dederit liti, & expenſis factis à Victoribus, utique debet etiam ſolus univerſam earum refuſionem, & condemnationem ſubire, ut aliàs in his terminis reſponſum fuit in *Romana Pecuniaria ſuper expenſis 7. Decembris 1716. §. expenſarum coram R.P.D. meo Corio, & in Romana expenſarum 11. Ianuarii 1717. §. Quibus cor. Me.*

Et ita Fratribus tantum de Inghiramis informantibus, & Cæſare pluries monito, reſponſum fuit &c.

FERRARIEN. CAUTHELÆ ANGELI, SEU REDDITIONIS RATIONIS.

Veneris 14. Ianuarii 1717.

ARGUMENTUM.

Cauthela Angeli allegata à Filio ad Patris Creditores arcendos, ut ſubſtineatur, debet prius ille ſtrictam de bonis hæreditariis reddidiſſe rationem, fructuſque de iſtis perceptos eorundem Creditorum commodo reportaſſe, cum ſuos facere eidem non licuerit; necnon etiam de aliena hæreditate, quæ ad Patris manus titulo hæreditario deveniſſet, ſimilem redditionem rationis facere obligatus remanet; filius enim tali caſu per ſuarum actionum confuſionem nullum poteſt allegare titulum, ſed tanquam hæres ſimplex eſt reputandus.

SUMMARIUM.

1 *Allegans Cauthelam Angeli ſuper bonis hæreditariis Patris, de eis prius rationem reddere tenetur.* 2 *Red-*

2 *Redditio rationis de bonis hereditariis non facta probatur ex relatione Periti Curialis, que in hac materia attendenda eſt.*

3 *Redditio rationis non dicitur facta à filio de bonis hæreditariis Patris, quando illius fructus percepiſſet, qui commodo creditorum ſtare debuiſſet.*

4 *Amplia, quando hæres retineret apud ſe mobilia creditorum hypotheca affecta abſque ullo titulo, præſertim ad effectum ſubſtinendi Cauthelam Angeli ſuper eis allegatam.*

5 *Cauthela Angeli ſine titulo juſto, & claro non ſubſtinetur.*

6 *Aſſignatio vitalitia fructuum de uno corpore provenientium, non transfert in aſſignatarium proprietatis dominium.*

7 *Poſſeſſio bonorum hæreditariorum Patris penes filium ad titulum hæreditarium refertur, & non ad alium, qui eſſet turbidus.*

8 *Heres heredis conſideratur hæres quoque primi defuncti, & ob id, ut rationem reddat de bonis ſui authoris, tenetur quoque ad reddendam rationem de prima hereditate.*

9 *Detractiones ſemel à Rota approbatæ favore hæredis in uno judicio, ſi in alio earum titulus deducatur pro fundamento Cauthelæ Angeli, pro competentibus ſunt præſupponendæ.*

10 *Qualitas hæreditaria inducitur in filium, etiam ſi non ipſe, ſed frater tam ejus nomine, quàm proprio Paternam adiviſſet hæreditatem, quando ille à d. fratre geſta ratificaſſet,* & vide rationem in n. ſeq.

11 *Aditio hereditatis paternæ de facili in filio præſumitur.*

12 *Amplia, ſi quis mandatum Procuræ exaraſſet ad effectum illam adeundi, qua major probatio non datur.*

13 *Subamplia, quando ſe ad cauſam adverſus Creditores admittere feciſſet.*

14 *Qualitas hæreditaria inducitur ex meris enunciativis judicialibus.*

15 *Scriptura producta, à producente ſemper dicitur approbata.*

16 *Aditio hæreditatis præſupponenda eſt in illo, qui iam ex poſt dimiſiſſet.*

17 *Amplia, in illo, qui peteret admiſſionem ad redditionem rationis de eadem,* ac ſubamplia, ut in n. ſeq.

18 *Deciſio Rotalis dicitur acceptata ab illo, qui in ejus ſequelam inſtetiſſet.*

19 *Hæres non ſe liberat à Creditoribus hæreditariis per ejuſdem hereditatis repudiationem, niſi prius de ea fidelem reddiderit rationem,* amplia ut in n. 24.

20 *Qualitas hæreditaria, ne dicatur in aliquem inducta, non requiritur poſitiva bonorum poſſeſſio penes illum, cum aditio non tàm ſit quid facti, quàm animi.*

21 *Adiens hereditatem, cum iſtius creditoribus contrhait, & de omnibus damnis ex propria culpa hereditati illatis tenetur.*

22 *Deciſio poſterior relationem habens ad priorem, uti prior intelligenda eſt.*

23 *Hæres quando intelligatur obligatus ad reddendam rationem etiam de illis bonis hæreditariis, quæ ad ſuas manus non perveniſſent.*

24 *Hæres ſimplex fit ex inſufficienti redditione rationis de bonis hæreditariis, & etiam in propriis ad defuncti debita obligatur.*

25 *Amplia ut nullum valeat allegare titulum retinendi bona hæreditaria, cum ex eadem inſufficienti redditione rationis ſua jura confundiſſe dicatur.*

DECISIO MXXXVI.

SUbortis pluribus controverſiis circa teſtamentariam diſpoſitionem Com. Roberti Montecatini de anno 1677. defuncti interComitiſſam Camillam Sacratam illius Viduam relictam, atque hæredem uſufructuariam ex una, & Com. Joannem Baptiſtam Montecatinum hæredem proprietarium ex altera, deventum extitit ad concordiam, in qua ceſſis à Comitiſſa Camilla bonis omnibus hæreditariis d. Jo. Baptiſtæ, ſeſe iſte obligavit illi perſolvere annua ſcuta 124. pro legato ſui uſusfructùs.

Servata fuit hujuſmodi tranſactio uſque ab annum 1692., quo tempore idem Co. Jo. Baptiſta ſub læſionis prætextu cæpit illam judicialiter impugnare, & licet in hoc Judicio poſt reportatas duas ſententias favorabiles in partibus à Comitiſſa Camilla coram Locumtenente Civili, & in Rota Ferrarienſi (*juxta deciſionem impreſſam apud Calderon. p. 2. reſol. 62.*, & *penes Palm. Nep. tom. 2. dec. 170.*) ſuperveniſſet ſententia A.C in tertia inſtantia per appellationem interpoſitam à Co: Jo. Baptiſta, & proſequtam poſt iſtius obitum à DD. Com. Alphonſo, & Advocato Antonio Feliciano Montecatini; nihilominus delata Cauſæ cognitione ad noſtrum Auditorium, aliæ prodierunt ſententiæ revocatoriæ iſtius A. C., & confirmatoriæ præcedentium duarum de Partibus, juxta deciſiones editas 4. Maii 1703. cor. Reverendiſſimo P.D. Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore, & 20. Junii 1704. cor. bon. mem. Omanna, canonizzatæ per Signaturam Juſtitiæ cum clauſula *ſine præjudicio*, in quarum ſequelam fuit expeditum à Comitiſſa mandatum de manutenendo in exactione ſcutor. 124 annuorum ad formam recenſitæ Tranſactionis.

Allegavit poſthæc præfatus D. Antonius Felicianus contra D. Marchionem Franciſcum Sacratum hæredem Comitiſſæ Camillæ vulgatam Cauthelam ab Angelo traditam, *in l. à D. Pio §. Si ſuper rebus n. 1. ff. de rè judic.* ſuper quiquſdam bonis, quæ poſſidere alio titulo, quam hæreditario Jo. Baptiſtæ ſui Patris, & debitoris intendebat; ſuccubuit tamen etiam in iſta inſpectione coram eodem bon. me. Omanna, juxta aliam deciſionem coram eo editam die 7. Decembris 1705.

Non deſtitit vero aliam commiſſionem appellationis obtinere à Signatura Juſtitiæ qua di-

direćta bo. me. Caſſarellio, noſcens qualitatem hæreditariam ſui Patris obſuiſse expoſtulatę præſervationi bonorum ab executione prædicti mandati, petiit ſubdelegationem Judicis in Partibus ad effećtum reddendi rationem, votique compos factus, Proceſsum remiſsorialem in actis ſucceſſivè exhibuit, & curavit proponi dubium -- *An eſſet procedendum ad legitimam exequtionem*, cui reſponſum fuit in Audientia diei 29. Aprilis 1709. *Dilata, & eligatur Peritus Curialis*.

Hoc interim adimpleto, ſubrogatus extiti in locum d. bo. me. Caſſarelli, & propoſui pluries dubium -- *An conſtet de ſufficienti redditione rationis, ſeu potius ſit locus executioni mandati Rotalis* -- Sed nulla unquam capta fuit reſolutio; adſcitis etiam ad ſuffragium ferendum *omnibus Dominis*. Hodiè tamen cauſa repropoſita, reſponſum habui -- *non conſtare de ſufficienti redditione rationis, & mandatum Rotalę eſſe exequendum*.

Fundamentum autem iſtius reſolutionis
1 in eo ſtetit, quod D. Co. Antonius Felicianus, ut aſsumptam Provinciam legitimè expleret, tenebatur rationem reddere de bonis provenientibus ab hęreditate Jo. Baptiſtæ
2 ejus Patris pro medietate ad ſe delata; id verò illum non feciſse plenariè conſtat ex relatione Periti Curialis referentis de mandato Sacri Tribunalis, & concludentis in hoc onere illum procul dubio defeciſse, cujus quidem Periti relatio attendenda omninò eſt, juxta communem in judicando praxim, de qua *Cyriac. contr.* 159. *n.* 2, & aliis adductis *Rota in Reatina donationis ſuper fructibus quoad reſervata* 7. *Aprilis* 1710. §. *Quantum vero*, & *in Romana redditionis rationis* 13. *Ianuarii* 1716. §. *Illius coram Me*.

Et ſane defecit in pluribus prędicta reddi-
3 tio rationis, ac præ ceteris reſpectu fructuum hæreditatis decurſorum per quatuor ferè annos à tempore obitus debitoris ad tempus incohàti proceſsus redditionis rationis; hos enim D. Co., Creditoribus Patris jàm urgentibus, ſuos facere non poterat, ſed tenebatur ad comodum hæreditatis conferre, ut aliis allegatis dixit *Rot. in dec. hujuſmet cauſæ* 8. *Decembris* 1707. §. *Abſque eo cor. bon. me. Omanna*, & *in Sutrina cenſus* 26. *Iunii* 1709. §. *fin. cor. Reverendiſſimo Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore*, & 13. *Maii* 1713. §. *Eodem cor. Eminentiſſimo D. Car-
4 dinali Scotto*. Idemque eſt quoad plura mobilia, & non modica etiam bona, quæ Peritus enumerat in ſua relatione §. *Reſtringendo*, circa quæ nullum validum, ac ſubſiſtentem retinendi titulum hactenus ille exhibuit, in modum, ut hujuſmodi titulo non concurrente, & poſita eorumdem bonorum apud ipſum exiſtentia, dici neceſsario debeat inſufficientem eſse redditionem rationis huc uſque factam, præſertim pro effectu, de quo hìc, præſervandi eadem bona ab exequtione vigore Cauthelæ Angeli, quæ neceſsè cæteroquin habet, quod claris fundata ſit Juribus, & ſit fulcita titulis nul-
5 lam admittentibus exceptionem, ut dictum fuit *in Interamnen. redditionis rationis*, & *Cauthelæ Angeli* 15. *Februarii* 1712. §. *fin. cor. Reverendiſſimo P. D. Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*, & *in Eugubina fideicommiſſi ſuper Cauthela Angeli* 5. *Aprilis*, 1715. §. *Pariter finali cor. Me*.

Sub eodem genere rerum, quarum redditio rationis ſufficiens non habebatur, connumerarunt quoque DD. Palatium hic in Urbe ſitum in Platea nuncupata *di Sciarra*; illud enim quoque repertum fuit in hęreditate Joannis Baptiſtę, & conſequenter obnoxium erat debitis ab illo contractis. Non ſubſiſtente reſponſione, quod aſſignatum fuiſſet R. P. D. Carolo, ideoque tempore initæ tranſactionis, à qua jus deſumit Marchio Sacratus uti ſucceſsor Comitiſsæ Camillæ, non amplius eſset in bonis prædicti Joannis Bap-
6 tiſtæ debitoris. Hujuſmodi namque aſſignatio fuit vitalitia, nullo proprietatis Jure tranſlato in eumdem R. P. D. Carolum, ideoque per illam ità expletam, dominium Palatii penes aſſignantem remanſit, minuſque obſtante, quod competat Co. Antonio Feliciano jus retinendi idem Palatium pro reintegratione fideicommiſſi Antonii Montecatini nuncupati *Il Filoſofo* ſui favore purificati ob plurimas alienationes de bònis huic fideicommiſſo ſubjectis factas ab Alphonſo Seniore. Huc
7 uſque enim neque certa, & pręciſa probatio data fuit dd. alienationum, neque concludenter conſtitit ſolum Antonium Felicianum eſſe vocatum ad d. fideicommiſsum, in quo, cum ſit aſcendentale, fortaſſe vocatus erit (ut in contrarium prætendebatur) etiam Comes Alphonſus ejus frater, & tamen ipſe integrum Palatium poſſidet; unde ſtante tituli turbiditate, recurrit, quod in concurſu clarioris tituli reſultantis ex aditione hęreditatis Jo. Baptiſtę, venit iſti talis poſſeſſio referenda.

Augetur demum defectus redditionis rationis propoſitæ à D. Com. Antonio Felicia-
8 no, ex quo uti hæres Joannis Baptiſtæ ejus Patris, qui fuit hæres Comitis Roberti, tenetur illam reddere etiam de bonis iſtius; ita ſuadente vulgari regula, quod hæres hæredis, eſt etiam hæres primi defuncti, *adtext. in l. qui per longiſſimum* 194 *ff. de regul. jur.* & *l. heredis appellatio* 65. *ff. de verbor. ſignific.*, & *alia jur. adduct. in Romana Cappellaniæ* 16. *Martii* 1708. §. *Quod autem cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*, & *in Cajetana Pecuniaria* 6. *Junii* 1712. §. *Validum cor. R. P. D. meo Criſpo*. In hac vero Comitis Roberti hæreditate non modi-
9 ca pariter bona contineri certum eſt ex relatione Periti, qui præſertim plures enumerat detractiones in bonis cadentibus ſub fideicommiſſis Domus Montecatinę illi competentes, & approbatas non ſolum à Rota Ferrarienſi in ſupra relata cauſę hujus deciſione impreſſa penes *Calderon. reſol.* 62., &

pe-

penes *Palm. Nep. alleg.* 170. *tom.* 2., ſed & a noſtro Tribunali *in deciſione edita* 29. *Iu-*
9 *nii* 1704. *cor. bon. mem.* Omanua, quibus ſane deciſionibus ſtare etiam nunc D. Comes Antonius Felicianus tenetur, cum de more ſint ſupponendę.

Agnoſcens ille præmiſſas difficultates, recte ſubſiſtere, ſemper in ea pedes fixit exceptione, quod ipſe fuerit hæres Jo. Baptiſtę ſui Patris in nudo tantum, & mero nomine, occupatis cæteroquin rebus, & bonis per Com. Alphonſum ejus fratrem, quodque, ſi quæ ipſe poſſedit, dimiſit jàm favore Creditorum prędicti eius Patris, itaut ſublata quoad ſe qualitate hæreditaria, eaque refuſa in ejus fratrem, non poſſit ipſe hodie à Marchione Sacrato moleſtari.

Quandoquidem compertum extitit apud DD., quod licet non concurreret effectiva
10 aditio ex parte ipſiuſmet Comitis Antonii Feliciani, ſatis tamen illa educebatur, ex quo Co. Alphonſus paternam hæreditatem adivit nomine non tantum proprio, ſed dicti ejus fratris, & ipſe Antonius Felicianus geſta per eius fratrem pluribus ſubinde univocis actibus ratificavit, & confirmavit, qui ſi qualitatem hæreditariam apti unquam forent inducere, multo magis id operari debebant in
11 præſenti, quod agitur de aditione hæreditatis Paternæ quoad filium, quæ facilius, inducitur, & præſumitur *Rota in Sutrina cenſus* 13. *Maii* 1713. §. *Non obſtante cor. Eminentiſſimo D. Card. Scotto*, & *in Peruſina Pecuniaria* 16. *Martii* 1714. §. *Minus refragante cor. R. P. D. meo Falconerio Urbis Gubernatore*.

Hujuſmodi vero actus inde præſertim reſultare viſi ſunt (prout aliàs dictum fuit in deciſione hujus cauſæ 7. Decembris 1705. coram bo. me. Omanna) quod conteſtato in partibus Judicio ſuper redditione rationis, de qua Comes Alphonſus uti hęres Beneficia-
12 tus communis Patris exceperat, idem met Comes Antonius Felicianus in hujuſmodi judicio comparuit, & mandatum procurę exaravit, in quo expreſſa legitur confeſſio qualitatis hæreditariæ; qua nulla major eſt probatio, *ad text. in l. generaliter C. de non numer. pecun.*, ut in propoſito expendit *Gobb. conſult.* 122. *n.* 17., & *ſeq.*, *Adden. ad Buratt. dec.* 207. *n.* 19. *in fin.*, *Rota cor. Bich.*
13 *dec.* 490. *n.* 9., & ſucceſſive admitti curavit ad cauſam cum Creditoribus à fratre introductam, eamque proſequi ſtuduit, tam in partibus, quàm etiam coram A. C., qui ſanè actus utpotè ſolis hæredibus competentes, neceſſario qualitatem hæreditariam demonſtrant, *l. pro hærede*, & *l. gerit ff. de acquir.*
14 *hæred.*, præſertim cum ſint actus judiciales, in quibus ſolæ enunciativæ ſufficerent, ut firmavit *Rota dec.* 169. *n.* 1. *p.* 15., & *dec.* 66. *n.* 8. *p.* 18. *rec.*, & fortius quia præexiſtit il-
15 le primordialis titulus aditionis communi nomine expletæ à Com. Alphonſo, qui rurſus mediante illius exhibitione in actis, cenſetur à Comite Antonio Feliciano producente approbatus, *Rota dec.* 484. *n.* 8. *p.* 19. *rec. tom.* 2., *aliiſque adductis in deciſ. hujus cauſæ ſupra allegat.* §. *Ex quibus cor. bo. me. Omanna*.

16 Non minùs idem reſultat, tum ex dimiſſione bonorum hæreditariorum, ſive ipſius hæreditatis facta ab eodem Com. Antonio Feliciano, & in objecto ſupra recenſita, quippe quia talis dimiſſio præſupponit antecedentem illius acquiſitionem, juxta regulam, de qua *Text. in l. decem* 16. *ff. de verbor.*
17 *oblig.*, tum etiam ex poſtrema ipſius petitione reddendi rationem, quæ pariter in petente ſupponit exiſtere qualitatem illam hęreditariam, qua ſe, facta ſufficienti redditione rationis, poſſę putat exuere, adeout ex hoc quoque ipſius facto nova ejuſdem qualitatis confeſſio oriatur per ipſummet confitentem non impugnabilis, ad *Text. in l. generaliter C. de non numer. pecun.*, *l. cum Græcum C. de liberat. cauſ.*, & *cap. per tuas*
18 *de probat.*, maximè quia prodiit, poſtquam ejus qualitas hæreditaria quoad Patrem his met ipſis ſupra recenſitis fundamentis fuerat conſtabilita in antecedentibus hujus cauſæ reſolutionibus, & præſertim in dicta deciſione bo. me. Omannæ, quam tanto magis videtur acceptaſſe, quia in illius ſequelam prædictam inſtantiam porrexit, & ad dictam redditionem rationis obtinuit admitti, juxta firmata ſuperiori §. *Augetur*.

Hinc eſt, quod nequaquam refert, factam fuiſſe præfatam diviſionem, ſeu repudiationem hæreditatis, & eius bonorum ab eodem Comite Antonio Feliciano, ut à moleſtiis creditorum ſui Patris eximeret bona, ſuper quibus allegavit Cauthelam Angeli; quia
19 poſito, quod ſit hæres, & rationem ſufficientem non reddiderit, prædicta repudiatio remanet inutilis, nulloque modo illum præſervat ab obligatione, quam jam cum Patris creditoribus, adeundo contraxit, ad *Tex. in l.* 3. §. *fin. ff. ex quibus cauſ. in poſſ. eat.*, *Rot. dec.* 106. *n.* 38. *cor. Arguel.*, & *in Lauretan. Legati* 26. *Junii* 1711. §. *Ulterius cor. Me*, & quam propterea ſervare pro ſua portione hęreditaria tenetur *Rot. dec.* 7. *n.* 11. *in Mantiſſ. ad Card. de Luca lib.* 5. *to.* 3. *in Eugubina fructuum* 29. *Jan.* 1712. §. *Non obſtat cum ſeqq. cor. Me*, & *in Auximana Pecuniaria* 15. *Jan.* 1714. §. *Conſtito cor. R. P. D. meo Criſpo*.

Minuſque relevat, quod de facto ipſe Comes Antonius Felicianus nihil unquam poſſederit de bonis hæreditariis ſui Patris. Præter enim quod hujuſmodi aſſertio totaliter pugnat cum pluribus ſupra relatis actibus concludentibus illum rerum hæreditariarum, & ipſius hęreditatis pro parte ad ſe
20 delata poſſeſſorem fuiſſe, urget ulterius illa animadverſio, quod ad aliquem hæredem conſtituendum non requiritur effectiva bonorum poſſeſſio, cum aditio hæreditatis non ſit tam facti, quàm animi, ut inquit *Vulpian. in l. pro hærede* 20. *ff. de acquir. hæred.* ibi -- *ſe gerere pro hęrede, non ſit tam facti*,

quàm animi -- ſed ſatis propterea eſt præſertim favore eius creditorum, quod aliquando hæreditatem acceptaverit, ad hoc, ut ſi propria culpa ad acquiſitionem rerum hæreditariarum non devenerit, de illis tamen
21 rationem reddere obligatus ſit: tenetur namque ratione obligationis adeundo contractæ, cum creditoribus ad inſtar Procuratoris, & adminiſtratoris ſe gerere, & omne damnum favore illorum emendare, quod hęreditas ſua culpa paſſa fuit, *Rot. in Romana Aſsentiſtatus* 19. *Novembris* 1698. §. *Idque ſummo cum ſeq cor. Rm̃o D. Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore, & in Romana, ſeu Florentina Cenſus* 18. *Junii* 1708. §. *Quæ verò cor. Rm̃o P.D. meo Anſaldo Decano.*

Fruſtra pariter comprobare ſatagebat hujuſmodi aſſumptum Co. Antonius Felicianus ex mente hujus Sacri Tribunalis, quam colligere putabat ex deciſione bo. me. Caffarelli diei 22. Junii 1707. talem fuiſſe, ut nonniſi de bonis ad ſuas manus perventis ra-
22 tionem reddere teneretur. Quandoquidem allegata deciſio in hac parte relationem habet ad aliam præcedentem deciſionem bon. mem. Omannę editam ſub die 7. Decembris 1705., in qua abſque ulla reſtrictione firmatum fuit illum teneri ad redditionem rationis hæreditatis ſui Patris; undè vigore talis relationis eodem modo intelligenda foret,
23 & ſubſequens deciſio bon. me. Caffarelli. Quod verò in hac parte omnem tollit ambiguitatem, illud eſt, quod agitata in ſacra Rota hac ipſa controverſia, antequam Peritus referret, reſcriptum prodiit ſub die 2. Auguſti 1709. -- *Peritus referat ſuper omnibus bonis deſcriptis in inventario.* Si autem in inventario deſcripta ſunt etiam bona illa, quæ ad manus prædicti Comitis non pervenerunt, certum ecce eſt, quod jam à ſacro Tribunali definitum fuit etiam de non perventis ad ejus manus, rationem illum reddere obligatum eſſe, ut de ſe patet.

24 Stabilita itaque ex præmiſſis inſufficientia redditionis rationis, quam ad exeundam qualitatem hæreditariam Patris, facere intendebat Dominus Comes Advocatus Montecatinus, planè ſubſequitur, quod etiam ſit locus contra ipſum executioni mandati Rotalis favore D. Marchionis Sacrati, quia dum remanet purus hæres, ad debita defun-
25 cti procul dubio eſt adſtrictus, & confuſis per qualitatem hæreditariam ejus juribus, nullum allegare valet titulum, quo bona juxta cauthelam ab Angelo traditam ab executione præſervet, *Rot. in Eugubina Cauthelæ Angeli* 10. *Februarii* 1712. §. *Quod autem cor. Rm̃o. P.D. Aldravando Archiepiſcopo Neoceſarien., & in Peruſina immiſſionis ſuper Cauthela Angeli* 19. *Jun.* 1716. §. *Quatenus cor. Me.*

Et ita omiſſa alia inſpectione, an etiam uti hæres fideicommiſſarius teneretur dictus Comes Montecatinus ſervare tranſactionem bona fide factam à Joanne Baptiſta ejus in fideicommiſſis anteceſſore, quam inſpectionem in præſenti ſuperfluam exiſtimarunt, reſolutum fuit poſt plures cauſæ propoſitiones omnibus Dominis ſuffragium ferentibus, & utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Veneris 14. *Januarii* 1718.

ARGUMENTUM.

Miniſter ad Loci Pii adminiſtrationem, vel ab iſtius Protectore, vel Congregatione electus non intelligitur ad vitam dicti eligentis, ſed ad ſemper, vel donec ex juſta cauſa removendus non videatur; adeo quod eodem Protectore defuncto, à Miniſterio remotus ipſo jure nullimodè intelligatur, ex quo etiam fit, quod ſi in adminiſtratione defeciſſet ejus fidejuſſor, non tam de geſtis ab illo in vita ipſius eligentis, ſed etiam de geſtis de tempore ſucceſſoris in Protectoria, obligatus remaneat.

SUMMARIUM.

1 *Obligatio inſtrumentalis, paratam habet exequutionem.*
2 *Debitum liquidatum adversùs debitorem mediante computo dati, & accepti, liquidum ſit etiam adversùs fidejuſsorem.*
3 *Miniſter electus à Superiore Loci Pii non cadit ab officio cum vita iſtius, & fidejuſtor donec durat miniſterium, intelligitur obligatus*, amplia ut in num 9.
4 *Miniſter prędictus ab ipſo Loco Pio dicitur electus*, & n 5., amplia ut in num. 10.
5 *Electus à dicto ſuperiore, afficit etiam ſucceſſores in eadem Protectoria.*
6 *Locus Pius ex facto eius Miniſtri remanet obligatus.*
7 *Electus à Protectore illius, eſt tamquam electus ab illius Congregatione, quando tam iſti, quàm illi ex indulto Pontificio talis tributa fuiſset facultas.*
8 *Actus non tribuitur illi perſonæ, quæ per actum materialem eum repræſentat, ſed perſone quæ repręſentatur.*
11 *Facultas removendi Miniſtrum ad beneplacitum Protectoris Loci Pii, qui eum elegit, ex juxta cauſa, etiam ad ſucceſſorem in Protectoria devolvitur.*
12 *Per errorem, ſi quid factum, vel ſcriptum ſit, revocandum eſt, & ex eo nil firmandum.*
13 *Diſcuſſio principalis debitoris non requiritur antequam fideiuſtor pulſetur, quando iſte ſolidali obligatione afficitur.*
14 *Creditor non poteſt redargui à ſolidali fideiuſsore, ex quo litem non intentaſset contra debitorem principalem, cum non teneatur, imo potiùs ſit onus fideiuſsoris ad propriam perſonam indemnem reddendam.*
14 *Fideiuſsor adversùs principalem debitorem, liberationem à fideiuſſione poteſt petere.*

16 *Fide-*

16 *Fideiuſſor, qui in uno tantum caſu, & conditionatè fidem ſuam voluiſſet eſſe reſtrictum, extra illum, & conditione non adimpleta, ad nil obligari poteſt.*

17 *Effectus obligationis non datur, ubi deſit obligatio ipſa.*

DECISIO MXXXVII.

UT ea, qua decet cura, ac diligentia pignorum judicialium, publica cuſtodia, & adminiſtratio gereretur, ſan. mem. Urbanus Papa VIII. Depoſitariam generalem, de ejus nomine Urbanam compellatam, quam magno Reipublicę beneficio in Urbe erexerat, univit, & aggregavit Loco Pio pauperum Puellarum S. Euphemię, ejuſque pro tempore Protectoribus illius regimen, & præfecturam perpetuò commiſit cum ampliſſima poteſtate, & auctoritate deputandi Miniſtros, aliaque omnia gerendi, quæ magis oportuna viderentur. Hujus itaque facultatis virtute, cum in Gubernatorem ejuſdem Depoſitariæ, uſq; ab anno 1696. electus, ac præpoſitus reperiretur à cla. mem. Cardinali Palutio de Alteriis tunc temporis dicti Loci Pii Protectore Franciſcus Lancionus, ab eoque tandiu geſtæ adminiſtrationis ratio repoſceretur, compertus fuit in limine ipſo aſſumptæ diſpunctionis liquidus debitor in ſumma ſcut. 1400. Quamobrem Deputati ejuſdem Loci Pii, pauperrimi Conſervatorii vicem dolentes, ut ejus indemnitati quam citiùs conſulerent, in judicium coram A. C. vocarunt pro ſolutione dictę ſummæ (pro nunc tamen, & ſine prejudicio majoris, de qua poſtea conſtare contigerit) Joannem Baptiſtam Bonifacium, Criſtopharum Nicolai, Bartholomæum de Leon, Felicem Jacobellum, & Antonium Raynaldum, ſive Pacichellum eius heredem, qui obligationi uſque tunc à Lanciono prçſtitæ de bene, ac fideliter adminiſtranda depoſitaria, rationeque reddenda principaliter, atque in ſolidum acceſſerunt; ſed quamquam in eo Tribunali contrariam in parte ſententiam paſſi fuerint, cauſa tamen ſubinde ad Rotam devoluta, mihique commiſſa, meliorem hodie ſortem experti fuerunt, dum propoſito per Me dubio -- *An conſtet de credito*, Domini, uno tantùm Pacichello excepto, quoad reliquos omnes *affirmativè* reſponderunt.

1 Obligatio namque per primo dictos quatuor fideiuſſores ſuſcepta pro fideli adminiſtratione Lancioni, & ſolutione reliquatus, ita clara, ac perſpicua erat, ut nullum admitteret dubitandi locum, tamquam reſultans ex publico, ac ſolemni inſtrumento, quod ut noſtri aiunt, facit probationem pro-

2 batam. Debitum verò eiuſdem Lancioni nec pariter controverti poterat, cum ex propria ipſius confeſſione approbatum fuiſſet, & cæteroquin ex libris publicis dictæ Depoſitariæ, facta invicem collatione dati, & accepti, illico evinceretur illud pro nunc ad tantam ſummam liquidò aſcendere, ut proinde his ſtantibus, etiam contra fideiuſſores ſatis firmatum, liquidatumque iure meritò videretur, ut aliàs in ſimili caſu dixit *Rot. cor. Ottbob. dec. 169. n 67., & ſeq., & in Romana Pecuniaria 6. Decembris 1715. §. Verùm etiam, & 19. Jun. 1716. §. Iterùm namque cor. R. P. D. meo Althann.*

3 Nec ſubſiſtere Domini cenſuerunt, quod deputatio Lancioni in Gubernatorem facta à Cardinali Alterio ceſſaverit ſtatim, atque ipſe Cardinalis in humanis eſſe deſiit, & conſequenter acceſſoria fidejuſſorum obligatio ad totum tempus hactenus geſtæ adminiſtrationis, extendi non poſſit, quemadmodum fuit in ſenſu Judex primæ inſtantię. Placuit enim reſponſio, quod objectum eatenus procederet, quatenus facultas deputandi Miniſtros pertinuiſſet ad dictum Cardinalem Alterium iure propriæ perſonæ, juxta caſum de quo agunt *Noguerol. allegat. 21., de Marinis reſol. iur. lib. 1. cap. 136., Rot. dec. 161., & 430. p. 14. rec.* At cum in caſu de quo agitur, eiuſmodi facultas non eo iure ad Cardinalem pertineret, ſed iure dignitatis, & officii Protectoriæ Loci Pii, prout apertè conſtat ex verbis illis Litterarum Apoſtolicarum, quas ſan. mem. Urbanus in forma Brevis direxit ad Cardinalem Antonium Barberinum primum Protectorem ibi -- *Reverendiſſimo Antonio Cardinale Barberino noſtro Nipote Protettore del Luogo Pio di S. Eufemia*, & infra, *deputiamo Voi come Protettore di detto Luogo Pio, e ſucceſsori in perpetuo di detta Protettoria per Prefetto &c. con facoltà di eleggerſi da Voi &c. li Miniſtri &c.* nullo pacto, nullaque juſta ratione ſubſtineri valet, deputationem, & electionem Lancioni ex-

4 piraſſe cum vita deputantis. Cum enim in hiſce facti circumſtantiis non à Perſona Cardinalis, quæ deficit, ſed ab Officio, & Dignitate Protectoris, ſeu veriùs ab ipſo Loco Pio, actum deputationis explicante ope, ac Miniſterio Cardinalis pro tempore Protectoris deputatus, atque electus videatur, argumento *Tex. in l. annua 20. §. Attia ff. de ann. legat.*, in cujus ſpecie reſponſum fuit in re legata Sacerdoti Templi *Miniſterium* nominati Sacerdotis fuiſſe *deſignatum*, cæterum *datum Templo*, & conſonat alius *Tex. in l. Civibus*, *ubi Bart. in ſumma ff. de reb. dub.*, bene *Gloſſ. in leg. ſicut municipum §. In decurionibus verb. nomen in fin. ff. quod*

5 *cujuſque univ. nom.*, planè conſequitur ex hujuſmodi deputatione, nedum ipſum eligentem affici, ſed etiam ſucceſſores, à quibus repræſentatur Locus Pius, qui nunquam moritur, ſed ſemper idem manet, *dicta leg. ſicut municipum §. In decurionibus ff. quod*

6 *cujuſque univ.*, & ideo ſemper obligatur contractibus, & actibus ejus nomine legitimè geſtis, ad terminos *Tex. in l. proponebatur 76. ad med. ff. de judic., Bald. in d. §. In decurionibus n. 1.; Natt. conſ. 589. à nu. 16. ad 20., Gratian. diſcept. 721. n. 8. & ſeqq., Rot. dec. 392. n. 15., & ſeqq. p. 15. rec.*

Certiùs

Tertiùs verò duplici juncta animadverſio-
7 ne; altera nimirum, quod in memorato Brevi facultas deputandi Miniſtros alternativè collata legitur in Cardinalem Protectorem, vel in Congregationem dicti Loci Pii cum confirmatione Cardinalis, undè ſicuti in caſu, quo deputatio Lancioni facta fuiſſet à Congregatione, in dubium venire non poſſet, quin ea ipſi Loco Pio adſcribenda eſſet, adeout ejus duratio à mutatiore, vel obitu deputatorum minimè penderet, ut in his terminis firmant *Joannes de Anan. in cap. fin. ne Prælat. Vic. ſuas, Abb. in cap. 1. de dol. & cont. Afflict. dec. 101. ſub n. 2. verſ. Fallit. Carol. Antonius de Luc. ad Franch. dec. 466. n. 5.*, ubi concordantes; ita pariter controverti non debet, quin eodem jure cenſenda ſit electio facta à Protectore, qui virtute dictæ alternativæ, quoad exercitium juris illiuſmodi Congregationi cōpetentis execu-
8 tus fuit; vigente præſertim in utroque eadem ratione, quod non perſonæ actum materialiter explicanti, ſed illi, quæ formaliter repræſentatur actus ipſe tribui debet, *l. ſi Procuratorem §. Si quis mandaverit, ubi Bart. ff. mandat., Rot. dec. 73. n. 11., & ſeqq. p. 15., & in Romana Affictus 23. Maii 1712. §. Ad legitimam cor. Rmo Aldrovando, & in Romana Pecuniaria 29. Januarii 1714. §. Cum itaque cor. Me.*

9 Altera, quod controverſa deputatio non verſabatur ſuper re, vel negocio ad ipſum Cardinalem pertinente, ſive aliquam ejus utilitatem reſpiciente, ſed verſabatur ſuper adminiſtratione Depoſitariæ ex Summi Pontificis munificentia annexæ, & aggregatæ dicto Loco Pio, cujus beneficio cedunt omnia emolumenta, quæ à Gubernatore adminiſtrantur, ac propterea nullo modo expirare poterat per obitum Cardinalis Protectoris, qui actum in rem Loci Pii, & ejus favore, non autem ſibi, nec in rem propriam, geſſit, juxta exemplum Prælati contrahentis ſuper re Eccleſiæ, de quo *Gloſſ. in cap. fin. verb. Statutum, ne Prælat. vices ſuas, Covarr. var. lib. 2. cap. 15. ſub nu. 6. verſ. Ego verò, Gratian. deciſ. Marcb. 99. n. 14. & ſeqq., Pacion. de locat. cap. 61. nu. 225., Rot. cor. Millin. dec. 399. n. 1. & 2., & in rec. dec. 75. n. 4. & 8. p. 11.*, ubi concordantes.

Et de facto, licèt Lancionus in ſupplici libello porrecto Cardinali Alterio approbatus ab eo fuiſſet, mediante favorabili reſcripto, ut Gubernator conſtitui poſſet:
10 obligatio tamen bene, ac fideliter adminiſtrandi, rationemque reddendi, expoſita ab eo non fuit favore ipſius Cardinalis, ſed ſignatè, atque expreſsè favore Loci Pii, præſentibus, & ſtipulantibus pro eo Deputatis, & favore pariter Loci Pii eidem obligationi principaliter, & in ſolidum acceſſerunt ſine ulla omnino temporis limitatione fidejuſſores; undè vanum eſt hodie prætendere, quod dicta obligatio pendeat à vita, vel obitu ipſius Cardinalis, cujus perſonæ etiam dum in humanis fuit, nullum jus, nullaque utilis actio ex hujuſmodi contractu quæſita fuit, ſed ſolum Loco Pio, cuius nomine fuit ſtipulatus, ut in ſimilibus terminis firmavit *Gloſſ. in l. conſtitut. 10. ff. quod cujuſque univ. nom.* illis verbis -- *Si vero ipſe Actor ſtipulatus eſt Civitati, vel Univerſitati utilem actionem ex illa ſtipulatione habebit Civitas, vel Univerſitas.*

11 Nil officiente, quod in dicto Brevi Urbano tributa fuerit Cardinali Protectori facultas deputandi Miniſtros *ad beneplacitum*, quod conceſſionem Officii ad vitam concedentis limitare ſolet, quodque de facto poſt obitum Cardinalis Alterii tam Lancionus, quàm alius Miniſter Cuſtodię pignorum Præpoſitus, novam ſuorum Officiorum conceſſionem reportaverint ab Eminentiſſimo D. Cardinali Joanne Baptiſta Spinula in dicta Protectoria ſucceſſore. Siquidem beneplacitum in dicto Brevi enunciatum non refertur ad deputationem, ſed ad remotionem ibi -- *e quelli a voſtro beneplacito rimovere*, ac propterea cum neque in reſcripto Cardinalis Alterii, neque in inſtrumento deinde celebrato ullibi limitata fuerit deputatio Lancioni ad beneplacitum Cardinalis, non poteſt exindè inferri, quod idem Lancionus Pręęoſitus fuerit Depoſitariæ ad vitam illius, ſed ſolum, quod iuſta accedente cauſa, poterat virtute dicti Brevis tum à Præponente ipſo, tum ab eius ſucceſſoribus quandocumque ab Officio removeri, *Geminian. in cap. ſi gratioſè n. 13. de reſcript. in 6., Butr conſ. 104. n. 2. & 11. lib. 5., Menoch. de arbitr. q. 55. in addit. n. 21., Gratian. diſcep. for. cap. 167. n. 46. & ſeqq., & cap. 590. n. 13. & ſeqq.*

12 Factum verò eiuſdem Lancioni, ac dicti alterius Miniſtri in petenda nova conceſſione proceſſit ex erroneo, & omnino inſubſiſtenti ſuppoſito, quod officia ab eis adminiſtrata, eſſent Cameralia, ac propterea ipſi affecti remanerent generali Edicto, quo dictus Eminentiſſimus Spinula ſtatim, atque in S. R. E. Camerarium à ſan. mem. Innocentio XII. aſſumptus fuit more maiorum admonuit omnes Cameralia Officia poſſidentes ad nonam proviſionem, ſeu confirmationem ab ipſo accipiendam, quemadmodum probant litteræ patentes eorum favore expeditę à d. D. Cardinali, non iam tamquam Loci Pii Protectore, ſed tamquam S. R. E. Camerario: undè nullam iuſtam, ac legitimam animadverſionem promeretur, ſed perinde haberi debet, ac ſi factum non fuiſſet, ad *Tex. in l. ſi per errorem ff. de juriſd. om. Jud., & in leg. nihil conſenſui ff. de R. I.*, & tradita per *Rot. dec. 206. nu. 5. cum ſeqq. p. 12., & dec. 268. n. 4. p. 17. rec.*

Atque ex his plenè conſtabilita obligatione fideiuſſorum pro toto tempore admini-
13 ſtrationis geſtæ à Lanciono, nullius momenti viſa fuit exceptio non factæ excuſſionis principalis debitoris, quodque Locus Pius neglexerit per adeo longum, ac diuturnum

turnum tempus rationes ab eo repoſcere. Quod enim attinet ad primam obiecti partem, DD. animadvertebant omnem difficultatem removeri ex eo, quod fideiuſſores tamquam principales, & in ſolidum acceſſerunt, quod genus obligationis quodcumque beneficium excuſſionis excludit, itaut reſpectu Loci Pii creditoris eodem iure quilibet eorum cenſeri debet, ac principalis debendi Reus, *Arias de Meſa var. reſol. lib. 2. cap. 13. per tot. Rot. dec. 294. n. 13. p. 17. rec., & cor. Emer. dec 972. n. 9., & in Romana Pecuniaria 19. Junii 1716. §. Probata cor. R. P. D. meo Althann.* Quod verò
14 idem Locus Pius tandiù diſtulerit rationem adminiſtrationis repoſcere, nihil ſuffragatur fideiuſsoribus, quia in inſtrumento obligationis Lancioni, cui ipſi acceſserunt nullum redditioni rationis præſtitutum fuit certum tempus, ſed imo repoſitum in arbitrio, ac beneplacito eiuſdem Loci Pii: ac propterea ſibi imputare debent, cur ita contraxerint, vel ſi videntes obligationis eorum periculum, longius protendi, ſibi ipſis conſulere neglexerunt, inſtando, ad
15 formam Statuti Urbis, ut ab obligatione liberarentur, ſubrogatis aliis idoneis cautionibus, iuxta deducta per *Fenzon. ad Stat. Urb. cap. 157. per tot., Conſtant. ibid. annot. 47. n. 1., & ſeqq.*

Quamquam autem Domini hæc omnia bene procedere exiſtimaverint, quoad quatuor fideiuſsores primo loco ſupra memo-
16 ratos; non idem tamen iuris eſse cenſuerunt quoad Pacichellum hæredem Raynaldi; licèt enim iſte in quodam folio ſuſcripto die 16. Maii 1696. promiſerit fideiubere una cum aliis quatuor favore Loci Pii: eiuſmodi tamen promiſſio tamquam facta ſub conditione, quatenus nempe Lancionus ſeſe obligaret ipſum indemnem relevare, ea non ſequuta, ſtatim evanuit, ac proinde neque in inſtrumento ſucceſſivè inter Locum Pium, ac Lancionum celebrato cum effectu acceſſit, aut fideiuſſit, neque in libris dicti Loci Pii inter fideiuſsores, ſicut cæteri alii quatuor connumeratus umquam fuit. Quam-
17 obrem deficiente omnino, quoad ipſum obligatione, nulla iuris, aut æquitatis ratio patitur, quod pro debito Lancioni condemnari debeat, ut per *Tex. in l. ſi in pignore, & in leg. fideiuſſores ff. de fideiuſſ.* advertit *Maſtrill. dec. 182. per tot., Rot. dec. 131. n. 3. & 4. p. 16. rec.*

Et iuxta hunc modum, Partibus auditis, reſolutum fuit &c.

FERRARIEN. PAROCHIALIS.

Lunæ 12. Januarii 1718.

ARGUMENTUM.

Præſentatus ad beneficium à Procuratore legitimè per Patronum conſtituto, præfertur compræſentato ab ipſomet Patrono, quando illa iſtius præſentationi præceſſiſſet, juxta diſtinctionem à DD. amplexa *in c. cum autem de jurepatr.* Præſentatus enim à tali Procuratore, ab ipſomet Patrono cenſetur electus, qui è contra, ſi antequam ejus Procurator nominet, alium beneficium eligat, mandatum procuræ revocaſſe ſupponitur.

SUMMARIUM.

1 *Præſentatus à Procuratore per Patronum electo, inſtituendus eſt, ac ſi fuiſſet ab ipſomet Patrono nominatus*, & num. 15.

2 *Nominatio ad beneficium, ut ſuum attingat effectum, nil officit, quod Vicarius Capitularis, abſque ulla rationabili cauſa eam noluiſſet admittere*; & vide rationem in num. ſeq.

3 *Nominatio, ut legittimæ præſentationis robur aſſumat, ſat eſt, quod poſt eam factam Epiſcopo exhibeatur, vel alteri inſtituendi facultatem habenti.*

4 *Amplia, quando, rejecta præſentatione facta, per Vicarium, Emus Legatus proteſtationem adverſus talem rejectionem factam, prout de jure admiſiſſet.*

5 *Nominatio facta per Procuratorem legittimè conſtitutum conditionatè, purificata iſta, uſque ab initio purè, & ſimpliciter geſta cenſetur.*

6 *Abſentia quando intelligatur de modica, & quando de illa in regionibus longinquis ad materiam procuræ ad præſentandum per Patronum factæ?*

7 *Voluntas diſponentis à diſpoſitionis proœmio interpretatur.*

8 *Mandatum Procuræ ad præſentandum pro beneficio vacaturo, non expreſſo ſubiecto præſentando, ſuſtinetur*, amplia, ut in num. 10.

9 *Limita, quando beneficium eſſet plenum ob votum captandę mortis.*

11 *Patronus non abdicat à ſe dominium nominandi ad beneficium per conſtitutionem Procuratoris ad talem effectum.*

12 *Præſentatus à legittimo Procuratore per Patronum conſtituto, non repellitur à compræſentato per ipſum met Patronum, quando Procuratoris præſentatio fuiſſet in tempore anterior, ſecus verò ſi poſterior illa ipſius Patroni.*

13 *Procura ad præſentandum facta à Patrono, quando per ſecundam procuram revocata intelligatur?*

14 *Verba* -- In omnibus, & per omnia relatio habeatur -- *ſunt adeò univerſalia, ut nullam ad aliquam tantum partem relati patiantur reſtrictionem.*

15 *Factum Procuratoris ad omnes juris effectus, uti factum conſtituentis habetur.*

16 *Gratificatio habet locum, ubi voces ſunt æquales.*

17 *Inſtitutio illi præſentato concedenda eſt, in cujus nominatione omnia concurrant requiſita ad excluſionem alterius, qui iſtis non gauderet.*

DE-

DECISIO MXXXVIII.

PRænoſcens Vincentius de Sylveſtris Patronus Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Villæ Piſcariæ, quod nominatio ad eamdem Parochialem nuperrimè per ipſum facta in perſonam Flaminii Coatti, aut numquam, aut pro modico ſaltem tempore ſuum habitura erat effectum, dum ille gravi, jam tunc morbo detinebatur, hinc redditurus Faventiam ubi commorari ſueverat, conſtituit priùs in Civitate Ferrariæ ſuum Procuratorem ad præſentandum occurrente caſu vacationis dictæ Eccleſiæ Ægydium *della Fabra*, per inſtrumentum rogatum die 11. Februarii elapſi anni 1717.

Contigit de facto ſub die 18. ſubſequentis menſis Martii obitus præfati Flaminii à Patrono præſentati, & propterea jure ſibi elargito utens Ægydius Procurator, ſub die 20. ejuſdem menſis nominavit ad vacantem Parochialem Sacerdotem Joſephum Cajetanum Pecceninum, inſtetitque ſucceſſivè in actis Curiæ Epiſcopalis coram Vicario Capitulari pro admiſſione tùm mandati Procuræ ſibi facti, tùm præſentationis in illius ſequelam peractæ, & quoniam denegata pluries illi fuit horum admiſſio, habuit etiam recurſum ad Eminentiſſimum Legatum, qui citato Procuratore Fiſcali Curię Capitularis, decrevit proteſtationem à prædictis Ægydio, & Joſepho Cajetano factam afficere prout de jure.

Comparuit intereà coram eodem Vicario Capitulari Cajetanus Micai, qui exhibito novo procuræ mandato in ſui perſonam per Sylveſtrum Patronum exarato, mediante primi ſuprarelati revocatione, & cum deſignatione perſonæ ad Parochialem pręſentandæ, nominavit ſub die 3. Aprilis Julium Cæſarem Bignardum, cujus rei habita notitia ob ſecutam admiſſionem, & edictorum affixionem à Joſepho Pecenino, ſtatim iſte ſe oppoſuit, & litem fuit conteſtatus, nixus anteriori nominationi in ſui perſonam per alium legitimum Procuratorem jamdiù factę; placuit tamen Vicario Capitulari decernere primam dictam pręſentationem nullam eſſe, & Bignardo concedere inſtitutionem, qui eadem die ſeſe etiam in poſſeſſionem intruſit.

Reclamante verò Joſepho Cajetano à peractis coram dicto Judice apud R. P. D. Auditorem Sanctiſſimi, cauſa fuit prævia omnium prædictorum circumſcriptione ad Sac. Auditorium *ex integro* remiſſa, ejuſque commiſſione mihi directa, propoſui hodiè dubium -- *An, & cui ſit danda inſtitutio*, cui Domini reſponderunt -- *dandam eſſe inſtitutionem Pecceniņo.*

Cum enim iſte Sacerdotali caractere inſignitus ſit, & ad curam animarum idoneus
1 reperiatur, fueritque ab Ægidio *della Fabra* Procuratore conſtituto per Sylveſtrum unicum legitimum Patronum Eccleſiæ, de qua hic agitur debito tempore præſentatus, utique debet etiam inſtitui, ſicut eſſet inſtituendus, ſi ab eodem Patrono fuiſſet præſentatus, *Rot. dec.* 206. *nu.*3., *& dec.*342. *n.* 4. *cor. Celſo*, *& dec.* 739. *num.*1. *par.* 18. *rec.*, *& in Capuana Iuriſpatr.* 11. *Maii* 1708. *Conſtito cor. Me.*

Non obſtat, quod Pecenini præſentatio non fuerit Superiori Eccleſiaſtico exhibita, minuſque coram eo productum mandatum procuræ, ut fieri debebat, ideoque nullum ex tali nominatione, ſeu præſentatione potuerit jus acquirere. Etenim in facto conſtitit (ut ſupra præmiſſum fuit) tam manda-
2 tum procuræ in ſui perſonam à Patrono factum, quam nominationem emiſſam favore Peccenini fuiſſe coram Vicario Capitulari exhibitam pluries, pluieſque ab Ægydio *della Fabra* præſentante, eodem Peccenino præſente, & acceptante, itaùt licèt ille noluerit eam recipere, & in actis Curiæ Epiſcopalis ſcribi facere non allegata ulla rationabili cauſa, perindè ſit, ac ſi legitimè fuiſſet
3 coram ipſo expleta, cum ſatis cæteroquin ſit nominationem, ut legitimæ præſentationis robur aſſumat, quod poſt eam factam exhibeatur Epiſcopo, vel alteri inſtituendi facultatem habenti, ut docent *Lup. alleg.* 75. *num.*5., *Lotter. de re Benefic. lib.*2.*qu.*6. *num.* 38., & firmavit *Rot. dec.* 420. *n.* 9. *cor. Bich.*, *& dec.*30. *nu.*4. *cor. Emerix Iun.*, *& latiùs dec.*176. *num.*12., *& ſeq. part.* 15. *rec.*,
4 & præſertim in caſu noſtro, ubi concurrit etiam, quod rejecta pręſentatione per Vicarium, fuit habitus recurſus ad Eminentiſſimum Legatum, qui proteſtationem de rejectione factam afficere mandavit prout de jure.

Minuſque relevat, quod mandatum procurę in perſonam Ægydii *della Fabra* exaratum à Patrono, non fuerit liberum, & abſolutum, ſed conditionale, quatenus ipſe ejuſque filius abſentes eſſent. Quandoquidem ſicut certa erat in mandato procuræ talis conditio, ita etiam certa erat in facto illius purificatio, dum pleniſſimè conſtat ex tenore ipſius ſecundi mandati, quod Vincentius de Sylveſtris Patronus, ejuſque filius commorabantur de tempore ſecutæ vacationis, & factæ præſentationis in Civitate Faven-
5 tiæ, ideoque hac poſita purificatione certè liberum remanebat Ægydio arbitrium, & jus præſentandi, ad regulam in ſimilibus terminis traditam ex *Text. in l. ſed ſi pupill.*26. *ff. de condit. Inſt.*, *& in l. fin.* §. *Titius hæreſ. verſ. Sed ſi extiterit ff. de vulgar.*, *& pupill. dec.*243. *num.*16. *part.*17. *recent.*, & paſſim.

Nec poteſt abſentia à Patrono poſita in conditione conſiderari de abſentia in longinquis Regionibus, ut fruſtrà replicabatur per Bignardum, quippè quia nullam hoc habet ſubſiſtentiam in facto, dum id neque in mandato exprimitur, neque aliundè ulla ratione confirmatur, imò potiùs excluditur
6 etiã ex pluribus argumentis, & præſertim ex ea animadverſione, quod conſiderata fuit abſentia non ſolum Vincentii, ſed etiam ejus filii,

filii, qui decem tantum annos agebat, & proptereà inveriſimile eſt fuiſſe in hujuſmodi ætate in exteras Regiones iter habiturum
7 quodque in prœmio ipſius mandati exprimitur, ipſos eſſe incolas Faventiæ, quantumvis habeant hujuſmodi jus nominandi ad Parochialem in Civitate Ferrariæ, itaut ab hujuſmodi expreſſione ſumenda ſit declaratio abſentiæ, pro qua ſucceſſivè diſponere conſtituens intelligebat, juxtà aliam regulam de qua *dec.378. num.5. cor. Priol. dec.* 618. *nu.* 22. *cor. Emerix Jun.*, *dec.62.num.2.*, *& dec.* 90. *num.17. cor. R. P. D. meo Anſaldo Decano.*

Ejuſdem comperta eſt irrelevantiæ, & alia oppoſitio nullitatis mandati, ex eo, quod beneficio pleno, & vivente adhùc Flaminio Coatto traditum extiterit, ſiquidem, cum nulla fuerit expreſſa perſona, quæ debuiſſet præſentari, mandatum ad præſentandum pro beneficio vacaturo ſubſtinetur, quia tunc ceſ-
9 ſat votum captandæ mortis, cujus evitandi cauſa mandatum pro hujuſmodi effectu dari beneficio pleno prohibetur, ut notant *Vivian. de Jurepatr. lib.5. cap.6.num.9.*, *Garz. de Benef. par.* 10. *cap.1. num.19.*, *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 16. *Card. de Luc. de jurep. diſc.64. ſub num.34.*, *adden. ad*
10 *Buratt. dec.21. num.29.*, & multò ſanè magis ſubſtinetur in præſenti, dum concurrit cauſa juſta, & legitima, abſentię nempè à loco, ubi facienda eſt præſentatio, tunc enim dubio procul validum eſt mandatum ad præſentandum pro beneficio vacaturo, ut cum cæteris mox relatis concordat *Lambertin. de jurepat. part.1.lib.2. quæſt.1. cap.4. art 3. nu.* 2., *Pax. Iordan. variar. lucubr. lib.* 10. *tit.7. ſub num.273.*, *& adden. ad Gregor. dec.240. num.9.*

Poſitis autem validitate mandati Procuræ in perſonam Ægydii *della Fabra*, & ſubſiſtentia præſentationis per iſtum factæ favore Peccenini, parum refert, quod ſucceſſivè Patronus, & prædictum mandatum revocaverit, & alium Procuratorem conſtituerit, qui diverſam perſonam, nempè Bignardum præſentavit.

11 Licet enim certum ſit, quod per Procuratoris conſtitutionem non abdicat à ſe Patronus præſentandi jus, & facultatem in eadem vacatione, id tamen procedit ea retenta com-
12 muni Doctorum diſtinctione, quod vel ante Procuratoris conſtituti præſentationem eodem ipſe jure, & facultate utitur, & eo caſu, quia cenſetur per factam à ſe præſentationem mandatum revocaſſe, utique ſola ipſius præſentatio tenet, vel utitur dicto ſuo jure poſt jam factam, ut hic à Procuratore præſentationem, & eo caſu non poteſt ipſe, niſi cumulativè præſentare, & ſi id faciat privativè revocando primam nominationem à Procuratore factam, non tenet, & taliter facta per Patronum nominatio eſt irrita, & nulla, ut plenè diſtinguunt Doctores *in cap. Cum autem de Iurep.*, & præſertim *Abbas num.2.*, *& 3.*, *Fagnan. num.6.*, *& 7.* optimè *Antonell. de reg. Eccleſ. lib.3. cap.6. §.8. per tot.*, & præcipuè *num.64.*, *Vivian. de Iurep. lib.5. cap.6. num.22.*, *& Rot. dec.154. nu.* 3., *& dec.* 512. *num.* 14. *cor. Bich.*, *& dec.176. num.9. par.15. rec.*

Hoc verò præciſe in noſtra hypotheſi contigiſſe dubitari non valet, quippè quia ſatis patet ex lectura ſecundi mandati exarati in perſonam Cajetani Micai, ubi continetur expreſſa revocatio non ſolum primi mandati facti in perſonam Ægydii *della Fabra*, ſed etiam præſentationis in vim antedictæ Procurę jam factæ, idque ipſum confirmat ſecunda præſentatio per eundem Micai expleta favore Bignardi ad formam mandati Procuræ ſibi traditi per Vincentium Patronum, in
13 qua, licet verba revocatoria alterius primæ præſentationis non contineantur, continetur tamen expreſſa relatio ad mandatum cum
14 clauſulis in omnibus: *Iuxtà formam mandati &c.*, *& per omnia &c.* itaut virtualiter eadē revocatio in iſto quoq; actu cōtineri videatur, ut ponderando ſimilium clauſularum efficaciam tradidit *Barb. dict.187. n.14.*, *& clauſ.* 67. *num.3.*, *& ſeq.*, *Manſ. conſul.* 466. *n.13.*, *& ſeqq.*, *Rota dec.* 450.*num.11.*, *dec.498. nu.* 13. *par.19. rec.*

Abſque eo quod replicari valeat, quod ſuprarelata diſtinctio habeat locum in iis tantum caſibus, in quibus utraque præſentatio facta ſit ab ipſomet Patrono, non autem ubi facta eſt prima à Procuratore habente generale mandatum, & ſecunda ab habente magis ſpeciale ad præſentandum, nempè certam
15 perſonam. Hujuſmodi namque animadverſio tolli ſtatim viſa fuit ex eo, quod nulla poteſt conſtitui differentia inter actus factos à Procuratore, ac alios ab ipſo Patrono, quia regulare hoc eſt, quod geſta à Procuratore habente legitimum mandatum ad omnes juris effectus habeantur pro factis ab ipſomet mandante, & conſtituente, juxta auctoritates *ſupr. relat* §. *Cum enim quibus*, *concordat Text. in cap. qui per alium de reg. jur. in* 6. *gloſ. fin. in l. ſi Procurator* 11. *ff. de dolo mal.*, *& met. except.*, *Rot. dec.534 num.12. part. 19. rec. tom.2*

Attendi demum non meruit poſtremum Bignardi diffugium ad gratificationem, quam ſibi competere pollicebatur, ex eo quod ipſe ſpecialiter nominatus ſit ad controverſam Parochialem ab ipſo Patrono; Peceninus verò non habeat niſi Procuratoris generali-
16 ter conſtituti nominationem. Etenim cum gratificatio ſupponat in præſentatis, & præcipuè in præferendo parem validam, & legitimam præſentationem, *Rot. dec.* 154. *nu.* 9. *cor. Bich.*, *& dec.138. num.10. par.16. rec.* illius termini non ſunt applicabiles iſti caſui, in quo unica tantum concurrit valida præſentatio favore dicti Pecenini, & altera expleta in perſonam Bignardi eſt irrita, & invalida, utpotè facta non cumulativè, ſed privativè, & cum revocatione præcedentis ut ſu-
17 pra diximus, itaut agi tantum poſſit de Pecenini validè præſentati inſtitutione, quæ cæto-

cæteris, prout hic concurrentibus requiſitis eſt concedenda, ad *Text. in cap. quoniam de Iurepatron*, aliaque jura pleuè adducta *in Bituntina Iuriſpatronatus 31. Ianuarii 1716.* §. *Conſiſtit coram R.P.D. meo Foſcaro*, & *in Viterbien. Cappellaniæ ſuper Inſtitutione 15. Martii 1717.* §. *Ratio reſolutionis coram Me*, & paſſim alibi.

Et ita utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA SUPER DELIBERATIONE.

Veneris 21. Ianuarii 1718.

SUMMARIUM.

Deliberatio ex capite læſionis etiam poſt lapſum longi temporis reſcinditur; nec præſcriptionem admittit; ſicut et nulla ex citationis defectu, quando plures fuiſſent debitoris hæredes citandi, & in actione perſonali.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum datur adverſus deliberationem nullam.*

2 *Res judicata ratione injuſtitiæ ſemper excluditur.*

3 *Deliberatio ex capite exceſſus ſemper reſcinditur*, & num.7.

4 *Fructus non currunt adverſus fideiuſſorem, niſi creditor interpellaſſet requiſita caſtrentia principaliter obligato.*

5 *Heredes quando ſunt plures in actione perſonali, unuſquiſque pro ſua virili tantum, & non ultra tenetur.*

6 *Coheres citari debet de per ſe ratione connexitatis, & coæqualis intereſſe, quod habeat; alias, non citatis omnibus, judicium ſit nullum.*

7 *Deliberatio ex capite læſionis, ſicut quilibet alius contractus reſcinditur.*

8 *Læſio in deliberatione cenſus nulla, conſiſtit in vili illius appretiatione, quæ regulari debet à pretio vero deindè reperto.*

9 *Deliberatio nulla ex capite læſionis numquam præſcribitur, præſertim ſi in deliberatario mala fides detegeretur, quæ eſt cujuſcumque præſcriptionis obſtaculum, & quamcumque actionem præſervat.*

10 *Reſtitutio in integrum adverſus deliberationem nullam eo fortiùs, lapſu temporis non obſtante, conceditur, ſi intermedio tempore mors illius ſequta fuiſſet, qui de ea jus excipiendi habuiſſet.*

DECISIO MXXXIX.

Obtinuit Andreas Gorius creditor Pauli Nanni mandatum executivum contra hujus bona hæreditaria uſque de anno 1645. coram A. C. Argelo non ſolum pro capitale ſui crediti in ſcut. 250., ſed etiam pro fructibus in totum aſcenden. ad ſc.481., & vigore iſtius mandati deventum fuit ad executionem ſuper cenſu ſcut. 4000. ad eumdem Paulum pertinente, ejuſque rata ſcut.5000.pro credito ſcu. 340. in executionem deducto, deliberata fuit, & Creditori metipſi adjudicata.

Adversùs hujuſmodi deliberationem inſurrexit uſque de anno 1662. Conſtantia Roſellia heres teſtamentaria Flaviæ de Nannis, cui in diviſione facta cum aliis tribus ſororibus, & reſpectivè filiabus prædicti Pauli obtigerat rata memorati cenſus ſcut. 1600., tranſmiſitque Andreæ Gorio Adjudicatario monitorium ſuper reintegratione ad eumdem cenſum coram A. C. Areoſto.

Suſpenſo tamen poſt hæc Judicio, aliam tentavit viam ſe eximendi à Gorii moleſtiis, & jam illatas emendandi dicta Conſtantia: Quippè quia, cum ſæpedictus cenſus fuiſſet pro legato Juniperæ Salviatæ de Balleonibus aſſignatus à Duce Jacobo Salviato illius hærede eidem Paulo Nanno, & Catharinæ Nannæ pro ſumma ſcut. 4000. cum ampliſſima evictionis obligatione, indè occaſionem ſumpſit agendi contra eumdem Ducem, & licet prima vice ſuccubuiſſet coram A. C. Bulgarino; Cauſa tamen proſequuta per Antonium Aſteſanum illius hæredem, alioſque intereſſatos, plura prodierunt judicata, condemnantia dictum Ducem pro evictionis emendatione ad ſolutionem ſortis, & fructuum.

Fuit his ſequutis tractata inter partes concordia, & quoniam alii quoque interim comparuerunt intereſſe habentes in eodem cenſu, & præſertim Maria Jacoba Borromæa, prætendens ex perſona Roſanæ Nannæ alterius filiæ ſæpedicti Pauli ſe eſſe creditricem quartæ partis dicti cenſus, ejuſdem tractatus occaſione compertum extitit, nihil in diviſione inter filias Pauli jam facta obtigiſſe de cenſu controverſo dictæ Roſannæ: Nè tamen ex ejus pretenſione tranſactionis effectuatio retardaretur, firmato, quod Dux Salviatus deberet perſolvere integrum cenſum in ſorte ſcut. 4000. (in qua quantitate à principio conſiſtebat, & ad dictam Duciſſam Juniperam ſpectabat, aſſignata alia rata ſcut. 1000. alteri Legatario) una cum fructibus aſcendentibus ad ſcut. 8000., conventum extitit, quod in ſuſpenſo apud ſe retineret, donec jura Borromeæ diſcuterentur, ſcuta tria millia.

Et quia iſta ſumma in ſuſpenſo relicta fuit, illa, quæ pertinuiſſet ad Aſteſanum, & non fuit ullus habitus reſpectus ad portiones ad alios pertinentes; iſte tam judicialiter ante concordiam, quàm etiam in ipſius inſtrumenti ſtipulatione proteſtatus fuit, quod indè nullum ſibi prejudicium irrogatum cenſeretur, & ſucceſſivè coram R. P. D. meo Cerro tunc A. C. Locumtenente inſtetit pro illius conſignatione, citata Borromæa, prodiitque decretum, quod pro rata ſcut. 1268. fieret conſignatio ipſi Aſteſano, & pro rata ſcut. 1600. eidem Borromeæ.

Exhibita verò ex poſt nova tranſactione, inita inter Ducem, & prædictam Mulierem, cujus vigore iſti fuerant liberè ſoluta ſcut. 4000.,

400. ; & reliqua ſcut.2600. fuerant depoſita in Banco S. Spiritus pro obtinenda conſignatione, opus habuit Aſteſanus denuò, & Ducem, & Borromæam citare, obtentoque mandato de conſignando, recepit dicta ſcut. 1268. ſibi per R. P. D. Cerrum adjudicata, non omiſſa tamen ſpe ulteriorem quoque ſummam conſequendi, & noſcens, Borromæam ſe tueri juribus ſupranarratæ deliberationis factæ favore Andreæ Gori, adiit Signaturam Juſtitię, ac petiit commiſſionem reſtitutionis in integrum adverſus præfatam deliberationem, & appellationis adverſus conſignationem decretam ad favorem Borromeæ, prodiitque à Signaturam reſcriptum -- *Quoad deliberationem de cauſis reſtitutionis in integrum ſine præjudicio rei judicatæ, & quoad mandatum de conſignando ſine præjudicio:*

Delegata fuit vigore iſtius reſcripti cauſæ cognitio Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto, & deindè mihi in illius locum ſubrogato, concordatiſque duobus dubiis: altero *An conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, ſeù potiùs de re judicata* -- & altero -- *An, & in qua ſumma conſtet de credito, etiam ad effectum conſignationis* -- illorum diſputatio aſſumpta fuit in hodierna audientia, citato Procuratore Domino litis effecto per obitum hæredis Borromeæ, ac monito prius per plures intimationes Carnccio cauſam ſecundariam habente ab eodem Andrea Gorio, & adhuc eo jura ſua deducere negligente, imò inutili tergiverſatione dilationem expoſtulante, cauſa fuit *pro informante* reſoluta, & quantum ad primum dubium, de quo hic, reſponſum extitit -- *Conſtare de cauſis*.

Cùm enim hic reſtrictivè ageretur de viribus ſæpedictę deliberationis, ſivè adjudicationis, ſequutæ uſque de anno 1648. favore
1 Andreæ Gori, eaque comperta fuerit nulla, & iniuſta, utique deliberationem paſſo, ſive ejus ſucceſſori ſuccurrendum erat remedio
2 reſtitutionis in integrum, ceſſebatque res judicata, quæ ratione injuſtitiæ ſemper excluditur, ut promiſcuè dictum fuit per *Text. in cap. ex litteris de reſtitut. in integr.*, *& in l. 4. §. Condemnatum ff. de re judic.*, *Rot. deciſ. 651. num.2. par. 19. rec.*, *& in Aſculana ſucceſſionis 8. Maii 1712. §. Suppoſita coram R. P. D. meo Falconerio Almę Vrbis Gubernatore.*

3 Ad demonſtrandos vero prædictos defectus, ponderatus à Dominis fuit præ cæteris exceſſus non ex uno dumtaxat capite reſultans, ſed ex pluribus. Et primò, ex quo deliberatio facta fuit pro credito ſcut.340., quando tamen debitum Pauli Nanni proveniens à fidejuſſione facta per Andream Gorium in illius obligatione de reſtituendo prioribus, & potioribus ſcut. 250. recepta in concurſu cum cæteris Creditoribus Gaſparis Transfarelli, non aſcendebat ad dictam ſummam, neque poterant calculari ad illius debitum uſuræ, ſive fructus, qui non interpellato principali debitore cum reliquis notoriis re-
4 quiſitis *Paul. de Caſtro*, nunquam debentur fideiuſſori, *Gratian. diſcept. 829. per tot.*, *& diſc. 987. num.8.*, *& ſeq.*, *Rot. deciſ. 7. nu.2.*, *& per tot. poſt Zacch. de ſociet. Offic.*, *& dec. 229. num.10.*, *& ſeq. par. 7. rec.*

Non minus ex eo deducebatur, quod hæreditas Pauli Nanni debitoris diviſa extiterat in quatuor ejus filias, Roſanam, Aure-
5 liam, Flaviam, & Catharinam; undè cum ageretur de ſolutione debiti hęreditarii, & quidem actione tantum perſonali, in qua quiſque hæres tenetur pro ſua virili, & non ultrà, ad *Tex. in l. 1. C. ſi unus ex plur. hæred.*, *l. pro hęreditariis*, *& l. ſi adulta C. de hæred. action.*, *Rot. deciſ. 159. num.19.*, *& ſeqq. par. 11.*, *& deciſ. 92. num. 2. par 19. recent.*, non poterat ſine patenti exceſſu pro illius ſatisfactione deliberari rata cenſus in diviſione Bonorum hæreditariorum aſſignata duabus dumtaxat ex hæredibus, nempe Flavię, &
6 Catharinæ: Imò ex hoc ipſo capite promanat quoque manifeſta nullitas ejuſdem adiudicationis, quia non fuerunt in illius confectione citatæ, niſi Ardelia, Flavia, & hæredes Catharinæ, poſthabita penitus perſona alterius ſororis, & Quintilia, quæ tamen eo tunc cenſum deliberatum poſſibeat pro rata ſcut. 600. ex præcedenti ceſſione ſibi facta per Ardeliam; cujus quidem citatio ratione connexionis jurium, ſine patenti actus nullitate omitti non poterat, *Rot. deciſ. 44. nu. 4. poſt Poſt. de manut.*, *deciſ. 293. num.5.*, *& 6. coram Priol.*, *deciſ. 371. num.1. ad 7. par. 17. rec.*, *& in Ferrarien. Bonorum ſuper manutentione 3. Februarii 1710. §. Nullitas coram R. P. D. meo Falconerio Vrbis Gubernatore.*

7 Accedebat exceſſui enormiſſima læſio ex eo emergens, quod pro tenui credito (etiamſi admittatur in ſcut. 340.) deventum extitit ad adjudicationem cenſus ſcut. 1000. ob quam ſanè lęſionem dubium non eſt, ſicut cæteros contractus, vitiari quoque deliberationem, & adjudicationem, juxta plenè firmata *deciſ. 151. num. 1.*, *& per tot. par. 17. rec.*, *in Bononien. ſubhaſtationis 1. Julii 1707. §. Conſtitit coram bo. me. Kaunitz.* *& in Sueſſana Bonorum 6. Junii 1704. §. Clara coram bo. me. Muto*, *& 18. Junii 1717. §. Quod ſi cor. Me.*

Abſque eo, quod ſuffragari valeat reſponſio, quod cenſus eſſet intricatus, & illius debitores in ſtatu decoctionis: Contrarium enim ſatis conſtat ex illo facto, quod Gorus ipſe aſſociatus de tempore adjudicationi proximo ad fundos cenſitos, illos locavit pro annuis ſcut. 140., concurrebatque ulterius ampliſſima evictionis obligatio ſuſcepta per Ducem Salviatum, qui procul dubio ſol-
8 vibilis erat, & de facto ſolvit. Undè regulando qualitatem cenſus à ſubſequuto, ut fieri debet, eventu, patet ejus fuiſſe naturę, ut nihil in pretio diminui poſſet, & ſtet firma læſio reſultans ex illius admodum vili appretiatione, *l. cum Titio* ubi *Alexand.*, *& Caſtrien.*

ſtrien. num. 1. ff. ad l. falcid., Grat. diſcept. 746. nu.5., Rot. deciſ.167. num. 8. poſt Conſtantin. ad Statut. Vrb.

9 Neque obeſſe poſſe DD. putarunt, quod proponatur hodiè vitia deliberationis ſequutæ à ſexaginta jam, & ultrà annis, quo tempore potuerunt illa præſcribi, & inutilis actio reddi per Aſteſanum intentata. Præter alias quippe reſponſiones, ea placuit animadverſio, quod non ſolum in præſenti concurrit læſio enormiſſima, ſed factum poſitivum Conſtantiæ filiæ Flaviæ, & unius ex intereſſatis in eadem deliberatione, quæ uſque de anno 1662. tranſmiſit contra Gorum Monitorium pro reintegratione ad cenſum deliberatum; undè orta eſt certa mala fides in deliberatario obſtativa cuicumque præſcriptioni, & præſervativa cujuſvis actionis, *l.1. C. de præſcript. long. temp., Rot. dec.*489. *num.*20. *coram ſan. mem. Gregor. XV.*, *& deciſ.* 127. *num.*18., *&* 19., *& deciſ.*173. *à num.*11. *poſt Poſth. de ſubhaſt.*, *& in Cæſenaten. ſpolii* 25. *Iunii* 1700. §. *Neque has*, *&* §. *Maximè*

10 *coram bo. me. Muto*; & prætereà contigit intermediè obitus dictæ Flaviæ Auctricis mediatę Aſteſani hodierni Actoris ſequutus anno 1659., quo caſu ratione probabilis ignorantiæ, eo magis hęredi ſuccurrendum eſt ope reſtitutionis in integrum, *Rota coram Priol. deciſ.* 58. *num.*6., *& ſequen. cum concordan.*

Nullatenùs demùm attendendas eſſe DD. crediderunt querimonias alterius Partis circa petitam dilationem, quia jam congruo tempore, plurieſque interpellata fruſtrà recurrebat ad ſubterfugium inhibitionis obtentę, non citato legitimo Procuratore Aſteſani, ſed in contumaciam primi Procuratoris, cujus jamdiù mandatum fuerat ab illo revocatum cum ſolemni alterius exhibitione, prævia Partis citatione; Ideoque talis inhibitio non erat attendenda.

Et ità altera tantùm &c.

ROMANA PECUNIARIA SUPER CONSIGNATIONE.

Veneris 21. *Ianuarii* 1718.

ARGUMENTUM.

Ex facti ignorantia, alicujus decreti, illiuſque exequtionis acceptatio ſemper reſcinditur.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum datur adverſus adjudicationem nullam ex capite exceſſus, vel læſionis.*

2 *Acceptatio decreti injuſti non facit, quin, ex ignorantia facti, reſciſſa remaneat.*

3 *Error facti non inducit acceptationem.*

4 *Decretum ſemper præſumitur acceptatum in parte juſta, non autem in exceſſiva, ſicut, & illius exequtio.*

DECISIO MXXXX.

Conſentaneè ad reſcripta Signaturæ Juſtitiæ, cum quibus mihi (ut dictum fuit in contemporanea deciſione) commiſſa extitit cognitio hujus cauſę, propoſui quoque dubium -- *An, & in qua ſumma conſtet de credito etiam ad effectum conſignationis* -- uni, vel alteri ex partibus, juxta credita ab ipſis deducta facienda, & quemadmodum in altera dicta cauſa reſponſum fuit -- *Pro Aſteſano informante* -- ita etiam contigit in præſenti, Caruccio non comparente.

Reſolutionis ratio fundamentum habuit in facto, ex quo conſtitit, quod illa ſcu. 3000., quæ occaſione tranſactionis initæ cum dicto Duce Salviato apud iſtum loco depoſiti remanſerunt, & deindè fuerunt depoſita in Banco Sancti Spiritus, ſpectabant totalitèr ad dictum Aſteſanum, non verò ad Borromæam Auctricem Caruccii, idque facilè deprehendebatur, habita ponderatione, quod in actu ejuſdem tranſactionis PP. Sanctę Mariæ de Scala, uti ſucceſſores quondam Catharinæ Nannæ in rata ſcut. 1000. hujuſmet cenſus, de quo agitur, ad ipſam Catharinam jure proprio pertinentem, receperunt ultrà capitale pro fructibus decurſis ſcut. 2000. Alii ſucceſſores ejuſdem Catharinę in portione hæreditaria Pauli Nanni pro rata ſcut. 800. totam pariter ſummam, & fructus debitos exegerunt; itemque hæredes Quintiliæ, in quam Ardelia diſtraxerat ſuam ratam ſcut. 600. eodem modo ſatisfacti ſunt etiam de fructibus. Solus itaque Aſteſanus, cui tamquam hæredi Flaviæ Creditricis in rata cenſus ſcutorum 1600. erant ſolvenda pro fructibus ſcut. 3200. juxtà proportionem conventam, & ſic debebat conſequi una cum ſorte ſcut. 4800., conſequutus tantum fuit ex tranſactione ſcut. 1800. Undè remanſit dubio procul creditor reliquorum ſcut. 3000. penès Ducem relictorum, & ad ipſum illorum conſignatio pertinebat.

Neque Caruccius poteſt è contrà Creditorem ſe conſtituere ex juribus Borromeæ, quę cauſam dedit liti, allegando adjudicationem pro rata cenſus ſequutam favore ſui Authoris, ut donec iſtius validitas examinaretur, præfata ſumma in ſuſpenſo maneret apud di-

1 ctum Ducem. Hodiè enim aſſumpta in contemporanea Deciſione à Dominis diſputatione circa hujuſmodi articulum, reſolutum extitit, adjudicationem fuiſſe nullam, exceſſivam, & læſivam, ideoque adverſus illam competere Aſteſano reſtitutionem in integrum; & ita jam ſatis ſuperque jura dictæ Borromeę comperta ſunt inſubſiſtentia.

Minuſque relevare viſum fuit, quod idem Aſteſanus vigore decreti R. P. D. mei Cerri tunc A. C. Locumtenentis, in quo demandabatur pro rata conſignatio ſæpedictæ Borromeæ, & pro alia rata ipſi Aſteſano ſummæ ſibi elagitæ, conſignationem, expedito mandato, reportaverit, ideoque eidem decreto acquieverit, & jura Borromeę recognoverit.

2 Cùm enim id provenerit ex ignorantia facti, cu-

cujus vigore hodiè eſt clara nullitas antedictæ deliberationis, & res ſit de damno vitan-
3 do, utique regula eſt, quod error facti nullam inducit acceptationem, *Surd. conſ.* 102. *num.* 11., *& ſeqq.*, *Gratian. diſcept.* 957.
4 *num.*49., & ulterius ſemper hujuſmodi acceptatio decreti, ejuſque executionis intelligi debet pro ea tantum parte, in qua eſt juſtum, non autem in partibus exceſſivis, ſicut erat quoad Borromæam, ut benè reſpondit *Rota deciſ.* 51. *n.*4. *par.*16. *recen.*

Et ita remiſſivè ad contemporaneam deciſionem ſuper deliberatione, reſponſum fuit altera &c.

HORTANA SYLVARUM SUPER QUALITATE LIGNORUM.

Veneris 28. *Januarii* 1718.

ARGUMENTUM.

Verba tranſigentium non ſemper juxta ſtrictam juris diſpoſitionem interpretanda veniunt, ſed juxta ſenſum, circa res in tranſactione individuatas, qui denominationi in loco contractus vulgariter percurrenti eſſet conſonus.

SUMMARIUM.

1 *Res judicata intrat, quando acta intra legitima tempora non traſportentur.*

2 *Reſtitutio in integrum adverſus rem judicatam non conceditur, quando de læſione non conſtat.*

3 *Pacta in tranſactione conventa ſunt omnino ſervanda.*

4 *Tranſactio, rei judicatæ æquiparatur.*

5 *Facultas incidendi lignamina de Sylvis alicui reſervata ex pacto, non poteſt reſtringi ad illam tantum, qua uti Civis frui poſſet, ſed ad aliquid ultra, quoties ſic concepta eſſet* -- Oltre il ſolito jus come Cittadino &c. poſsa tagliare altri pali &c. & vide rationem in n. ſeq., ac amplia, ut in n. 7.

6 *Dictio* -- Inoltre -- *ſtat ampliative pro extentione diſpoſitionis ad quid diverſum.*

8 *Verba contrahentium in dubio, non juxtà ſtrictam juris diſpoſitionem interpratantur, ſed juxta conſonantiam illarum in loco contractus, & vide caſum.*

DECISIO MXLI.

In tranſactione, quæ inita fuit in extinctionem antiquæ litis tamdiù actitatæ in hoc noſtro Tribunali inter D. Ducem ab Altemps, & Communitatem Suriani eorum Feudi (ut teſtantur tot deciſiones editæ ſub diverſis temporibus coram bo. me. Muto, R̃mo P.D. Molines nunc Generali Hiſpaniarum Inquiſitore, & bo. me. Caffarello) ceſſo eidem Communitati dominio, quod ad ſe pertinere Caſtri Dominus contendebat circa Nemora, & Sylvas, pactum fuit inter cætera, quod liceret D. Duci percipere in eiſdem Sylvis abſque ulla ſolutione quolibet anno 150. Palos, totidemque Perticas ibi -- *Che oltre il ſolito Jus, che ha il Signor Duca come primo Cittadino ſopra le dette Selve &c. poſſa prenderſi ogn'anno dalli diradi Pali numero* 150., e *Pertiche numero* 159. *per ſervitio de ſuoi beni &c.*

Ex hoc ipſo pacto nova orta eſt occaſio inter eaſdem Partes litigandi, cum ſubinde in illius exequtione non fuerint concordes circa qualitatem lignorum, quæ ſub nomine ibi deſignato *Pali, e Pertiche* conceſſa D. Duci intelligerentur, & re propterea delata ad A.C. poſt iſtius judicialem acceſſum in faciem loci cum formali plurium Teſtium examine confectum, prodiit Decretum D. Duci favorabile pro facultate incidendi in Nemoribus & Sylvis diradandis arbores cujuſcumque ſint latitudinis, longitudinis, & rectitudinis, *ut in Summ. n.* 2.

Obtinuit Communitas à Signatura Juſtitiæ adverſus hujuſmodi Judicatum cauſam mihi in ſuſpenſivo committi, quia tamen interim neglexit infra legitima tempora appellationem proſequi, irrepſit quoque auctoritas rei judicatæ, & ideo concordatum fuit dubium -- *An conſtet de re judicata, ſeù potius de Cauſis reſtitutionis in integrum* -- illudque pluries eadem Communitate monita, & diù expectata, propoſui in hodierna audientia, in qua cum adhuc illa jura ſua deducere neglexerit, & inutili prætextu dilationem poſtulaverit, reſponſum fuit pro Informante, *conſtare* nempè *de re judicata*.

Ea namque per omiſſam actorum tranſpor-
1 tationem intra tempus à Jure ſtabilitum, dubio procul inducta fuerat, *vulga. cap. cum ſi Romana de appellat.*, neque locus erat in in-
2 tegrum reſtitutioni, cum ex validitate, & Juſtitia antecedentis Judicati omnis læſio excluderetur, *Rota in Maceraten. Fideicom.* 4. *Maii* 1711. §. *Etenim cor. Reverendiſſimo P. D. Aldrovando*, *in Herbipolen. Vicariæ, & Parochialium ſuper bono Jure* 10. *Maii* 1713. §. *Eo enim ipſo cor. Eminentiſſimo D. Card. Scotto*, *& paſſim alibi*.

Porro validitas nullatenus revocari poterat in quæſtione, uti plene reſultans ex actis: Juſtitia vero clarè promanabat ex publico tranſactionis inſtrumento, in quo D. Dux abdicato dominio, ſuper quo favorabiliter diu contenderat, Nemorum, & Sylvarum Territorii Caſtri Suriani, per pactum expreſſum ſibi reſervavit jus, & facultatem accipiendi ex dd. Sylvis, & Nemoribus quolibet anno 150 Perticas, & totidem Palos; nil autem
3 magis juri, & humanæ fidei conſonum eſt, quàm pacta ſervare, *l. Juris gentium §. Prætor ait ff. de Pactis*, præſertim ſi, ut hic, fue-
4 rint in ſolemni tranſactione ſtabilita, adverſus quam ſtare tranſigentibus non licet in judicio, cum rei judicatæ æquiparetur, & pro veritate ſemper habenda ſit, *l. non minorem* 20. *C. de tranſact.*, *cum aliis adductis in Tuſculana Vinearum* 11. *Decembris* 1713. §. *Clara cor. Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto*.

Abſque eo quod opponi poſſit, gravatam fuiſse Communitatem ab antecedenti judicato, ex quo fuit D. Duci conceſsa facultas percipiendi ex Nemoribus, & Sylvis non Palos, & Perticas aptos ad ſubſtinendas Vites, excutiendaſque nuces reſpectivè dumtaxat, ſed lignamina diversæ magnitudinis, & longitudinis, quæ improprium eſset deſignare ſub relatis nominibus.

Etenim colligebatur ex pluribus, Transi-
5 gentium intelligentiam fuiſſe, quod ſub deſignatione illa Palorum, & perticarum, non dicta tantum virgulata, & parva ligna venirent, ſed ea propriè lignamina, quæ in judicato A. C. fuerunt Duci conceſſa, & quidem ex eo præcipuè argumento, quod in eadem tranſactione jus illud reſervabatur d. Duci ultra aliud jus, quod habebat uti primus Civis ejusdem loci ibi -- *Oltre il ſolito Jus, che hà il Signor Duca come primo Cittadino ſupra le dette Selve, ſia al medemo lecito &c.*, & propterea cum jam uti primus Civis poſſet abſque ullo alio pacto, vel obligatione Communitatis libere percipere Palos, & Perticas ad libitum pro ſubſtinendis Vitibus, aliiſque hujuſmodi uſibus, dici debet non eadem parva ligna ſub adiecto pacto fuiſſe conceſſa, ſed diverſa, & craſſioris magnitudinis, juxta neceſſariam importan-
6 tiam illius dictionis *Inoltre*, quæ ſtat ſemper ampliativè ad extendendam diſpoſitionem ad quid diverſum, *l. actione n. 9. verſ. Et illa verba C. de tranſact.*, *Gratian. diſcept. 116. n. 41.*, *Rot. dec. 38. n. 3. cor. Cerr.*, *& dec. 418. n. 5. p. 19. rec.*

Confirmatur quoque hujuſmodi intelli-
7 gentia per aliam adiectam in eadem oratione expreſſionem ibi -- *Senza che poſſa pretendere pagamento alcuno* -- ex qua connotatur agi de rebus vendi ſolitis, in quibus cadit ſolutio; certum autem eſt, quo Pali, & Pertichæ vendi ſolitæ à Communitate Suriani, ſunt illa ligna ad uſum Mercantilem menſurari ſolita, quoad longitudinem in palmis 35. circiter, quoad circumferentiam in aliis palmis 3. circiter, ut inquiunt teſtes in acceſſu primæ inſtantiæ examinati in faciem loci, & conſtitit ex pluribus actibus venditionum hujuſmodi lignorum; unde conſequens eſt, quod pactum circa illa ſtabilitum à Tranſigentibus, de iſtis verificari debet, non autem de aliis, quibus qualitas præmiſſa non congruat, ex traditis *deciſ. 214. nu. 4. cor. Mantic. dec. 150. n. 10.*, *& ſeqq. cor. Sa. Mem. Greg. XV.*, *& dec. 86. n. 5. cor. Emer. iun.*

Neque obſtare propterea viſi ſunt *text. in l. Pali, & Perticha. ff. de legat. 3.*, *& in alia l. Pali, & Pertiche ff. de verbor. ſignific. & in l. fundi §. final. ff. de act. empt.* Præter enim alias reſponſiones in jure deductas ab informantibus, illa placuit Dominis animadverſio, quod poſita præmiſſa intelligentia in
8 loco contractus circa ſignificationem controverſorum verborum, judicandum eſt, non juxta ſtrictam juris interpretationem, ſed ſecundum probabilem ſenſum, quem habere potuerunt Tranſigentes ex communi loquendi uſu, & in ſenſu naturali, non autem Civili, *ad text. in vulgat. l. Labeo cum ibi notat ff. de ſupellect. legat.* cum aliis adductis *per Manſ. conſult. 227. n. 3.*, *Barz. dec. 110. n. 25.*, *& Rot. in Romana Primogenituræ de Salviatis ſuper Jocalibus, & tabulis pictis 22. Martii 1706. §. Ex quibus cor. Rmo Molines Generali Hiſpan. Inquiſ.*, *& in Romana diſtributionis dotium 22. Februarii 1717. §. Quoad Bohemos cor. Me.*

Et ita altera &c.

ROMANA IMMISSIONIS SUPER CAUTHELA ANGELI.

Veneris 28. Januarii 1718.

Nec argumento, nec Summario indiget.

DECISIO MXLII.

Curantes DD. diuturnam litem inter Fratres de Niccolis, & Innocentiam Prateſiam actitatam, in qua cæteroquin agi de paupere Regno certum erat, concordare potius amicabiliter, quam Juris rigore ſervato determinare, iniunxerunt alias mihi in cauſæ propoſitione, & antequam ſecundã deciſionem ederem, vocatis defenſoribus, ad id ipſos ſuaderem; quia tamen noluit Innocentia aures præbere concordiæ, edita deciſione, propoſui hodie inſtantiam alterius partis pro cauſę expeditione ad formam duarum præcedentium reſolutionum captarum ſub diebus 8. Martii, & 22. Novembris anni elapſi, in eaque concedenda demandatum ulterius mihi fuit, ut brevem hanc deciſionem extenderem, in qua favore ejuſdem Mulieris decerneretur ſervandam eſſe Cauthelam Angeli etiam pro aliquibus aliis jocalibus, quæ ad ipſam pertinere hodie juſtificabantur, abſque eo quod pro rebus modici valoris novis expenſis partes gravarentur in alia cauſę repropoſitione. Et ea ſunt infraſcripta in Inventario hæreditatis Franciſci Niccoli deſignata -- ibi - *Due roſette con Pietre roſſe una, l'altra con Pietre paonazze tutti, e due anelli ordinarii, un' altro anello ſenza pietra con torchine da lati, una Roſetta pietre ordinarie, un cappio di petto pietre ordinarie, tre altri anelli, cioè una Roſetta con pietre torchine, una fede, & un' altro anello con una Pietra, due navicelle ſmaltate, un vezzo di perle ad un filo ſcaramazze, una corona di ambra, un vezzo di perle ſcaramazze in due fila, alcune delle quali in mezzo ſono più groſſe delli lati, altro a tre fila ſimile.*

Et ita &c.

RO-

ROMANA, SEU BONONIEN.
LITTERARUM CAMBII SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 28. Januarii 1728.

ARGUMENTUM.

Cambium per litteras creari poteſt inter Mercatores, necnon creditum ex litterarum cambialium ſolutione proveniens inter eoſdem eſt fructiferum, maxime accedentibus Pauli de Caſtro requiſitis; Mercator, ad quem litteræ, quas traxiſſet, ob mandatarii defectum rediiſſent proteſtatæ, loco illius lucri, quod ſibi in earum ſcriptione feciſſet, & ex ejuſdem culpa retrotradere Creditori fuiſset coactus, fructus ab eodem mandatario poteſt petere, deque eis cum ipſo convenire.

SUMMARIUM.

1 *Mutuum ſimplex citra labem uſurariam, fructus non parit.*

2 *Mercator ſolvens cambiales litteras ab alio receptas, de omnibus damnis, cambiis, & expenſis proteſtationum ab iſto eſt reintegrandus, quando pro ſui reintegratione conſimiles litteræ, quas ad iſtum traxiſſet, proteſtatæ ad ipſum fuiſſent remiſſæ,* amplia ut in n. ſequenti,

3 *Mandatarius, ſi litteras à mandante tranſmiſſas non ſolveret, ad omne damnum, quod iſte pateretur, obligatur,* amplia ut in n. ſeq.

5 *Subamplia ut etiam jus acquireret ad fructus hujus damni citra labem uſurariam, dummodo ipſi capitali aliqua uſurarum acceſſio non fieret.*

6 *Uſura non cadit in eo lucro, quod provenit ex negociatione, & commercio licitis.*

Fructus damni paſſi inter Mercatores ob reditū litterarum cambialium ſine adimplemento, poſſunt etiam pro futuro paciſci, dummodo Mandatarius ſuum debitum poſt illarum reditum non ſolviſſet ratione lucri ceſſantis.

8 *Creditum pecuniarum, & ex ſimplici mutuo, Concurrentibus Pauli de Caſtro requiſitis fit fructiferum, & conventio de fructibus ſubſtinetur,* & n. 9.

10 *Amplia, quando non dubitatur de mora debitoris, quæ eſt primum requiſitum.*

11 *Mora ſatis ſuperque probatur ex dilatione, quam debitor ex Creditore reportaſſet.*

12 *Pactum circa ſolutionem fructuum crediti merè pecuniarii moræ equivalet, & interpellationis de requiſitis vices ſupplet.*

13 *Occaſio prompta reinveſtiendi pecunias, eſt tertium Pauli de Caſtro requiſitum.*

14 *Mercator dicitur habere promptum reinveſtimentum, quando Mandatarius ſuas litteras non ſolviſſet.*

15 *Mercator damno, & riſico Mandatarii poteſt accipere vel a ſe ipſo, vel ab aliis pecunias contentas in litteris, quas Mandatarius non ſolviſſet.*

16 *Amplia, ut eas poſſit remittere ad eumdem cum novis cambiis, & recambiis, donec ab illo adimplerentur.*

17 *Subamplia, ut etiam ſine ulla conventione poſſet petere fructus ratione damni emergentis, nempe in compenſationem interuſuriorum, quæ ſibi ipſi, vel alteri ſolvere debuiſſet.*

18 *Mercator non tenetur probare promptum habuiſſe reinveſtimentum ad petendos fructus ſimplicis mutui à debitore, quando iſte ſe obligaſſet eos ſe ſoluturum.*

19 *Amplia, ut ſatis ſit ei probare, quod de tempore talis conventionis promptam reinveſtiendi occaſionem habuiſſet, de qua fuiſſet negligens in gratiam ipſius debitoris.*

20 *Mercator per nundinas, & plateas ſui debitoris nomen poteſt circumferre, moderatum ſcutorum quinque intereſſe pro quolibet centenario promittendo, eumdemque cambiorum, & recambiorum onere gravare.*

21 *Intereſſe dicitur juſtum, quando Mercator probaret tanti ſibi interfuiſſe, quin Mandatarius litteras ad ipſum tractas adimpleviſſet.*

DECSIO MXLIII.

CUM in Congregatione Rotali habita 29. Julii ſuperioris anni feciſſem verbum ſuper expeditione hujus Cauſæ, quam Natuccius ad formam Deciſionis coram Me editæ ſub die 28. præcedentis menſis Iunii enixè petebat, placuit DD., ut in articulo involvente materiam uſurariam tutius, ac maturius procederetur, iterum Partes ſuper reſolutis audire. Ea igitur hodie repropoſita, interrogavi DD. *An eſſet ſtandum, vel recedendum à deciſis*, ſed ipſi *in deciſis ſtandum eſſe* reſponderunt.

Denuo namque ſubſiſtere viſa fuerunt duo illa fundamenta, ex quibus Rota cenſuit in præterita propoſitione nullam fenoris, aut damnabilis uſuræ notam impingi poſſe contractui inter memoratum Natuccium, ac Stephanum Plaſtra Mercatorem Bononienſem per epiſtolas inito, quo mediante iſte obtenta dilatione quatuor annorum ad ſolvendam ſummam ſcut. 5362. illi debitam, conſtituit interim ſe ſoluturum in ſingulos annos moderatum intereſſe ſcutorum quinque pro centenario; licet enim etiam hodie objiceretur rem eſſe de credito mere pecuniario, quod nullo ſuperaccedente legitimo contractu acceſſionum, & lucri productivo, fructus parere non poterat; fuit tamen iterum
1 animadverſum, quod prædictum creditum non provenit ex cauſa mutui, ſuper quo vere, ac propriè cadit uſura, juxta magis communem opinionem, de qua teſtatur *Rota cor. Seraph. dec. 599. n. 3, & 4., & coram Millin. dec. 380. n. 3., & ſeqq., & coram Merlin. dec. 161. nu. 1., & in rec. deciſ. 58. n. 16. p. 13., & dec. 260. n. 3. p. 19.*, ſed ex quo Natuccius nummulariam in Urbe exercens ſolverat plures cambii litteras ad ipſum à Ste-

à Stephano tractas, & cum viciſſim ipſe alias
conſimiles litteras pro ſui reintegratione ad
2 eumdem Stephanum traxiſſet, iſtę, ut par
erat, impletę non fuerant, ſed proteſtatæ re-
dierunt, unde opportuerat, ut Natuccius
cum propria pecunia nedum illas impleret,
tanquam a ſe ſcriptas, ſed ulterius ſolveret
adiectis in eiſdem litteris expenſas proteſta-
tionum, & proviſionum, & ſic cum duplici
ejus damno, quod omni procul dubio à Ste-
phano reficiendum erat, tùm ex generali re-
gula *text. in l. 3. §. ultimo, & l. ſequen. ff.
de eo, quod cert. loc, & l. unic. C. de ſent.
quę pro eo quod inter*, tùm ex ipſa natura
3 contractus mandati in dd. litteris contenti,
cujus virtute Mandatarius ſuſceptum manda-
tum bene, ac fideliter non exequens, tene-
tur actione directa præſtare Mandanti dam-
num omne, quod iſte ejus culpa paſſus fuit,
*l. 2. §. ultimo ff. de eo quod cert. loc. l. ſi vero
in §. Dedi tibi ff. Mandat., l nummis 13. ff.
de in lit. jur Leotard. de uſur. quæſtion. 33.
n. 8., Card. de Luc. de credit. diſc. 64. n. 11.
Rota in Romana pecuniaria 23. Februarii
1714. §. Hiſque ita cor. R. P. D. meo Criſpo*,
ſive quanti ejuſdem Mandantis interfuit man-
datum impletum non fuiſse, *l. ad comparan-
das 21. Cod. mandati, Leotard. de uſur. d.
q. 33. n. 7., Rota cor. Ubald. dec. 479. in fin.*

Haud urgente replicatione, quod Natuc-
cius in computo dati, & accepti inter Partes
ſolidato jam ſe deſcripſerat Creditorem pro
iſtis damnis, iiſque calculatis, & compræ-
henſis, Stèphanus remanſerat debitor in dic-
ta ſumma ſcut: 5362., quodque propterea
nihil ultra hoc nomine prætendi poterat à
Creditore, ne aliàs darentur uſuræ uſurarum,
neve admitteretur ſpecies damnati anatho-
ciſmi. Plana enim ex ipſo facto occurrebat
reſponſio, quod nimirum in d. calculo habi-
ta quidem fuit ratio de expenſis proteſtatio-
num, & proviſionum, non tamen de lucro il-
4 lo, quod faciunt Mercatores, cum trahunt
litteras cambii, & Natuccius jam fecerat in
trahendis illis, quas ad Stephanum direxe-
rat, ſed poſtea amiſit, ex quo idem Stephanus
illas non implevit. Ex hac namque amiſſio-
ne, & jactura, ſicuti negari non poteſt, quin
Natuccius damnum paſſus fuerit, cum jam
d. lucrum ipſi fuiſſet pleno jure quæſitum,
ad text. in l. 3. ff. de damn. infect.; ita neque
5 controverti valet, quin hoc nomine rectè po-
tuerint conveniri fructus circa aliquam la-
bem uſuræ, aut vitium Anathociſmi, cum
iſtud excluſum remaneat eo ipſo, quod nul-
la facta fuit capitali uſurarum acceſſio, *l. ul-
tima C. de uſur., Leotard. qu. 5. nu. 1., &
ſeqq., & qu. 86. ferè per tot.*; illa vero con-
ſiderari non poſſit in eo lucro, quod ex hu-
juſmodi negociatione, & commercio ubi-
6 que locorum licito, ac permiſſo deſcendit,
ut pluribus congeſtis firmant *Petr. Gregor.
de uſur lib. 2. cap. 2. n. 7., & 8., Mantic. de
tacit. lib. 25. tit. 3. n. 14., & 15., Leotard.
qu. 1. n. 33., qu. 24. n. 48., & ſeq., qu. 25.
n. 12., & ſeqq.*, & in diſputatione ſuper ju-
re, *Inſtiu. de uſur. p. 2. ſect. 18. numero 8.*,
ubi, quod uſura plurimum differt a compen-
dio negociationis.

7 Prout quoque minùs relevare viſum fuit
aliud obiectum, quod Natuccius ad ſum-
mum potuiſſet exigere lucrum illiuſmodi
tunc amiſſum ob non ſequutum implemen-
tum litterarum ad Stephanum directarum,
ſecus verò fructus futuri temporis paciſci,
cum ad iſtos ratio damni paſſi extendi non
poſset. Siquidem hoc procederet, ſi paulò
poſtquam litterę non impletæ redierunt,
Plaſtra debitum perſolviſset; at non facta
tunc ſtatim ſolutione, ſed ea ex benignitate
creditoris ad quatuor annos dilata, rectè,
ritèque potuerunt conveniri fructus etiam
futuri temporis, ſi non ratione damni, ſaltem
ex capite lucri ceſsantis, dum ſimul concur-
8 rebant tria illa vulgata requiſita *Pauli de
Caſtro in l. 3. ff. de eo quod cert. loc.* quod
operatur, ut quodcumque creditum etiam
merè pecuniarium, & ex puro, & ſimplici
mutuo proveniens, fructiferum reddatur,
*Rot. cor. Seraphin dec. 88. num. 3., & poſt
Zacch. de ſociet. offic. dec. 7. n. 2., & in rec.
dec. 246. n. 18 p. 5. cum aliis in deciſione cau-
ſæ §. Alterum.*

9 Quod quidem fundamentum tanquam
magis tutum, ac ſolidum, & ex ſe ſolo ſuf-
ficiens ad ſubſtinendam conventionem, de
qua eſt quæſtio, etiam hodie DD. approba-
runt. Quamvis enim Plaſtra admiſso ſecun-
do, enixè inſiſteret ſuper defectu cætero-
rum requiſitorum. Compertum tamen fuit,
10 quod mora; in qua primum ex illis conſi-
ſtit, vix, ac ne vix quidem negari poteſt.
Nam quidquid ſit an ad effectum, de quo
agitur conſiderari debeat illa, in qua Pla-
ſtra conſtitutus fuit virtute proteſtationum
emiſsarum ab iis, quibus litteræ perſolven-
dę erant; & an intuitu dilationis à debitore
petitę, ſeu potius in ſequelam earumdem
proteſtationum annua interuſuaria conven-
11 ta fuerint: illud utique certum eſt, omni-
que prorſus dubitatione vacat, quod cum
Partes de dictis annuis interuſuriis expreſsè
conveniſsent, & cæteroquin debitum iam
fuiſset mutuo conſenſu in tanta quantitate
liquidatum, nulla amplius requirebatur
probatio moræ; quippè quia cum per huiuſ-
modi conventionem Plaſtra certior factus
fuiſset, quod Natuccius pecunias otioſas re-
12 tinere non intendebat, pactum iſtud idem
prẹſtiterat, ac mora, & iuſtæ interpellatio-
nis vicem ſupplevit, ut præter auctoritates
latè congeſtas in deciſione cauſæ, firmat *Gra-
tian. diſcept. 240. n. 2, Rot. dec. 132. n. 3. p. 4.
rec., & poſt Conſtantin. ad Statut. Urbis,
dec. 23. n. 5.*

13 Sed non minus clarus, & evidens videba-
tur concurſus tertii requiſiti conſiſtentis in
prompta, ſpecifica, atque individua occa-
ſione implicandi pecuniam debitam cum lu-
cro æquivalenti fructibus conventis iuxta
opinionem in Curia, ac Tribunali noſtro
firmè & conſtantiſſimè receptam. Siquidem
eo

14 eo ipſo, quod Plaſtra certus, ac liquidus Natuccii debitor ex cauſa tot litterarum ab iſto ſolutarum, alias litteras cambli ad ipſum viciſſim à Natuccio tractas pro ſui reintegratione non impleverat, itaut illis redeuntibus proteſtatis, opus fuerit ſcribenti tantumdem ſolvere adjectis ſolutioni earumdem litterarum, jam idem Natuccius ex ipſa natura contractus mandati, & cambii liberam promptam, atque omnino expeditam, & individuam facultatem habebat, vel
15 ſummam coæqualem accipiendi cambio, & recambio etiam à ſemetipſo, expenſis, & damno dicti Stephani Plaſtra, vel novas lit-
16 teras toties mittendi, ac remittendi ad eumdem Stephanum debitorem cum novo expenſarum, cambiorum, & recambiorum onere, donec ab eo impletæ tandem fuiſſent, ut in puncto firmat *Scaec. de commerc. & camb.* §.6. *Gloſſ.* 1. *n.*99., cujus verba refert dicta mea præcedens deciſio §. *Tota itaque.*

Non attento, quod licèt id à Natuccio fieri poſſet, factum tamen minimè fuerit, cum neque à ſe ipſo, neque ab alio tantumdem
17 pecuniarum cambio acceperit. Etenim ſi ipſe hoc feciſſet, jam ſine ulla conventione interuſuria illi deberentur ratione damni emergentis, nempe in compenſationem eorum interuſuriorum, quæ ſibi ipſi, vel alteri ſolvere debuiſſet, quatenus propter moram Stephani in reddendo eo, quod ſibi debitum erat, pecunias à ſe ipſo, vel ab alio cambio accepiſſet, juxta terminos *Textus in l. lucius ff. de action. empt.*, & tradita per
18 *Leotard. de uſur. q.*75. *n.*8. At vero cum Natuccius dicta interuſuria ſibi deberi probet ex conventione cum debitore inita ratione lucri ceſſantis, non debet juſtificare pro tertio ex requiſitis Pauli de Caſtro, quod ipſe tantumdem pecuniarum cum effe-
19 ctu cambio acceperit, ſed ſatis eſt illum tunc temporis habuiſſe promptam, atque ſpecificam occaſionem pecunias ſibi debitas implicandi cum lucro, illas ſive tantumdem ſibi ipſi tradendo ad cambium, eamdemque occaſionem neglexiſſe in gratiam debitoris hoc intuitu promittentis juſtum & moderatum intereſſe, ut explicando doctrinam Pauli de Caſtro, ac diſtinguendo cauſam damni emergentis à ratione lucri ceſſantis, advertit *Rot. pluribus adductis dec.*128. *n.*3. *& dec.*1284. *n.*2. *&* 3. *cor. Seraphin.*, *& cor. Bich. dec.*333. *n.*11., *& in rec. dec.*250. *n.*6. *& ſeqq. p.*15., *& in Romana Salviani* 21. *Junii* 1717. §. *Quidquid enim*, *& ſeq. coram Me.*

Non eſt igitur de quo Stephanus conqueratur, imo gratias Natuccio agere debet,
20 dum ab eo impetravit, ne ipſius debitum per Nundinas ac Plateas circumferret, prout facere poterat, ac promittendo moderatum intereſſe ſcutorum quinque pro centenario in ſingulos annos, evitavit longè majus damnum, quod ſibi impendebat, ac pati coactus fuiſſet, ſi Natuccius utendo facultate ſibi competente, ipſum gravaſſet onere novarum expenſarum, cambiorum, & recambiorum, quorum curſus, ut ex notula exhibita probatum fuit, valdè exceſſit inte-
21 reſſe conventum; ex quo etiam ſequitur, ut præſcindendo à qualibet proportione, & veriſimilitudine taxæ ab initio conſtitutæ, quæ cæteroquin in caſu non deficiebat, juxta auctoritates latè deductas in deciſione cauſæ §. *Objectum*, *& ſequen.*, quibus nullatenus adverſatur *Rot. dicta deciſ.*23. *poſt Conſtantin. ad Statut. Urbis*, in dubium venire nequeat, quin tanti re vera Natuccii interfuerit pecuniam ſuam ſibi ſtatim redditam non fuiſſe, ut pariter concludit dicta mea antecedens deciſio §. *finali*.

Et ita utraque &c.

ABULEN. CAPPELLANIÆ.

Lunæ 31. Januarii 1718.

ARGUMENTUM.

Proviſus Apoſtolicus de Beneficio cum clauſula -- *Sive vacaſſet in menſe reſervato, ſive alio quovis modo* --, & cum alia clauſula -- *Perinde valere* -- omnino inſtituendus eſt, nec ſubreptionis cenſuræ ſubjacet, maximè ſi litteras in forma gratioſa reportaſſet, quæ ſemper juſtificatæ præſumuntur. Gratia -- *Perinde valere* -- ad initium retrotrahitur, ac ſi uſque tunc exprimendum, Papæ fideliter fuiſſet enarratum.

Intruſus, & à non habente jus conferendi nominatus, legitimus contradictor dici nequit, nec regula de triennali juvatur.

SUMMARIUM.

1 *Litterę Apoſtolicæ juſtificatæ, ſunt illicò exequendæ.*

2 *In forma gratioſa expeditę, juſtificatæ præſumuntur.*

3 *Dicuntur juſtificatæ, quando documenta fuerunt coram Datariæ Officialibus exhibita.*

4 *Cappellania vacans de tempore obitus Epiſcopi, juxta Conſtitutionem ſa. mem. Pii Quinti, S. Sedi remanet affecta.*

5 *Gratia Apoſtolica non dicitur ſubreptitia per hoc, quod impetrans expreſſiſſet eam Apoſtolicæ reſervationi obnoxiam, quando collatio ſpectaſſet ad Epiſcopum, ſi Papa eam conceſſiſſet cum clauſula* -- Sive reſervata extiterit, ſive non -- *quæ cujuſcumque vacationis eſt compræhenſiva.*

6 *Amplia, quando in Apoſtolica gratia proviſus reportaſſet illam* -- Perinde valere.

7 *Gratia* -- Perinde valere -- *retrotrahitur ad primum, & ad initium, ac ſi uſque tunc, quod exprimi debuiſſet, fuiſſet enarratum.*

8 *Amplia, ſi hæc ſecunda gratia ſuperveniſſet poſt litem jam inter partes introductam, quando eadem lis fuiſſet Sanctiſſimo repræſentata.*

9 *Gratia*

9 *Gratia Apoſtolica in Beneficialibus, jus alteri quæſitum nunquam tollit.*
10 *Gratia non fit ſubreptia per hoc, quod Papæ fuiſſent reticitæ ſententiæ contra proviſum latæ, quando in mero poſſeſſorio, reſervatis juribus in petitorio emanaſſent.*
11 *Sententia ſuper mero poſſeſſorio, juribus in petitorio reſervatis non prejudicat.*
12 *Subreptio non inducitur ex reticentia jurium invalidorum, & inſubſiſtentium.*
13 *Intruſus, & à non habente ius conferendi proviſus, non fit legitimus contradictor, ut litterarum exequutionem impediat.*
14 *Amplia, ut neque de triennali juvetur regula.*
15 *Beneficia, Sede Epiſcopali vacante, non poſſunt conferri.*
16 *Jus conferendi Beneficia per mortem Epiſcopi ad Capitulum non devolvitur*, & vide rationem.
17 *Immemorabilis, deficientibus requiſitis, probata non remanet, & quomodo probetur.*
18 *Teſtes in conflictu probationum, illi præferuntur, quorum depoſitio magis eſſet juri conſona.*
19 *Immemorabilis de iure conferendi Beneficium favore Capituli, vacante Sede Epiſcopali, deſtruitur, quando probaretur, quod Capitularis Proviſor mandatum de immittendo favore Proviſi à Nuncio Apoſtolico relaxaſſet.*
20 *Actus ultimus, utpote recens, methodum judicandi præbere debet.*
21 *Quadragenaria poſſeſſio in collatione Beneficiorum, deficiente titulo ſaltem colorato, ac bona fide in prætenſis patronis, excluditur.*
22 *Non attenditur, etiam ſi probaretur, quando Juris Canonici diſpoſitioni obſtaret.*
23 *Amplia in præjudicium Datariæ Apoſtolicæ, & ab ea Proviſi, quando præſertim non docetur ullas adeſſe collationes, quæ effectum habuiſſent eum illius ſcientia, & patientia.*
24 *Res judicata facit rem claram, & manifeſtam.*
25 *Capitulum, Sede Epiſcopali vacante, ſi poteſt conferre Beneficia, à fortiori Parochialia, in quibus maior providendi neneceſſitas concurrit.*
26 *Poſſeſſio antiqua, & longæva ex mala fide infecta, non attenditur.*

DECISIO MXLIV.

NOndum acquieſcens geminis judicatis Rotalibus, quibus prius coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano, & deinde coram R.P.D. meo Herrera decreta fuit executio litterarum Apoſtolicarum Joannis Antonii à Sanctiſſimo proviſi de Cappellania majori S. Mariæ de Abajo, curavit Gaſpar contradictor, cui eadem Cappellania collata fuerat à Proviſoribus Capituli Abulen., novam appellationem reportare à Signatura Juſtitiæ, obtentoque favorabili reſcripto, & cauſæ cognitione mihi delegata cum clauſula -- *alteri qui ad ulteriorem legitimam* --, diſputatum hodie fuit congruum dubium, cui non obſtantibus iterum ab illo repetitis exceptionibus, reſponſum fuit, *procedendum eſſe ad ulteriorem legitimam.*

1 Inconcuſſa ſiquidem perſtitit juſtificatio Litterarum Apoſtolicarum Joannis Antonii, itaut nequaquam retardari poſſe viſa fuerit earum plenaria executio, *Rot. in Barchinonen. Beneficii 13. Januarii 1710. §. Littera cor. R.mo D. meo Aldrovando Archiepiſcopo Neocæſarien. in Bononien. Beneficiorum de Caſtello ſuper executione Litterarum Apoſtolicarum 2. Maii 1712. §. Litteræ cor. R.P.D. meo Criſpo.*

2 Deducebatur autem talis juſtificatio non ſolum ex generali præſumptione, quod inſpecta illarum conceſſione in forma gratioſa,
3 præceſſerit opportuna exhibitio documentorum ad id conducentium coram Officiali-
4 bus Datariæ; verùm etiam ex incontrovertibili ejuſdem Cappellaniæ reſervatione diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ, quia reperiebatur vacans de tempore obitus Epiſcopi Abulenſis juxtà notiſſimam conſtitutionem Sancti Pii V. in ordine la 55., & regulæ ſecundæ, hodiè tertiæ Cancellariæ, ut probant auctoritates plenè adductæ *in deciſ. hujus cauſæ 5. Maii anni elapſi §. juſtificatio cor. R. P. D. meo Herrera*, ſuper qua ſanè reſervatione prædictæ litteræ Apoſtolicæ Joannis Antonii, principale habuerunt fundamentum.

5 Abſque eo quod repetere juverit obreptitias, ſeu ſubreptitias fuiſſe eaſdem litteras, ex eo quod expreſſum S.mo fuerit Cappellaniam eſſe obnoxiam reſervationi Apoſtolicæ propter vacationem ſequutam de menſe Januarii reſervato, quando tamen dubitari non poterat de illius vacatione in menſe Auguſti, quo tempore collatio ſpectabat ad Epiſcopum Abulen., ac proindè dum Joannes Antonius gratiam impetravit propter reſervationem ratione menſis, ut dictum eſt juxta regulam octavam, hodiè nonam Cancellariæ, nequeat modo juvari diverſa gratia derivante ab alia regula ſecunda, hodiè tertia ejuſdem Cancellariæ, ſive à memorata Conſtitutione S. Pii V., de quibus nulla fuit facta mentio in ejus litteris Apoſtolicis.

Ultrà quod enim Summus Pontifex in eiſdem litteris contulit Cappellaniam Joanni Antonio, ſive reſervata exiſteret propter vacationem in menſe diſpoſitioni Sanctæ Sedis reſervato, ſive alio quovis reſervationis genere, ibi -- *ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo*, cujus clauſulæ vis, & efficacia compræhendit omnem alium modum vacationis, tam ſcilicet vacationem in menſe Januarii, quàm inductam ex Conſtitutione Piana, & regula tertia Cancellariæ, *Lotter. de re beneſ. lib. 3. quæſt. 8. num. 61., & Rot. cum aliis deciſ. 27. num. 23. coram Zaratta.* Illa
6 præ cæteris Dominis placuit reſponſio, quod Prouiſus Apoſtolicus ad abſtergendam omnem

nem maculam præpoſitæ ſubreptionis, obti-
nuit quoque à Smo gratiam *perindè valere*,
ac ſi expreſſiſſet in primis litteris, quod Cap-
pellania vacavit in menſe Auguſti, atque de
ea Epiſcopus alternativa gaudens, & tunc in
7 humanis exiſtens non providit. Ex quo fit,
quod Papa per dictam ſecundam gratiam
perindè valere, quæ de ſui indole retrotrahi-
tur uſque ad initium, convalidaverit pri-
mam, illius ſpiritum ſuſcitando, ac ſi uſque
tunc narratum fuiſſet, quod exprimi debuiſ-
ſet, ut latè firmatum fuit *deciſ. 325. num. 11.,*
& ſeq. cor. Bich., deciſ. 72. num. 4. cor. Prio-
lo cum concordantibus in deciſ. præcedentis
inſtantiæ §. Neutiquam relevante cor. R.P.
8 *D. meo Herrera*, ubi quod id procedit,
etiamſi ſecunda gratia ſupervenerit poſt li-
tem jam inter partes introductam, cum ſatis
ſit, eamdem litem expoſitam fuiſſe, prout
hic, Summo Pontifici, juxta auctoritates ibi-
dem allegatas.

Nullatenus attenta replicatione, quod
etiam dicta ſecunda gratia fuerit ex alio ca-
pite ſubreptitia, quia ſcilicèt quamvis ex-
preſſa fuerit lis, reticitæ tamen extiterint
tùm ſententiæ latæ ad favorem Gaſparis, tùm
longeva poſſeſſio Cappellaniæ, in qua iſte
reperiebatur, tùm denique antiqua poſſeſſio
Proviſorum Capituli in conferendis hujuſce-
modi Cappellaniis. Quæ omnia, ſi Papæ in-
notuiſſent, utique illum retraxiſſent à con-
9 ceſſione novæ gratiæ, cum ſpeciale ſit in
illarum conceſſione, quod jura alteri quæſi-
ta non tollantur, juxta notiſſimam aliam
Cancellariæ regulam *de jur. quæſit. non*
tollen.

10 Quantum enim attinet ad ſententias, nul-
la ſanè aderat neceſſitas, quod illæ ad noti-
tiam Papæ deferrentur. Emanaverant enim
in ſummariiſſimo Poſſeſſorio, reſervatis juri-
bus utrique parti in petitorio, *Summario*
Joannis num. 4., per quam ſanè reſervatio-
11 nem jura Proviſi Apoſtolici intacta penitùs,
& illæſa eo uſque remanſerant, *Felin. in cap.*
inter Monaſterium ſub num. 3. de ſent., &
re judic., Rot. dec. 270. num. 8. par. 4. rec.
dec. 103. num. 34. cor. Arguel., & dec. 534.
num. 5. cor. Emer. Jun.

Quo verò ad poſſeſſionem Gaſparis reſpe-
ctu Cappellaniæ, & Proviſorum Capituli
reſpectu juris illam conferendi, animadver-
12 tebant Domini, quod cum agatur de juri-
bus omnimodè invalidis, & inſubſiſtentibus,
quorum etiamſi conſcius factus fuiſſet Sum-
mus Pontifex, adhuc difficilior non extitiſſet
in conceſſione novæ gratiæ, illorum ommiſ-
ſa expreſſio nullam valuit inducere ſubrep-
tionem, *Rot. in Auguſtana Canonicatus*
Provinciæ Moguntinæ 14. Martii 1710. §.
fin., ubi concordan. coram Rmo D. Molines
Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.

Et quidem ſingulariter examinando utrum-
13 que jus, & poſſeſſionem, illud Gaſparis ſtatim
infectum dignoſcitur, ex quo agitur de in-
truſo vigore proviſionis reportatæ à non ha-
bente jus conferendi, ut infra oſtenditur,

ideoque neque eſſe poteſt legitimus contra-
dictor ad impediendam executionem litte-
14 rarum Apoſtolicarum, neque juvari regula
de triennali, *Rot. in Hyporegien. Beneficii*
11. Februarii 1704. §. Non obſtante coram
bo. me. Muto, & in præciſis terminis *in alia*
Abulen. Cappellaniæ 26. Januarii 1715. §.
Deficiebat cor. Eminentiſſimo D. Cardinali
Scotto, & dictum fuit in prima deciſione hu-
jus cauſæ 28. Junii ejuſdem anni §. Multo-
que minùs coram Reverendiſſimo P. D. meo
Anſaldo Decano.

Eodem modo nullum dignoſcebatur jus,
& poſſeſſio Proviſorum Capituli ex litterali
15 diſpoſitione *Text. in cap. 2. ne Sede vacan-*
te, prohibentis tempore Sedis Epiſcopalis
vacantis aliquid innovari, præſertim in be-
16 neficiorum collatione, quia cum jus confe-
rendi beneficia ad actus voluntariæ, non au-
tem contentioſæ, aut neceſſariæ Juriſdictio-
nis pertineat, non devolvitur per Epiſcopi
mortem ad Capitulum, ut expendit *Rot. plu-*
ribus adductis in citata alia Abulen. Cappel-
laniæ §. Proindèque cor. Eminentiſſimo D.
Scotto, & poſtrema cauſæ deciſio §. Verifi-
catione cor. R. P. D. meo Herrera, famula-
turque præmiſſæ juris diſpoſitioni dicta Con-
ſtitutio 55. S. Pii V., & etiam regula tertia
Cancellariæ, prout in dictis præcedentibus
deciſionibus dictum fuit.

Fruſtrà ad ſanandum hujuſmodi defectum
juriſdictionis in Proviſoribus Capituli ex
parte Gaſparis allegabatur poſſeſſio imme-
morabilis, in qua illos à tempore hominum
memoriam excedente reperiri contendebat
in providendo de beneficiis liberæ collatio-
nis à defuncto Epiſcopo non proviſis. Siqui-
dem ſedulo (ut par eſt) ſubiicientes exami-
ni depoſitiones plurium Teſtium ad hunc
præciſum effectum adductorum, prætenſam
17 immemorabilem nullatenùs probatam dici
poſſe crediderunt; cum deficerent notiſſima
requiſita, quæ ad illam probandam expendit
Gloſſ. in cap. 1. verb. memoria de præſcript.
in 6., & Oſtien. in cap. quid novale de ver-
bor. ſignif., accedente inſuper ponderatione
illa, quod quatenùs in rei veritate ſubſiſteret
hujuſmodi prætenſa immemorabilis poſſeſ-
ſio, de facili probari potuiſſet, exhibendo
opportuna collationum documenta quæ rem
extra controverſiam ponerent, abſque eo,
quod opus fuiſſet mendicare inutiles proba-
tiones ex dicto Teſtium.

Ex quibus utique Teſtibus perperàm de-
duci ſaltem prætendebatur longæva poſſeſſio
conferendi favore Proviſorum Capitula-
rium ſupra *quadraginta annos*, quæ etiam ad
tollendam de medio reſiſtentiam juris poſſet
18 ſufficere. Quandoquidem depoſitiones præ-
dictorum Teſtium, etiam in hac parte pro-
ſternuntur ab aliis in contrarium adductis,
qui cum tendant ad probandum id, quod eſt
conforme diſpoſitioni juris, dubio procul
præferendi ſunt, ut præter adductos *in deci-*
ſione R. P. D. mei Herrera §. Eoque minus,
dictum fuit in Sueſſana bonorum 18. Junii
1717

1717 §. *Abſque eo quod cor. Me*; tantoque
19 magis, quia concurrunt etiam plures actus ſimilium collationum factarum in Diœceſi Abelen. Sede Epiſcopali vacante per Nuncios Apoſtolicos cum ea præciſa circumſtantia, quod ipſemet Proviſor Capitularis, qui contulit Cappellaniam Gaſpari, & cujus modo jus idem Gaſpar tueri conatur, immitti mandavit in poſſeſſionem alterius Cappellaniæ Proviſum per Nuncium Apoſtolicum,
20 *Summ. Jo: Antonii num.* 10. *lit. A.* Quiſque autem videt, quantum contrarietur aſſertæ quadragenariæ poſſeſſioni actus iſte, qui potius, utpotè recens, & ultimus, methodum præbere deberet judicandi, ad *Text. in cap. conſultationibus de Jurepatronatus.*

21 Ultrà defectum probationis, concurrit in aſſertæ quadragenariæ excluſionem deficientia tituli ſaltem colorati, ac bonę fidei
22 in iiſdem Proviſoribus propter vehementem juris reſiſtentiam reſultantem ex allegata Juris Canonici diſpoſitione, itaut etiam probata nullatenùs relevaret, *Rot. decis.* 235. *num.* 2., & 3., & *dec.* 448. *num.* 12. *cor. Coccino, in Burgen. Jurisdictionis ſuper remiſſoria 9. Februarii* 1714. § *Quadragenaria cor. R. P. D. meo Falconerio Almę Urbis*
23 *Gubernatore, & paſſim*, maximè in præjudicium Datariæ Apoſtolicæ, ejuſque Proviſi, dum non docetur ullas adeſſe collationes effectum ſortitas cum illius ſcientia, & patientia, prout cæteroquin requireretur, *Rota in Hoſtunen Beneficii 27 Januarii* 1710. § *In facto cor. Reverendiſs. P. D. meo Anſaldo Decano.*

24 Accedit his omnibus, quod in everſionem cujuſcumque Juris Capituli, militat res judicata noſtri Tribunalis coram bo. me. Blanchetto, ut ex *deciſ. relatis per Garz. de beneſ. quæſt.* 5. *cap.* 4. *ſub num.* 90., quæ pro veritate habenda eſt, & conſtituit rem claram, & manifeſtam, juxtà notoria principia. Non attenta reſponſione, quod tunc ageretur de collatione Parochialis, quodque non concurreret tam longæva poſſeſſio. Retorquetur
25 quippè talis animadverſio, quia ſi aliqua ratio aſſiſteret Capitulo pro collatione Beneficiorum Sede Epiſcopali vacante, potior, & validior eſſet in collatione Parochialium, in quibus major neceſſitas concurrit faciendæ proviſionis, quæ tamen non ſufficit ad transferendum jus conferendi in Capitulum, ut reſpondit utraque Deciſio cor. dicto bo. me. Blanchetto, ex quarum etiam lectura dignoſcitur, quod ratio decidendi ſtetit uſque tunc
26 in ſupra ponderata juris reſiſtentia. Poſſeſſio verò, etiamſi longioris temporis hodiè deducatur, eſt eodem modo inſufficiens, quia infecta remanet per malam fidem, in qua per eamdem rem judicatam conſtituti ſunt Proviſores, immò potiùs confirmati, *Rot. in Nullius, ſeu, Terræ Pontiani Cenſus 2. Maii* 1710. §. *Nulla enim, ubi concordan. coram bon. mem. Caffarello.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DOMUS SEU PALATII SUPER LIBERATIONE A MOLESTIIS.

Veneris 4. Februarii 1718.

ARGUMENTUM.

Legalis proportio inter impenſum, & melioratum non cadit reſpectu refectionis melioramentorum faciendæ per domus evictæ venditorem, favore emptoris de ea ſpoliati, cum ille, melioramenta etiam voluptuoſa iſti ratione bonę fidei reficere teneatur; Eadem verò legalis proportio ſe habet inter hæredem fideicommiſſarium melioratum fundum evincentem, & illius indebitum detentorem.

SUMMARIUM.

1 *Obligatus de evictione in caſu moleſtiarum, quas ſuper re empta quis pateretur, ad quanti iſta interſunt de jure tenetur, cum de eis ſtipulationem commiſiſſe dicatur.*
2 *Refectio melioramentorum ſuper fundo evicto factorum ſub obligatione evictionis cadit, quam venditor favore emptoris exaraſſet*, & num. 4.
3 *Venditor in caſu evictionis rei venditę, non ſolum ad id, quod prætii nomine ei traditum fuiſſe refundendum tenetur, ſde etiam ad quanti intereſt emptori rem eſſe evictam*, & num. 8.
4 *Obligatus, ut ſuprà, tenetur reficere melioramenta confecta in domo evicta.*
5 *Hæres fideicommiſſarius titulo fideicommiſſi rem evincens, tenetur melioramenta in effectivo illorum valore reficere, & cum legali proportione inter impenſum, & melioratum.*
6 *Limita, in venditore domus evictæ, qui totum id, quod verè interſit rem emptam, & bona fide melioratam evinci, emptori reficere tenetur.*
7 *Quantitas melioramentorum ex relatione periti, & laboreriorum computis probatur.*

DECISIO MXXXXV.

IMminentem prænoſcens Marchio de Silveſtris evictionem Domus, ſeu Palatii ſibi venditi cum plenariæ libertatis promiſſione à V. Monaſterio S. Pauli, eo quia Eliſabeth de Regibus, tamquam vocata ad fideicommiſſum inſtitutum à Thoma de Regibus, renovando litem, jam anteà promotam ab aliis in eodem fideicommiſſo ſucceſſoribus, duas favorabiles ſententias obtinuerat pro immiſſione ad eamdem domum, uti fideicommiſſo prædicto ſubjectam, non ſolum inſtetit contra dictum Monaſterium pro liberatione à moleſtiis paſſis occaſione memoratæ litis, ſed inſimul pro refectione damnorum paſſorum ex cauſa avocationis etiam melioramentorum, quæ idem Marchio, aut ejus Authores fecerant in eadem domo, & pro quibus inutiliter petierat retentionem in dicto im-

immiſſionis Judicio; delataque hujuſmodi quæſtione cum facultatibus A. C., de more communicatis, ad noſtrum Tribunal coram R. P. D. meo Criſpo, prævia deciſione, edita die 31. Januarii 1710. prodiit judicatum, pro relaxatione mandati juxta modum, qui fuit, ut cum evictio verificari non poſſet in reſtitutione pretii domus, nunquam ab Emptore ſoluti, præſtanda foret pro melioramentis ab illo factis in eadem domo.

Acceptavit Ven. Monaſterium hujuſmodi reſolutionem: Verum quia non liberè id egit, ſed ſub conditione, quod melioramenta deberent liquidari, & juſtificari, putans Marchio de Silveſtris, illorum quantitatem jam ſatis conſtare ex actis, obtinuit cauſæ expeditionem cum relaxatione mandati ad formam recenſitæ deciſionis pro ſumma ſcut. 1800. Cum autem ſubindè ad inſtantiam Monaſterii appellationis cauſa commiſſa fuiſſet Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto, tunc in noſtro Auditorio meritiſſimè conſedenti cum clauſula -- *ſi quid exequendum* -- propoſitum ab illo fuit dubium in Audientia diei 26. Junii 1715. -- *An mandatum eſſet exequendum*, & dilata eo tunc reſolutione, demandata fuit electio Periti pro recognoſcendis, & liquidandis melioramentis.

Antequam ad Periti electionem procederetur, inſtetit Ven. Monaſterium, quod relatio ab illo fieri deberet, citato etiam Franciſco Petro Bernard hærede ſupramemoratæ Eliſabeth de Regibus, jamdiù de prętenſionibus Marchionis de Silveſtris ab eodem Monaſterio interpellato; quodque daretur etiam aliud dubium pro conſequenda per ipſum refectione eorumdem melioramentorum à dicto hærede Eliſabeth, quæ omnia ex reſcripto Sacræ Rotę diei 5. Julii anni pariter 1715. promptè obtinuit.

Hinc propterea ſuperventa interim Periti relatione, ſubrogatus ego in locum dicti Eminentiſſimi D. Cardinalis Scotti, propoſui duo dubia, alterum reſpiciens actionem intentatam à Marchione de Silveſtris contra Monaſterium, aliàs, ut ſuprà non reſolutum, in eoque prodiit Dominorum reſponſum *pro executione mandati Rotalis pro ſumma, in hac deciſione exprimenda*; & alterum reſpiciens jura Monaſterii contra heredem Eliſabeth de Regibus, in quo, cum diverſa eſſet actio, ac diverſę penitus concurrerent rationes, placuit Dominis, nulla capta reſolutione, reſpondere -- *Dilata, & Peritus iterum referat ſuper ſtatu antiquo, & moderno.*

Quantum itaque pertinet ad primò dictum dubium, fundamentum reſpondendi pro mandati executione prębuerunt illius validitas, & juſtitia; & quidem validitate
1 admiſſa, juſtitia promanabat ex publico inſtrumento venditionis Domus, in quo Ven. Monaſterium conſentaneè ad promiſſam illius libertatem ſe ſe obligavit de evictione, & ad omnia damna, quæ Auctor Marchionis Emptor ex cauſa evictionis pati potuiſſet; undè, cum fuerint per Eliſabeth de Regibus, domum vindicantem vigore fideicommiſſi illatæ moleſtiæ, ſequuta evictio, & occupata etiam melioramenta, quæ fecerat Emptor in eadem domo, utique factus fuit locus ſtipulationi, juxta firmata *in Ferrarien. Bonorum ſuper liberatione à moleſtiis 11. Maii 1705. §. Poſita coram Me.*

2 Nec dubitari poteſt, quin ſub dicta obligatione cadat refectio melioramentorum, quæ ab Emptore in domo evicta facta fuerant. Quippè quia cum Venditor de jure te-
3 neatur non ſolum ad id, quod pretii nomine ei traditum fuerit in hujuſmodi caſibus refundendum; ſed etiam porrigatur ejus obligatio ad quanti intereſt emptori rem eſſe evictam, ad *Text. in l. venditor, & l. evicta re la 2. ff. de evict., Rota dec. 383. nu. 17. par. 17., & deciſ. 41. nu. 2. par. 18., & deciſ. 176.*
4 *num. 1. coram Emer. Jun*; hinc certum eſt, & communiter receptum, quod obligatus de evictione, teneatur etiam ad reficienda melioramenta in domo empta confecta, ut eſt *Text. in l. ſi controverſia C. de evict.*, & probant *Roman. conſ. 163. num. 1., Mangil. de evict. quæſt. 179. num. 15., Card. de Luca de legitim. diſc. 35. num. 21.*, cum aliis *in deciſ. pręallegata 31. Januarii 1710. §. Verum coram R. P. D meo Criſpo.*

Agnoverunt de facto hanc Monaſterii obligationem ejus defenſores, & propterea toti erant in excludenda melioramentorum refuſione ex eorum qualitate, quod ſcilicet non eſſent rectè probata, quodque eſſent voluptuoſa, & ſimilia opponentes. Sed hoc etiam parum profuit: Deſcendentes namque Domini ad illorum quantitatem ſtabiliendam, præmittebant, quod in præſenti dubio,
5 & quęſtione agitur de conſequenda melioramentorum refectione, non jam contra hæredem fideicommiſſarium euincentem, circa quem cadere poſſet difficultas quoad modum illorum refuſionis, deſumendæ vel ab illorum effectivo valore, vel à legali proportione inter impenſum, & melioratum, cum id cadat præciſè ſub alio dubio, quod non fuit reſolutum inter ipſum Monaſterium, &
6 Franciſcum Petrum Bernardi: Sed quidem agitur contra venditorem obligatum, ut diximus ad damna, & intereſſe paſſa occaſione evictionis; undè quoad iſtum, certum eſt, quod relatæ quæſtiones non habent locum, ſolumque attenditur quod verè interſit rem emptam, & bona fide melioratam evinci, juxtà mox allegatum *Text. in l. ſi controverſia C. de evict.* ibi -- *Conſequeris quanti tua intereſt, in quo continetur etiam earum proſecutio, quæ in rem emptam à te, ut melior fieret, erogata fuerint*, & ita etiam *Gloſ.* ibi -- *Conſequar ſumptus, quos fieri in melioratione prædii.*

7 His poſitis, prima partita fuit ſcut. 1433. pro totidem, quæ in ædificando ſuperiori Domus appartamento impenſa fuerant ab Auctore Marchionis, conſtabatque de hujuſmodi quantitate non ſolum ex relatione hodierni Periti, ſed ex computis Laborerio-

riorum, ab aliis Peritis de more taxatis.

Secunda partita fuit ſcut. 73. pro aliis melioramentis à Marchione factis ad ſui voluptatem, quæ fruſtra ex hoc ipſo impugnabantur, quod eſſent voluptuoſa, non autem utilia, & ſic extrà lineam eorum, de quorum refectione agi ſolet inter emptorem, & evin-
8 centem rem emptam; repetebant namque Domini, ſupra adductam diſtinctionem, videlicèt, quod hic non eſt caſus præſentis controverſiæ, ſed agitur inter Emptorem paſſum evictionem rei liberæ promiſſæ, & Venditorem obligatum ad damna, & intereſſe, quo caſu non eſt locus hujuſmodi exceptioni, ſed tenetur iſte juxta aſſumptam obligationem, indiſtinctè præſtare omne id, quod intereſt rem fuiſſe evictam, & ſic etiam ſumptus melioramentorum factorum ad voluptatem, & approbando dictam diſtinctionem, inquit *Card. de Luc. de legit. diſc.* 35. *num.*21.

Succedebat tertia partita ſcut. 37. pro aliis conſimilibus melioramentis à Perito poſitis ſub ea ſpecificatione, quod eſſent facta ad uſum ipſius Marchionis: Sed ultrò iſte admittebat, quod non eſſent ſui favore calculanda, quia dicta melioramenta non fuerunt facta in controverſa domo, ideoque iſta demi debebat ab illius credito.

Superfuiſſet quarta ſcut. 137., proveniens à reaptationibus dictæ Domus, quam tamen, quia in illius definitione concordes Domini non fuerunt, reſervarunt ſibi aliàs cognoſcendam: & ſic putarunt, *pro nunc* mandatum Rotale eſſe exequendum pro duabus præmiſſis partitis, conſtituentibus ſcuta 1506.

Et ita utraque &c.

BRICTINORIEN. BENEFICII.

Lunæ 7. Februarii 1718.

ARGUMENTUM.

Fundator beneficii, quando ad iſtud actu celebrantem Sacerdotem vocaſſet, Sacerdotem habitu, qui intra annum celebrare poſſet, ſemper præſumitur noluiſse, quo caſu ſanguinis proximitas non attenditur. Ex quibus vero verbis, & coniecturis, Sacerdos actu celebrans dicatur à Teſtatore volitus, diſtinctè refert ſequens

SUMMARIUM.

1 *Sacerdos actu ad excluſionem Sacerdotis habitu, vel in potentia iſtituendus eſt de mente Teſtatoris, quando iſte ad beneficium vocaſſet filium illius ſic.* -- Che ſarà Prete, e Sacerdote -- & n. 3.

2 *Sacerdos habitu dicitur, qui intra annum Sacerdotium attingere poteſt.*

4 *Sacerdos habitu eo magis à Teſtatore præſumitur excluſus, quando in parte conditionali diſpoſitionis excluderetur ille, qui eſſet in minoribus ordinibus conſtitutus.*

5 *Amplia, quando Teſtator non indefinitè loqutus fuiſſet, ſed coarctatè ad tempus præciſum vocationis ſic* -- In tal caſo, in tale evento, *quod operatur, ut qualitas iniuncta verbo de tempore verbi verificari debeat.*

6 *Subamplia, quando Teſtator, quos præ cæteris ad beneficiũ optaſſet admitti, ipſemet ſelegiſſet cum qualitate actualis Sacerdotii*, & n. 10.

7 *Obſervantia Patroni attendenda eſt ad beneficii qualitatem explicandum.*

8 *Fundator quando voluiſſet qualitatem Sacerdotalem actu in præſentando, curandum non eſt, an iniunxiſſet onus celebrandi per ſe ipſum, vel necne, quia per æquipollens cenſetur etiam voluiſſe perſonale Miſſarum adimplementum.*

9 *Proximitas ſanguinis non attenditur, quando Fundator Sacerdotem actu celebrantem expreſsè nominaſſet, & extraneus Sacerdos ad inſtitutionem admittendus eſt.*

10 *Vocatus de ſecundario ad beneficium, præfertur primario vocatis, quando iſti Sacerdotali qualitate non gauderent, qua ille.*

11 *Amplia, quando Fundator voluiſſet ſacerdotem habitare Domi pro dote Beneficii aſſignatæ, quæ perſonalis habitatio volita, ad perſonalem celebrationem confert.*

12 *Inſtrumentum fundationis attendendum eſt, & eſt primi actus preparatorii explicativum.*

DECISIO MXLVI.

CAppellaniam ad Altare Sanctiſſimi Crucifixi Eccleſiæ Catedralis Brictinorii erectam à pia Muliere Sorore Clara de Fontanis, ſibi debitam inter ſe contenderunt Michael Angelus Galaminus, & Stephanus Novellius, alter innixus fundamento Juriſpatronatus paſſivi relicti à Fundatrice favore deſcendentium Joſephi Galamini; alter vero fretus nominatione de ipſo facta à Capitulo juxta eam legem, quam non exiſtentibus idoneis perſonis in deſcendentia d. Joſephi, eidem Capitulo Fundatrix indixerat, & propter qualitatem actualis Sacerdotii, quo inſignitus reperiebatur, delataque hujuſmodi quæſtione ad Judicium coram Ordinario Brictinorien, poſthabitis Galamini exceptionibus, Victor fuit Novellius, qui etiam in ſecunda Inſtantia promeruit à noſtro Tribunali Inſtitutionem ſui favore decerni coram R. P. D. meo Corio, prævia deciſione edita in Audientia Mercurii 20. Januarii ſuperioris anni.

Renovata hodie eadem contentione cor. Me, cui cauſa fuit commiſſa in gradu appellationis, ſub dubio -- *An ſententia Rotalis ſit confirmanda, vel infirmanda*, adhærentes DD. rationibus latè diſcuſſis in præfata deciſione, reſponderunt, *Sententiam eſſe con-*

confirmandam, cum non minus valida, quàm juſta comperta fuerit.

Et quidem omiſſa validitatis inſpectione, dum utrinque illa admittebatur, Juſtitia inde certa reſultare viſa eſt, quod pia Funda-
1 trix, poſtquam defeciſſent primi quatuor Sacerdotes Cappellani ab ipſa nominati, vocavit filios Joſephi Galamini, addita declaratione, quod eſſe deberet Cappellanus ille -- *Che ſarà Prete, e Sacerdote in tale evento* --, & caſu quo, vel filii d. Joſephi Galamini non ſupereſſent, vel qualitate Sacerdotali non pollerent, voluit jus præſentandi pertinere ad Capitulum. Cum itaque in hodierno ſtatu nullus adfuerit filius Joſephi, qui Sacerdos eſſet, dum Michael Angelus Clericali tantum tonſura initiatus eſt, utique Novellio, qui fuit à Capitulo tali caſu in Jurepatronatus activo ſubſtituto legitime præſentatus, & habet qualitatem actualis Sacerdotii à Teſtatrice requiſitam, optimo jure conceſſa fuit Inſtitutio, *ad text. in cap. Monaſterium* 16. *qu.* 7., aliaque vulgata Jura plene deducta in deciſione præcedentis Inſtantiæ §. *Conſiſtit cor. R. P. D. meo Corio*.

Abſque eo quod ullatenus impugnari poſſet à Michaele Angelo, quod Fundatrix voluerit actualiter Sacerdotes eſſe ejus Cappellanos, aut aſſeri è contrario, quod tantum
2 illa intellexerit de Sacerdotibus habitu, & de iis, qui commode intra annum Sacerdotium aſſequi poſſent, quo ſane caſu ipſe admittendus fuiſſet in excluſionem Novellii. Quoniam ſicut egregiè firmat præadducta deciſio R. P. D. mei Corii, certiſſimis verbis, & argumentis, enixam voluntatem
3 Fundatricis admittendi tantum in Cappellanos illos, qui actu Sacerdotes reperirentur, ſatis oſtendit Inſtrumentum ipſum fundationis, quippe quia non ſolum in parte diſpoſitiva vocationis filiorum Joſephi Galamini expreſsè dixit illum eſſe debere Cappellanum --*Che ſarà Prete, e Sacerdote in tal evento*-- quæ verborum geminatio hujuſmodi voluntatem indicat, ut in puncto probat *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 31., *& concordant Antonin. var. reſol. lib.* 1. *reſ.* 3. *n.* 7., *Ciarlin. contr. lib.* 2. *cap.* 211. *ſub n.* 15. *verſ. His tamen, Rota cor. Seraphin. dec.* 871. *n.* 1.,
4 verum etiam in parte conditionali, in qua tranſivit ad vocationem illius, qui nominaretur à Capitulo, clariſſimè inquit, Jus præſentandi ad illud devolvi -- *In evento che li figlioli del Signor Giuſeppe non foſſero Sacerdoti &c., e doppo la morte delli medemi reſpettivamente Preti Galamini, & non ad Ordines Minores, paſſi in tal caſo detta donazione &c.* -- ex quibus ſane verbis, quid evidentius argui poteſt, quàm quod Fundatrix actualiter tantum Sacerdotes conſideravit, ſi excluſit illum, qui eſſet in minoribus Ordinibus conſtitutus, ut alias expendit *Rota in Tarraconen. Beneficii* 29. *Januarii* 1712. §. *Ex qua ſane cor. Me*.

Maxime quia prædictæ omnes Fundatri-
5 cis expreſſiones non indefinitè conceptæ ſunt, ſed coarctatæ ad tempus præciſum vacationis Cappellaniæ mediantibus illis clauſulis, *in tal caſo*, *in tale evento*, *in evento che*, & ſimilibus, quæ de ſui natura operantur, ut qualitas iniuncta verbo, de tempore
6 verbi debeat verificari, *ad text. in l. & delictis* §. *Si extraneus ff. de noxal. cum aliis allegatis in dec. R. P. D. mei Corii* §. *Adſtipulatur*. Et multo fortius, quia propria ipſius Teſtatricis obſervantia, ſi quæ dubietas eſſe poterat in verbis ejus diſpoſitionis, illam penitus abſtulit; deveniendo namque ipſa ad vocationem non unius dumtaxat, ſed quatuor Cappellanorum, quos præ cæteris admitti exoptabat, omnes ſelegit cum præcipua qualitate actualis Sacerdotii, ex qua utique circumſtantia omnis ambiguitas removetur, dum regulare eſt, quod Patroni
7 obſervantia ad qualitatem Beneficii, explicandam ſemper eſt attendenda, ut tradit in his terminis *Antonin. var. reſol. lib.* 1. *reſol.* 3. *n.* 6., *& firmat Rot. in Melevitana Benefic.* 16. *Junii* 1710. §. *Ex facto cor. R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore, & aliis adductis proſequitur eadem dec. R. P. D. mei Corii* §. *Id quod etiam*.

Hinc fruſtra recurrebat Michael Angelus ad contrarias circumſtantias, quod Fundatrix non expreſsè iniunxerit Cappellano,
8 quod celebraret per ſe ipſum, prout requiri aliquibus auctoritatibus firmabatur ad oſtendendum, quod beneficium debeatur actu Sacerdoti, quodque poſita admiſſione Novelli extranei ratione iſtius qualitatis, ſequeretur ejuſdem Michaelis excluſio, qui tamen eſt de vocatis expreſsè per ipſam Fundatricem, & ſic extraneus minus dilectus excluderet magis conſideratum, & ratione ſanguinis habentem de jure prælationem pro ſui admiſſione.

Etenim quoad primam circumſtantiam, optima ſtatim occurrebat reſponſio, quod quando ex toto diſpoſitionis contextu, prout hic, ſatis aperte certum eſt, quod Fundatrix voluit præciſè qualitatem Sacerdotalem actu in eligendo ad Beneficium, ſeu Cappellaniam, curandum nequaquam eſt, an fuerit iniunctum onus per ſe ipſum celebrandi, necne, quia æquipollenter cenſetur etiam volitum tale perſonale Miſſarum adimplementum, ut admittunt contrariæ authoritates, & per hæc ferè verba reſpondit *Rota in Romana Cappellaniarum* 20. *Aprilis* 1711. §. *Quæ omnia cor. Emo D. Cardinali Friolo*.

Et non minus facile tollitur ſecunda, quia præter quod ſtante expreſſa Fundatricis vo-
9 luntate non attenditur conſanguineorum non qualificatorum excluſio in admittendo extraneo habente eam qualitatem, quam unice illa reſpexit, & fundamentum extitit vocationis, omnis deficit difficultas, advertendo, quod ipſe non eſt conſanguineus Fundatricis, nec talem probare ſe poteſt, dum iſta in ſua fundatione faſſa fuit nullos habere conſanguineos, nec affines; remanente propterea ipſo qualitate ſanguinis deſtituto,

& quod

& quod eſt fortius, qualitate Sacerdotii a
10 Fundatrice requiſita, nullum ſane poterat ſibi præſidium comparare ab expreſsa vocatione, quia cum veſtita ſit prædicta Sacerdotii qualitate, hac deficiente expirat, & locus eſt ulteriori vocationi aliorum ſubſtitutorum nominandorum a Capitulo, itaut iſte potius vocationem nunc habeat expreſsam, juxta firmata in ſimilibus terminis *dec. 159. n. 1. cor. Celſ., dec. 192. n. 18., & ſeq. cor. Manzaned., in Romana, ſeu Interamnen. fideicommiſſi 2. Martii 1716. §. Verum quia cor. R. P. D. meo Cerro, & in Firmana Primagenituræ ſuper nominatione 22. Januarii 1717. §. inter cetera cor. R. P. D. meo Herrera.*

Neque ullius momenti fuit poſtremum objectum, ad quod hodie recurrebant defenſores Michaelis Angeli pro evitanda efficacia præmiſſorum argumentorum reſultantium ex Inſtrumento fundationis, quod nempe non illud ad explicandam Fundatricis voluntatem attendendum eſſet, ſed actus ſupplicationis antecedenti die porrectæ Ordinario Brictinorien. pro conſenſu, & licentia faciendæ fundationis. Quandoquidem (omiſ-
11 ſo, quod eadem qualitas actualis Sacerdotii requiri videbatur etiam ex d. actu, advertendo præſertim, quod Fundatrix exponebat velle Cappellanum habitare Domum aſſignatam pro dote beneficii cum expreſſione illa „ *con peſo al Rettore, che debba perſonalmente habitare detta Caſa, e con obligo ancora di celebrare in perpetuo al d. Altare* „ ex qua ratione dictionis repetitivæ; *ancora*, dici poterat volita tàm perſonalis habitatio, quàm perſonalis celebratio, & ſic per ſe ipſum) reſpondebant Domini, quod talis actus non erat, niſi merè præparatorius ad faciendam fundationem, non autem ipſa fundatio, quæ equidem fuit expleta per ſucceſſivum actum cum inſertione d. ſupplicationis porrectæ Epiſcopo, & iſtius conſenſus, juxta metodum traditam à *Corrad. in prax. Beneſic. lib. 4. cap. 1. ſub n. 2.*, itaut iſte ſecun-
12 dus actus, in quo fundatio perfecta fuit, ſemper veniat attendendus, ſaltem in explicationem, & declarationem primi, quæ Patronis etiam ex intervallo permittitur, & ſubſtantiatur cum ipſa fundatione, ut probat idem *Corrad. in prax. Beneſic. lib. 2. cap. 10. num. 150., & ſeq., & late firmavit Rota in Rec. Juriſpatr. 28. Febr. 1715. § ſed quatenus cor. R. P. D. meo Criſpo.*

Et ita remiſſivè in reliquis objectis ad deciſionem præcedentis inſtantiæ reſolutum fuit &c.

FAVENTINA FIDEICOMMISSI SUPER DETRACTIONIBUS.

Veneris 11. Februarii 1718.

AGUMENTUM.

Rigoroſum Inventarium neceſſarium non eſt, ut hæres gravatus legitimam, omniaque ſibi de Jure competentia in fideicommiſſi reſtitutione poſſit detrahere, ſed ſat eſt, ut quodamodo de fideicommiſſi ſtatu conſtet, ſecus verò inter hæredem fideicommiſſarium, & Fideicommittentis Creditores.

Pater in præjudicium legitima filio in triente debitæ, non poteſt ſupponere fideicommiſſo illud plus, quod ſupereſt de legitima, quæ tribus aliis filiabus deberetur, quaſque dotaſset, & loco legitimæ dos ſtaret aſſignata, quando ad fideicommiſſum eaſdem filias, vel extraneos, ad excluſionem maſculi vocaſſet, ſecus vero ſi illius favore illud condidiſſet, cum tali caſu virtute ſtatutariæ diſpoſitionis triens integraliter maſculo cedat.

SUMMARIUM.

1 *Detractiones, ſivè quantitativæ, ſivè quotitativæ competunt gravato, etiamſi deficeret inventarium, quando alienationes non reperirentur, & inter ipſum, & fideicommiſſarium res eſſet, ſecus ſi cum Creditoribus ageretur*, amplia ut in n. 7.

2 *Hæres gravatus in reſtitutione fideicommiſſi, deducere poteſt omnia credita, & Jura ſibi ex propria perſona competentia, ſecundum jus antiquum.*

3 *Defectus inventarii hæredi gravato eo magis ſuper detractione legittimæ non obſtat, quando de tempore obitus fideicommittentis fuiſſet Minor, & Tutor à Teſtatore datus de inventario negligens fuiſſet.*

4 *Omiſſio inventarii tribuenda eſt culpa tutoris teſtamentarii dati hæredi gravato, ipſique fideicommitenti, qui Tutorem parum idoneum dediſſet.*

5 *Defectus inventarii non eſt opponibilis adverſus hæredem gravatum ex fideicommiſſo legitimam detrahere volentem, ſi per æquipollens de ſtatu fideicommiſſi edoceret, & ex quibus de eo doceri dicatur.*

6 *Amplia, quando talis exceptio nimis eſſet ſerotina.*

7 *Inventarium formale non eſt neceſſarium inter hæredem fideicommiſſarium, & gravatum, ſed ſat eſt, quod ex ſimplici deſcriptione ad quandam certitudinem ſtatus fideicommiſſi redigatur, ad hoc, ut hæres gravatus de ipſo omnia credita ſibi competentia poſſet detrahere, ſecus ſi res eſſet inter ipſum, & Creditores fideicommittentis.*

8 *Hæres gravatus primo loco in reſtitutione fideicommiſſi æs alienum fideicommittentis, quod ipſe ſolviſſet, detrahere poteſt.*

9 *Æs alienum fideicommittentis ab hærede gravato ſolutum non dicitur de fructibus fideicommiſſi, quando de iſtis in alio loco ipſe debitor à Perito deſcriptus fuiſſet.*

10 *Legittima debetur libere filiis in triente, quando numerum quatuor non excedunt, in quo fæminæ computantur*, & n. 22.

11 *Statutum excluſivum fæminarum idem operatur, ac ſi eſſent mortuæ, ut integrum triens ipſi maſculo cedat.*

12 Am-

12 *Amplia, etiam ſi Pater dd. fœminas in dote inſtituendo, in ſuas agnoviſſet, & ad ſuitatis Jura reſtituiſſet, & quid prædicta operetur agnitio.*
13 *Dos fœminæ à triente detrahitur, & non ab axe hæreditario, quando loco legitimæ ſtat.*
14 *Maſculus acquirit id, quod ſupereſt de dote loco legitimæ fœminæ tradita, & eandem legitimam excedit:*
15 *Pater an poſſit ſupponere fideicommiſſo eam portionem, quæ ſubductis dotibus triũ filiarũ ſuperextaret ad conflandũ trientẽ favore maſculi, varia eſt inter Doctores opinio.*
16 *Augumentum, quod propter Feminarum concurſum fit in legitima favore Maſculi, cadit ſub diſpoſitione fideicommiſſaria Patris, quatenus hæc ſit favore filii ordinata.*
17 *Limita, quando ad illud fœminæ, vel extranei eſſent vocati, quo caſu prædictum augumentum legitimæ naturam reaſſumit.*
18 *Pater non poteſt ſubycere fideicomiſſo portionem legitimæ ſibi obventæ ob renunciationem, ſive tranſlativam, ſive extinctivam ex filia propter dotem reportatam in præjudicium legitimæ, quæ in triente filio deberetur*, & vide rationem in n. ſeq.
19 *Filia dotata non admittitur ad partem in legitima, ſed pars, quam ipſa facit, perque obitum Patris ad eam defertur, ex tacita Statuti operatione maſculo adiudicatur.*
20 *Nemo plus juris quod habeat, in alium poteſt transferre.*
21 *legitima, ut debeatur in ſemiſſe, an etiam fœmina, quę renunciaſſet, ſit connumeranda, varie Doctores de hoc ſentiunt.*
23 *Legitima ut cedat maſculo jure proprio in integro triente, quando adeſſent tres fœminę, ex operatione ſtatuti nil refert, quod ſe de medio ſubſtuliſſent, vel per renunciationem, vel mortem.*
24 *Copia ſimplex ſcripturæ nil probat.*
25 *Retentio datur hæredi pro rata debiti extincti, in qua de ſuo debita hæreditaria perſolviſſet.*
26 *Hæres gravatus totum id, quod ex bonorum fideicommiſſariorum diſtractione ad ejus manus perveniſſet, in ſuas imputare cogitur detractiones.*
27 *Detractio hæredi gravato competens ex ſuis bonis fideicommiſſariis, fieri debet ad ratam illorum, quæ poſſidet, & vide caſum.*

DECISIO MXLVII.

PRopoſitis in Rota ſub die 2. Julii 1714. ab Eminentiſſimo Scotto duobus diſtinctis, ac ſeparatis dubiis; altero nimirum ad inſtantiam Marię Catherinæ de Zucchinis ſuper confirmatione, vel infirmatione duarum ſententiarum Rotalium eidem concedentium immiſſionem ad medietatem bonorum fideicommiſſariorum Caroli Cæſaris Miſſiroli, & altero ad inſtantiam Antoniæ Catherinæ Miſſiroli reæ conventę ſuper detractionibus ipſi in iiſdem bonis competentibus ex perſona Dominici Antonii ejus Patris, & primi hęredis gravati, reſponſum fuit, quoad primum *affirmativè*, cauſaque ſubindè expedita, Antonia cum effectu dimiſit favore Mariæ Catherinæ ejus Amitæ integram medietatem dictorum bonorum; quo verò ad alterum, *dilata* reſolutione, demandatum fuit, ut *firmaretur ſtatus hæreditarius*; & poſtquam in hujus reſcripti exequutionem, ſubdelegato Judiçe in partibus, compilatus fuit proceſſus remiſſorialis, cauſã Ego iterum propoſui ſub die 28. Januarii ſuperioris anni, tamquam ſubrogatus in locum dicti Eminentiſſimi Scotti, ſed tunc quoque iterum *dilata* fuit reſolutio, & demandata electio Periti Curialis, cujus hodie tandem relatione exhibita, DD. reſponderunt -- *Competere detractiones juxta modum infra exprimendum.*

Competentia enim earumdem detractionum in genere, ſivè ſermo ſit de illis, quę accidentales, & quantitativæ, ſive de aliis, quæ quotitativę, & legales appellantur vix
1 in dubium revocari poterat: & ſi namque quoad utraſque objiceretur, quod attento defectu legitimi inventarii, ſtatus hæreditarius Caroli Cæſaris adeo incertus redditus fuerit ex culpa memorati Dominici Antonii primi hæredis, ut de illis integrè ſatisfactus cenſeri poſſet: placuit tamen reſponſio, quod ubi, prout in caſu, nullæ concurrunt alienationes, nec quæſtio eſt cum creditoribus, aut legatariis, ſolus defectus inventarii non privat hæredem gravatum ſuis detractionibus, ſive quantitativis, ſive quotitavis, cum reſpectu fideicommiſſarii univerſalis nihil omnino innovatum fuerit, in *l.*
2 *fin. C. de iur. deliber.*, ſed intacta remanſerit favore hæredis diſpoſitio juris antiqui de cujus tempore, licet inventarii beneficium incognitum prorſus eſſet, licebat tamen hæredi in reſtitutione Fideicommiſſi deducere omnia jura & credita, quæ ex propria perſona eidem competebant, ut communiter docent *Caſtren. in l. ita tamen ff. ad Trebell., Card. de Luc. de legit. diſc. 25. n. 6. & 7., Rot. dec. 123. n. 6. & ſeqq. p. 16., & in Eugubina Cauthelæ Angeli 21. Martii 1703. §. Non attento cor. bo. me Omanna, & in Ravennaten. immiſſionis 20. Junii 1707. §. Præterea cor. Rmo Neoceſarien.*

Quod quidem facilius recipiendum videbatur in pręſenti, attenta duplici facti cir-
3 cumſtantia, altera nimirum, quod Dominicus Antonius primus hæres de tempore obitus fideicommittentis reperiebatur in pupillari ætate, & antequam major factus eſſet, ab humanis deceſſit, intereaque perpetuò vixit ſub tutela, ſive adminiſtratione Joannis Baptiſtæ Viceçomitis Tutoris, & Curatoris ab ipſo fideicommittente deputati, unde quidquid ſit, ubi res eſſet cum creditoribus, aut legatariis, dum hodie agitur de ſolo præjudicio hæreditatis, & fideicom-
4 miſſi, certum, & conſtans eſt, quod ſi Tutor vel Adminiſtrator datus à Teſtatore inventarium hæreditarium conficere neglexit, ejuſmodi negligentia, & culpa ipſi Teſtatori

ri, ejuſque hæreditatis damno cedere debet, quia minus diligentem Tutorem, aut Curatorem pupillo dedit; non verò pupillo, aut minori, qui ex præcepto Defuncti ſub aliena adminiſtratione vivere coactus fuit, ut aliàs advertit *Rot. dec. 595. num. 9. p. 19. rec., & cor. Benincaſ. dec. 29. n. 11., & in Romana Cenſus, ſeu Cauthelæ Angeli 27. Junii 1696. §. Qua diſtinctione coram bo. me. Pio, & in Romana manutentionis Domus 10. Januarii 1701. §. Quæ potiora cor. E.mo D. Cardinali de la Tremoille.*

Altera verò, & quidem magis valida, ac
5 perſtringenti, quod hodie iam ſtatus hæreditarius Caroli Cæſaris firmatus reperitur à Perito de ordine Rotæ electo in ſumma ſcutorum 28167. 94., mediante Codice introitus, & exitus accuratè conſcripto à dicto Vicecomite, necnon exhibitione alterius inventarii poſt obitum primi hæredis ab Antonio Maria Zannello Tutore Antoniæ Catherinæ Miſſroli legaliter, ac diligentiſſimè confecti, ac depoſitione plurium Teſtium ſub formali examine repetitorum coarctantium negativam exiſtentiæ aliorum bonorum; undè in hiſce circumſtantiis exceptio defectus inventarii nullo modo at-
6 tendi poterat, vel quia nimis ſerotina, ex deductis in ſimili caſu per *Rot. dicta dec. 29. n. 10. cor. Benincaſ., & in dicta Ravennaten. immiſſionis §. Eoque certiùs coram R.mo Aldrovando, & in Romana fideicommiſſi de Romanis 19. Aprilis 1717. §. Quod*
7 *potiùs cor. R. P. D. meo Cerro.*, vel etiam quia, quando non agitur cum creditoribus, ſed cum fideicommiſſario non requiritur rigor formalis inventarii, ſed ſatis eſt, quod ſtatus hæreditarius ex ſimplici deſcriptione, vel ex aliis documentis ad quamdam certitudinem reducatur, ut hæres gravatus poſſit in reſtitutione fideicommiſſi propria credita, & jura detrahere, ut bene proſequitur *Rot. dicta dec. 29. n. 12. cor. Benincaſ., & dicta dec. 595. n. 4., & ſeqq. p. 19. rec., & in d. Romana manutentionis domus §. Quæ potiora cor. Eminent. de la Tremoille, & in dicta Ravennaten. immiſſionis 20. Junii 1707. §. At verò cor. Reverendiſſimo Aldrovando, & in Firmana Commendæ 27. Martii 1715. §. Immo cor. Me.*

Ex his itaque conſtabilita competentia
8 detractionum in genere, deſcendentes Domini juxta ordinem Peritiæ ad examen illarum in ſpecie, primo loco à prædicto aſſe hæreditario, ut ſupra à Perito firmato in ſcut. 28167. 94. detrahendam eſſe cenſuerunt ſummam ſcut. 2128. 46. 4. pro dote Antoniæ de Sevarolis ipſius fideicommittentis Uxoris, & reſpectivè Matris Dominici Antonii primi hæredis, ſumptibus funeris, ac veſtium lugubrium, redemptione cenſus paſſivi in ſorte ſcut. 61. 80., ac legato duarum Miſſarum perpetuarum in qualibet hebdomada, cum certi juris ſit detrahendum eſſe ante omnia æs alienum ipſius fideicommittentis ab hærede gravato ſolutum §. *Cum autem inſtit. de lege falcid. l. Mulier §. Cum proponeretur ff. ad Trebell.* cum concordantibus relatis apud *Fuſar. de ſubſtit. q. 541. per tot. cor. bo. me. Benincaſ.,*
9 *dec. 29. n. 14., & ſæpe alibi.* Non attènta reſponſione, quod ſolutio præſumi debeat facta de pecuniis in hæreditate repertis, aliiſque ſubinde retractis ex venditione frumenti, aliarumque ſegetum de tempore obitus fideicommittentis adhuc exiſtentium; nam cum de iſtis cæteroquin aſcendentibus ad valde exiguam ſummam, alio loco à Perito deſcriptus fuerit debitor hæres gravatus, ut inferius patebit, non eſt hìc iterum ratio habenda, ex regula *Text. in l. bona fides ff. de reg. iur.*, aliiſque in propoſito adductis per *Rot. in Ferrarien. Alimentorum, & Dotium ſuper conſumptione detractionum 11. Martii 1712. §. Præterea cor. Eminent. D. Cardinali Priolo, & in Placentina immiſſionis 23. Junii 1713. §. Quamobrem coram Me, & in Faventina fideicommiſſi ſuper domo 9. Decembris 1715. §. Et ſecundo coram R. P. D. meo Foſcaro.*

Subducta igitur ab aſſe hæreditario dicta ſumma ſcut. 2128. 46. 4., eoque remanente
10 in ſcut. 26039. 47. 1., detrahendam eſſe ſecundo loco DD. exiſtimarunt aliam ſummam ſcut. 8679. 82. 3, in cauſam legitimæ debitæ Dominico Antonio ſuper bonis, & hæreditate Caroli fideicommittentis ejus Patris, cum juxta calculum arithmeticum ad eam quantitatem aſcendat triens totius hæreditatis, ut ſupra ab omni ære alieno depuratæ, quod noſtræ Leges filiis impertiuntur immune, atque exemptum à quocumque nexu fideicommiſſi, cum numerum quatuor non excedunt, *l. quoniam in prioribus ff. de inoff. teſtam. §. 1. Auth. de trient. & ſemiſs. Rot. cor. Beninc. dec. 95. n. 18., & cor. R.mo Decano dec. 10. nu. 40., & dec. 77 n. 19., & in Fulginaten. Laudi 7. Jan. 1715. §. Hæc autem coram Me.*

Abſque eo quod ad participationem dicti
11 trientis admitti debeant fæminæ; nam cum iſtæ à Statuto Faventiæ reperiantur excluſæ, & à Dominico Antonio fratre de proprio dotatæ fuerint, ut plenè probatur ex deductis in Peritia §. 73., & ſeqq., integrum triens cedere debet beneficio ejuſdem Dominici Antonii unici maſculi, *Rot. coram Priolo dec. 134. n. 4., & in rec. dec. 499. nu. 11. par. 18., & poſt Albit. de incoſt. in Jud. dec. 63. n. 14., & ſeqq., & dec. 68. n. 2.*, etiam
12 ſi Pater dictas fæminas in dote inſtituendo eas agnoviſſe videatur in ſuas, & ad jura ſuitatis reſtituiſſe, quia hujuſmodi agnitio, & reſtitutio operari quidem poterit, ut dos loco legitimæ ſuccedat, & intra menſuram ejuſdem dotis fæminæ in legitima faciant
13 numerum, itaut dos ipſa à triente ſit detrahenda, & non ab integro aſſe hæreditario tamquam æs alienum per antipartem; num-
14 quam verò efficere, quin illud, in quo portio legitimæ fæminarum ipſarum dotes excedit, maſculo adjudicari non debeat, ut

benè

benè reſpondit *Rot. dec.267. n.2. p.13. rec.*,
cum aliis *in Nepeſina legitimę 26. Aprilis*
1697. §. *Tertiamque cor. bo.me Muto , & in*
voto bo.me. Severoli in Florentina legitimæ
impreſſo ad ornatum Card. dę Luc. per tot.
tom.2.

Nec ſubſiſtere viſa fuit objectio , quod
15 portiones illæ, quæ ſecluſa diſpoſitione ſta-
tuti ſubductis dotibus obtigiſſent ex dicto
triente tribus filiabus fœminis , remanſerint
ſub libera Patris diſpoſitione , & conſequen-
ter obnoxiæ fideicommiſſo per ipſum inſti-
tuto , ac pro medietate purificato favore
Mariæ Catherinæ . Quamvis enim in hoc
puncto variæ ſint, ac diverſæ Doctorum opi-
16 niones ; hodie tamen in noſtro Tribunali
certa , & conſtans ſententia eſt, quod quo-
tieſcumque propter concurſum fœminarum
maſculorum legitima augetur , tunc augu-
mentum iſtud, remanet quidem ſub libera
diſpoſitione Patris , ſed quatenus ipſe æqua-
liter, aut inæqualiter per fideicommiſſum,
aut alio modo favore ipſorum maſculorum
17 de illo diſponat ; quod ſi ex diverſo , fœmi-
nas aut extraneos ab initio inſtituerit , aut
etiam poſt obitum maſculorum ad fideicom-
miſſum vocaverit, ut in hypotheſi,tunc ſtatim
ac ſucceſſio ad fœminas , vel extraneos tran-
ſire debet , augumentum illud reaſſumit na-
turam legitimæ, remanetque in hæreditate
maſculi liberum, & exemptum à quocumque
nexu paterni fideicommiſſi , ut articulo di-
ſcuſſo reſpondit *Rot. deciſ.* 147. *num.* 5. , *&*
7., *deciſ.* 267. *num.* 5. , *& ſeqq. par.* 13. , *&*
*poſt Albitium de incoſt. in Iud. deciſ.*68. *nu.*
4., *&* 5., & noviſſimè *in Romana Immiſſionis*
28. *Februarii* 1715. *per totam coram Me.*

Prout quoque levioris ponderis comperta
fuit alia animadverſio , quod ſaltem Pater
18 fideicommiſſo à ſe inſtituto omninò ſubii-
cere potuerit portionem legitimæ , quæ Ju-
ditthæ obtigiſſet uni ex filiabus , tamquam
ab eo acquiſitam , non beneficio Statuti , ſed
medio ampliſſimæ renunciationis ab eadem
filia reportatæ correſpectivè ad promiſſio-
nem congruæ dotis , dum in Domino nupſit.
Prætermiſſa enim indagine , an dicta renun-
ciatio cenſeri debeat tranſlativa , ſeù potius
extinctiva , & abdicativa, ſuper qua ſcriben-
tes hinc indè plurimum inſiſtebant , placuit
reſponſio,quod utrovis modo accipiatur,nul-
lum ex ea præjudicium Dominico Antonio
irrogari potuit ; non quidem ſi cenſeri de-
19 beat tranſlativa , quia cum filia dotata non
admittatur ad partem in legitima , ſed pars
quam ipſa facit ſtatim ac per obitum Patris
ei defertur, ex tacita operatione Statuti ab
ipſa auferatur, & maſculis adjudicetur , pla-
nè conſequitur, ut neque ad eam partem ad-
20 mitti poſſit ejus Ceſſionarius , cum nemo
plus juris in alium transferre valeat , quàm
quod ipſe habet , ut in puncto reſpondit *Ga-*
briel. conſil. 135. *per tot., & preſertim num.*
23., 27., *&* 32. *lib.* 2. *Adden. ad Theſaur.*
deciſ. 259. *litt. B.* ubi quod ità ſæpè cenſuit
Senatus Pedemontanus.

Sed nec etiamſi pro extinctiva, & abdica-
tiva haberi velit : Quidquid enim ſit an id
21 officeret maſculo , quatenus ad effectum
calculandi legitimam in ſemiſſe,opus illi eſſet
etiam fœminam renunciantem connumera-
re, in quo non una eſt, ſed varia,& multiplex
Doctorum ſententia ; utique in caſu præſen-
22 ti, cum Dominicus Antonius ſolum trien-
tem pro legitima detrahere poſſit , ac velit,
ex quo filii omnes tam maſculi , quam fœmi-
næ numerum quatuor non excedunt , nihil
23 prorſus intereſt utrum aliqua ex Sororibus,
vel etiam omnes ita de medio ſe ſubſtulerint,
virtute dictæ renunciationis , ut ad inſtar
mortuarum, neque numerum, neque partem
faciant, cum adhuc eis ita de medio ſublatis,
maſculus integrum trientem conſequatur ju-
re proprio, perindè ac ſi ipſe ſolus ſuperſtes
Patri fuiſſet , ut bene in propoſito advertunt
Gabriel. d. conſil. 135. *num.* 14., *& ſeqq.*, *Bel-*
*lon. de jur. accreſc. cap.*6. *quæſt.* 14. *num.* 8.,
& ſeqq. , *Peregrin. de fideicomm. artic.* 38.
num 4., *& Merlin. de legitim. lib.* 1. *tit* 4.
*quęſt.*13. *num.*33., *& ſeqq.*,*Caren. reſolut.*97.
*num.*3. , *&* 4.

Inter cæteras detractiones, approbarunt
quoque DD. illam cujuſdam petii Terræ
Tornaturarum circiter quatuor,valoris ſcut.
160. acquiſiti ab hęrede gravato, quam, licèt
Maria Catharina non negaret , ſed ſolum
contenderet jam factam fuiſſe ab Antonia
per antipartem in diviſione bonorum fidei-
commiſſariorum, nunquam tamen probavit,
24 dum ad hunc effectum nihil aliud huc uſque
exhibuit , niſi ſimplicem , & informem co-
piam , quæ de jure nullum probationis gra-
25 dum conſtituit ; & tandem ultimo loco de-
trahendam pariter eſſe cenſuerunt ſummam
ſcut. 188. pro totidem ab hærede gravato ſo-
lutis in ſatisfactionem legatorum in teſta-
mento relictorum , ac rogitu Notarii, qui
dictum teſtamentum recepit , quemadmo-
dum juris eſſe docet *Text. in l. cum hæres*
juxtà Gloſſ. in verb. deducit ff. ad Trebell.,
& aliàs dixit *Rot. dec.* 267. *num.* 1. *par.* 1. *rec.*,
& dec. 946. *num.* 6. *coram Cerro* , & ſæpè
alibi .

Sicuti autem viſum fuit Antoniæ ex per-
ſona Patris competere haſce omnes detra-
ctiones ſimul componentes ſummam ſcutor.
11156. 29.,ita è converſo placuit in compu-
26 tum illarum,illam debere ſibi accepto ferre
tres partitas in totum conſtituentes ſum-
mam ſcut. 1645. 17. nempè ſcut. 886. retra-
cta ex venditione Prædii fideicommiſſarii
expleta per Dominicum Antonium ejus Pa-
trem , alia ſcut. 497. 98. retracta ex vendi-
tione mobilium fideicommiſſariorum , & de-
nique alia ſcu. 271. 19. retracta ex venditio-
ne frumenti,aliarumque ſegetum in hæredi-
tate repertarum , de quibus ſupra dictum
fuit inferius habendam eſſe rationem, cum
omnis æqui boniqne ratio expoſcat, ut hæres
gravatus in ſuas detractiones imputare co-
gatur totum id , quod ex alienatione bono-
rum fideicommiſſariorum ad ejus manus
per-

pervenit *Rot.deciſ.226. num.4., & dec.243. num.24. par.19. rec.*, & paſſim alibi.

Facta verò hujuſmodi diminutione, neque
27 etiam pro integra reſiduali ſumma ſcu. 9511. 12. condemnanda erit Maria Catharina de Zucchinis, ſed ſolum pro medietate, & quidem proportionabiliter pro rata detractionum quotativarum in quota, & pro rata quantitativarum in quantitate: Dum quoad aliam medietatem ipſa Antonia poſſidet bona fideicommiſſaria, ſuper quibus fieri debent dictæ detractiones.

Et juxtà hunc modum inhærendo in omnibus relationi Periti, reſponſum fuit in tertia cauſæ propoſitione utraque &c.

CALARITANA EVICTIONIS.

Lunæ 14. Februarii 1718.

ARGUMENTUM.

Regulariter ceſſionarius, ut regreſſum contra cedentem habeat, demonſtrare tenetur, vel quod nomen ſibi ceſſum fuiſſet de facto inexigibile; vel quod factis diligentiis, idoneum non fuiſſet repertum, vel demum quod de juris exigibilitate non conſtaret, quæ in illius realitate verſatur. Limitatur tamen regula, quando idem nomen, ex cedentis promiſſione, ſtatuta die ſolvere debuiſſet fructus ceſſæ proprietatis, de quo adimplemento iſte negligens fuiſſet repertus, quo caſu ceſſionarius ad ulteriores non tenetur diligentias, cum contractus idoneitatem illius non reſpexiſſe, ſed ad ſolutionis actum directus intelligatur.

SUMMARIUM.

1 *Sententia duarum præcedentium confirmatoria, & reſpectivè alterius intermediæ revocatoria, iſta non obſtante, facit conſtare de tribus.*

2 *Nullitates oppoſitæ adverſus ſententiam, quas Signatura rejeciſſet, non attenduntur amplius.*

3 *Creditor, cui inſit onus prius excutiendi nomen debitoris ſibi ceſſum, antequam contra cedentem regreſſum habeat, quando dicatur omnes diligentias contra illud feciſſe, ut tali gaudeat regreſſu.*

4 *Nomen ceſſum in moram non ſolvendi, ſi ex Principis facto fuiſſet poſitum, id ceſſionarii tantum, & non cedentis damno cedit.*

5 *Limita, quando eadem moratoria conceſſa fuiſſet in judicio per viam ſententiæ, eique paupertas ejuſdem nominis cauſam dediſſet, ex quo titulo conceſſa, ceſſionarium non afficit.*

6 *Cedens promittens nomen ceſſum tam de Facto, quam de Jure exigibile, ſtipulationem non committit favore ceſſionarii, niſi in caſu, quo nomen ceſſum non eſſet verum, vel quod factis diligentiis, idoneum non fuiſſet repertum.*

7 *Amplia, quando fuiſſet de facto inexigibile.*

8 *Cedens obligatur de evictione, quando nomen ceſſum, tempore, quo ſolvere promiſit, effectivè non ſolviſſet, nec ad ulteriores diligentias ceſſionarius tenetur, & vide rationem.*

9 *Cedens dicitur promiſiſſe nomen ceſſum exigibile de facto determinata die, quando etiam fructus impoſterum decurrendos cum proprietate ceſſiſſet, & in quocumque caſu inexigibilitatis ſe obligaſſet;* ampliа ut in num. 12.

10 *Subamplia, quando uſus eſſet his verbis --* prædicta facere, habere, tenere &c. -- *quæ etiam ad fructus impoſterum maturandos ſunt extendibilia.*

11 *Dictio --* prædicta -- *eſt juris utriuſque complexiva.*

13 *Ceſſionarius, ne dicatur gaudere regreſſu adverſus cedentem abſque alia diſcuſſione nominis ceſſi, ſi iſte ſtatuta die non ſolviſſet, non impeditur per hoc, quod cum cedentem ad invicem de conſtitutione Procuratoris, tamquam in rem propriam, ad illius excuſſionem conveniſſet,* & vide rationem in ſeq. num.

14 *Ceſſionarius, ex quibus dicatur gaudere facultate tam perſequendi ulterius nomen ceſſum, quam regreſſum adverſus cedentem intentandi.*

14 *Clauſulæ generales contractui famulativæ, non ſunt accipiendæ in ſenſu illius deſtructivo.*

16 *Obſervantia dat intelligentiam contractui in re dubia.*

17 *In contractibus quiſque tenetur obſervare id in odioſis, quod in favorabilibus ſui favore declarari obtinuiſſet.*

DECISIO MXLVIII.

Domus profeſſa Societatis Jeſu in Civitate Calaritana erigenda, putans ſe gravatam à ſententia Rotali, prævіis duabus deciſionibus à R. P. D. meo Criſpo lata ſuper confirmatione aliarum duarum, quas in partibus obtinuerant hæredes Raymundi Maſſones, & reſpectivè infirmatoria alterius intermediæ per Emum Scottum, tribus præcedentibus deciſionibus promulgatæ ad favorem ejuſdem Domus, delegari mihi curavit à Signatura Juſtitiæ ulteriorem cauſæ cognitionem cum clauſula conſtito de tribus, ſed fruſtrà, quia propoſito hodie dubio congruo, Domini *affirmative* reſponderunt.

1 Numerus enim, & conformitas ſententiarum erat omninò extra controverſiam, cum tam duæ priores de partibus, quàm poſtrema R. P. D. Criſpi pariformiter condemnent memoratam Domum Profeſſam ad reſtitutionem cenſuum per dictum Raymundum eidem traditorum ex cauſa permutationis, quatenus actu exiſtant, ſin minus ad traditionem proprietatis, aut bonorum ſubrogatorum

rum; unde, non obſtante contraria ſententia intermedia Emi Scotti, negari nequibat, quin ſimul junctis dd. duabus prioribus ſententiis cum illa R. P. D. Criſpi, verè conſtaret de tribus, ut alias dixit *Rot. dec.*290. *nu.* 12. *coram Dunozet*, & *dec.*667. *nu.*2. *p* 19. *rec.*, & *paſſim alibi.*

2 Quod autem eſſent exequendę, ſuadebat illarum validitas, & juſtitia: quandoquidem nullitates quædam, quæ opponebantur, tanquam de per ſe inſubſiſtentes, & à Signatura Juſtitiæ in commiſſione cauſę rejectæ, nullam
3 merebantur animadverſionem. Objectio vero illa, quæ unicè contra juſtitiam promovebatur, quod nempè concedendus non erat hæredibus Raymundi regreſſus ad cenſus cum Domo Profeſſa permutatos ſub obtentu inexigibilitatis illius, qui viciſſim ab eadem Domo favore Raymundi conceſſus fuerat, niſi facta prius excuſſione debitoris ceſſi, nimirum Civitatis Calaritanæ, viſum fuit tam in Facto, quam in Jure minimè ſubſiſtere. Non quidem in facto, quia conſtat, quod dicti hæredes pro conſequenda ſatisfactione dicti cenſus, non ſolum judicialiter evocarunt Domum Profeſſam, ut litem in ſe ſuſcipet, juxta formam ſuę obligationis, ſed ulterius videntes, eam nihil aliud feciſſe, quàm petere extractionem proceſſus, aſſumpſerunt in ſe hujuſmodi onus, & per duas uſque inſtantias Civitatem acerrimè perurſerunt coram Tribunali Regiæ Audientiæ, a quo tamen, licet obtinuerint mandati relaxationem, impedita nihilominus fuit executio, mediantibus litteris moratoriis eidem Civitati conceſſis, ex eâ præcisè ratione, quia redacta erat *al miſerabile ſtato, che ſi riconoſce non avere con che pagare li ſuoi creditori*. Undè, his ſtantibus, controverti non valet, quin factæ fuerint ſufficientes diligentiæ pro excuſſione nominis ceſſi, quodque illud repertum fuerit non ſolvendo, ut late probant *deciſ. præcedentis inſtantiæ* 27. *Aprilis* 1714. §. *eoque efficacius*, & 7. *Junii* 1715. §. *verumtamen coram R. P. D. Criſpo*.

4 Minime attenta reſponſione, quod hujuſmodi impedimentum proceſſerit ex quadam ęconomica æquitate, & ex facto Principis, quod regulariter cedere debet damno
5 ceſſionarii, non autem cedentis. Nam cum dicta moratoria conceſſa fuerit in Judicio per viam juſtitiæ, eique cauſam dederit depauperatio Civitatis, non ſolum reſpectu Gabellæ mercaturæ ſuppoſitæ pro fundo cenſus, ſed univerſaliter ratione omnium redditiuum ad illam pertinentium, non dicitur impedimentum ſequutum ex facto Principis, ſed ex inopia debitoris ceſſi, quem Domus Profeſſa perpetuo idoneum, & facilis exactionis futurum eſſe promiſerat, ut bene in propoſito firmat *Olea de ceſſ. jur. tit.* 7. *qu.* 3. *num.*35.

6 Sed nec minus objectum in jure ſubſiſtit; quam et ſi verum ſit, quod quando cedens promiſit nomen ceſſum tam de Jure, quam de Facto exigibile, non committitur ſtipulatio, niſi probetur, vel quod nomen non fuerit verũ, in quo conſiſtit exigibilitas Juris, vel quod factis diligentiis, debitor ceſſus, re-
7 pertus fuit non ſolvendo, & minime idoneus, ſive quando is eſt de facto inexigibilis;
8 æque tamen receptum eſt, quod ubi quis cedendo nomen debitoris fuit etiam ſtipulatus, quod ſi debitor ceſſus ſtatuto tempore non ſolverit, cedens de evictione teneatur, tum quia conditio illa non reſpicit idoneitatem, & potentiam ſolvendi, ſed ipſum ſolutionis actum, ſatis eſt, quod debitor ceſſus effectivè ſtatuta die non ſolverit, ut abſque neceſſitate ulterioris excuſſionis commiſſa dicatur evictionis ſtipulatio, juxta clarum *text. in leg. fideiuſſor* 17. §. *fin. ubi Bart. num.*2. & 3. *ff. de fideiuſſ.*, *Bald. in l. ſi plures nu.*24. *Cod. de condit. inſer.*, *Gratian. diſc. Foren. cap.* 164. *num.*19., *Staiban. Jun. conſul.*67. *num.*2., & *ſeq. tom.* 1. *Giurba dec.*157. *num.*14., *Sanfel. dec.*360. *nu.*10., & *ſeq.* cum aliis *in deciſ. præced. inſtantię* 27. *Aprilis* 1714. §. *Stabile*, & 7. *Junii* 1715. §. *Iterum coram R. P. D. Criſpo*.

In caſu autem, de quo eſt quæſtio, quamvis pro parte Domus Profeſsæ enixè contenderetur promiſſam ab ea fuiſſe ſolam exigibilitatem Juris, & Facti, non etiam, quod
9 Civitas ſolviſſet fructus cenſus permutati, contrarium tamen, ſicut in antecedentibus inſtantiis, ita quoque hodie reſultare viſum fuit ex integro contextu inſtrumenti permutationis, quo mediante, poſtquam Domus Profeſſa ceſſit favore Raymundi, ne dum jus, ac proprietatem cenſus à Civitate impoſiti, ſed etiam ipſos fructus, & penſiones impoſterum decurrendas, diſſertis verbis paulo infra promiſit prędicta ſic permutata facere habere, & reſpective tenere contra cunctas perſonas, ſe ſeque obligavit de evictione in omni caſu, & ſic promiſit facere habere, & tenere ipſos fructus, & penſiones, & ſe obligavit de evictione etiam in caſu, quo fructus
10 iſti à Civitate non ſolverentur. Cum enim ſtipulatio illa -- *prædicta, facere, habere, tenere*; reſtringi non poſſit ad ſolum dominium, & poſſeſſionem cenſus, ſed perneceſſe referri debeat, etiam ad penſiones impoſte-
11 rum debendas propter dictionẽ illam *prædicta* utriuſq; rei complexivam, planè cõſequi-
12 tur, ut commiſſa dicatur, ſtipulatio ſtatim ac, deficiente in ſolutione fructuum Civitate, Raymundo ceſſionario illos habere, & tenere non licuit, juxta *text. in l. habere, licere* 57. *ff. de evict.* ita ut minime opus fuerit ad obtinendum regreſſum contra cedentem, bona, & idoneitatem Civitatis excutere, dum non idoneitas, ſed ſolutio ipſa in conditione evictionis poſita fuit, juxta terminos dicti *text. in l. fideiuſſor*, quem ſic explicant ſcribentes ibi, & *melius in leg. dec. ſtipulatus ff. de verb. obl. ubi præ cæteris Jaſ. num.*12. *Andreol. controv.* 115. *num.*12., & *controv.* 275. *num.*7. *diſput. jur. cap.*142. *per tot.*

Nilque urget, quod retenta hujuſmodi in-
13 telligentia, inutile ac ſuperfluum fuiſſet, quod

quod partes ſe ſe invicem Dominos, & Procuratores in rem propriam conſtituiſſent actioneſque, & jura ſibi mutuo mandaſſent, ſi debitores ceſſos excutere non tenebantur; Nam & hoc utile eſſe potuit ad alios effectus; & quantumvis etiam referri velit ad illum agendi contra debitores ceſſos, nihil re-
14 pugnat, quod ceſſionarius in caſu, quo fructus ſibi non ſolverentur, duplicem facultatem haberet, vel ſcilicet perſequendi directe nomen ceſſum, ſi ita è re ſua futurum putaſſet, vel intentandi ſtatim regreſſum contra cedentem, conducente cæteroquin in hunc ſenſum regula illa, qua docemur, clau-
15 ſulas iſtas generales in hujuſmodi ceſſionibus apponi ſolitas, tanquam famulativas contractui, cui adhærent, ita eſſe accipiendas, ut principalem contrahentium intentionem juvent, non deſtruant, ut pluribus adductis advertit ultima deciſio Præcedentis inſtantiæ §. *Quorum efficacia cor. R.P.D. Criſpo.*

Sed omnis in hac parte ſubmoveri viſa fuit difficultas ex facto ipſo Domus Profeſſæ, cujus Adminiſtrator, cum de anno 1704. exigere nequiviſſet fructus unius cenſus, ejus favore viciſſim ceſſi in dicto inſtrumento permutationis à Raymundo Maſſones, abſque aliis diligentiis pro excuſſione bonorum debitoris ceſſi, regreſſum intentavit contra cedentem, eumque judicialiter coegit loco illius alium ſuum ſubrogare. Ex hoc enim facto, ut benè Domini animadvertebant, unum
16 de duobus concludi neceſſe eſt, quod nempè, aut ita re vera intelligi debet prædicta evictionis promiſſio, quemadmodum ſubſequuta declaravit obſervantia, ut dictum fuit in *prima deciſ. R.P.D. Criſpi* §. *Itaque, & in ſecunda* §. *Quæ omnia*, ubi concordantes; aut quatenus per malam hypotheſim ita de
17 ſtricto jure intelligenda non eſſet, adhuc tamen Domus Profeſſa æquo animo ferre debet, quod ita in præſenti ejus rerum accipiatur, dum judicialiter obtinendo controverſam conventionem eo modo pro ſe declarari, affecta remanſit generali illo juſtiſſimo Edicto, quod quiſque juris in alium ſtatuerit, vel obtinuerit, & ipſe eodem utatur *tot. tit. ff. quod quiſque juris*.

Et ita Domini in reliquis relativè ſe habentes ad dictas geminas deciſiones præcedentis inſtantiæ, reſponderunt utraque &c.

NULLIUS ABBATIÆ S. HYLARII.

Veneris 18. *Februarii* 1718.

ARGUMENTUM.
Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Inſtrumentum anterius deſtruitur à poſteriori, & à contentis, tali caſu, in iſto, & non in illo contrahentes ligantur.*

2 *Debitor, adventa ſolutionis die, non poteſt ſolutionem retardare.*

3 *Depoſitum fieri debet de pecuniis à debitore ſolutis, quando patrimonium Creditoris ſtaret ſub creditorum concurſu.*

DECISIO MXLIX.

CUM propter evictionem Comitatus Vallis Oppii à Comitibus de Bentivolis una cum quibuſdam aliis bonis allodialibus venditis favore Dominici Boſcarini mota inter eos fuiſſet controverſia ſuper ſolutione annuorum ſcut. 200., quæ emptor promiſerat ſe venditoribus præſtiturum nomine fructuum recompenſativorum, quouſque non ſolviſſet ratam ſcut. 6000. pro reſiduo pretii d. Comitatus, & bonorum in majori ſumma conventorū; placuit noſtro Tribunali, ad quod cauſa in gradu appellationis delata fuerat, ut ea, qua ſolet gravitate, ac prudentia indemnitati utriuſque Partis conſuleret, relinquere in ſuſpenſo fructus pro rata ſcut. 3000., ad quæ Boſcarinus emptor aſcendere intendebat pretium evicti Comitatus; pro rata vero aliorum ſcut. 3000., quorum reſpectu idem Boſcarinus nil relevans opponebat, ipſum condemnare ad ſolutionem dictorum fructuum, ut latius conſtat ex deciſione tunc edita cor. Me ſub die 10. Maii 1715. per tot., & præſertim §. fin.

Cauſa quoad fructus, ſuper quibus tunc erat quæſtio ulteriorem huc uſque progreſſum non habuit, ſed interim memorati Comites de Bentivolis venditores e re ſua futurum putantes eundem Boſcarinum laceſſire ad ſolutionem ejus ratæ ſortis, ſuper qua in d. alio Judicio dictum fuerat nullam cadere poſſe controverſiam, curarunt hodiè per Me proponi dubium -- *An ſit relaxandum mandatum etiam pro ſorte ſcut.* 3000., cui DD. *affirmativè* reſponderunt *ad effectum tamen deponendi*.

Ratio ſic decidendi quoad principalem
1 reſcripti partem in eo ſtetit, quod licet in Inſtrumento venditionis inter Bentivolos, ac Boſcarinum conventum fuerit, ut iſte pro rata ſcut. 6000. adſtringi non poſſet, niſi ad ſolutionem fructuum recompenſativorum, in alio tamen ſubſequenti Inſtrumento celebrato ſub die 22. Novembris 1703. ſive à priori recedendo, ſivè illud melius in hac parte declarando cautum fuit, ut emptor eadem ſcut. 6000. ſolvere deberet intra ſpatium annorum 12. Unde cum per lapſum præſtituti
2 temporis jam hodiè venerit ſolutionis dies, in dubium revocari nequit, quin emptor ſaltem pro ea rata ſcut. 3000., ſuper qua compertum fuit in d. alia mea deciſione 10. Maii 1715. nullam cadere difficultatem ex cauſa d. evictionis, pro nunc condemnari poſſit, ac debeat, juxta *text. in* §. *Omnis ſtipulatio inſtit. de verbor. obligat.*, *l. obligationum ff. de act.*, *& oblig.*, *aliaque jura notiſſima*.

Verum quia ſuper bonis, ac Patrimonio eorundem de Bentivolis pendet generalis concurſus creditorum ab ipſis convocatus; unde

unde Boſcarinus non immerito timere poteſt quod cętera etiam bona ſibi hactenus non evicta expoſita remaneant moleſtiis dictorum creditorum. Hinc DD., ut eius quoque indemnitati conſulatur, decreverunt quidem ut mandatum pro d. ſumma contra ipſum relaxetur, ſed ad effectum deponendi, quemadmodum obſervatum fuit quoad fructus
3 compenſativos, & cæteroquin Juris eſſe docent adducti per *Mangil. de evict. quæſt.* 87. *n.* 10., *Rota in firmana Domus* 16. *Martii* 1716. §. *quia tamen cor. R.P.D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*.

Et ita utraque &c.

NULLIUS, SEU SUBLACEN. DONATIONIS.

Veneris 18. *Februarii* 1718.

ARGUMENTUM.

Lis quando dicatur à Tutore non proprio nomine, ſed Pupilli defenſa, & Tutor, ex quibus bona fide ductus ad pupilli litem ſubſtinendam, ne ad expenſarum refectionem de proprio teneatur, quibus non ſubiacet, quando boni Juris probabilitatem, & ſpem habuiſſet de victoria cauſæ, nec ſiniſter litis eventus conſideratur.

SUMMARIUM.

1 *Judicatum, quod reputatur iniuſtum, exequi non debet.*

2 *Lis dicitur tutorio nomine defenſa, & non proprio, quando quis litem paſſivam, ad filii defenſam ſubſtinuiſſet.*

3 *Amplia, quando quis, tam in conſtitutione Procuratoris, quàm appellationis interpoſitione, ſe tutorio nomine geſſiſſet*

4 *Subamplia, etiamſi pupilli ſubſtinendo litem, ſecundario proprium quoque intereſſe defendiſſet*, & vide rationem in n. ſeq., & nn. 7., & 8.

5 *Intereſſe primarium ſpectatur in Judiciis, non ſecundarium*, & vide ad quem effectum.

7 *Tutor non dicitur ſtetiſſe in judicio ad defendendam propriam cauſam per hoc, quod perſonam Pupilli, ut legittimaret, teſtamentum produxiſſet, in quo ſui favore adfuiſſet ſcriptum legatum de uſufructu, maximè ſi iſtum in eodem judicio non poſtulaſſet.*

9 *Tutor calumnioſam, & iniuſtam litem nomine Pupilli ſubſtinens, in caſu ſuccumbentiæ de proprio expenſas tenetur reficere.*

10 *Lis defenſa à Tutore pro Pupillo non præſumitur calumnioſa, quando non ipſe in arenam judiciariam deſcendiſſet, ſed laceſſitus ab aliquo.*

11 *Tutor Pupilli lites ſubſtinere tenetur, aliàs incidit in culpam.*

12 *Præſumitur juſtè litem adverſus Pupillum introductam defendiſſe, quando favorabilem retuliſſet ſententiam*, amplia ut in nu. 14.

13 *Auctoritas Doctoris, ſubſtinendi litem motivum præbet.*

15 *Calumnia in lites agendo à boni juris probabilitate excluditur, quæ probabilitas probatur per hoc, quod in propoſitione, cauſa non fuiſset reſoluta*, & n.17.

16 *Amplia quando fuiſſet à Judice articulorum admiſſio demandata*, & n. 18.

17 *Bona fides in litigando, ad excludendam calumniam, oritur ex ſuffragiorum ſciſſura.*

18 *Articuli irrelevantes non admittuntur.*

19 *Lis non dicitur calumnioſa ob ſuccumbentiam, quam quis in ea fuiſſet paſſus, quando ab illa appellationem reportaſſet*, & n. 22.

20 *Lis diceretur calumnioſa, quando litigans ſcientiam ſui mali juris haberet, & concludenter in eo eadem probaretur.*

21 *Fundamentum intentionis actoris illud dici nequit, quo quis nolle uti expreſſe declaraſſet, & de facto uſus non fuiſſet.*

23 *Tutor, ut excuſetur à refectione expenſarum de proprio in lite pro Pupillo ſubſtentata, non attenditur exitus litis, ſed boni juris probabilitas, & ſpes, quam de victoria Cauſæ fovere potuiſſet.*

24 *Tutor non tenetur de proprio expenſas in lite pupilli taxatas reficere, ex quo liti renunciaſſet, quando tutorio nomine, & cū clauſulis preſervativis renunciationem exaraſſet.*

25 *Actus cum ſuis qualitatibus accipiendus eſt ab eo, qui illum pro ſuæ intentionis fundamento allegaret.*

DECISIO ML.

Satagentes Maria Angela, & Belliſarius Coninges de Chriſtallis reportare complementum victorię ejus litis, quam diù ſubſtinuerant per quatuor inſtantias Rotales contra Perſiam, & Victoriam Lucillam de Antoniis ſuper validitate donationis ſibi factę per q. Franciſcum Xaverium de Antoniis, mediante taxatione expenſarum, earumque refuſione, propoſuerunt huiuſmodi eorum inſtantiam cor. R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore, à quo prodierat ultimum Judicatum, & quamvis ex parte rearum conventarum plura oppoſita extitiſſent, & pręſertim, quod Perſia pro illis conveniri non poterat, dum ſteterat in judicio non proprio, ſed tutricio tantum nominè, nihilominus ex reſcripto Sac. Rotæ, quod procederetur de more ad expenſarum taxationem ſuccubuit eadem Perſia, idemque contigit coram R.P.D. meo Corio, cui in gradu appellationis cauſa commiſſa fuerat, editis duabus deciſionibus ſub diebus 15. Februarii, & 18. Junii anni præteriti, quibus juxtà dubium conforme ad Signaturę reſcriptum -- *Non conſtare de exceſſu, & expenſas eſſe reficiendas à Perſia* -- reſolutum fuit.

Non

Non ita tamen ſe res habuit in hodierna collutatione, quippe quia delegata mihi per eandem Signaturā Iuſtitiæ nova cauſe cognitione cum clauſula -- *Alteri qui ad legitimam* -- propoſui de more dubium -- *An ſit procedendum ad legitimam*, & reſponſum habui *negativum*.

Proceſſit autem ratio iſtius reſolutionis ex eo, quod Perſia in præcedenti Judicato condemnata fuit ad expenſarum refectionem de proprio ſubeundam, tum ex quo proprio nomine litem ſuſtinuerit, tum ex quo etiam ſi egiſſet tanquam Tutrix, defendiſſet tamen litem iniuſtam, & calumnioſam; neutrum
1 vero ex huiuſmodi fundamentis in præſenti ſubſiſtere compertum extitit, itaut, concurrente Judicati iniuſtitia, non eſſet locus illius legitimę executioni, *Rota dec.* 176. *num.* 4. *p.* 14., *dec.* 519. *n.* 1. *p.* 19. *rec.* cum aliis vulgaribus.

Quod autem Perſia nunquam proprio, ſed
2 ſemper tutricio nomine ſteterit in judicio, ex illa præſertim DD. deſumpſerunt animadverſione, quod lis nequaquam fuit ex illius parte, aut ejus filii, filiæve introducta, ſed ex parte ipſorum met Coniugum de Chriſtallis inſtructa ſuper obſervatione donationis ipſis per Franciſcum Xaverium factæ; unde Perſia nihil egit in hujus litis conteſtatione, ſolumque aſſumendo defenſionem prius d. ejus filii, & ſucceſſivè poſt ejus obitum Victoriæ Lucillæ filiæ fæminæ hæredis à donante inſtitutæ, officium tutelæ, & curæ, quod gerebat circa dd. perſonas adimplevit; & de facto conſtituens Procuratores, non alio in mandatis uſa fuit titulo, quàm adminiſtrationis, & curæ prius d. filii Franciſci Xaverii, & deinde filiæ Victoriæ Lucillæ, idque ſervavit etiam in interponendis appellationibus à judicatis, quæ poſt primum favorabile paſſa fuit contraria per plures inſtantias, tales actus explendo nomine Victoriæ Lucillæ uti Principalis, & ſuo uti Tutricis; quæ ſanè omnia ſatis oſtendunt, non proprium negocium illam gerere inten-
3 diſse, ſed cauſam defendiſse, & litem ſuſtinuiſse dumtaxat ratione adminiſtrationis, & curæ, ut ex conſimilibus actibus concludunt *Rovit. conſ.* 44. *n.* 21 *vol.* 1., *Alex. conſ.* 40. *n.* 5. *lib.* 5., & cum aliis *Rot. deciſ.* 74. *n.* 6. *verſ. quod quamvis, poſt Urceol. de tranſact.*, & *deciſ.* 164. *nu.* 14. *verſ. eximit etiam poſt Conſtantin. ad Stat. Urbis*.

Nec relevare viſum fuit, quod proprium
4 quoque haberet intereſse in eadem lite ipſa Perſia, ratione uſusfructus ſibi relicti in teſtamento ſui filii, quem ſubſiſtente donatione conſequi non potuiſset; quandoquidem hujuſmodi illius intereſse ſecundarium erat, & acceſsorium, principale vero erat Victoriæ Lucillę, quæ ſcripta reperiebatur hæres in teſtamento Donatoris, & participare debebat cum Perſia de eodem uſufructu; un-
5 de cum ſpectetur in Judiciis, non quis ſecundarium, ſed quis principale habeat intereſſe, juxta deducta per *Surd. conſ.* 467. *n.* 11. *Rot. dec.* 469. *n.* 47. *p.* 9. *rec.*, & *in Romana Cappellanię S. Nicolai* 17. *Martii* 1710. §. *Abſque eo quod cor. Reverendiſſimo P. D.*
6 *meo Anſaldo Decano*, utique in expenſarum refectione actio in illam dirigenda eſt, quæ cauſam primariam habuit litigandi, & cujus iura tantum fuerunt deducta.

Tanto magis, quia Perſiæ uſusfructus nun-
7 quam petitus fuit, aut ullo modo allegatus in toto longævæ litis decurſu; quod ſi verò productum fuit ex ejus parte Teſtamentum filii, in quo tale legatum continebatur, productio ſane iſta non ad fundandam legati petitionem referri debet, ſed ad legitimandam Victorię hęredis perſonam, quæ, defuncto Franciſco Xaverio fratre, ſtare debebat in judicio adverſus illius donationem, proindeque dici debet, non ſuæ perſonæ jure, ſed jure pupillæ hæredis eo Teſtamento Perſiam uſam fuiſse, *ad optimum text. in l. tutorem ff. de iis, quæ ut indigni &c.*

Quibus poſitis, certa ſubſequitur juris pro-
8 poſitio, quod ſi Perſia uti Tutrix in lite fuit, pro expenſarum refectione de proprio condemnari non poteſt, ſed adverſus pupillæ bona agendum eſt, *ad tex. in l. ſive Tutor. ff. de adminiſtr. Tutor.*, & *l. Juliana C. quand. ex fact. Tutor. vel Curator.* cum aliis relatis *in deciſione precedentis inſtantiæ* 18. *Junii* 1717. §. *Momentum cor. R. P. D. meo Corio*. Et quoniam communis eſt limitatio,
9 quod poſſit tamen contra Tutricem agi pro expenſarum refuſione, ſi litem iniuſtam, & calumnioſam defenderit, vel ſuſceperit, juxta diſtinctionem *Bart. in l. ſi ſe non obtulit n.* 1., & *ſeq. ff. de re judic. cum concordantibus in eadem dec. R. P. D. mei Corii* §. *Verum*. Hinc DD. deſcendebant ad ſecundam hujuſmodi inſpectionem circa calumniam, & iniuſtitiam, quę fuit hactenus contra Perſiam allegata.

Movit autem illos ad calumniæ excluſio-
10 nem ponderatio, quod ut ſupra dictum eſt, deſcendit Perſia in arenam non ſponte, ſed laceſſita, judicio jam per Coniuges de Chriſtallis introducto contra filium ſuper obſervatione donationis, unde quoad ipſam Perſiam litis initium, cum eſset Mater, & Tutrix, à neceſſitate cauſam habuit, dum ſine
11 culpa non poterat pupilli defenſionem omittere, ut notat *Geminian. conſ.* 55. *n* 2., *Galganett. de Tutor.*, & *curator. lib.* 3. *qu.* 40. *n.* 5., *Roſignol tom.* 2. *contract.* 17. *prænot.* 12. *n.* 12., *Balthaſar. Thomaſ. tract.* 1. *tit* 18. *n.* 62., & 63. *omnes in eodem tract. de Tutor.*, & *Curat.*

Nec dici poteſt, quod viſis juribus, in quibus conſtituebant dd. Coniuges ſuæ intentionis fundamentum, debebat abſtinere a litigio, aut ſaltem illud uſque ad rem judicatam non protrahere, inutili, & calumnioſa exceptione dementiæ ſui filii donatoris; ſiquidem & juſtam proſequendę litis cauſam
12 habuiſse Perſiam DD. crediderunt, habito reſpectu ad illam peculiarem facti circumſtantiam, quod in prima inſtantia à R. P. D.

Ro-

Rota Judice ab A. C. Deputato ſententiam
13 abſolutoriam ipſa reportavit: unde ſi pro-
babilem litis agendę cauſam præbet etiam
Doctoris authoritas, ut probat *Rot. in Nul-
lius ſeu Fuldcn. Juriſdictionis* 16. *Februarii*
1703. §. *Sive quia cor. Reverendiſſimo Mo-
lines Magno Hiſpan. Inquiſit.*, & *in Roma-
na hæreditatis de Ruſpulis* 13. *Junii* 1704.
14 §. *Stringit coram eodem*; quanto validio-
rem boni Juris præſumptionem eruere po-
tuit Perſia a Judicis ſententia, quę in partis
contradictorio ſuæ defenſionis juſtitiam ap-
probavit, ut notat *Berov. conſ.* 134. *n.* 16., &
ſeq. lib. 2., *Manſ. conſult.* 360. *n.* 23. *tom.* 4.
Rota dec. 122. *n.* 3. *cor. Emer. jun.*

Confirmata non minus fuit in hujuſmodi
boni Juris probabilitate eadem tutrix ex eo,
15 quod cauſa ſubinde delata ad noſtrum audi-
torium, in prima illius propoſitione ob ſuffra-
giorum ſciſſuram nulla capta fuit reſolutio,
quodque licet poſtmodum prodierit reſolutio
coram Me ſuper donationis validitate, fuit
16 tamen contemporaneè ad expeditionem
demandata articulorum admiſſio ſuper im-
becillitate judicii donatoris; diſparitas au-
tem ſuffragiorum, dubii, & probabilis juris
præbere potuit argumentum, itaut ſperare
liceret confirmationem primæ favorabilis
ſæntentiæ, & bonam fidem præbere in litis
17 proſequutione, *De Marin. reſolut. Jur.
lib.* 1. *cap.* 92. *numero* 3., *Rota deciſ.* 187.
numero 6., & *ſeqq. coram Priolo*, & ad-
miſſio articulorum, rei articulatæ indicat re-
18 levantiam, dum iſta deficiente non admit-
tuntur, ex juribus plenè adductis in *Aſto-
ricen. Parochialis ſuper remiſſoria* 8. *Junii*
1716. §. *Articuli coram R. P. D. meo Foſ-
caro*, & *paſſim alibi*. Addito quod quacum-
19 que vice fuit provocatum pro obtinenda
ulteriori appellatione in Signatura Juſtitiæ,
toties illam Perſia reportavit, itaut per qua-
tuor inſtantias cauſa reviſionem promerue-
rit.

Nequè argui calumniandi animus indè va-
luit, quod Perſia uti Mater, ſcire ſupra
omnes certo certiùs debebat, an adeſſet in
filio illa intellectus imbecillitas, quam ad tol-
lendam facultatem diſponendi ipſa allega-
bat, & nihilominus confixit Codicillos ad de-
mentiam filii oſtendendam, in quibus ſuppo-
nebatur Patrem illum dementem declaraſſe;
inde arguendo, quod ſi falſitatibus curabat
ſuã intentionem comprobare, ſignum evidens
20 eſt, quod erat conſcia ſui mali Juris, ideo-
que temere, & calumnioſè litem agebat,
juxta deducta in poſtrema *deciſione præce-
dentis inſtantiæ coram R. P. D. meo Corio*.

Omiſſis quippe pluribus aliis reſponſio-
nibus, illa præceteris ad objecti confutatio-
nem viſa fuit ſufficere, quod nempè Perſia
num quam relatos Codicillos produxit, imo
po tius ſtatim ac in lucem prodierunt, ſolem-
21 ni, ac judiciali actu proteſtata fuit nolle il-
lis uti, & de facto in omnibus ſucceſſivis
inſtantiis uſa tantum fuit Patris teſtamento,
& teſtibus pro ipſius parte examinatis ſuper
filii imbecillitate, quorum Jurium vigore
tamdiu cauſa meruit examinari cum ſuffra-
giorum ſciſſura in noſtro Tribunali, & obti-
nuit Perſia tot commiſſiones à Signatura Ju-
22 ſtitiæ, ex quibus potuit continuare in bona
fide, ut ſupra dictum eſt, itaut nequaquam
dici poſſit, quod alias falſis Juribus uti ad
eundem effectum ſtuduerit, dum conſtat,
quod legitimis, ſatiſque probatis, non ta-
men ad victoriam ſufficientibus documentis
è contrario uſa fuit.

23 Minuſque meretur attendi exitus litis,
qui talis fuit, ut pupilla uſque ad rem judica-
tam ſuccubuerit, quia pro excuſando tutore à
litis expenſis refundendis, ſatis eſt, juxtà
præmiſſam diſtinctionem, quod non calum-
nioſam, neque injuſtam litem aſſumpſerit,
ſed probabilem, in qua boni Juris aliquo
modo ſpem foveret, ut tradunt in propoſito
Ruin. conſ. 1. *num.* 23., & 24. *lib.* 3., & me-
lius *Ripa in l. ſi ſe non obtulit num.* 18., &
ſeqq. ff. de re judic., qui his verbis reddit ra-
tionem, -- *quia ſi putabat habere bonam cau-
ſam, & tamen non habebat, adhuc excuſatur
ab expenſis* -- & quod non attendatur litis
eventus, *ex Tex. in l. quid ergo* 3. §. *Sufficit
ff. de contr. tutor.*, & *in l. ſed an ultra* §. *Si
autem, ff. de negoc. geſt.* probant *Montan. de
tutor.*, & *curat. cap.* 31. *effect.* 5. *num.* 5., &
conſonat *Rota in Romana liberationis à mo-
leſtiis* 17. *Junii* 1709. § *nemo coram R̄mo
D. meo Anſaldo Decano*.

24 Nulla demum vis pro Perſiæ condemna-
tione fieri valuit in litis enunciatione, quia
illam non proprio nomine explevit, ſed tu-
tricio, & munitus eſt talis actus ſalutaribus
clauſulis, quibus nullam quoad ſui perſonam
aſſumere obligationem proteſtata fuit; undè
neque ex eo poteſt ulla à Conjugibus de
Chriſtallis contra illam actio obtineri, quia
25 debent actum, ſi in illo fundamentum con-
ſtituunt, cum præfatis clauſulis acceptare,
ut inquit *Rota dec.* 126. *num.* 45. *par.* 14. *rec.*
Et ita utraque &c.

FERRARIEN. FIDEICOMMISSI DE GILIOLIS.

Lunæ 7. *Martii* 1718.

ARGUMENTUM.

Bona fideicommiſſaria pro dimiſſione æris alie-
ni à fideicommittente contracti alienata,
liberè in emptores creditorum ejuſdem fidei-
committentis jura foventes pertranſeunt,
maxime quando ex dotis reſtitutione, cui
ille reperiretur obligatus, eadem cre-
dita provenirent; neque iidem emptores
inquirere obligantur, an eadem dos potuiſ-
ſet ex bonis liberis reſtitui, cum hoc potius
eſſet damnum, cujus correctio adverſus hæ-
redes gravatos à fideicommiſſario fieret re-
petibilis, numquam verò afficit creditores
ejuſdem fideicommittentis. Inventarii de-
fectus non eſt allegabilis adverſus proprieta-
rium,

rium, quando hæres uſufructuarius à teſtatore ſibi injuncta facultate utendo, pro ſui ſatisfactione bona fideicommiſſaria diſtraxiſſet. Prætium rei poſt decennium variatur, & poſt centum annorum lapſum de verò antiquo illius valore poſſe inquirere non datur, adeoquod præſentis temporis æſtimationi ſtandum ſit.

SVMMARIVM.

1 *Bona fideicommiſſaria pro dimiſſione æris alieni à fideicommittente contracti liberè diſtracta, in illud amplius non reincidunt.*

2 *Aſſignata pro reſtitutione dotis favore uxoris ipſius fideicommittentis, numquam pariter in illud reincidunt.*

3 *Creditum dotale probatur concludentiſſime ex declaratione in teſtamento, quam de eo debitor feciſſet.*

4 *Confeſſio proprii auctoris ex iſto cauſam habentes ſemper afficit.*

5 *Creditum dotale probatur à laudo ſuper eo emanato, & canonizato, maxime quando fuiſſet à Curatore, & exequtore teſtamentario acceptatum.*

6 *Amplia, ſi per ſpatium centum annorum à nemine fuiſſet impugnatum.*

7 *Fideicommiſſarius allegans exiſtentiam pecuniarum, & mobilium de tempore alienationis bonorum fideicommiſſi pro ſolutione dotis, ipſe eum probare tenetur, maximè quando agitur contra tertium poſſeſſorem, oneroſo titulo emptionis eadem bona detinentem.*

8 *Aplia, ut ſemper præſumptio ſtet pro validitate actus, ſignanter à centum, & ultra annis expleti.*

9 *Hæres Fideicommiſſarius poteſt agere adverſus gravatum ex cauſa damni, quod fuiſſet fideicommiſſo irrogatum ex bonorum ſtabilium alienatione, ſecus vero contra Creditores fideicommittentis.*

10 *Creditor fideicommittentis non poteſt compelli, ut ſibi ſatisfaciat de fructibus fideicommiſſi, quando haberet fideicommittentis bona ſui favore obligata.*

11 *Creditum dotale dicitur approbatum ab actore fideicommiſſario, quando exequtionem illius decreti poſtulaſſet, in quo bonificatio dicti crediti demandaretur.*

12 *Amplia, ſi ſe ſolutioni illius promptum declaraſſet.*

13 *Judicatum, & in eo ſtabilita nemo poteſt impugnare, quando illius exequutionem procuraſſet.*

14 *Creditum, quod quis in judicio, mediante acceptatione ſententiæ illud canonizantis, admiſiſſet, impugnare amplius non poteſt.*

15 *Bona fideicommiſſaria fiunt libera in manibus emptoris, qui debbita fideicommittentis de illius prætio exſolviſſet;* amplia ut in num. 26 & 37.

16 *Poſſeſſor bonorum fideicommiſſariorum ad ſe in tali poſſeſſione confovendum, retentionem pro creditis fideicommittentis, mediantibus ſuis pecuniis, extinctis petere poteſt.*

17 *Creditor exercendo jura ſui debitoris, poteſt eadem ſua jura adverſus debitorem ſui debitoris exercere pro ſui ſatisfactione,* & num. 27.

18 *Creditum, cujus inſtrumentum non reperiretur, ſatis probatur per alterum inſtrumentum alienationis bonorum pro ejus ſolutione facta cum adnotatione diei, menſis, & anni, maxime ſi à centenaria approbatione muniretur.*

20 *Amplia, quando illius realitas approbata fuiſſet à Tutore, de quo confidere Teſtator profeſſus fuiſſet, ab exequtore Teſtamentario, & à Judice in aliquo poſteriori contractu:*

21 *Creditum proveniens ex ſolutione gabellæ prædio fideicommiſſario inhærentis, fideicommiſſo non ligatur, imo omnibus ſit anterius.*

22 *Creditum proveniens ex publico Inſtrumento, habet plenam fidem.*

23 *Bona fideicommiſſaria liberè venduntur pro ſolutione gabellæ, quovis nexu non obſtante.*

24 *Expenſæ neceſſariæ pro manutentione bonorum fideicommiſſariorum ex eiſdem fideicommiſſi ſubſtantia fieri poſſunt libere.*

25 *Amplia, quando eſſent exceſſivæ, & fructus fideicommiſſi non ſufficerent.*

28 *Defectus inventarii non eſt allegabilis adverſus hæredem proprietarium, quando adfuiſſet uſufructuarius, cui teſtator facultatem dediſſet distrahendi bona, ut ſibi ſatisfaceret, & ille in adminiſtratione hæreditatis ſe numquam ingeſiſſet.*

29 *Suppletur quoad ſtabilia ex deſcriptione, quam de eis Teſtator in ſuo teſtamento feciſſet.*

30 *Emptio rei non dicitur læſiva per hoc, quod illa antiquitus in aliis contractibus ineffectuatis maximi fuiſſet extimata, quando correſponderet pretio à tertio perito liquidato, qui de partium conſenſu fuiſſet electus, & emptor illam acquiſiviſſet pro eodem prætio, quo Creditores ab illius domino reportaſſent.*

31 *Prætium rei poſt decennium variatur, & ob id relatio periti eam minoris extimans dicitur juſta.*

32 *Centenaria tollit poſſibilitatem inveniendi verum valorem rei in quo eadem res antetalem decurſum eſſe potuiſſet,* amplia ut in num. ſeq.

34 *Transactio facta bona fide ad lites dirimendas, nedum tranſigentes ligat, verum quoque hæredes fideicommiſſarios jure proprio venientes.*

35 *Solutio expleta ad tramites Inſtrumenti, quo debitor afficiebatur, dicitur rite facta, cum iſte de pecuniarum verſione in utilitatem fideicommiſſi, & de reinveſtimento, quoties de his non fuiſſet admonitus, eſſe ſollicitus non tenetur.*

36 *Res Judicata facit de albo nigrum, & quacumque*

cumque tollit actionem, donec reſtitutio in integrum adverſus ipſam non reportetur.

38 *Res Judicata oritur ex numero ſententiarum, & appellationis deſertione.*

39 *Reſtitutio in integrum adverſus ſententias læſione laborantes ſemper conceditur.*

40 *Fideicommiſſum evaneſcit ſuper prædio de cujus pretio æs alienum à fideicommittente contractum, fuiſſet dimiſſum.*

DECISIO MLI.

QUamvis ab anno 1639., uſque ad hæc tempora pacificè poſſediſſet Margarita Fieſca Prędium nuncupatum *il Serrajolo*, ſatisq; tutam ſe putaret non ſolum titulo illius emptionis completæ de anno 1600. à Ludovico Fieſchio ejus Auctore, cui jam anteà de anno 1590. conceſſerat ad uſum, & livellum idem Prædium Almericus Senior de Giliolis, ſed etiam titulo Tranſactionis initę inter Alphonſum, aliosque de Giliolis, & Sebaſtianum filium dicti Ludovici Fieſchi de anno 1620., & inſuper rei judicatæ promanantis ex duabus ſententiis latis in Tribunalibus Venetis de annis 1638., & 1639., nihilominus fuit anno 1708. vocata in Judicium coram Locumtenente Generali Legationis Ferrariæ pro parte Comitis Almerici Junioris de Giliolis petentis vigore Fideicommiſſi à ſupradicto Almerico Seniore ordinati immitti in ejuſdem Prędii poſſeſſionem.

Et quia in hoc judicio conſtitit ex ipſo emptionis inſtrumento, quod Prædii controverſi valor juxta extimationem factam à Perito de communi partium conſenſu tunc electo, erat librarum 15498., ex quibus ſumma librarum 7868. erogata fuerat in ſatisfactionem crediti dotalis Annæ Trottæ Uxoris Almerici fideicommittentis, placuit memorato Judici immiſſionem favore Actoris decernere pro reſiduali ſumma reſtrictivè librar. 7630., & hujuſmodi Judicatum idem Actor, executionem expoſtulando, acceptavit.

Non ita tamen Margarita, quæ putans ſe gravatam in rejectione aliorum ejus creditorum, & jurium, interpoſita appellatione, alterius Judicis deputationem obtinuit ab Eminentiſſimo Legato, ſed inutiiem, quia prędictum Judicatum promeruit in omnibus confirmari: Ipſa verò adhuc reclamavit, commiſſaque reviſione duarum pręcedentium Sententiarum Judici tertiæ inſtantię, pejori fato ſuccubuit, quippè quia conceſſit iſte Comiti Giliolo immiſſionem pro majori quantitate librarum 10002., & in reliquis tantum Ream conventam abſolvit, & vigore iſtius Sententiæ Actor Prædii poſſeſſionem adeptus fuit.

Deceſſit interim Margarita, nec non Comes Antonius Elephantutius ejus filius, eiſque ſucceſſerunt Comites Conſtantinus, & Cajetanus pariter de Elephantutiis, qui à dictis tribus Sententijs in rem judicatam prolapſis in partibus ſibi contrariis obtinuerunt de anno 1716. reſtitutionem in integrum à R. P. D. Sanctiſſimi Domini Noſtri Auditore, ad cujus normam, delegata mihi cauſæ cognitione, dedi dubium prætenſionum utriuſque Partis complexivum — *An conſtet de re judicata, ſeu potiùs de cauſis reſtitutionis in integrum, & ad cujus favorem, & an reſpectivè danda ſit immiſſio,* — eoque propoſito in hodierna Audientia, Domini reſponderunt favore Comitum de Elephantutiis — *Conſtare de re judicata, & de cauſis, juxta modum,* inferius exprimendum, *& non eſſe dandam immiſſionem.*

Ratio autem iſtius reſolutionis unico quidem, ſed validiſſimo innixa fuit fundamen-

1 to, quod Prædium controverſum licèt cadere potuiſſet ſub fideicommiſſo per Almericum Seniorem de Giliolis ordinato, & favore hodierni Actoris purificato; adhuc tamen in Reos conventos, eorumque Auctores devenit ab omni vinculo ejuſdem fideicommiſſi exemptum, cum iſti illud acquiſiverint à creditoribus ejuſdem Fideicommittentis, hujus ære alieno dimiſſo, ad *Text. in leg. Mulier §. Cum proponeretur ff. ad trebell.*, *Rot. dec. 1274. num. 1., & per tot. coram Emerix Iun., in Ferrarien. Alimentorum, & Dotium ſuper conſumptione detractionum 11. Martii 1712. §. Quoniam coram Eminentiſſimo D. Cardinali Priolo, & in Baren. Immiſſionis 15. Ianuarii 1712. §. Et licet coram R. P. D. meo Criſpo.*

Et ſanè certum in facto eſt, quod conſi-

2 ſtente valore Prædii in libris 15498., quanti fuit in actu emptionis æſtimatum à Spagnoletto tertio Perito in aliorum duorum diſcordia electo, libræ 7868. erogatæ fuerunt in ſatisfactionem dotis Annæ Trottæ Uxoris fideicommittentis, cui rata ſæpedicti Prædii fuerat pro tali quantitate aſſignata, ut conſtat ex publicis Inſtrumentis anni 1600. *Summar.* Reorum *num.* 3., & 6., plenam conſtituentibus probationem, & recognoverunt Judices antecedentium inſtantiarum, & Actor ipſe admiſit, ut infra.

3 Neque poteſt in dubium revocari, quod ad iſtius dotis reſtitutionem erant obligata Bona omnia Viri fideicommittentis juxta notoria juris principia, quodque ſubſiſtentia hujus crediti optimè fundabatur non ſolum in ejuſdem teſtamento, in quo faſſus fuit ſe-

4 ſe eſſe talis dotis debitorem, quæ cœteroquin confeſſio in pręſenti ſufficeret, cum plenè probet contra habentes cauſam à Confitente, *Urceol. conſult. 39. num. 18.*, *Rot. deciſ. 145. num. 11. coram Emerix Iun.*, & paſſim. Verùm etiam in antiquo laudo prędicti anni 1600., in quo idem creditum canonizatum extitit ab Arbitro favore hæredum Annæ

5 Trottæ, contradicente Treviſano defenſore deputato ſuæ hęreditati ab Almerico fideicommittente, quod quidem laudum habet pro ſe omnem juſtitię pręſumptionem, attento præſertim, quod fuit ſolemniter acceptatum à dicto Curatore, auctorante quoque ta-

lem

lem actum Sereniſſima Ducilla Urbini Exe-
cutrice teſtamentaria cum Judicis interven-
6 tu,neque fuit huc uſque per ſpatium centum,
& ultrà annorum ab aliquo impugnatum, ad
notata in ſimilibus terminis penès *Conſtant.
ad Statut Urb. in deciſ.39. num.70., & ſeq.,
& in Bononien. Cauthelæ Angeli 10. Maii
1717. §. 14., & ſeq. coram R. P. D. meo
Criſpo.*
7 Parumque profuit excipere, quod prædi-
cta dos juxta Teſtatoris præceptum ſolvi de-
bebat ex Mobilibus, Pecuniis, Creditis, &
Animalibus, non verò ex Bonorum ſtabi-
lium alienatione, quodque juxta prædictum
laudum iniunctum reperiebatur hæredibus
Almerici, ut pro illius ſatisfactione aſſigna-
rent omnes fructus hæreditatis. Quippè
quia cum hodie agatur de alienatione jam
ſequuta contra tertium Poſſeſſorem ex one-
roſo titulo emptionis, neceſſe eſſet Actori
demonſtrare, quod tunc temporis verè exta-
rent tot mobilia, pecuniæ, & fructus, quibus
Creditoribus dotis ſatisfieri potuiſſet, alio-
quin deficiente illo in hujuſmodi probatio-
8 ne, præſumptio ſtat pro validitate, & firmi-
tate actus, ſignanter à centum, & ultrà annis
expleti, *Rot. deciſ.391. nu.4 coram Cerro,
deciſ.370. num.10., & 11. part. 17. recent.,
in Romana Immiſſionis 6. Martii 1705. §.
Nec refragari coram bo. me. Omaña, in
Romana Fideicommiſſi de Maximis ſuper
quarta ſubrogatione quoad Legata Fulviæ
2. Maii 1710. §. Fortius coram Emo Scot-
to, & in Eugubina Fideicommiſſi 15. Janua-
rii 1717. §. Quia cum coram Reverendiſſimo
D. meo Anſaldo Decano*, & in his terminis
Teſtatoris præceptum inutile remanet pro
arguendo fideicommiſſo in re ex cauſa re-
ſtitutionis dotis alienata.
Prout etiam inane eſt arbitrorum judi-
cium, cum illud non tangat dotis credito-
res, ſed tantummodò debitores, & ſic hære-
des gravatos, qui ad reſtitutionem dotis te-
9 nebantur, & contra quos ex cauſa damni,
quod fuit fideicommiſſo irrogatum ex bono-
rum ſtabilium alienatione, poſſent agere fi-
deicommiſſarii pro reintegratione, ſecus
autem eſt, dum agitur contra ipſos credito-
10 res, vel cauſam ab eis habentem, dum iſti
obſtringi non poterant, ut ſibi ſatisfacerent
ſuper fructibus, quando cæteroquin habe-
bant ſibi obligata Bona omnia defuncti viri,
per *Text. in l. ſi fundos §. Si res, & l. Pau-
lus §. Domus ff. de pignor., Rot. deciſ. 899.
num.2. coram Emerix Jun., & in Romana
Fideicommiſſi de Maximis ſuper partita ſcu-
torum 5150. 22. Aprilis 1709. §. Ejuſdem
coram Emo Scotto.*
11 Confirmabat demum hujus crediti ſubſi-
ſtentiam ea peculiaris animadverſio, quod
toties illud fuerat à Comite Giliolo Actore
admiſſum, & approbatum. Nontantum enim
poſt primum Judicatum Locumtenentis Fer-
rariæ, in quo decreta fuerat illius bonifica-
tio favore Margaritæ Fieſchæ, petiit ejuſ-
12 dem Judicati executionem, ſed etiam ſpe-
cifica declaratione in actis facta promptum
ſe exhibuit creditum dotale Annæ Trottæ
librarum 7868. bonificare, ut in *Summ.* Co-
13 mitum de Elephantutiis *Num.* 16., non
poteſt autem modo, poſtquam hujus Judicati
executionem ipſe curavit, in controverſiam
revocare ea, quæ in illo fuerant ſtabilita, ut
dictum fuit in *Romana Cambii 11. Aprilis
1707. §. At ſuperfluum coram Eminentiſſi-
mo D. Cardinali Scotto, & in Faventina
Erectionis Collegiatæ ſuper detractione 7.
Junii 1715. §. Conſiſtunt coram R. P. D.
14 meo Criſpo*, neque impugnare amplius cre-
ditum, quod in Judicio admiſit mediante ac-
ceptatione ſententiæ illud canonizantis *Rot.
deciſ.190. num. 12. poſt Conſtantin. ad Sta-
tut. Urb., & in Firmana annuæ Præſtationis
ſuper emolumento Salis 12. Decembris 1707.
§. Parumrelevante coram Eminentiſſimo
Scotto.*
Quo circa ſtabilita Prædii controverſi ex
15 emptione pro libris 7868., remanſiſſet fi-
deicommiſſo ſubiecta rata ſuperextans libra-
rum 7630., ſed adhuc ad hanc quoque ratam
plenariè ab omni vinculo liberandam con-
currebat, quod Emptor alia dimiſit debita
ex pretio, ad quæ Fideicommittens ipſe pa-
riter tenebatur, ideoque recurrebat, quod
Prædium libertatem ità acquiſivit, quodque
poteſt ſaltem illius Poſſeſſor pro hujuſmodi
16 creditis retentionem allegare adverſus fi-
deicommiſſarios, prout ultra allegat. firma-
vit *Rot. in Aven. Fideicommiſſi ſuper fru-
ctibus 19. Januarii 1705. §. Non attento co-
ram Emo D. Card. Scotto.*
Alterum autem ex his creditis conſiſtit in
dote Catherinæ Giliolæ de Lollis in ſumma
17 librarum 6060., cujus quidem creditum,
etſi directò deberetur à Galeatio Giliolo
dotis promiſſore, & ſic non ſpectaret ad fi-
deicommiſſum, tamen quia Galeatius erat
Creditor Almerici fideicommittentis in
ſumma librarum 8000., potuit Catherina
exercendo jura ſui debitoris ſatisfactionem
reportare ex Bonis ejuſdem fideicommiſſi
agendo contra debitorem ſui debitoris, ad
*Text. in leg. nomen, ibique gloſſ. verb. utilit.
18 Cod. quæ res pignor. oblig. poteſt, Rot. deciſ.
295. num.3. part.18., deciſ. 527. nu. 13. par.
19. recent., & in Romana Pecuniaria 23.
Januarii 1708. §. Nullatenus coram Emi-
nentiſſimo Scotto, & in alia 16. Decembris
1712. §. De credito cor. Eodem, & 14. Maii
1717. §. Juſtitiæ cor. R. P.D. meo Foſcaro.*
Galeatium vero creditorem eſſe fidei-
commiſſi in præfata ſumma plenè convinci-
tur ex confeſſione ipſius Almerici fideicom-
mittentis emiſſa in publico inſtrumento,
Summar. illorum de Elephantutiis *Num.* 1.
litt. B., quæ confeſſio, ſicut impugnari non
poſſet ab ipſo Almerico, ita neque in contro-
verſiam revocari valet à Fideicommiſſariis
cauſam ab eo habentibus, per *Text. in leg.
19 cum à Matre Cod. de rei vindicat.* Dum
præſertim idem creditum iterùm ſucceſſivè
narratur cum indicatione diei, menſis, &
anni

anni illius creationis, & ſcripturæ ſuper eo celebratę in inſtrumento alienationis ejuſdem Prædii ſecutę, ut ſupra diximus de anno 1600., itaùt etiam iſta antiquiſſima ultrà centum annos expoſitio, & enunciativa, etiamſi hodiè principale crediti inſtrumentum non exhibeatur, ſit procul dubio attendenda, *Rot. deciſ.* 117. *num.* 3., & 4. *co-*
20 *ram Card. Cerro*, non enim fidem præbuiſſent in præfata alienatione eidem enunciativæ Treviſanus Tutor, de quo fideicommittens admodum confidere profeſſus fuit, neque auctoritatem ſuam interpoſuiſſent in eodem actu Sereniſſima Ducilla Urbini Executrix Teſtamentaria, ac Nicolaus, & Scipio de Giliolis Succeſſores fideicommiſſarii, neque ſuo decreto Judex contractum approballèt, niſi, his omnibus pro fideicommiſſi indemnitate intereſſentibus, conſtitiſſet Crediti enunciati realitas, & ſubſiſtentia, *Rota dicta deciſ.* 117. *num.* 3., & 10. *coram Cerro*, cum aliis in *Eugubina Fideicommiſſi* 15. *Ianuarii* 1717. §. *Semperque*, & §. *Et eo fortius coram Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano.*

21 Reſultat denique alterum creditum ejuſdem qualitatis, & ſubſiſtentiæ ex ſolutione per emptorem facta librarum 1484. Exactoribus Venetis pro expenſis inciſionis Fluminis Padi, & Gabella nuncupata *del Campa-*
22 *tico* Bonorum fideicommiſſariorum, & fundamentum probationis hujus ſolutionis innititur publicis inſtrumentis relatis in *Summ.* Comitum de Elephantutiis *num.* 5., & *num.* 11., quibus utique plena fides præſtanda eſt ex vulgaribus regulis.

Non attenta exceptione, quod tale debitum dimitti non poſſet ex ſubſtantia fideicommiſſi, ſed erogandi in illud eſſent fructus Bonorum fideicommiſſariorum dumtaxat.

23 Etenim Campatica, ſeu Collecta à Principe Supremo impoſitæ, ita bona ipſa afficiunt, ut poſſint pro illis eademmet bona alienari, non obſtante quovis nexu fideicommiſſi, ut ex *Text. in l. Imperatores ff. de public.*, & *vectigal.*, firmant *Bald. conſ.* 20. *ſub num.* 1. *lib.* 2., & cum aliis *Rota in Aven. fideicommiſſi ſuper fructibus* 19. *Ianuar.* 1705. §. *Admittendam coram Eminentiſſimo D. Card.*
24 *Scotto*. Expenſæ verò inciſionis Padi, tamquam reſpicientes perpetuam fundorum utilitatem, & conſervationem fieri pariter poterant ex ſubſtantia ipſa fideicommiſſi, & ſic ex pretio Bonorum eidem ſubiectorum, argumento *Text. in l. impenſæ* 14. *ff. de impenſ. in reb. dotat.*, *Peregrin. de fideic. art.* 40. *nu.* 16., *Petr. eodem tract. quæſt.* 15. *num.* 248. 252., & *ſeq.*, *Mangil. de imputat. quæſt.*
25 136. *num.* 23.. Et ſine difficultate hæc omnia procedunt, dum prædictę expenſæ, & impoſitiones extraordinariæ conſiſtebant in conſiderabili quantitate, & pro iis, ut reſultat ex dicto inſtrumento *Summar. num.* 5., impares erant fructus hæreditarii, quo caſu Bona ipſa alienari poſſe punctualiter advertunt *Bertazol. conſ. civil.* 107. *nu.* 73., *Menoch. de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 32. *nu.* 4. *Mangil. de imputat. quæſt.* 136. *num.* 20., & 21., & *Peregrin. de fideic. art.* 50. *num.* 13. *verſ. mihi.*

Minuſque relevante, quod dictæ libræ 1484. ſolutæ Exactoribus Venetis pro Campaticis, non omnes deberentur ratione Bonorum fideicommiſſariorum, cum in eodem loco adeſſent alia Bona pari onere gravata ſpectantia ad hæreditatem Galeatii, ut conſtat ex eodem inſtrumento, de quo dicto *Summar. num.* 5., redit namque in hujus obiecti ſolutionem animadverſio, de qua
26 ſuperiori §. *Alterum autem*, quod & ſi pro aliqua parte debitor fuiſſet Galeatius, adhuc contra fideicommiſſum pro ejus debito agi potuit, quia idem Galeatius creditor erat fideicommittentis, conſiſtebatque ejus creditum in libris 8000., de quibus cum fuiſſent ſolutę libræ 6060. Catharinę Lolliæ, re-
27 manebant adhuc ad creditum prædicti Galeatii libræ 1940., ſuper quibus licitum erat Exactoribus Venetis curare eorum ſatisfactionem agendo contra debitorem ſui debitoris.

28 Nec meruit attendi replicatio, quod Galeatii creditum adverſus Almericum confuſum remanſerit ex eo, quod idem Galeatius ſui debitoris hæreditatem adiverit nullo confecto inventario. Siquidem certum eſt in facto Almericum non libere diſpoſuiſſe de ſuis Bonis favore Galeatii, ſed relicta hęrede uſufructuaria ſepedicta Anna Trotta Uxore, dediſſe huic facultatem diſtrahendi, prout factum fuit, mobilia hæreditaria in partem reſtitutionis ejus dotis, itaut in iſtorum adminiſtratione ſe nunquam Galeatius
29 hæres ingeſſerit. Reſpectu verò ſtabilium ęque conſtans eſt, quod Teſtator illa deſcripſit in calce ſui Teſtamenti, & hęc deſcriptio ſupplet procul dubio defectum Inventarii, juxta latè tradita per *Rot. in deciſ.* 595. *nu.* 2. *cum ſeq. part.* 19. *recent.*, *in Ariminen. ſeù Anconit. fideicommiſſi* 18. *Iunii* 1610. §. *Sed adhuc coram bon. mem. Kaunitz*, & *in Pręneſtina fideicommiſſi ſuper detractionibus* 5. *Martii* 1714. §. *Eoque potiſſimum cor. Me.*

Abſque eo quod evitari poſſet præmiſſorum efficacia ſub fundamento, quod pretium controverſi prædii fuerit læſivè ſolutum in ſola quantitate librarum 15498. juxtà æſtimationem factam à tertio Perito Spagnoletto nuncupato, quando in præcedenti inſtrumento conceſſionis ad uſum anno 1590. celebrato inter fideicommittentem, & ipſum Ludovicum Fieſchium emptorem, fuerat ſtabilitum, quod liceret iſti Prædium affrancare, & liberare mediante ſolutione librarum 2400. correſpondentium ſcutis 6000.. Aliis
30 namque omiſſis reſponſionibus, illa placuit Dominis, quod ſubſecutus emptionis contractus, factus fuit à Ludovico non in ſequelam pacti, & facultatis affrancandi in conceſſione ad uſum concordatæ, ſed ex integro, novis appoſitis conventionibus, & partim acquirendo

r[illegible]ndo à creditoribus, quibus Prædium jam fuerat datum in ſolutum, & partim acquirendo ab ipſis fideicommiſſariis cum pacto, quod pretium determinandum eſſet à duobus Peritis, eiſque diſcordantibus, ſtandum eſſet tertio; Ideoque attendi non poteſt in regulanda hujuſmodi emptione pretium, quod erat ſolvendum in caſu affrancationis, quæ non habuit effectum, ſed illud, quod juxtà novam conventionem taxatum fuit à Tertio Perito poſt aliorum diſcordiam de conſenſu Partium electo, qui propterea juſtum prædii valorem plenè probat *Rot. coram Emerix Iun. deciſ. 586. num. 4., & in Peruſina Cautbelæ Angeli* 1. *Iunii* 1703. §. *Nec ſubſiſtit coram Eñio D. Cardinali Scotto.*

31 Quod ſi tertius iſte Peritus longè minori pretio Prædium æſtimavit, quàm in caſu affrancationis fuerat à partibus concordatum; non indè tamen redargui valet de injuſtitia illius relatio, quia cum à die conceſſionis ad uſum ad tempus dationis in ſolutum, ſeu emptionis decurriſſet decennium, potuit hoc intermedio tempore pretium variari, prout contigiſſe præſumitur *ad Text. in l. pretia rerum ff. ad l. Falcid*, *Rot. deciſ.* 16. *num* 14. *parte* 19. *recent.*, cum aliis *in Ariminen. legitimæ* 8. *Iunii* 1714. §. *Neque, &* §. *Abſque eo quod coram Me*, & in *Eugubina Fideicommiſſi* 15. *Ianuarii* 1717 §. *Neque etiam cor. R.mo D. meo Anſaldo Decano.*

32 Eoque minus ullam haberi poſſe rationem Domini putarunt de hujuſmodi valoris augumento, quippè quia jam hodiè alii centum, & ultrà anni præterlapſi ſunt, itaut redditum ſit impoſſibile verificare, prout opus eſſet hic, & nunc certum valorem de præciſo tempore alienationis ad oſtendendam injuſtitiam dictæ æſtimationis, *Rot. deciſ.* 160. *num* 9. *poſt Conſtantin, ad Statut. Vrb.*, cum aliis in *Alatrina reintegrationis* 4. *Iunii* 1709. §. *Prout etiam coram Eminentiſſimo*
33 *D. Cardinali Scotto*, & propoſita aliàs uſque de anno 1620. hujuſmodi controverſia in Tribunalibus Venetis, deventum fuit ad tranſactionem, in qua Sebaſtianus Fieſchius filius Ludovici emptoris ſolvit fideicommiſ-
34 ſariis alias libras 4000., cui quidem tranſactioni bona fide, & ad lites dirimendas initæ, nedum tranſigentes, ſed & alii in fideicommiſſo ſucceſſores, tametſi ex propria perſona venientes ſtare tenentur, *Rot. deciſ.* 418. *num.* 7. *coram Emerix Iun. deciſ.* 186. *num.* 1. *parte* 17. *recent.*, *in Romana fideicommiſſi de Maximis ſuper primis quatuor ſubrogationibus* 18. *Iunii* 1708. §. *Progrediendo coram Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto*, & plenè in *Romana Immiſſionis* 12. *Ianuarii* 1714. §. *Conſtabilita cor. Me.*

Poſthabita replicatione, quod ex iſta tranſactione nullam utilitatem receperint fideicommiſſarii, quia dictæ libræ 4000. non fue-
35 runt pro fideicommiſſo inveſtitæ. Quandoquidem cum lis eſſet ſuper eo, quod Ludovicus Fieſchius non potuerit minori pretio librarum 24. mil. ſibi Prædium appropriare ad formam inſtrumenti conceſſionis ad uſum, & in illo inſtrumento nullum eſſet injunctum pactum inveſtiendi, potuit Sebaſtianus tranſigens liberè ſolvere ſummam concordatam in manibus gravatorum, dum preciſivè à pacto debitor non tenetur eſſe ſollicitus de inveſtimento, neque de verſione in utilitatem fideicommiſſi, *leg. ante reſtitutam*, ibique *Bart. ff. de ſolut. l. ita tamen* §. *Qui ex Trebelliano ff. ad Trebell.*, *Card. de Luc. de credit. diſc.* 59. *num.* 7., *Rota coram Bich. deciſ.* 670. *num.* 1., *& in Romana Manutentionis* 1. *Februarii* 1707. §. *Siquidem cor. bo. mem. Caffarello.*

Tollitque penitus omnem in hac re difficultatem animadverſio, quod rurſus promota queſtione in iiſdem Tribunalibus Venetis circa validitatem tàm præcedentium contractuum emptionis, quàm iſtius poſtremæ tran-
36 ſactionis, binæ ſupervenerunt ſententiæ de annis 1638., & 1639. favore illorum de Fieſchis, quæ tranſitum fecerunt in rem judicatam, ideoque nequit iterum Comes Giliolus unum, vel alterum ex his actibus refricare, & eaſdem exceptiones reproponere, quando contra illas concurrit talis res judicata faciens de albo nigrum, & quæ non obtenta reſtitutione in integrum nequaquam eſt impugnabilis, juxta deducta *deciſ.* 17. *num.* 10. *coram Vbag. deciſ.* 17. *num.* 1., *& ſeq. coram Benincaſa*, *& in Camerinen.*, *ſeu Maceraten. Cenſus* 26. *Februarii* 1717. §. *Ac ſublata cor. R.P.D. meo Cerro.*

Subſiſtente itaque valore Prædii, ad quod
37 agit Giliolus in lib. 15498., ac firmis manentibus creditis ex illius pretio dimiſſis per emptorem, certum remanet, quod illud fideicommiſſi vinculo exemptum fuit, & conſequens eſt, quod Judices antecedentium inſtantiarum, quatenùs pro aliqua ſumma pronunciarunt favore dictorum de Elephantu-
38 tiis, juſtè proceſſerunt, & proindè in hac parte *Conſtat de re judicata*, quæ ratione numeri ſententiarum, omiſſæ appellationis, & earum juſtitiæ, ac validitatis inducta fuit *ad Text. in Clement.* 1 *ibique gloſſ. verb. alicujus de ſent., & re judicat.*, cum aliis juribus in *Bononien. Proxenetici* 14. *Ianuarii* 1715. §. *Donec coram R.P.D. meo Cerro, & in Meſſana Bonorum* 18. *Iunii* 1717. §. *A quo coram me*. Quatenus verò pro reſiduali parte Immiſſionem conceſſerunt vigore fideicommiſſi Comiti Giliolo, *Conſtat è contrario de cbuſu reſtitutionis in integrum*,
39 quia ex injuſtitia ipſarum ſententiarum promanat læſio, cujus ratione ſemper illa concedi debet ad *Text. in cap.* 1. *de reſtit. in integr.*, & conſimilia jura plenè allegat. *in Romana Immiſſionis* 15. *Aprilis* 1712. §. *cum enim coram Me*, & paſſim alibi.

Iſte igitur fuit modus, quem, & rei judicatæ, & reſtitutioni in integrum à Partibus hinc indè controverſæ Domini addiderunt, & ſecundum quem conſentanee reſponderunt *non eſſe dandam immiſſionem*, quia Co-
40 mes Giliolus agit vigore fideicommiſſi ad præ-

Prædium, quod ut ſuprà probatum fuit, illius vinculo mediante dimiſſione Creditorum Teſtatoris totaliter exemptum eſt, *Rot. dec.* 225. *num.* 10., *&* 11. *coram Sa. mem. Alex. VIII. deciſ.* 243. *num.* 2., *& dec.* 823. *num.* 4. *cor. Emerix Iun.*

Et ita utraque &c.

PERUSINA CAPPELLANIÆ

Veneris 11. *Martii* 1718.

ARGUMENTUM.

Extraneus de Cappellania proviſus à Fundatoris conſanguineo, poteſt ejici, quando talis ejectio eſſet de mente iſtius in caſu ſupervenientiæ ejuſdem conſanguinei.

Nomen -- *familia*, *&* *domus* -- etiam ad familiam contentivam extenditur, & in materia beneficiali, ad extranei excluſionem, ad illos etiam progreditur conſanguineos, qui reſpectu teſtatoris, in remotiſſimo gradu verſarentur.

SUMMARIUM.

1 *Cappellania adiudicanda eſt illi, qui omnibus à teſtatore volitis requiſitis gaudet, &, ac ſi fuiſſet nominatus à fundatore, reputatur.*

2 *Voluntas aſcendendi ad Sacros Ordines, & paupertas ſic volentis ex quibus probetur.*

3 *Conditio, & facultas unius familię probatur ex duobus teſtibus de eodem loco repetitis.*

4 *Deſcendentia ex una familia probatur ex cognomine, quo quis talem prętendens originem, ejuſque anteceſſores uſi eſſent.*

5 *Amplia, quando iſtius linea fuiſſet ad beneficium admiſſa, ad quod fundator ſuos deſcendentes invitaſſet.*

6 *Familia contentiva, ſive proxima, ſive remota in tota ſua latitudine venit ſub nomine* -- familiæ, & domus.

7 *Amplia in materia juriſpatronatus paſſivi, quę tamquam favorabilis, latiſſimam recipit interpretationem pro compræhenſione conſanguineorum etiam in gradu remotiſſimo.*

8 *Subamplia ad excluſionem penitus extranei.*

9 *Proviſus de Cappellania poteſt ejci à conſanguineo fundatoris, ſi eſſet extraneus, & hæc mens teſtatoris fuiſſet.*

10 *Deſiderium, & velleitas teſtatoris in ultimis voluntatibus pro expreſſa voluntate conſideratur.*

DECISIO MLII.

Cupiens Franciſcus unus ex decem filiis Joannis Baptiſtæ de Amatuccis ad Sacros Ordines aſcendere, nec beneficium aliquod, aut Patrimonium habens, ad cujus titulum ritè promoveri poſſet, interpellavit in Caria Epiſcopali Perusina Officiales Hoſpitalis Caſtri Rigonis, ut ipſum nominarent ad Cappellaniam in Eccleſia dicti Hoſpitalis erectam anno 1634. ex bonis pii Viri Herculani de Amatuccis, remoto exindè Sacerdote à ſanguine fundatoris extraneo, qui in ejuſdem Cappellaniæ poſſeſſione reperiebatur ad nutum dictorum Officialium amovibilis, ſed, iſtis renuentibus, res in judicium delata fuit, obtentiſque per Franciſcum primo in Partibus à Vicario Generali, deindè in Curia ab A. C. de Gentilibus, duabus favorabilibus ſententiis, commiſſa tandem mihi fuit in tertia inſtantia ulterior cauſæ cognitio: Undè hodiè propoſui dubium - *An Franciſco ſit adjudicamda Cappellania, cui DD. pro eodem Franciſco informante* affirmativè reſponderunt.

Perlecto enim teſtamento, quo memoratus Herculanus Religionem Eremitarum ingreſſurus erigi mandavit ex ejus bonis controverſam Cappellaniam, ſtatim conſtitit ipſum ea mente fuiſſe, ut quotieſcumque aliquis ex ejus nepotibus ex fratribus, aut ſororibus conſobrinis, aut his deficientibus aliquis ex filiis illorum domus ſuæ de Amatuccis Eccleſiaſticæ Militiæ addici vellet, & ob rei familiaris anguſtiam patrimonium ſibi ad id neceſſarium conſtituere nequiret, tunc à dictis Officialibus ad Cappellaniam ab ipſo fundatam admittendus eſſet, in eaque manutenendus, quouſque aliunde provideretur; undè cum in Franciſco omnia prędicta requiſita cumulatè concurrant, nulla juris, aut æquitatis ratio patiebatur, ut à conſecutione controverſæ Cappellanię diutiùs arceretur, cum perinde haberi debeat, ac ſi ab ipſo fundatore nominatim electus, atque admiſſus fuiſſet, *Vivian. de jurepatr. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *nu.* 4., *Ro. in Barchinonen. Beneficii* 2. *Decembris* 1701. §. *Beneficium cor. clar. mem. Card. Caprara*, *& in Neapolitana juriſpatr.* 1. *Februarii* 1717. §. *Clara etenim cor. R.P.D. meo Criſpo.*

2 Ac ſanè de propoſito ejuſdem Franciſci aſcendendi ad ſacros Ordines, ac impotentia ſibi conſtituendi neceſſarium patrimonium nulla omnino poterat eſſe controverſia, cum de primo ſatis conſtet ex interpellatione facta Officialibus, & longa hujus litis ſubſtentatione. Secunda verò abunde

3 probetur ex uniformi, depoſitione duorum teſtium ſub formali examine repetitorum, quibus tanquam eodem loco natis, ac certam notitiam habentibus de numero, ſtatu, ac facultatibus familiæ, omnino deferendum eſt, *Rot. dec.* 110. *n.* 7. *cor. Arguel.*, *& dec.* 526. *n.* 3. *cor. Emer.*, *& dec.* 257. *ſub num.* 10. *p.* 12. *rec.*, & ſæpe alibi.

4 Quod autem ipſe ſit filius illorum Domus Amatucciæ à fundatore vocatæ, neque pariter in dubium venire poſſe videbatur, tum quia tam ipſe, quàm ejus progenitores ſemper, & in omnibus actibus eodem cognomine uſi fuerunt, ut concludunt Parochus loci, aliuſque teſtis Sacerdos, & evincunt quamplura antiquiſſima documenta

5 ad hunc effectum exhibita: tum & certius quia primus in Cappellanum ab Officialibus ele-

electus fuit Petrus Philippus de Amatuccis frater Patruelis Antonii Avi Paterni ipſius Franciſci, undè cum ejus linea ſemel admiſſa, & approbata fuerit, non poteſt hodie amplius reprobari, ut in terminis aliàs dixit *Rot. dec.213. ſub n.22. p.9.*, *& in Romana, ſeu Parmen. Juriſpatronatus 17. Februarii 1702. §. fin. cor. Rmo Molines*, *& in Sutrina Canonicatus 21. Junii 1706. §. Præter quam quod cor. Emo Priolo*, cum
6 præſertim vocatis, ut hic, à Teſtatore, qui nullam habebat prolem, filiis illorum domus ſuæ de Amatuccis, nemo ſit, qui neget venire omnes de familia contentiva, ſive proxima, ſive remota in tota ſui latitudine ſumpta, *Rot. dicta dec.213. num.17. & ſeqq. part.9.*, *& in Militen. patrimonii 17. Martii 1702. §. Quod autem cor. Eminentiſſimo Scotto*, *& in Aſculana electionis puellarum 7. Junii 1715. §. Abſque eo quod cor. Reverendiſſimo D. meo Anſaldo De-*
7 *cano*, maximè in ſubjecta materia Juriſpatronatus paſſivi, quæ tanquam favorabilis latiſſimam recipit interpretationem pro comprehenſione conſanguineorum quocumque etiam remotiſſimo gradu Fundatori
8 conjunctorum, quando cum iis non concurrunt niſi alii penitus extranei, ut articulo ad partes diſcuſſo reſpondit *Rot. in Peruſina ſubſidii dotalis 2. Maii 1704. §. Concurrere*, *& ſeqq. cor. Emo Scotto.*

Abſque eo quod opponi valeat, quod non agatur de Cappellania vacante, ſed plena, ac jam diu poſſeſſa ab alio Sacerdote extraneo longè ante interpellationem Franciſci in Cappellanum ab Officialibus electo, quodque illi non teneantur præcisè eligere conſanguineum, cum Teſtator uſus fuerit verbis illis -- *Il medeſimo ſi poſſa fare per li figli di quelli di caſa ſua degl' Amatucci*, quæ arbitrium, & facultatem, non etiam neceſſitatem, & obligationem inducere vi-
9 dentur; quod enim attinet ad primam objecti partem, plana eſt reſponſio, quod cum dicta Cappellania ſit reſpectu extraneorum quandocumque amovibilis, ut ad litteram reſultat ex integro contextu dicti Teſtamenti, & ex quo Cappellaniæ nulla certa dos aſſignata fuit, minuſque Cappellanus auctoritate Ordinarii inſtitutus, nihil impedit, quin ſuperveniens conſanguineus remoto extraneo admittatur in adimplementum voluntatis ipſius Fundatoris, ut omiſſis generalibus, in puncto reſpondit *Rot. articulo formiter diſcuſſo dec.385. per tot p.17. recent.*

Quo verò ad alteram, ceſſat omnis difficultas, quia quidquid ſit in contractibus, in
10 ultimis utique voluntatibus quibuſcumque verbis Teſtator deſiderium ſuum indicaverit, fidem hæredis obſtringit, ac neceſſitatem inducit *l. placet 4.*, *& ibi gloſſ. in verb. poſſe ff. de lib.*, *& poſt l. etiam leg.*, *& eo modo l. ſi ſit legatum ff. de legat. 1.*, cum aliis concordantibus, de quibus latè *Rota in Romana Fabricæ 13. Januarii 1702. §. Vimque cor. Rmo Anſaldo Decano*, *& in Romana fideicommiſſi de Vareſiis 18. Junii 1703. §. Talis aſſertio*, *& ſeqq. coram Rmo Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Et ita Franciſco tantum informante; Hoſpitali verò pluries monito, & intimato, & ad dilationem obtinendam nullam juſtam cauſam afferente reſponſum fuit.

PERUSINA PECUNIARIA.

Veneris 11. Martii 1718.

ARGUMENTUM.

Defectus citationis in ſecunda inſtantia adverſus communem debitorem primo judicato acquieſcente judicium non efficit nullum, quando creditor anterior Actor, Concreditores cauſam proſequi curantes corã Judice ad quem laceſſiſset.

Creditor in actione perſonali contra debitorem ſui debitoris agendo, operatione legis illum in omnibus repræſentat.

SUMMARIUM.

1 *Mandatum juſtum, & validum, eſt omninò exequendum.*

2 *Citatio adverſus communem debitorem neceſſaria non eſt in ſecunda inſtantia, quando ille non appellaſſet, ſed ſatis eſt, quod cauſa proſequatur citatis Concreditoribus qui appellationem reportando, cauſam ulterius proſequi voluiſſent.*

3 *Creditor agens contra debitorem ſui debitoris, neceſſe babet prius docere de ſuo credito claro adverſus iſtum, & poſtea de credito ejuſdem adverſus illum.*

4 *Inſtrumentum publicum facit probationem probatam.*

5 *Creditor in actione perſonali cõtra debitorem ſui debitoris agendo, iſtius figuram aſſumit, & tanquam Procurator à lege conſtitutus, omnia ejuſdem jura adverſus illum exercere poteſt.*

DECISIO MLIII.

POST editam deciſionem diei 25. Iunii ſuperioris anni 1717. Creditores Comitis Bigazzini, qui tunc non comparuerant, novam audientiam expoſtularunt, & non ſolum ratione laudabilis conſuetudinis, ſed attentis etiam aliquibus exceptionibus, quæ adverſus captam reſolutionem deducebantur, annuerunt DD. eorum petitioni. Ipſi verò iterum Contumaces effecti, licet pluries moniti, diuque à Me fuerint expectati, adhuc & hodie eorum jura deducere neglexerunt, quocirca propoſito congruo dubio, reſponſum prodiit -- *In deciſis.*

Mandatum quippe ab A. C. relaxatum
1 favore Antonii, & aliorum de Righettis adverſus præfati Comitis Patrimonium jam exiſtens ſub concurſu in Congregatione Baronum, æque validum, ac juſtum dignoſcebatur, ideoque optimo jure illius executio decernebatur. Abſque

Abſque eo quod circa validitatem pro-
2 fuiſset opponere, quod modo in demandanda hujuſmodi executione citari debuiſset etiam hæres ejuſdem Comitis Bigazzini, nec ſatis ſit citare ſolum ejus Creditores; præmiſſo namque quod hujuſmodi nullitas non reſpicit mandatum A. C., ſed proceſſum hodiernæ illius executionis, & aliis etiam omiſſis reſponſionibus, dicebant DD. non eſſe in præſenti Judicio neceſſariam Perſonam d. hæredis, dum ex parte illius non fuit à mandato A. C. ullatenus appellatum, ſed ipſius Creditores dumtaxat fuerunt illi, qui ad excludenda Jura anteriora illorum de Righettis adierunt Signaturam Juſtitiæ, & reportarunt mihi committi reviſionem Judicati A.C. cum clauſula S. Q. E.; unde cum de facto contra iſtos petitio Actorum dirigatur, & ipſi tantum appellatione interpoſita ſeſe reos effecerint, ſatis utique eſt ipſis pro Judicii validitate nunc citare, poſthabito quocumque alio intereſſe habente, ſed non appellante, ut præter alios *allegat. in §. finali deciſionis, quæ revidetur firmavit Rota in Romana Pecuniaria 6. Decembris 1715. §. Præbuit cor. R. P. D. meo Aliban.*

3 Minuſque juvit quoad Juſtitiam excipere, quod agentibus Righettis contra Comitem Biganzinum tanquam debitorem Comitis Salvatorii eorum debitoris, opus habent illi ad fundandam eorum actionem oſtendere clarum creditum ipſis competens adverſus Comitem Salvatorium, & deinde æquè clarum creditum competens eidem Salvatorio adverſus Biganzinum, & tamen defecerunt huc uſque in probando ſuo Credito. Quandoquidem certiſſima approbatio talis crediti, reſultare viſa fuit ex quatuor publicis Inſtru-
4 mentis Cambiorum, & affictus alias producctis coram A. C., citatis iiſdem Creditoribus hodiè opponentibus, & exhibitis nunc iterum *in Summ. nu. 2.*, quorum vigore jam alias Salvatorius fuerat quoque in partibus condemnatus ad reſtitutionem Capitalium, & ſolutionem fructuum; quanta autem ſit efficacia publicorum Inſtrumentorum in Judicio ad conſtituendam pleniſſimam probationem, monent *Text. in l. Cum præcibus C. de probat., & in cap. olim de verbor. ſignific.*

His autem ſublatis exceptionibus, plana remanet via executioni ſæpedicti mandati,
5 quia cæteroquin, ſicut Comes Salvatorius agere valuiſſet contra Comitem Biganzinum ratione promiſsæ evictionis Cenſuum ſpectantium ex Juribus Proſerpinæ de Monteſperellis ad eumdem Salvatorium, ita etiam agere valent Righetti Creditores Salvatorii, dum in actione perſonali contra debitorem debitoris aſſumunt figuram ipſius ſui debitoris, & tanquam illius Procuratores a lege conſtituti, omnia ejus jura, & actiones valent exercere, ut cum aliis in præcedenti mea deciſione allegatis §. *Neque dubium, firmat punctualiter Rota in Romana Pecuniaria 6. Decembris 1712. §. Eoque coram Emo D. Card. Scotto.*

Satis in reliquis ſubſiſtere DD. putarunt fundamenta ejuſdem meæ præcedentis deciſionis, ideoque ad evitandam inutilem repetitionem ſeſe ad illam remiſſivè habuerunt.

Et ita unica tantum &c.

PERUSINA IMMISSIONIS.

Veneris 18. Martii 1718.

ARGUMENTUM.

Extinctio cenſus non infertur per hoc, quod Frater debitoris ipſi creditori quædam bona ſub hac conditione locaſſet, ſcilicet, quod ſi moroſus fuiſſet in ſolvendo affictu intelligeretur, ut ad ratam debiti, ejuſdem cenſus rata pro extincta habenda foret, quando revera de tali mora in ſolvendis eiſdem penſionibus à debitore cenſus non edoceretur.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio, verificatis extremis, ſemper conceditur.*
2 *Mora circa aliquam ſolutionem à tertio faciendam inter creditorem, & debitorem cenſus poſita in conditione, iſta non verificata, nullum parit effectum.*
3 *Obligatio conditionalis, non verificata conditione, evaneſcit.*
4 *Solutio ſemper cedere debet in cauſam expreſſam, & non refertur ad aliam, quæ ratione ſummæ ab expreſſa diſtingueretur.*
5 *Debitor in dubio ſemper præſumitur ſe exonerare voluiſſe eo debito, quod gravioribus uſuris præmeretur.*
6 *Cedens poſt factam ceſſionem, nil agere, nec declarare poteſt in ceſſionarii præjudicium.*
7 *Contractus à voluntate, & poteſtate contrahentium declaratur.*
8 *Solutio poſt lapſum longiſſimi temporis, ex acquieſcentia, & taciturnitate creditoris effectuata præſumitur, maxime ſi aliàs debitor graviſſimo affici potuiſſet præjudicio.*
9 *Exceptio legitimationis perſonæ in tertia inſtanti a oppoſita, uti nimis ſerotina, rejicitur.*
10 *Legitimatio perſonæ quomodo concludenter probata remaneat.*
11 *Filius in agibilibus Matris præſumitur hæres, nec de qualitate hæreditaria docere tenetur, præſertim ſi talis fuiſſet à legittimo contradictore recognitus.*

DECISIO MLIV.

Sententiam Rotalem latam à R. P. D. meo Criſpo prævia de more ejus deciſione diei 20. Martii 1713. per quam conceſſa fuit immiſſio ex interdicto utilis Salviani Balthaxari de Veglis in poſſeſſionem prædii *di Monte Galba* ad effectum ſibi ſatisfaciendi de fructibus antiqui cenſus, uſque ab anno 1595. à Camillo de Cornea impoſiti favore Angeli Scarlatti illius Auctoris ſub ſolidali obligatione Bon-

Boncambii de Boncambiis, confirmandam DD. reſponderunt ſub die 18. Junii elapſi anni coram Me, nec diverſus fuit eorum ſenſus in hodierna Audientia, quippe quia ſedulo rimatis tam priſcis, quàm novis exceptionibus deductis à Junipera tertia poſſeditrice d. Prædii, adhuc reſcripſerunt *Standum eſſe in deciſis*.

Conſtitit namque de omnibus extremis in
1 præſenti judicio requiſitis, quibus concurrentibus denegari non poteſt immiſſio, ad *text. in l. 1. ibique Gloſſ. C. de Precar., & Salvian. interdict. cum aliis in Fanèn. Salvian. 19. Januarii 1715. §. Poſſeſſio coram R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore, & in Romana Salviani 19. Aprilis 1717. §. ſuppoſitis cor. Me.*

Et quidem de antiqua poſſeſſione Boncambli fidejuſſoris, ac de moderna prædictæ Juniperę de Balleonibus Reæ conventæ nulla erat inter Partes diſſenſio, totaque difficultas reſtringebatur ad creditum, de quo licet favore memorati Angeli Scarlatti perſpicuè conſtaret ex publico inſtrumento impoſitionis cenſus, opponebatur tamem ex pluribus conjecturis dubitari poſſe ſecutam jamdiu fuiſſe ejus extinctionem. Sed DD. neglecta penitus illa, quæ ex longiſſimi temporis lapſu centum, & ultra annorum deſumebatur, tanquam plenè ſolideque rejecta tum in deciſione præcedentis inſtantiæ 20. Martii 1813. §. *Neque immiſſio cor. R.P.D. meo Criſpo*, tum in alia, quæ confirmatur §. *Neque ullo modo, & ſeqq. cor. Me*. Quod attinet ad alias hodie de novo cumulatas, animadverterunt, nullam extinctionis conjecturam ex eo deduci poſſe, quod Aſcanius à Cornea ſupradicti Camilli Frater eidem Angelo Scarlatto principali Creditori cenſus non nulla bona ad quadriennium locando pro annua penſione ſcut. 700. cum eo expreſſè convene-
2 rit, quod quatenus fuiſſet in mora ſolvendi ſtatuto tempore terminos ejuſdem Penſionis intelligeretur ſtatim pro tali rata in ſe ſuſcepiſſe debitum cenſuum, quibus idem Aſcanius gravabatur.

Quamvis enim controverti non poſſet, quod etiam cenſus, de quo nunc agitur paſſive ſpectaret ad ipſum Aſcanium propter recognitionem Bonæ fidei factam favore Camilli ejus fratris eadem die, qua cenſus ab illo impoſitus fuit (ut plene conſtitit ex publico Inſtrumento recepto per Agabitum Nerutium tunc Notarium Peruſinum, cujus ſumptum legale, & authenticum oculis Dominorum in Aula ſuppoſui) Vis tamen, &
3 efficacia objecti duplici elidebatur reſponſione, altera nimirum quod non conſtabat in facto de mora Angeli in ſolvendis terminis Penſionis, ut ſupra conventæ; unde deficiebat conditio, ſub qua ſtipulatus fuerat ſubingreſſus ejuſmodi in Jura paſſiva cenſuum Aſcanii, nec factus dici poterat locus tali ſtipulationi, ad *text. in l. cum ita legatum, & l. qui hæredi §. final. ff. de condit., & demonſtrat., & generalibus omiſſis, Rota dec. 217. n. 6. p. 10., & dec. 34. nu. 35., & ſeqq. p. 17. rec.*

Altera vero, quod ſubingreſſus iſte in ca-
4 ſu moræ nominatim, atque expreſſè conventus deprehendebatur ex eodem Inſtrumento affictus, & locationis reſpectu illorum cenſuum, quibus Aſcanius gravabatur ad rationem ſcut. octo pro quolibet centenario, & anno, proptereaque referri nequibat ad cenſum controverſum impoſitum pro minori quantitate, ad rationem ſcilicet ſcutorum ſeptem, cum ſicuti vera ſolutio, ita quoque compenſatio, quæ tali pacto inerat, cedere ſemper debeat in cauſam expreſſam, *l. 1., & l. creditor 102. §. cum de ſorte ff. de ſolut., Rot. dec. 262. n. 4. cor. Bich. dec. 36. nu. 3. cor. Zarat., & dec. 424. n. 4. p. 19. rec., & dec. 63. n. 35. cor. Rev. D. meo Anſaldo Decano.*

Nec ſanè mirum videri poteſt, quod contrahentes de aliis quidem Cenſibus in prædicto actu cogitaverint, non etiam de iſto.
5 Nam ſi reſpicimus Perſonam Aſcanii, ejus profecto longè magis intererat ſe eo caſu exonerare illis debitis, quorum uſuræ graviores erant, ad *text. in l. 3. & ſeq. & l. cum ex pluribus ff. de ſolut.*, ſi vero ad Angelum ſermo convertatur, & cum ille antequam
6 dicta bona conduceret, videlicet de anno 1598. jam cenſum controverſum titulo oneroſo dationis in ſolutum tranſtuliſſet in Hieronymum, & Carolum de Schiattis, à quibus Actor mediatam Cauſam habet, utique nequibat amplius, ſalva bona fide, ejuſdem Cenſus compenſationem cum debitore paciſci, aut quovis alio modo deteriorem facere eorum conditionem quorum favore ex dicta datione in ſolutum nomen iſtud debitoris jam ceſſerat, *Surd. conſ. 22. num. 29. Rot. dec. 362. num. 5. cor. Cavaler. deciſ. 206. num. 1., & ſeqq. part. 15., & dec. 455. nu. 8. par. 18. rec.*

Ex his autem certiſſimis facti circumſtantiis, illa quoque profluit tutiſſima propoſitio quod neque ex dicto contractu Balthaxaris creditum affici potuit ulla turbiditate, aut illiquiditate, quippe quia plenè ex præmiſſis compertum eſt, quod neque contrahentes
7 de illo agere in memorato locationis Inſtrumento, & compenſationis, ſeù accollationis pacto intellexerunt, dum contractus à partium voluntate, & poteſtate ſemper declarationem accipiunt, quodque etiam ſi ità contigiſſet, & de hoc ipſo Cenſu pacti fuiſſent ejuſmodi accollationem, adhuc tamen non probaretur factus illi locus ex ommiſſa penſionum ſolutione; quæ cæteroquin, ut-
8 pote conventa in publico Inſtrumento, & ſub conditione illa debitori Affictuario admodum præjudiciali, ſubingreſſus in debitis locatoris jam ſub gravibus uſuris impoſitis ad rationem ſc. octo pro centenario, maximè poſt lapſum centum, & ultra annorum ſequuta præſumi debet, ut in debilioribus circumſtantiis firmavit *Rot. dec. 196. nu. 6. par. 10. dec. 99. num. 3. par. 18. rec.*

Non

9 Non minoris ſubſiſtentiæ viſa fuit Dominis altera exceptio legitimationis perſonę Balthaxaris Actoris, in hac tantum cauſæ propoſitione per Juniperam Serotin è deducta, quando vertente jamdiu Cauſa, neque in Partibus, neque in ſecunda Inſtantia coram R.P.D. meo Criſpo, neque in præterita propoſitione coram Me ulla fuerat circa id controverſia, quandoquidem talis exceptio ex hoc ipſo, quod non in exordio Judicii, ſed in tertia tantum inſtantia proponebatur, mali juris pati videbatur præſumptionem, ut alias advertit *Rota dec.22. nu.11., & 12. cor. Millin., dec.414, num.18. cor. Cerro, & dec. 318. num.8. par.15. rec.*, & de facto Balthaxar in Summario ſuæ reſponſionis ex pluribus legitimis documentis jam in proceſſu cauſæ regiſtratis, illius convincebat irre-
10 levantiam. Oſtendebat enim Angelum Scarlattum originarium creditorem ſepedicti cenſus uſque ab anno 1598. illum dediſſe in ſolutum Hieronymo, & Carolo de Schiattis, quodque iſti ſucceſſivè eundem cenſum aſſignarunt Athalantæ eorum Matri occaſione qua tranſiens iſta ad ſecunda vota cum Orlando Fanelli, ſuæ dotis petierat reſtitutionem. Docebat inſuper ex fidibus Baptiſmatis, aliiſque Juribus, quod Athalanta in ſecundo Matrimonio progenuit duos filios, Aſcanium, & Fulvium, qui uti creditor dicti Cenſus egit coram A.C. uſque de anno 1636., quodque ex dicto Fulvio nata fuit Laura mater ipſius Balthaxaris, quodque demum ipſemet uti filius, & hæres ſuæ Matris pro hoc eodem Cenſu mandatum obtinuit uſque de anno 1663. contra hæreditates Camilli impoſitoris, & Boncambii fidejuſſoris. Ex quibus ſanè documentis certa videbatur oriri probatio, quod Balthaxar legitimè ſtaret in præſenti judicio uti Creditor ex perſona prædicti Fulvii ſui Avi medietatis ejus cenſus, quem Athelanta acquiſiverat à Schiattis ceſſionariis Scarlatti primi, & originarii Creditoris, & qui procul dubio titulo hæreditario tranſiverat in ejuſdem Athelantæ filios, Aſcanium, & Fulvium ſupradictos.

11 Abſque eo quod liceret eidem Juniperæ ulterius progredi ad excipiendum, quod non oſtenderet Balthaxar ſe adiviſſe Matris hæreditatem. Quippe quia cum jam iſte uti matris hæres obtinuerit uſque de dicto anno 1663., & iterum hodie ſit in judicio agendo pro conſecutione ejuſdem met Crediti hæreditarii, fruſtraneum eſt talem qualitatem in illo amplius controvertere, quàm alias legitimi contradictores admittere non dubitarunt, ad notata in ſimilibus terminis per *Rot. in Forolivien. legitimæ* 13. *April.* 1714. §. *fin. coram Me*.

Ea denique, quæ rurſus inculcabantur pro firmanda retentione Prædii *di Monte Galao* ex cauſa crediti dotalis Proſerpinæ, ſatis ſuperque confutata remanſerunt in anteactis deciſionibus, itaut Domini putaverint ſatis eſſe, quod relativè ſe ſe ad illas haberent, ne alias inutilis earumdem objectionum, & reſponſionum fieret repetitio.

Et ità utraque &c.

PERUSINA MANUTENTIONIS.

Lunæ 21. Martii 1718.

ARGUMENTUM.

Manutentio danda eſt mulieri ſuperſtiti ſuper bonis, quæ pro dotali fundo viro prædefuncto conſtituiſſet, non verò ſuper cæteris aliis bonis pro aliis creditis ab eadem prætenſis, etiam ſi jure familiaritatis vivente viro eadem alia bona poſſediſſet, quando hæc alia ſua credita eſſent turbida.

SUMMARIUM.

1 *Dos in fundo per mulierem viro conſtituta ſemper remanet in illius dominio, & non Viri.*

2 *Poſſeſſio rerum dotalium, conſentientibus hæredibus viri, viduæ nequit denegari.*

3 *Manutentio, ut concedatur, requiritur titulus clarus, & juſtus poſſidendi bona, & ex ſola crediti turbiditate denegatur.*

4 *Clauſula* Conſtituti, & præcarii *poſſeſſionem civilem transfert.*

5 *Poſſeſſio naturalis transfertur à mandato Judicis.*

6 *Manutentio ſemper illi conceditur, cui bonum jus aſſiſtit.*

7 *Poſſeſſio jure familiaritatis tantum nullum jus tribuit, neque ſuffragatur ad effectum obtinendæ manutentionis.*

8 *Limita, quando aliquis ſuper accedit titulus, cujus cauſa poſſeſſio familiaris in poſſeſſionem pro ſuo mutatur.*

9 *Dos conſiſtens in fundo, ſoluto, per viri mortem, matrimonio, integraliter ad mulierem redit, & qualibet dotalis actio extinguitur.*

10 *Retentio ſuper bonis viri non datur pro juribus dotalibus, ſive aliis, quando hæc omnia jura turbida reperirentur.*

DECISIO MLV.

VITA functo Joanne Simone Caſſomanno, cum Helena Juſtina ejus Uxor, & Hæres in uſufructu inſtituta apud acta Curiæ Peruſinę ſolemniter declaraſſet ſe nolle acceptare onus ſibi à Viro injunctum ſubiiciendi bona dotalia nexui fideicommiſſi, & Primogenituræ ab eodem inſtitutæ, Victoria defuncti Filia, tamquam eo caſu Matri ſubſtituta, poſſeſſionem bonorum hæreditariorum, quam virtute clauſulæ Conſtituti, & precarii, jam ex tunc Pater vivens in ipſam civiliter tranſtulerat, ope mandati de immittendo à Locumtenente Generali obtenti naturaliter quoque adepta eſt. Sed re poſtmodum in judicium deducta, & à ſententia de partibus primo ad A.C., deindè ad Sac. Tribunal devoluta, cum Helena contenderet ſibi manutentionem deberi, ne dum ſuper

ſuper bonis hæreditariis defuncti Viri pro aliis Juribus, & creditis dotalibus ipſi competentibus, duo hodiè propoſui dubia videlicet -- *An conſtet de credito, & dos ſit reintegranda, & in qua quantitate*, & alterum -- *An, & cui. & ſuper quibus bonis ſit danda manutentio* -- Sed DD comperto, quod credita ab Helena deducta, partim non ſatis probata, ac partim turbida, & illiquida reddebantur ex aliis, quæ contra ipſam Victoria opponebat, ſatius duxerunt, quo ad primum reſolutionem differre, uſquequo, Periti Curialis opera, Jura partium melius elucidarentur. Quo verò ad ſecundum jus ſuum unicuique tribuentes, reſponderunt *dandam eſſe manutentionem utrique, juxta modum; Helenæ videlicet ſuper bonis dotalibus, & Victoriæ ſuper aliis omnibus hæreditariis Joannis Simonis ejus Patris.*

1 Et quidem quoad manutentionem Helenę conceſſam ſuper bonis ab ipſa dotis nomine Viro traditis pro vero, & proprio fundo dotali, nulla inerat difficultas, tum quia eorum dominium ſemper penes ipſam remanſerat, *l. in rebus C. Iur. dot. Rot. cor. Seraphin. dec.*201. *nu*28. *& coram Cerr. dec.*874. *nu*.4.

2 tum, & certius, quia cum Victoria Patris Hæres illam non impugnaret, intrabat literalis diſpoſitio *Text. in l. dotis actione* 9. *C. ſolut. matrim.*, quod nempe conſentientibus Hæredibus Mariti, poſſeſſio rerum dotalium Mulieri ſuperſtiti denegari nequit; ceſſabatque quæſtio illa, de qua *Vrceol. conſult.* 93. *ferè per tot.*, *& ſignanter num.*31., *& ſeq. Rot. coram Buratt. dec.*609. *num.*4. *& ſeqq.*

3 Sed non ita eidem Helenæ debita erat manutentio ſuper cæteris bonis hæreditariis Joannis Simonis ejus Viri, dum reſpectu iſtorum, neque ullo claro, ac legitimo titulo, neque ulla poſſeſſione juvabatur, quin potius omnino concedenda erat Victoriæ ejus filiæ, cui nedum juſtus titulus aſſiſtebat ex paterno Teſtamento proveniens, ſed inſuper utraque ſuffragabatur poſſeſſio, tam nempè Civilis in ipſam à Patre translata virtute clauſulæ conſtituti, & præcarii, quàm etiam natura-

4 lis ex mandato, & auctoritate Prætoris ab ipſa de facto apprehenſa; unde non uno, ſed multiplici nomine manutentio ſuper iiſdem bonis ipſi competebat, ut de eo, cui bonum jus aſſiſtit alias dixit *Rot. dec.*18. *nu.* 27. *par.*17., *& in Bononien. manutentionis* 27. *Februarii* 1708. *coram Rmo P. D. Aldovrando*, & de conſtitutario, *Rota coram Cerr. dec.*698. *num.*4. *& apud Card. de Luc. de fideicommiſſis dec.*113. *num.*1. *&* 29., *& & dec.*114. *num.*2. *lib.*10., & tandem de eo,

5 qui Authore Prætore poſſeſſionem nactus eſt, *Rota coram Emer. Jun. dec.*61. *num. primo, & in Romana Hæreditatis de Ruſpulis* 2. *Martii* 1705. §.2. *coram Reverendiſſimo P. D. Molines.*

Neque obſtare viſum fuit, quod Helena

6 eadem bona, vivente Viro poſſederit Jure familiaritatis, quodque eo defuncto, cauſam poſſidendi mutaverit, emiſſa in actis ſolemni declaratione, quod illa retinere intendebat pro ſuis Juribus dotalibus. Certi

7 namque, & indubitati Juris eſt, quod ſola poſſeſſio Iure familiaritatis nullum jus tribuit, neque ſuffragatur ad effectum obtinendæ manutentionis, *Poſth. reſol.*64. *pariter num.*3., *& de manutent. obſ.* 54. *nu.*30., *Rot. coram Coccin. dec.*472. *num.*6., *& in rec. deciſ.*63. *pariter num.*6. *par.*8. Et quamvis res aliter ſe habeat, quando ita poſſidenti legitimus aliquis ſuperaccedit titulus, cujus ra-

8 tione poſſit, familiaris poſſeſſio mutari in poſſeſſionem pro ſuo, *Poſth. dicta obſer.*53. *n.* 30. *Adden. ad Gregor. dec.*546. *num.*15. *Rot. dec.*15. *num.*22. *ad ornat. Card. de Luc. de Teſtam. lib.*9.

In caſu tamen titulus dotis, qui ſolus ab Helena allegari poterat hunc effectum præſtare nequibat: pro ea enim parte, quæ in ſtabilibus conſiſtebat pro fundo dotali Viro

9 traditis, hoc ipſo, quod Victoria non impugnabat, quod illi manutentio ſuper iiſdem fundis concederetur, jam ceſſabat quæcumque cauſa occupandi alia bona Viri, *l. fin. ff. de pact. dotal. l. ſi æſtimatis* 51. *ubi Barboſ. n.* 835. *ff. ſolut. matrim Rot. dec.*120. *num. fin. part.*4. *tom.*2., *& dec.*611. *num.*7. *par.*19. *rec.*

10 Pro reſiduo verò ejuſdem dotis in nominibus Debitorum, & quantitate conſiſtentis, cum iſtiuſmodi creditum adeo turbidum, ac illiquidum compertum fuerit, ut in examine alterius dubii contemporaneè propoſiti; DD. coacti reſolutionem differre, ac Periti Curialis electionem demandare, de plano conſequebatur non poſſe hoc nomine bona viri à Muliere retineri, cum ad hunc effectum oporteret, quod ejuſmodi creditum eſſet undequaque clarum, & liquidum, tàm in ſubſtantia, quàm in quantitate, *Rot. deciſ.* 70. *num.* 38., *& dec.*94. *num.*23. *cor. Cerro & coram Ninot. dec.*38. *num.*5., *& coram Bich. dec.*115. *num.*13.

Et iuxta hunc modum utraque &c.

EYSTETEN. PRÆCEDENTIÆ.

Veneris 1. *Aprilis* 1718.

ARGUMENTUM.

Reſtitutio ad publicandam reſignationem obtenta, quando nullus intra terminum Conſtitutione Gregoriana præfixum de hoc defectu, & ſibi quæſito jure opp oſuiſſet perinde habetur, ac ſi impetrans intra eundem terminum eandem publicaſſet, quæ etiam publicatio poteſt per reſignantem fieri; ſecus verò ſi eodem elapſo termino, quis hoc in actis expoſuiſſet, & ſub hoc fundamento ſuam proviſionem impetraſſet.

Civica qualitas ad obtinendum idem beneficium à Statutis Eccleſiæ volita, quando ſatis ſuperque remaneat probata, optimè explicat ſequens

SVM-

SUMMARIUM.

1 *Proviſus Apoſtolicus præfertur alteri æque proviſo, quando illius litteræ Apoſtolicæ ſunt in data anteriores.*

2 *Statutum Eccleſiæ Eyſtetenſis, illi proviſo prælationem concedit, qui in exhibendis, & juſtificandis qualitatibus ab eodem requiſitis prævenit.*

3 *Publicatio reſignationis non facta à proviſo, ejus non inficit gratiam, quando facta fuiſset à reſignante juxta Conſtitutionem Gregorianam, quæ ad eam faciendam admittit utramque.*

4 *Amplia, ut publicatio reſignationis, & ſi non conſtiterit apud Capitulum, quando conſtitit penes alios, ſatis eſt.*

5 *Subamplia, ut ſola poſſibilitas ſufficiat, ne publicationis defectus concludenter dici valeat probatus.*

6 *Defectus publicationis reſignationis ſi ab impetrante, vel quovis alio allegaretur, iſtis ineſt onus hanc negativam probandi, maxime quando agitur de litteris jam à decennio, & ultra exequutioni demandatis.*

7 *Publicatio reſignationis, cum ſit pars exequutionis litterarum, poſt decennium ſervata præſumitur.*

8 *Reſtitutio conceſſa ad publicandam reſignationem intra terminum à Conſtitutione Gregoriana præfixum, remoto quocumque obſtaculo, ſuffragatur, perindè, ac ſi intra dictum terminum facta fuiſſet.*

9 *Exceptio de non publicatione intra terminum Conſtitutionis Gregorianæ facta, non admittitur poſt obtentam reſtitutionem ad publicandum; ſecus ſi hoc intermedio tempore tertius de hoc defectu in actis oppoſuiſſet*, & vide rationem.

10 *Jus Civicum ad impetrandum Beneficium probatum remanet, quando proviſus edoceret alias ad illud ſuum germanum fratrem fuiſſe admiſſum.*

11 *Amplia, quando Capitulum, ad quod has probationes recipere ſpectat, declaraſſet, quod in eodem proviſo omnia Statuti requiſita concurrerent, inter quæ Civica qualitas contineretur.*

12 *Semel approbatus, amplius reprobari non poteſt.*

13 *Subamplia, ut multò minus Civica qualitas à Capitulo approbata, in dubium valeat revocari à tertio nullum jus habente ſuper talis probationis receptione.*

14 *Exceptio de iure tertii non admittitur.*

15 *Fides, pendente lite, extorta non attenditur.*

16 *In pari cauſa, & conditione, ad imparia judicandum non eſt.*

17 *Defectus probationis neceſſariæ ad impetrandum Beneficium à nemine in alium obiici poteſt, quando eodemmet defectu ipſe laboraret.*

DECISIO MLVI.

Controverſiam Præcedentiæ favore Adami Maximiliani in ſuperiori inſtantia coram R.P.D. meo Corio definitam, inſtauravit hodie coram Me in gradu appellationis Franciſcus Godefridus; & cum negare non poſſet litteras Apoſtolicas Adami Maximiliani eſſe in data anteriores litteris ſuæ proviſionis, atque à Capitulo Eccleſiæ Eyſtetenſis approbatas fuiſſe illius qualitates viginti circiter diebus, antequam ipſe Godefridus exhibuiſſet requiſita ad propriam admiſſionem neceſſaria; pro ſuadenda tamen injuſtitia ſententiæ Rotalis ſuper duobus potiſſimum inſiſtebat, ac primò, quod proviſio Adami, licèt anterior, reſoluta tamen, atque extincta remanſerit ob non factam in tempore publicationem reſignationis, juxta formam Gregorianæ Conſtitutionis, nec ſubindè revivixerit, niſi à die obtentæ reſtitutionis ad publicandum; ſecundò verò, quod idem Adamus nullo pacto docuerit, quod ejus Agnati intra decimum gradum de Jure Civili incluſivè in nulla Civitate Cives eſſent, neque Civico Jure uterentur, quemadmodum cavetur in Statutis dictæ Eccleſiæ.

Verùm his non obſtantibus, propoſito per Me congruo dubio, Domini non dubitarunt reſpondere *pro confirmatione ſententiæ Ro-*
1 *talis*, cum & hodie pro comperto habitum fuerit prælationem tam in ingreſſu ad Capitulum, quàm in deſcriptione in Kalendario, ſive Albo Canonicorum in concurſu Franciſci Godefridi debitam eſſe Adamo Maximiliano, tum ex cenſura juris communis præferentis illum ex duobus Canonicis Apoſtolica auctoritate proviſis, cujus litteræ ſunt in data anteriores, juxta *text. in cap. Si duobus de reſcript. in 6.*, & *in cap. Eum*
2 *cui de præbend. pariter in 6.*; tum quoque ex diſpoſitione Statutorum Eccleſiæ Eyſtetenſis illi prælationem concedentium, qui prævenit in exhibendis, & juſtificandis qualitatibus ab iiſdem Statutis pro admiſſione Canonicorum requiſitis, ad tradita per *Rot. dec. 326. n. 3. cor. Seraphin., dec. 1872. nu. 5. cor. Coccin., & dec. 566. n. 1. cor. Bich., & in Friſingen. Canonicatus 10. Maii 1715. §. Nulla enim cor. R.P.D. meo Cerro.*

3 Nec quidquam relevare viſa fuerunt duo illa ſupra expoſita objecta. Nam quod attinet ad primum, Domini animadvertebant, (omiſſis aliis reſponſionibus pro parte Adami Maximiliani adverſus dictæ gratiæ expeditionem deductis) quod ex hujuſmodi reſtitutionis gratia ab illo petita, & obtenta, poſſet quidem ad ſummum reſultare probatio non factæ per ipſum publicationis, ſed non etiam excluderetur, quin illa fieri potuerit à Joſepho Alexandro reſignante, quem Conſtitutio Gregoriana æque admittit ad publicandum, ac ipſum reſignatarium, ut aliàs in puncto reſpondit *Rot. dec. 210. n. 3., & dec. 288. n. 2. cor. Gregor., & in Monaſterien. Canonicatus ſuper litteris Erneſti 6. Decembris 1706. §. Et ſanè cor. Me.*

4 Nequaquam relevante noviſſima atteſtatione Decani, & Capituli, ex qua probari con-

contendebatur negativa publicationis etiam ex parte reſignantis, quia præter alias exceptiones ſuper illius legalitate, ex ea nihil aliud habetur, niſi quod apud Capitulum non conſtet Bullam reſignationis fuiſſe ab Alexandro publicatam. Cum autem ſtet bene ſimul, quod de hujuſmodi publicatione non conſtiterit penès Decanum, & Capitulum, & conſtiterit penès alios, hæc ſola
5 poſſibilitas ſufficit, ne defectus publicationis concludenter probatus dici valeat, ut in terminis notavit *Rip. in cap. Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſs.*, *& propr.*, aliiſque adductis, *Maſcard. de probat. concluſ.* 1092. *n.*9., & optimè *Rot. dec.* 210. *n.*4. *cor. Gre-*
6 *gor.* Cum tamen ex quo agitur de litteris jam à decennio, & ultra executioni demandatis certum, & conſtans in jure ſit, quod qui negat interveniſſe publicationem, ſive ſit impetrans, ſive quicumque alius, ſemper tenetur hanc negativam plenè, & concluden-
7 tiſſimè juſtificare, cum aliàs præſumi debeat, quod inter cætera neceſſaria, etiam publicatio, quæ ipſius reſignationis pars eſt, exequutionem præceſſerit, ut in puncto firmavit *Rota in Bituntina*, *ſeu Baſilien. Parochialis* 5. *Martii* 1700. §. *final. cor. Reverendiſſimo D. Molines*, *& in deciſione cauſæ* §. *Quandoquidem cor. R.P.D. meo Corio.*

8 Quibus poſitis, inutile videri poterat ſuper vi, & efficacia ipſius reſtitutionis ulterius immorari. Verùm DD. ad omnimodam objecti everſionem, & hoc quoque fundamentum amplexi fuerunt. Nam admiſſo etiam, quod neque à Reſignante, neque à Reſignatario facta fuiſſet in tempore à Gregoriana Conſtitutione præſtituto reſignationis publicatio; reſtitutio nihilominus ſæpedicta, remoto quocumque obſtaculo, & ſublato penitus quolibet defectu ipſum Adamum Maximilianum repoſuiſſet in priſtinum ſtatum, perinde ac ſi publicatio intra dictum terminum facta fuiſſet, ut communiter docent *Pariſ. de reſignat. lib.*11. *q.*7. *num.*68., *& ſeqq.*, *Amayld. de ſtyl. Datar. lib.*1. *cap.*12. *n.*7 *&* 8., *Rot. dec.*63. *n.*12., *p.*6. *rec.*, *& cor. Bich. dec.* 285. *n.* 10. *cum aliis in deciſione cauſæ* §. *Neque huic.*

9 Minime urgente replicatione, quod ejuſmodi retrotractio fieri nequiverit in præjudicium juris præcedendi, attenta nullitate gratiæ Adami Maximiliani medio tempore Franciſco Godefrido quæſiti, quia ut bene reſponſum fuit in dicta deciſione R. P. D. mei Corii, tunc publicatio ex poſt facta vigore reſtitutionis non retrotrahitur, quando medio tempore tertius oppoſuit in actis de hoc defectu, vel ex eodem capite Beneficium impetravit, cum eo caſu talis defectus ſit fundamentum oppoſitionis, vel impetrationis, quod proinde deterius fieri nequit per ſubſequentem gratiam reſtitutoriam. At verò cum in hypotheſi, de qua agitur neutrum ex his intervenerit, & Franciſcus Godefridus jus omne quod habet unicè metiatur à proviſione ejus favore facta de alio omnino diſtincto, ac ſeparato Canonicatu, nihil eſt, quod impedire valeat retrotractionem naturaliter inſitam reſtitutioni, cum Papa reſtituendo Maximilianum adversùs lapſum temporis ad publicandum, nullum præjudicium irrogaverit proviſioni, cui innititur Franciſcus Godefridus, ſed ſolum remiſerit nullitatem ad ſui favorem inductam ex Gregoriana Conſtitutione, quoad gratiam ipſius Adami Maximiliani, ut bene in propoſito diſtinguendo docuerunt *Lotther de re benefic. q.*51. *n.*25., *&* 26. *lib.*2., *Amayd. d. cap.*12. *n.*7. *&* 8. egregiè *Rota d. dec.*286. *à n.*11. *uſque in fin. cor. Bichio.*

Atque ex his vindicata à primo objecto iuſtitia ſententiæ Rotalis, quod ad ſecun-
10 dum attinet, placuit reſponſio, quod probatio exemptionis Civicæ, vel omnino neceſſaria non erat reſpectu Adami Maximiliani, dum Joſeph Alexander ejus germanus frater iam aliàs in dicta Eccleſia ſine contradictione admiſſus fuerat, & ex eius reſignatione Maximilianus Canonicatum à Sanctiſſimo obtinuerat. Cum ſtatuta, quæ dictam probationem requirunt, intelligi debeant de familiis ignotis, & aliàs non admiſſis iuxta declarationem à Capitulo editam 7. Januarii 1690., & biduo poſt ab Epiſcopo confirmatam, aliudque eiuſdem teſtimonium noviſſimè datum 9. Martii 1717.,
11 vel quatenus etiam requireretur in familiis adeo notæ, & perſpectæ nobilitatis, dicendum tamen eſſet illi ab Adamo Maximiliano ſatisfactum fuiſſe, ſi non ſpecificè, ſaltem virtualiter, & per equipollens, dum Capitulum, ad quod ſpectat huiuſmodi probationes recipere poſt maturam rei diſcuſſionem in peremptoriis habitis 25. Junii, & 29. Julii 1707. ſemel atque iterum admittendo, atque approbando ipſius qualitates tanquam Statutis omnino conformes, & hanc quoque Civicam exemptionem, videtur habuiſſe pro ſufficienter probatam, & loco teſtium, aut aliorum documentorum, quæ ſuper ea afferri potuiſſent, acceptaſſe ipſam
12 rei notorietatem. Quamobrem ſi in hiſce facti circumſtantiis, neque Capitulum ipſum potuiſſet amplius ejus qualitatis defectum objicere propter regulam illam in jure noſtro certiſſimam, quod ſemel approbatus, reprobari amplius non poteſt, ex *text. in l. Obſervare* §. *final. ff. de offic. Proconſ.*, *& in cap. Accepimus* 13. *ibiq. gloſſ. verb. exceptionem*, *& verb. reputare de ſtat. & qualit. Ordin.*, *Rot. dec.*109. *nu.*3., *& ſeq. cor. Arguell.*, *& dec.*259. *nu.*6. *cor. Emer. jun.*
13 Longè utique minus de eodem defectu excipere valet Franciſcus Godefridus, ad quem nullo pacto pertinet hujuſmodi probationes recipere, aut examinare, cum
14 hæc exceptio quoad ipſum ſit exceptio de Jure Tertii, quæ non admittitur, *Rota dec.*258. *n.*9. *cor. Beninca ſ.*, *dec.*357. *nu.*12. *p.*18. *rec. dec.*56. *n.*1. *coram Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano*, *& paſſim.*

Quæ reſponſio eo magis Dominis arriſit, quia

quia cum Franciſco Godefrido in præcedenti inſtantia oppoſitum fuiſſet, quod neque ipſe documentum ullum circa ejuſmodi exemptionem Civicam exhibuerat, dum in Archivio Eccleſiæ alia quidem plura documenta circa ejus nobilitatem inveniebantur, hoc tamen omnino deſiderabatur. In præſenti cauſæ propoſitione, ut hujus objecti vim elideret, præter votum quoddam extrajudiciale ſuper hac præcedentiæ controverſia editum à Conſilio, ſeu Dicaſterio Eccleſiaſtico Reverendiſſimi Epiſcopi Eyſteten. ad hanc controverſiam non faciens,
15 nil aliud produxit, quam atteſtationem, pendente lite, exortam ab uno ex Capitularibus, qui ad probandum aſſumptum non alio uſus fuit argumenti genere, niſi illo, quod Capitulum requiſitis à Franciſco Godefrido exhibitis fuit pleniſſimè contentum, nec quidquam in contrarium movit, aut ulterius exhiberi mandavit. Si itaque ratio iſta tanti valet, ut ex ea favore Franciſci Godefridi perneceſſe ſupponenda ſit probatio exemptionis Civicæ, eodem modo valere etiam debet favore Adami Maximiliani, cum Capitulum utriuſque requiſitis æque
16 ſatisfactum remanſerit. Aut ſi pro iſto non concludit, neque etiam pro ipſo ſufficere debet, ne aliàs in pari cauſa, & conditione
17 ad imparia judicentur; & conſequenter non poterit Franciſcus defectum hujus probationis quo ipſe laborat alteri objicere juxta animadverſa per *Rot. dec.* 664. *num.*6. *p.* 19. *rec.*, *& in Narnien. uſusfructus* 24. *Novembris* 1710. §. *Neutiquam* *cor. Reverendiſſimo D. Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore*, & bene notavit memorata deciſio præcedentis inſtantiæ §. *Vindicato*, ad quam relativè ſe ſe Domini habuerunt.

Et ita utraque &c.

EISTETEN. PRÆCEDENTIÆ SUPER MANUTENTIONE.

Veneris 1. *Aprilis* 1718.

Ea quæ in Argumento continentur, ſequens explicat breve Summarium.

SUMMARIUM.

1 *Manutentio illi concedenda eſt, favore cujus cauſa in plenario fuiſſet reſoluta.*

2 *Manutentio concedenda eſt illi, cui bonum & æque clarum jus aſſiſtit.*

DECSIO MLVII.

QUemadmodum diſcuſſis utriuſque partis juribus in contemporanea deciſione reſponſum fuit favore Adami pro cõfirmatione ſententiæ illi adjudicantis præcedentiam in Capitulo controverſam à Franciſco Gottifrido, ita etiam non dubitarunt Domini reſpondere in hoc quoque conſentaneo dubio -- *Manutentionem dandam eſſe eidem Adamo.*

1 Siquidem cum illius favore deciſa extiterit cauſa in Judicio plenario, & petitorio, conſequens erat, ut etiam decerne-
2 retur pro illo manutentio, quæ illi ſemper eſt concedenda, cui boni juris favet aſſiſtentia, ut communiter practicari ſolet, præſertim in hoc noſtro Auditorio, ut videre eſt in *Troiana delationis Crucis ſuper manutentione* 25. *Junii* 1708. *cor. Me.*, *in Militen. juriſdictionis ſuper manutentione* 27. *Junii* 1716., *& in alia Eyſteten. Juriſdictionis ſuper manutentione* 25. *Junii* 1717. *cor R. P. D. meo Falconerio Urbis Gubernatore.*

Et ita utraque &c.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS.

Lunæ 4. *Aprilis* 1718.

ARGUMENTUM.

Frater major natu à communi Patre ad gerendam ſuorum officiorum adminiſtrationem electus, poſt iſtius obitum favore germanorum fratrum minorum, qui æqualiter Patri ſucceſſiſſent, ſtrictam rationem reddere tenetur, quæque ut legitime dicatur facta, de præventiva computorum diſpunctione ſuper datis, & receptis conſtare debet, cum ex ſola librorum exhibitione non perficiatur, neque ab ea liberatus dicatur, ex quo Pater de ea eundem filium nunquam requiſiviſſet.

SUMMARIUM.

1 *Via exequutiva datur pro redditione rationis reportanda, intellige ut per viam gravatoriæ quis adverſus adminiſtratorem poſſit eam expoſtulare.*

2 *Via exequutiva datur in ſecunda inſtantia, quando cauſa cum clauſulis exequutivis per Signaturam reperitur commiſſa.*

3 *Redditio rationis facienda eſt à fratre majore natu favore minoris de bonis paternis, quæ ante obitum Patris ille adminiſtraſſet, & minor ad eam petendam jus habet.*

4 *Ratio rationis ſemel facta, iterum reddenda non eſt.*

5 *Redditio rationis facta à fratre de quo tempore uſque ad quod tempus, probatur ex relatione periti hæc eadem tempora deſignantis, nec talis redditio circa tempus A. extendi poteſt ad tempus B., de quo Peritus non fuiſſet loquutus*, & n.6.

7 *Redditio rationis non remanet firmata per ſimplicem enunciativam Periti de una partita ad diverſum debitum referibile, cum requirat ſtrictam computorum diſpunctionem.*

8 *Redditio rationis non dicitur completa, quando relatio Periti verſatur in una partita tantum, & adminiſtratio rationem reddere debentis univerſum patri-*

monium

monium tetigiſſet, ſedo mnium partitarum confrontatio requiritur.

9 *Redditio rationis non remanet probata per ſimplicem librorum exhibitionem, ſed eorum requiritur recognitio, & partitarum examen debita maturitate.*

10 *Diverſitas relationis Periti, & diſcretiva ejuſdem loquutio diverſitatem inter partitas ab eo diſpunctas indicat, & eundem ſenſum quoad omnes non habuiſſe.*

11 *Teſtes Periti quando adſunt hinc inde, in dubio præferuntur illi, qui ſunt magis veriſimilitudini conſentanei.*

12 *Peritus quid intellexerit, & ſuper quibus partitis ſe retuliſſe dicatur, eius declarationi defertur abſque alia probatione.*

13 *Adminiſtrator à redditione rationis liberatus non præſumitur ex acquieſcentia Domini, maxime ſi iſte paulò poſt obiiſſet.*

14 *Obligatio reddendi rationem cuicumque adminiſtratori de iure ineſt.*

15 *Adminiſtrator, ut dicatur à redditione rationis liberatus per teſtatorem, ipſius ſpecifica requiritur declaratio.*

16 *Amplia, ut eo magis ab ea liberatus non dicatur, quando dictus teſtator tam adminiſtratorem, quàm eius fratres æqualiter ad ſuam hæreditatem vocaſſet.*

DECISIO MLVIII.

POſt Innocentii de Laurentiis obitum, plures diverſis temporibus exarſerunt controverſię inter Antonium majorem natu ex una, & Joſephum, ac Hieronymum ejus filios natu minores ex altera, quarum una ſtetit in diviſione, & redditione rationis adminiſtrationis bonorum communium geſtę per eumdem Antonium, & in qua concorditer terminanda mediator fuit uſque ab anno 1704. motus ad fratrum animos conciliandos ab ejus notoria probitate Eminentiſſimus Corradinus, tunc Sanctiſſimi Domini Noſtri Sub-Datarius, qui uſus opera, ut tutius procederet, Periti jam coram A. C. Deputati ad recognoſcendas partitas hinc inde oppoſitas, tandem feliciter omnia compoſuit, mediantibus foliis ab utraque parte ſuſcriptis, & apoca exarata ſub die 23. Martii 1712., ad cujus formam ſolvit Antonius reliquatum ſuæ adminiſtrationis in ſcut. 61. 40., promiſitque pro utilibus Depoſitariæ Collegii militum Lauretanorum inpoſterum quoque per ipſum exercendæ reſpondere Hieronymo fratri annua ſcut. 40.

Adhuc tamen paulo poſt nova orta ſunt jurgia, quippe quia prætendens Hieronymus in præfata redditione rationis geſta coram Eminentiſſimo Corradino non fuiſſe comprævhenſam adminiſtrationem communium bonorum exercitam ab Antonio vivente communi Patre, tam proprio nomine, quàm uti hæres Joſephi alterius fratris jam diu defuncti, vocavit iterum dictum Antonium in judicium coram A. C. de Gentilibus, obtinuitque relaxari mandatum de gravando, quouſque ratio ab illo reddita non fuiſſet, à quo mandato, cum reportaverit reus conventus ſuſpenſivam appellationem à Signatura Juſtitiæ cum clauſula *S. Q. E.*, propoſui hodie congruum dubium, cui Domini non attentis Antonii exceptionibus, reſponderunt -- *Mandatum A. C. eſſe exequendum.*

Conſtitit enim illud eſſe validum, æque

1 ac juſtum; & quidem fruſtra validitas impugnabatur, ex eo, quod proceſſum fuerit ad mandati relaxationem via executiva, quando tamen judicium redditionis rationis eſt ordinarium, inſtruendum prævio monitorio. Etenim prętter eam reſponſionem quod ad mandati relaxationem deventum non fuit pro aliqua ſumma cadente ſub redditione rationis, ſed ad effectum tantum gravandi & coercendi contumaciam Antonii obligati ad factum, nempe ad reddendam legitimam rationem, quod eſt commune remedium

2 in praxi, omnis ceſſat difficultas, advertendo, quod modo commiſſa mihi reperitur appellationis cauſa à dicto mandato per Signaturam Juſtitię cum clauſula *S. Q. E.*; ideoque de competentia viæ executivæ dubitari non poteſt, quia jam ex dicto reſcripto approbata dicitur, & canonizata, ut aliàs ponderavit *Rota in Romana Status Zagaroli 27. Martii 1705. §. Ex quibus cor. bon. mem. Muto, in Senogallien. Pecuniaria 28. Junii 1709. §. Omiſſa coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Polignach, & in Romana Aſſociationis 23. Junii 1710. §. De validitate cor. bo. me. Kaunitz.*

Juſtitia verò inde reſultare viſa fuit, quod certum eſt per Innocentium communem Patrem Senio jam confectum, & mala valetudine detentum, fuiſſe ad communium bonorum, & Depoſitariæ, Officii componendarum adminiſtrationem aſſumptum Antonium eius filium natu majorem, iſtumque ſucceſſivè uſq; ad Patris obitum eamdem adminiſtrationē exercuiſſe, ideoque teneri ad

3 reddendam rationem, & pro ea obtinenda jus, & actionem habere Hieronymum alterum ejus fratrem, quia cohęres eſt communis eorum Patris, & in adminiſtratione per illum geſta coæquale habet intereſſe, ut latè probant *Michalor. de fratr. p. 3. cap. 44. n. 1., & ſeqq., Card. de Luc. diſc. 41. nu. 6. de credit., Rot. cor. Ubald. dec. 374. n. 10., & dec. 57. n. 5. cor. ſa. me. Innocent. X.*

De facto non negabat Antonius huiuſmodi ſuam obligationem, ſed duplicem ad ſe excuſandum à facienda ulteriori redditione rationis allegabat exceptionem: & primo objiciebat, quod occaſione, qua petita per eius fratres bonorum communium diviſione & redditione rationis, res delata fuit ad Eminentiſſimum Corradinum; iſte ad talem redditionem rationis legitimè explendam Peritum aſſumpſit, qui recognitis omnibus libris, initium ſcripturæ ſumentibus à die ſuſceptæ per ipſum Antonium adminiſtrationis, adhuc, vivente communi Patre, ſuam protulit relationem, & qua attenta

dictus

dictus Eminentiſſimus Mediator Partes ſub-
4 inde concordavit ; ideoque aſſerebat ſe ſe-
tutum eſſe in hodierna fratris petitione vul-
gari illa regula, quod ratio ſemel reddita,
iterum reddenda non eſt, de qua pleniſſimè
in *Aſculana redditionis rationis 27. Janua-
rii 1710. §. Neque ullo modo coram Reve-
rendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano,
& in alia die 25. Decembris 1716. §. Sane
cor. R.P.D. meo Cerro.*

5 Reſponſum tamen fuit corruere huiuſ-
modi exceptionem in ſuppoſito iam factæ
redditionis rationis etiam de adminiſtratio-
ne per Antonium geſta, vivente Innocentio
Patre, quando tamen illa, ut ſupra iam ex-
pleta, reſtringebatur ad tempus decurſum
poſt dicti Patris obitum dumtaxat, uſque ad
diem diviſionis inter eius filios, & reſpecti-
vè fratres ſucceſſivè ſecutæ, ita ſuadente
ipſius Periti relatione, quæ nullum continet
verbum de adminiſtratione in vita Patris
geſta per Antonium, ſed ad tramites moni-
torii, quod contra illum alii fratres expe-
diverant coram A. C. ſuper redditione ra-
tionis bonorum hæreditariorum Patris, &
fructuum ex eis perceptorum, integrum
ſtatum bonorum provenientium ab hæredi-
tate dicti Patris, uſque ad eius obitum, deſi-
gnat, & tantummodo reſpicit adminiſtra-
tionem ab eodem Antonio exercitam à die
26. Januarii 1701., quo ille deceſſit, uſque
6 ad totum menſem Maii 1705. Si autem id
reſultat ex ipſa littera relationis, fruſtra
contenditur extentio ad diverſam redditio-
nem rationis pro tempore, quo adhuc Pater
erat in humanis, quæ ſub ſua peculiari re-
manſit obligatione, ut advertit in ſimilibus
terminis *Rot. dec.* 33, *nu.* 22. *p.* 12. *dec.* 297.
n. 6. *p.* 15. *dec.* 293. *ſub n.* 29. *p.* 17. *rec.*, *& in
Romana Salviani 26. Junii 1712. §. Ete-
nim cor. Rmo D. Molin. Mag. Hyſp. Inquiſ.*

Nec relevat, quod inter partitas in peri-
7 tia deſcriptas adſit altera ſcut. 2200. 91. pro
totidem, quæ ipſe Antonius debere ſe aſſe-
ruit -- *per conto acceſo nel libro Maſtro* -- qui
liber reſpicit antecedentem adminiſtratio-
nem detentam vivente Patre, & altera par-
tita ſcut. 168. 40. -- *per tanti debitore in al-
tro conto a parte* -- itaut cum iſtæ ſint partitæ
reſiduales prædictæ adminiſtrationis in vita
Patris exercitæ, rectè indicent redditionem
rationis fuiſse univerſalem, & etiam d. tem-
poris complexivam.

Animadverterunt namque, quod hujuſ-
modi partitæ in tantum poſitæ fuerunt à Pe-
rito in ſua relatione ad Antonii debitum, in
quantum iſte eaſdem partitas deſcripſerat
ad creditum hæreditatis Innocentii Patris in
Inventario de ejus bonis confecto; non in-
de tamen reſultat, quod Peritus in illis deſ-
cribendis recognoverit earum provenien-
tiam, & legitimitatem reliquatus præceden-
tis adminiſtrationis firmaverit in iis ſummis,
exarando, & diſpungendo computa dati,
& accepti ex bonis communibus per An-
tonium adminiſtratorem, vivente Patre,
prout requiritur, ut dicatur facta redditio
rationis, *ad text. in leg. Cum ſervus* 8. *ff.
de condit.*, *& demonſtrat.*, *Gutierez de tu-
tel. p.* 3. *cap.* 1. *n* 28., *& ſeqq.*, *Rot. dec.*
39. *n.* 4. *p.* 14., *dec.* 283. *n.* 41. *p.* 17. *rec.*, *&
dec.* 873. *n.* 1. *cor. Dunoz. jun.*

Potiſſimum quia compertum extitit, quod
8 prima pinguior partita ſcut. 2200. provenit
ex reſiduo pretii locorum Montium vendi-
torum ab Antonio vivente Patre; ideoque
non reſpicit, niſi partem proventuum, &
bonorum communium, quando tamen ipſius
adminiſtratio verſata non fuerat ſuper iiſ-
dem locis montium dumtaxat, ſed ſuper uni-
verſo communis Patris aſſe, itaut multo mi-
nus inde certum ſit, quod reliquatus iſte ex-
titerit, prout debebat Perito juſtificatus
per ſingularum partitarum, & omnium pro-
ventuum diſpunctionem, *Mantic. de coniec-
tur. lib.* 9. *tom.* 9. *n.* 32., *Vrceol. conſult.* 55.
n. 3., *Rota cor. Cavaler. dec.* 225. *n.* 5., *&
cor. Coccin. dec.* 382. *n.* 4.

Minuſque ad intentum Antonii conduce-
9 re viſum fuit, quod Perito exhibiti extite-
rint etiam libri reſpicientes adminiſtratio-
nem geſtam vivente Patre, quia ſatis non eſt
ad inducendam redditionem rationis, ſola
tantum librorum exhibitio, ſed neceſſe eſt,
quod fuerint recogniti, fuerintque examina-
tæ debita maturitate partitæ in illis deſcrip-
tæ, ut probant adductæ authoritates; con-
ſtat autem ex lectura Peritiæ, quod reſpec-
10 tu partitarum, quæ reſpiciunt illud tempus,
quo adhuc erat in humanis Innocentius
communis Pater, conſtat inquam, quod nul-
la facta fuit diſpunctio, prout cæteroquin
facta fuit de aliis reſpicientibus tempus po-
ſterius, itaut etiam ab iſta referendi diverſi-
tate, tanquam à diſcretivo modo proceden-
di ipſius Periti, liceat tuto arguere, quod
ipſe de primo tempore, ſeu prima admini-
ſtratione rationem non habuit, juxta regu-
lam communiter approbatam in paribus ter-
minis *dec.* 454. *n.* 12., *& dec.* 573. *n.* 6. *p.* 19.
rec., *& in Meliten.*, *ſeu Panormitana Pa-
trimonii 6. Junii 1708. §. Pariterque cor.
Me.*

Demum nullam in præſenti fidem prome-
11 reri poſſe DD. cenſuerunt Teſtes illos, qui
tanquam Perit. Ratiocinatores ad Antonii
opportunitatem deponebant neceſſario ha-
bitam fuiſſe rationem in peritia controverſa
etiam de antecedenti adminiſtratione geſta
vivente Patre: quippe quia alii concurrebant
in contrarium, teſtantes non fuiſſe de ſtylo
ipſorum facultatis, ſive artis ullam habitam
rationem de dicto tempore, itaut hujuſmo-
di probatio contraria conſimili probatione
concurreretur, & in dubio ſtandum videre-
tur illis, qui conſentanei ad præmiſſa, tan-
quam validius ex aliis facti circumſtantiis
comprobata deponebant, & ideo majorem
ſibi fidem promerebantur, ut alias dictum
fuit *deciſ.* 442. *n.* 13. *p.* 4. *rec.*, *in Romana
locorum montium ſuper dominio tertia Junii
1711. §. Quibus omnibus cor. Reverendiſſ.*

Qua-

Molines magn. Hyſp. Inquiſit., *& in Sveſſana bonorum* 17. *Junii* 1717. §. *Abſque eo quod cor. Me.*

Hæc autem omnia validam aſſumere con-
12 firmationem DD. pro coronide adverterunt ex declaratione ipſius met Periti, qui poſt prefatorum Ratiocinatorum depoſitionem ultro declaravit rei veritatem in præſenti quæſtione ita ſe habere, cum ipſe nec computa viderit primæ adminiſtrationis, neque illam in ſua peritia comprahendere intellexerit, itaut ſuperfluum viſum fuerit amplius inquirere, an reddita extiterit ratio necnè de ea adminiſtratione, quando idem Peritus, qui ſuper ea retulit, declarat munus, & operam ſuam in illa non impendiſſe, & ſuperlativum ex hac declaratione reſultat documentum excluſivum contrariæ aſſertionis, ut notat *Falin. in cap. Propoſuiſti n.* 5. *de probat.*, *& cum aliis Rot. deciſion.* 377. *coram Peutinger.*, *& dec.* 249. *n.* 2. *p.* 12. *rec.*

Hinc deſcendendo ad ſecundam Antonii exceptionem, verſabatur illa in eo, quod etiam præſumeretur ipſe à petita redditione rationis tacitè liberatus ab Innocentio Patre, dum nunquam illam requiſivit. Sed facilis occurrebat reſponſio. Quatenus enim hu-
13 juſmodi liberatio deduci volebat ex Patris acquieſcentia, ſatis erat ponderare, quod ille gravis morbi aſperitate detentus, non ſupervixit, niſi per menſes circiter 19. poſt ſuſceptam ab Antonio filio adminiſtrationem, eaque adhuc perdurante deceſſit, itaut quiſque videat admodum breve tempus, preſertim in circumſtantiis malæ Patris valetudinis nullam poſſe inducere liberationem ex eo tantum, quod redditio rationis petita non fuerit, quando tamen cuicumque admi-
14 niſtratori ejus de jure ineſt obligatio, per *text. in l.* 1. §. *Officio de tutel.*, *& ration. diſtraben.*, *& l. rationes C. de adminiſtr. Tutor.*

Quatenus vero erui voluiſſet ex ejuſdem
15 Patris Teſtamento, in quo nullam fecit de tali redditione rationis mentionem, hoc ipſum ſatis eſſe videbatur in pretenſe liberationis excluſionem, quia immò ad illam inducendam contra prædictam juris obligationem neceſſaria fuiſſet ſpecifica Teſtatoris declaratio, dum præſertim in ſua Teſtamentaria diſpoſitione potius illum favore aliorum ejus filiorum præſervavit, determinando, quod utilia lucroſi officii Componendarum Datariæ inter omnes forent communia, & pro æquali omnes filios hæredes inſtituendo, itaut nulla facta expreſſa liberatione,
16 vigere dicatur actio favore cohæredis ad redditionem rationis ab alio poſtulandam, per *text. in l. prima* §. *Officio ff. de tutel.*, *& ration. l.* 2. §. *Et ſane*, *ff. de negoc. geſt.*, *Conciol. ad ſtatut. Eugub. lib. primo Rubric.* 11. *n.* 1., *&* 11, *cum ſeqq.*, *Rota p.* 19. *rec.*, *dec.* 32. *n.* 5., *& per tot.*, *& in Romana pecuniaria* 16. *Januarii* 1702. §. *Licet coram Reverendiſs. Molines magn. Hyſpan. Inquiſit.*

Et ita utraque &c.

ROMANA ANNUÆ PRÆSTATIONIS;

Lunæ 4. *Aprilis* 1718.

ARGUMENTUM.

Promiſſio ſolvendi annuam preſtationem a fratre majore natu favore minoris facta, certam, ac deſignatam præexiſtentem cauſam habens retardari nequit, ex quo frater minor redditionem rationis de rebus domeſticis, & Patris officiis ab illo exercitis ante iſtius obitum repoſceret, quando iſta rationis redditio ex alio diverſo fonte promanaret, adeo quod nulla inter unam, & alteram cauſam deſumeretur correſpectivitas, ob quam Frater major talem annuam ſummam ſe ſoluturum promiſiſſe dici poſſet.

SUMMARIUM.

1 *Pacta in tranſactione concordata quiſque ſervare obligatur.*
2 *Amplia quando teſtatoris menti eſſent conſentanea, & in iſtius ſequelam concordata fuiſſent.*
3 *Factum proprii authoris nemo valet impugnare.*
4 *Subamplia quando jam præventivè Teſtatoris mens fuiſſet exequtioni demandata.*
5 *Correſpectivitas habet locum, ubi agitur de materia dependenti ab eadem cauſa, & ceſſat, quando cauſa eſt diverſa, & ideo contractus reſolutionem non parit.*
6 *Correſpectivitas non inducitur ex dependentia occaſionali, ſeu accidentali non ſubſtantiali, maxime quando contractus habent cauſam ſeparatam, & independentem unam ab altera*, amplia, ut in n. 7., & 16.
8 *Teſtes unus familiaris, & alter deponens de credulitate propria, nil probant.*
9 *Amplia quando contrariantur tenori obligationis, & actus naturæ.*
11 *Lucrum in officio exercito à fratre majore natu probatur ex declaratione Patris in teſtamento emiſſa, & ex illius obligatione de illud condividendo cum aliis fratribus minoribus à communi patre injuncta.*
12 *Diminutio redditum ab eam allegante eſt probanda, maxime quando factum ipſius allegantis eamdem excluderet.*
13 *Non probatur à teſtibus, qui tantumodo de oneribus eiſdem redditibus infixis loquerentur.*
14 *Reductio annuæ præſtationis ſub conditione promiſſa, iſta non verificata, non datur.*
15 *Pacta, & conventiones ſecundum contrahentium voluntatem intelliguntur.*

DECISIO MLIX.

Læſum ſe putans Antonius de Laurentiis à Hieronymo ejus Fratre ex eo, quod non obſtante computorum ſolidatione inter ipſos ſequuta de anno 1712. occaſione diviſionis, & concordie initæ mediante opera Eminentiſſimi Card. Corradini, eum vocaverat in Judicium cor. A. C. de Gentilibus ad red-

dendam rationem de adminiſtratione per ipſum geſta vivente adhuc Innocentio communi Patre (juxta latiorem controverſiæ expoſitionem præmiſſam in contemporanea mea deciſione ſuper eadem redditione rationis) detrectavit ulterius eidem Hieronymo perſolvere annua illa ſcuta 40., quæ in prædicta concordia, & diviſione pro utilibus depoſitariæ Collegii Militum Lauretanorum impoſterum quoque ab ipſo exercendæ illi cæteroquin reſpondere expromiſerat conſentaneè ad paternam diſpoſitionem, in qua hujuſmodi utilia communia fore demandabatur.

Propterea opus habuit Hieronymus coram memorato Judice hanc quoque aliam inſtantiam promovere ſuper annua prǽſtatione dictorum ſcutor. 40., & quemadmodum obtinuit in Judicio redditionis rationis, ita etiam reportavit pro illa decerni mandatum executivum; à quo, cum petierit ſuſpenſivam commiſſionem in Signatura Juſtitię Antonius Frater, fueritque reſcriptum cum clauſula *S.Q.E* Hinc delegata mihi hujus controverſiæ cognitione, propoſui in hac eadem Audientia una cum dubio ſuper redditione rationis, de quo in alia mea deciſione, etiam alind dubium ſuper dicta annua præſtatione deſumptum, juxta ſtylum à prǽfato reſcripto, & reſponſum habui -- *Mandatum A. C. eſſe exequendum*.

Omiſſa ſiquidem ad evitandam inutilem repetitionem inſpectione validitatis jam ſatis vindicatæ ab obiecto incompetentiæ Viæ executivæ in d. contemporanea deciſione §.
1 *conſtitit*: Juſtitia Mandati clarè deſumebatur ab Apoca concordiæ per Antonium acceptatæ, & propria manu ſubſcriptæ, in qua inter cætera ſtabilitum extitit, quod idem Antonius d. annuam prǽſtationem ſcut. 40. ſolvere Hieronymo Fratri teneretur -- *Per gl'utili della Depoſitaria Lauretana del primo Novembre paſſato in avvenire &c. -- di ſei meſi in ſei meſi poſticipatamente*. Æquum enim, ac juſtum eſt, quod ſi ex Fratris placito omnia utilia d. Depoſitariæ, cœteroquin ex paterna diſpoſitione communia ipſe percipit, eorum ratam in d. ſumma ſtabilitam eidem Fratri retribuat, & promiſſis in concordia tam ſerio peractu ſtare teneatur, *ad text. in l. Cum re ibique gloſ. verb. Conveniat C. de pact. inter empt., & vendit, & L. Non minorem 20. C. de tranſact. cum concordan. in Hortana ſylvarum ſuper qualitate Lignorum 28. Januarii proxime præteriti §. Porro cor. Me*.

Maxime quia provenit, ut dictum extitit,
2 talis conventio ex paterno Judicio, dum Innocentius communicationem dictorum utilium inter omnes Fratres hæredes æqualiter inſtitutas demandavit, ideoque illam in genere non poteſt Antonius Patris cohęres evi-
3 tare, ne contra communes regulas ſui auctoris factum, & diſpoſitionem impugnare videatur, *ad text. in L. Cum à Matre C. de*
4 *rei vindicat.*, dum etiam fuit ab ipſo huc uſque ſervata mediante ſolutione retroactis annis expleta in eadem quantitate, adeout multominus poſſit hodie ab illa reſilire, obſiſtente alia regula, de qua ſunt *text. in L. Papinianus §. Si conditioni ff. de inoff. teſtam.*, *& in poſt legatum ff. de his quibus, ut indign. cum aliis in Romana reſtitutionis hæreditatis ſuper executione Mandati 4. Aprilis 1710. §. prædictis cor. Emo D. Cardinali Priolo*.

Fruſtra igitur contendebat Antonius, quod talis conventio non ita ſimpliciter ab eo fuerit omiſſa, & hactenùs ſervata, ſed correſpectivè ad univerſalem computorum ſolidationem peractam inter ipſum, & Hieronymum Fratrem in eadem Apoca, in qua fuit exarata illius promiſſio, ita ut propterea interverſa per Fratrem tali computorum ſolidatione ratione inſtantiæ contemporaneè propoſitæ ſuper nova redditione rationis, reſoluta dici debeat ejus obligatio.

5 Quandoquidem aſſerta correſpectivitas nullo modo haberi poterat ad computorum ſolidationem, quando promiſſio ſolutionis annuæ præſtationis diverſam obtinet præexiſtentem cauſam paternæ diſpoſitionis, ſecundum quam ſuppoſita pœnes ipſum Antonium adminiſtratione Depoſitariæ, utilia inde profluentia debebant eſſe communia cum Fratre cohęrede, ideoque ad hanc cauſam potiùs, quam ad computa ſolidata eadem promiſſio referri debet, *Rota deciſ. 286. n. 15. coram Card. Cerro, deciſ. 323. num. 11. par. 12., & deciſ. 501. num. 3. par. 18. rec.* Et ſi
6 etiam aliqua ex actus contemporaneitate cauſari valeret correſpectivitas, illa ſanè non eſſet ſubſtantialis, & cauſativa, cum cauſa promiſſionis fuerit, ut diximus Paterna diſpoſitio, & adminiſtrationis continuatio, ſed tantum accidentalis, & occaſionalis, quæ reſolutionem contractus operari non poteſt, *Rota deciſ. 223. num. 14., & 15. par. 17., dec. 736. num. 4. par. 18., & dec. 486. nu. 11. part. 19. rec. tom. 2.*

7 Addebantque Domini, quod in omnem caſum talis correſpectivitas etiam ſumpta relativè ad contenta in Apoca tranſactionis, adhùc inefficax eſſet ad reſolvendam promiſſionem annuæ præſtationis controverſæ, quia dicta tranſactionis Apoca non compręhændit eam adminiſtrationem geſtam ab Antonio vivente Patre, de qua unicè nunc petitur redditio rationis juxtà plenè firmata in mea contemporanea deciſione.

8 Et nullam ideo fidem prǽſtandã eſſe cenſuerunt teſtibus de hujuſmodi correſpectivitate deponentibus, quia (præter quod eorum alter eſt ipſius Antonii familiaris, alter verò deponit ſimpliciter de propria credulitate, & proindè probationem non faciunt) aut
9 contrariantur tenori obligationis, & naturæ actus relationem habentis ad utilium debitam communicationem, aut conciliantur
10 præmiſſa animadverſione, quod etiam ſi ſubſiſteret talis correſpectivitas, adhùc, nulla dari poſſet contractus reſolutio, quia contro-

troverſia hodiè propoſita à Hieronymo, reſpicit rem non cadentem in ſæpedicta computorum ſolidatione.

Neque etiam obſtare viſum fuit, quod dicta promiſſio ſub illa concepta fuerit conditione -- *Conchè però in caſo di diminutione di detti reſidui &c. debba diminuirſi pro rata l' aſſegnamento ſudetto &c.* -- in modum ut cum ad nihilum redacta ſint dicta reſidua, ſivè utilia, aut ſaltem in magna parte decreverint, debeat promiſſio, aut ceſſare totaliter, aut ad formam dicti pacti pro rata diminui.

11 Quatenus enim proponebatur, quod utilia totaliter ceſſaverint, ità ut officium depoſitariç potius damnoſum, quam lucroſum effectum fuerit, videbatur hujuſmodi aſſertioni reſiſtere, cum Judicium Paternum, juxtà quod eorumdem utilium repartitio erat inter fratres facienda, tùm ipſa Antonii obligatio de illis communicandis ſuſcepta, poſt quam plures annos eamdem depoſitariam exercuerat, cum uterque ex his actibus illo-
12 rum ſupponat præexiſtentiam; quatenus verò prçtendebatur eorum diminutio, illa ſanè probanda erat ab Antonio, contra quem interim ſubſiſtebat obligatio reſpondendi pro illis Hieronymo ejus fratri annua ſcuta 40., quippè quia ad obtinendam pro rata diminutionem hujus ſummç, fundamentum ejus intentionis ſiſtit in eadem utilium diminutione, ideoque ab illo concludenter juſtificari debet juxtà vulgarem regulam.

13 Abſque eo quod talis probatio deſumi poſſit ex fidibus Capſerii ejuſdem depoſitariæ, & Secretarii Collegii Militum Lauretanorum, quia hujuſmodi fides, dictorum utilium potiùs certificant exiſtentiam, enarrantque ſolum ea onera, quç uſque à tempore ſuſceptæ per Antonium obligationis depoſitariæ erant annexa, & de ſecuta poſt concordiam diminutione verbum non faciunt, quando tamen ut proficui forent illius præ-
14 tentioni, deberent id evidenter oſtendere, alias dici non poteſt purificata illa conditio, ſub qua pacta fuit proportionabilis reductio promiſſæ præſtationis.

Multoque fortiùs hæc omnia procedebant, attento quod ex ejuſdem Capſerii calculo, & depoſitione reſultat duplicis generis eſſe hujuſmodi utilia, alia quippè ſunt antiqua, quæ nunquam fuerunt variata, & adhùc in eadem quantitate perſiſtunt; alia verò ſunt recentia, & iſta de anno, in annum variatio-
15 nem patiuntur; pactio autem præſtationis directa fuit ad utilia antiqua, non autem recentia, ideoque ſecuta iſtorum diminutio, non inducit caſum illum, in quo partes de reductione annuæ præſtationis cogitarunt, & prçcaverunt; certum autem eſt ſecundum contrahentium intentionem, & voluntatem conventiones, & pacta intelligenda eſſe *Card. de Luc. de regalib. diſc.* 187. *nu.* 5., & *Rota dec.* 69. *num.* 4. *coram Card. Cerro.*

Et ita utraque &c.

CREMONEN. BENEFICII.

Lunç 2. Maii 1718.

ARGUMENTUM.

Teſtator, qui ſuis bonis Eccleſiaſticum beneficium ab altero fundatore jam erectum pinguius reddidiſſet, leges ſibi beneviſas illi poteſt adiicere.

Conſenſus à Patrono beneficii permutationi præſtitus, veræ æquivalet prçſentationi; cum beneficii vacatio non ſecus per reſignationem, ſeu permutationem detur, ac per ipſam mortem naturalem beneficiati.

Quadrimeſtre datur Patronis laicis ad præſentandum.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium fundatum à teſtatore favore ſuorum deſcendentium, illi eſt adiudicandum, qui talem deſcendentiam probet, etiam ſi à Patrono nominatus non fuiſſet.*

2 *Fundator habet facultatem apponendi leges ſibi beneviſas ſuper beneficio.*

3 *Amplia, ut etiam ille, qui primævam beneficii dotem notabiliter proprio ære adauxiſſet.*

4 *Patronus beneficii, non poteſt onus paſſivæ vocationi adjectum reiicere, & commodum augumenti dotis reportare, maximè quando teſtatoris diſpoſitionem, qui tale feciſſet augumentum, acceptaſſet.*

5 *Amplia, ſi per ſpatium longiſſimi temporis ſiluiſſet.*

6 *Subamplia, quando in actu comparitionis ad præſentandum in ultima vacatione tale teſtamentum produxiſſet ad docendum de proprio jure, quod eo magis illius acceptationem importat.*

7 *Conſenſus Patronorum in reſignatione beneficii, ſive permutatione præſtitus, de jure vim præſentationis habet, & in iſtius locum ſubrogatus remanet.*

8 *Beneficium per renunciationem ex cauſa permutationis perindè vacat, ac ſi per mortem illius vacatio ſucceſſiſſet*, & num. 10.

9 *Voluntas teſtatoris remanet adimpleta, quando Patronus, loco præſentandi in vacatione beneficii juxta illius mentem, beneficium permutaſſet*; Intellige ut in num. 7. & 8.

11 *Conſenſus Patroni in permutatione beneficii prçſumitur interceſſiſſe ex effectu, quem permutatio, eo non reclamante, habuiſſet*, amplia ut in num. 13.

12 *Conſenſus Patroni eſt neceſſariiſſimus in permutatione beneficii.*

13 *Scientia arguitur ex ſanguinis conjunctione.*

14 *Conſenſus tacitus præſumitur in eo, qui ſcientiam habuit, & non reclamavit*; & num. 15., amplia ut in num. 16.

15 *Publicatio permutationis beneficii facta in Eccleſia Cathedrali, omnibus innotuiſſe præſumitur.*

16 *Conſenſus Patronorum in permutatione beneficii probatur ex teſtimonio Epiſcopi, qui in viſitatione aſſeruiſſet eam de illorum conſenſu fuiſſe ſequtam*; amplia ut in num. ſeq.

18 *Ordinarius tenetur in viſitationibus beneficiorum titulos ſuæ Diœceſis recognoſcere, ut ſciat legittimos, & illegitimos poſſeſſores.*

19 *Conſenſus Patroni in permutatione neceſſe non eſt, quod in actu collationis præſtetur, aut in iſtius inſtrumento inſeratur, cum ſupervenire poſſit intra quadrimeſtre à jure Canonico Patronis laicis ad præſentandum præfixum.*

20 *Patronus laicus debet intra quadrimeſtre præſentare.*

21 *Præſentatio vera, omninò libera eſſe debet.*

22 *Libertas Patroni in præſentando verificatur etiam in conſenſu præſtito permutationi beneficii, ex quo tali permutationi aſſentiri, nec ne, in ejus reſidet arbitrio.*

23 *Collator in caſu reſignationis, ſeu permutationis beneficium liberè conferre prohibetur.*

24 *Indultum* expectativæ, *permutationis caſum non compræhendit, ſed tantammodò vacationis per obitum.*

25 *Optio diverſa eſt à permutatione, & reſignatione.*

DECISIO MLX.

DIverſo fato contenderunt in Partibus ſuper adjudicatione beneficii vacantis in Eccleſia S. Petri Vici Moſcani Michael-Angelus Faita, & Chriſtopharus Cerrati; Primus enim ex jurepatronatus activo, juxtà quod ſe legitimè præſentatum aſſerebat ab illis de Arriſiis, & de Faita compatronis victor fuit coram Ordinario Cremonen.; Alter verò vigore juriſpatronatus paſſivi, ex quo beneficium debitum eſſe ſuſtinebat deſcendentibus Chriſtophari Pennatii, inter quos ipſe numeratur, obtinuit in Curia Metropolitani Mediolani.

Delata in gradu appellationis hujuſmodi controverſia ad noſtrum Auditorium, eaque mihi commiſſa, propoſui hodiè dubium -- *An, & cui ſit adiudicandum beneficium* -- & Domini ritè perpenſis utriuſque partis juribus, inhærentes poſtremæ ſententiæ Metropolitani, reſponderunt -- *eſſe adjudicandum Chriſtopharo.*

1 Docuit namque in teſtamentaria diſpoſitione Franciſchini de Faita Patroni, qui omnia ſua bona reliquit in dotem, & augumentum controverſi beneficii, eam legem ſcriptam eſſe, quod dempta prima vice, ſeu vacatione, in qua voluit jus præſentandi pertinere ad fratres de Arriſiis, impoſterum illi de Faita Patroni tenerentur -- *Præſentare, & nominare ad dictum beneficium, & Altare filios, & alios deſcendentes Chriſtophari Pennatii* -- Undè cum ipſe ſit ex deſcendentibus dicti Pennatii, & prima vacatio jam completa fuerit de anno 1661. ex permutatione facta de aliorum Compatronorum ſcientia, & conſenſu inter Benedictum, & Joſephum de Arriſiis, utique venit caſus paſſivæ vocationis ejuſdem Chriſtophari Cerrati; eique beneficium adjudicandum eſt, etiamſi à Patronis nominatus non fuerit, ut aliis omiſſis nuperrimè reſpondit *Rota in Montis Regal. Prior 24. Januar. huius anni §. Neutiquam cor. Reverendiſs. P. D. meo Auſaldo Decano, & in Peruſina Cappellaniæ 11. Martii hujus anni §. Perlecto cor. Me.*

Ad evitandum hujuſmodi fundamentum, duplex ex parte Michaelis Angeli proponebatur exceptio, & primo quod ad juriſpatronatus interpretationem non eſſet attendenda diſpoſitio Franciſchini de Faita, in qua ſcripta fuit vocatio paſſiva deſcendentium Chriſtophari Pennatii; & ſecundò, quod

2 adhuc illa attenta, non tamen factus eſſet locus prædictæ vocationi, eo quod Franciſchinus Teſtator in prima beneficii vacatione per obitum Benedicti Arriſii tunc beneficiati, voluit jus præſentandi libere pertinere ad illos de Arriſiis, qui tamen hactenus nunquam præſentare valuerunt, dum prima vacatio non contigit per obitum dicti Benedicti, ſed per beneficii permutationem ab illo factam cum Joſepho ejus nepote.

Neutra tamen ſubſiſtere Dominis viſa fuit. Quantum enim attinet ad primam, animadvertebant pium Teſtatorem jus quidem habere potuiſſe diſponendi circa controverſum beneficium, etiamſi ab ipſo non fuiſſet à principio fundatum, eo quia univarſam ſuam hæreditatem reliquit eidem beneficio in augumentum primæ dotis longè minoris, quam eſſet ejus relictum, quo ſanè caſu, cum id tendat in maximam Eccleſiæ utilitatem, certum eſt, quod ſicut poteſt primus Fundator ex titulo oneroſo dotationis apponere

3 leges ſibi beneviſas, ita permiſſum eſt ſecundo Fundatori, qui auxit notabiliter primævam dotem, ut in puncto docet *Lambertin. de Jurepat. lib. 1. par. 2. quæſt. 4. art. 4. n. 2.*, & firmavit *Rota deciſ. 1414. num. 1. coram Seraphin.* ibi -- *Licuit, ex quo propria bona donavit pro augumento dotis iſtius Juriſpatronatus.*

4 Neque ullatenus obſtitit hujuſmodi diſpoſitioni præjudicium ſucceſſorum in jurepatronatus activo, ex quo reſtricta fuerit eorum libertas ad præſentandum deſcendentes tantum Chriſtophari Pennatii; cum namque providus Fundator animo revolvens etiam caſum, quo iſti renuerent conſenſum præſtare ejus voluntati, & ordinationi, demandaſſet, quod tunc de tota ſua hæreditate novum erigeretur beneficium cum legibus ab ipſis datis, neque amplius ejus bona cederent in primi augumentum, uti que ſi nullum unquam actum geſſerunt, quo contradicerent præfatæ diſpoſitioni, & Benedictus tunc poſſeſſor beneficii illud poſt incorporationem omnium bonorum Franciſchini

cum Patronorum conſenſu permutavit cum Joſepho nepote, non poſſunt iidem Patroni onus adiectum paſſivę vocationis reiicere, & acceptare commodum augumenti dotis, juxta regulam *Text. in l. prima §. fin. ff. de aqu. pluv. arcen. & l. ſecundum naturam ff. de regul jur., Rot. deciſ. 239. nu. 13. par. 18.,*
5 *& deciſ. 114. num. 4. par. 19. rec.*, dum præſertim acquieverunt ſucceſſivè ſpatio annorum 70., & ultra, & comparentes ad præ-
6 ſentandum in hac ultima vacatione, produxerunt ad docendum de eorum jure Franciſchini teſtamentum, quod tantò magis acceptaſſe cenſentur, *Rota deciſ. 332 num. 3. coram Benincaſa, deciſ. 84. num. 20. par. 18., & dec. 284. n. 8. par. 19. rec. tom. 2.*

Non difficilius corruebat ſecunda exceptio, in qua ſanè totum impendebat conatum Michael Angelus pro Criſtophari excluſio-
7 ne; quippè quia cum certum ſit, incorporata jam beneficio Franciſchini hereditate, requiſitos fuiſſe fratres de Arriſiis Patronos, ut conſenſum præſtarent permutationi beneficii faciendæ à Benedicto cum Joſepho ejus nepote, ipſoſque de facto tali permutationi conſenſiſse, ille quidem conſenſus conſumpſit jus illud, quod habebant, ſemel in prima beneficii vacatione preſentandi, quia habetur loco præſentationis, juxta punctualiter tradita per *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. par. 1. quæſt. 6 art. 6. ſub nu. 20., & 22., Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſ. 45. §. 3. num. 52., Rot. dec. 163. num. 13. coram Duran. deciſ. 34. num. 8. coram Priol., deciſ. 201. num. 9. par. 6., & deciſ. 630. num. 19. par. 19. rec., & præcisè deciſ. 90. num. 8., & 9. coram ſa. me. Alex. VIII, deciſ. 952. num. 2., & ſeqq. cor. clar. mem. Card. Cerro, & deciſ. 341. num. 4. par. 16. rec.*

Nec obſtat, quod Teſtator explicando ſuam voluntatem circa primam vicem præſentandi, quam liberam præſervare intendebat illis de Arriſiis, id fore diſpoſuerit --
8 *poſt mortem præfati Benedicti* -- Quandoquidem ſicut per renunciationem ex cauſa permutationis quis dicitur civiliter mortuus quoad beneficium reſignatum, ſive renunciatum, *gloſ. in cap. ſuſceptum verb. non morte de reſcript. in 6., & ibi Barboſ. n. 16., Butr. num. 20. aliique Doctores relat. per Garz. de benefic. par. 11. cap. 3. num. 2., & 3., Gonzal. ad regul. 8. gloſ. 14. num. 32,* optimè *Lambertin. de jurepatr. par. 1. lib. 2. quæſt. 6. art. 3. num 1., & 2., Rot. deciſ. 325. nu. 2.*
9 *par. 16. rec.*, ita poteſt etiam dici verificata Teſtatoris voluntas, quod Arriſii præſentarent in prima vacatione poſt mortem Benedicti in vacatione per mortem civilem ſequutam ex cauſa permutationis anno 1661. quia cenſetur conſideraſſe effectum, & ſubſtantiam veræ, & propriæ vacationis, quæ
10 non ſecus datur per reſignationem, ſeu permutationem, ac per ipſam mortem naturalem beneficiati, ad *Text. in cap. unic. de rer. permut. in 6, Pariſ. de reſignat. lib. 1. qu. 2. num. 3., & ſeq. quæſt. 5. num. 4., & par. 16. num. 26. cum ſeq., Lambertin. dict. par. 1. lib. 2. q. 6. art. 3. num. 1., & 2., Garz. de Beneſ. par. 11. cap. 3. num. 2., & 3.* cum aliis *Rota deciſ. 952. num. 3. coram Cerro, & deciſ. 325. num. 2. par. 16. recent.*

Horum efficaciam probè noſcens Michael Angelus, recurrebat ad negandum in facto, quod non fuerit præſtitus conſenſus à fratribus de Arriſiis ſæpedictæ permutationi, ſed inutiliter. Quoniam non ſolum concurrit ad
11 hunc effectum præſumptio, quod omnino præſtitus fuerit, dum permutatio ſuum habuit effectum, & Patroni non reclamarunt, ut docent *Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 5. num. 22., 44., & 46., Lambertin. eod. tract. lib. 2. par. 3. quæſt. 2. art. 2. num. 4.*, & firmavit *Rot. deciſ. 3. num. 23. coram ſa. me. Ale-*
12 *xand. VIII.*, & ſine tali conſenſu fieri non niſi nulliter potuiſſet, ex deductis per *Vivian. loc. cit. nu. 28., Pariſ. de reſignat. dict. quæſt. 4. per tot., & Rot. dec. 952. num. 6. coram Card. Cerr., & deciſ. 225. num. 12. cor. eodem ſa. mem. Alexand. VIII.* & plenius *in Melevitana permutationis Commendarum 15. Junii 1711. §. Eoque magis coram*
13 *R. P. D. meo Criſpo*; maximè quia conſtat omnimodam dictæ permutationis ſcientiam illos de Arriſiis Patronos habuiſſe, tum ex quo erant ſtricti conſanguinei permutantium
14 undè nil facilius, quam quod ſciverint, & promptè conſenſerint, ut arguit *Vivian. de jurepatron. par. 3. lib. 14. poſt cap. 2. nu. 6., & ſeq., Rot. deciſ. 34. coram Card Cerro, & in Peruſina Canonicatus 5 Junii 1716. ſub*
15 *§. Atque hinc cor. Me*, tum etiam ex quo facta fuit ad formam Conſtitutionis Gregorianæ permutationis publicatio in Eccleſia Cathedrali Cremonen., ex qua potuit ſanè induci ſcientia, & conſequenter reſultare ſaltem tacitus Patronorum conſenſus, ex deductis per *Jo: Andr. in cap. 2. de his, quæ fiunt à Prelat. verſ. quando fuit edictum, Lambertin. de Jurepatr. lib. 2. par. 1. quæſt. 4. artic. 17. num. 19., & Rot. in cit. Peruſina Canonicatus ſub eod. §. Atque hinc coram Me.*

16 Verum inſuper ad certam hujus conſenſus probationem collimat in præſenti teſtimonium Epiſcopi Cremonen., qui in viſitatione expleta poſt ſecutam dictam permutationem anni 1661., aſſeruit illam factam fuiſſe -- *Accedente Patronorum conſenſu* -- in quibus terminis dici debet ſatis ſuperque probatus prædictus conſenſus, & quidem expreſſus Patronorum in permutatione, ut pluries firmatum fuit, & in ſpecie *dec. 284. num. 4. par. 14. dec. 168. num. 12., & 16. par. 16. rec. in Aretina Jurium Parochialium 15 Januarii 1703. §. Hinc uſque, in Pampilonen. Exemptionis 4. Junii 1707. §. fin., & in Pampilonen. juris ſedendi 28. Januarii 1707. §. Atque in hoc coram Reverendiſsimo P. D.*
17 *meo Anſaldo Decano.* Abſque eo quod replicari valeat id contingiſſe ex partium ſuggeſtione; quia imò id proceſſiſſe cenſendum eſt ex certa Epiſcopi ſcientia, & facti veri-

18 veritate; eſt namque munus Ordinariorum in hujuſmodi viſitationibus recognoſcere titulos Beneficiatorum ſuæ Diœceſis, ut ſciat legitimos, & illegitimos poſſeſſores, ſicut ex *Text. in cap. Ordinarii de offic. Ordin. in* 6., teſtatur *Card. de Luc. diſc.* 9. *num.* 17. *de Jurepatron.*, *&* *diſc.* 17. *num.* 3. *de juriſdict.*

19 Parum propterea refert, quod conſenſus iſte non legatur expreſſus in ipſa collatione, ſeu permutatione, quaſi quod indè conſtet de negativa probatione illius præſentationis; collationis præſtetur, aut in ipſo neceſſe enim non eſt, quod in actu ipſo permutationis inſtrumento inſeratur, dum communiter receptum eſt, quod vel antepræſtari poteſt, vel
20 etiam ſupervenire ex poſt intrà quadrimeſtre Laicis Patronis à jure Canonico præfinitum ad præſentandum, ut latè probant *Lambertin. de jurepatr. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 6. *art.* 6. *num.* 4., *Vivian. eodem tract. lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 22., *&* *Rot. deciſ.* 5. *per tot. de rer. permutat. in novis.*

Ejuſdem irrelevantiæ comperta fuit, & alia ſubalterna animadverſio, quod cum beneficium ex cauſa permutationis, ſeu reſignationis non vacet, niſi favore certæ perſonæ, permutantis ſcilicet, aut reſignatarii; inde inferri debeat, quod conſenſus à Patronis tali caſu præſtitus, tanquam non liber, ſed
21 neceſſariò cedere debens favore dictæ Perſonæ, non poſſit haberi loco veræ præſentationis, quæ cæteroquin eſſe debet libera, ad *Text. in Clement. unic. de rer. permutat.*

22 Etenim libertas iſta in objecto requiſita favore Patroni præſentare debentis, ſufficienter videtur concurrere etiam in conſenſu præſtito permutationi, quippè quia in illius reſidet arbitrio, & facultate conſentiendi nec ne, ut probat *Barboſ. de offic.*, *&* *poteſt. Epiſcopi allegat.* 72. *num.* 10., *Vivian. de Jurepatronat. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 34., *&* *lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 22., *&* 28., *Lambertin. eod. tract. lib.* 2. *par.* 1. *quæſt.* 6. *artic.* 6. *ſub num.* 30., *&* 38., *&* *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 45. §. 3. *num.* 53.

Et extranei ſunt termini auctoritatum, quæ in contrarium fuerunt adductæ, *Textus* enim in objecto allegatus, pluresque Doctores illum ſequentes loquuntur in terminis
23 non Patroni, ſed Collatoris, qui quidem non poteſt beneficium liberè providere in caſu reſignationis, aut permutationis. Alii
24 Doctores loquuntur in terminis indulti expectativæ, quod non poteſt comprehendere caſus permutationis, ſed tantummodò vaca-
25 tionis per obitum. Alii demum in terminis optionis, aut conſimilium jurium, quæ diverſa totaliter ſunt à caſu permutationis, & reſignationis, in quo de reliquo punctualem habemus Sacræ Rotæ auctoritatem *deciſ.* 90. *coram ſan. mem. Alexandr. VIII.*, *deciſ.* 952. *cor. clar. mem. Card. Cerro*, *&* *dec.* 341. *par.* 16. *rec. ſupra allegat.*

Et ita unaquaque &c.

HORTANA SYLVARUM SUPER QUALITATE LIGNORUM.

Veneris 6. *Maii* 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 18. Januarii hujuſmet anni.

Verba contrahentium non ſemper ſecundum ſtrictam juris ſignificationem, ſed juxta communem loquendi uſum in loco initi contractus percutientem veniunt interpetranda. In tranſactionibus ſemper quid inter partes remiſſum amicabiliter præſumitur, & victor in cauſa non minori affectus utilitate, quam per viam juris in Cauſæ progreſſu fuiſſet conſequuturus, nec non ad tranſigentium mentem interpetrandam, ſubſequutæ obſervantiæ, & cauſæ tanſactionis motivæ multum eſt deferendum.

SUMMARIUM.

1 *Virgulta*, *&* *exigua ligna ad ſubſtinendas vites*, *&* *nuces percutiendas veniunt ſub nomine* di Pali e Pertiche.

2 *Voluntas contrahentium in dubio ex cauſa tranſactionis motiva explicatur*, *&* *ex illius verbis*, & num. 10.

3 *Amplia*, *ut maximè ex obſervantia ſubſequuta*, & num. 16.

4 *Senſus verborum ſecundum localem conſuetudinem loquendi eſt interpetrandus*, *&* *non juxta ſtrictam Iuris interpratationem* amplia, ut in num. 6.

5 *Senſus verborum quid ſonet*, *probatur ex dicto teſtium ejuſdem loci*.

7 *Dictio* -- Ultra -- *in ore tranſigentium eſt ampliativa*, *&* *extendibilis ad aliquid aliud*, *quod quis ultra ſolitum ſe ſoluturum promiſiſſet*, & num. 13.

8 *Amplia*, *quando concordatum inter contrahentes ſtetiſſet*, *quod* illud ultra *gratis tradendum foret*, *quod denotat iſtud idem eſſe quid venale*, & vide caſum.

9 *Teſtes pendente lite*, *deducti*, *&* *ad perpetuam tantum*, *confundantur in dicto aliorum formiter repetitorum in actu acceſſus facti ad aliquid decidendum*.

11 *Tranſactio eſt de re dubia*, *&* *litigioſa*, *non gratuita pactio*, *&* *ſemper in ea Partes aliquid ad invicem remiſiſſe præſumuntur*.

12 *Semper utilis victori in cauſa*, *&* *favorabilior*, *quam victo præſumitur*, amplia ut in num. ſeq., & 14.

15 *Tranſigentes quid intellexerint in tranſactione*, *poteſt deduci ab eo*, *quod ſimili in caſu voluiſſent*.

17 *Verba tranſigentium*, *quod potius in uno*, *quam in alio ſenſu veniant interpretanda*, *ex qualitate rei*, *&* *pretio iſti attributo*, *ſimul conſideratis deducitur*, *intellige*, *quod ſi pretium eſſet vile*, *de re minimi valoris intellexiſſe præſumitur*, *ſecus ſi eſſet magnum de re magni valoris*, amplia ut in num. ſequenti.

19 *Obſervantia ſubſequuta*, *intentionem partium in antecedenti contractu declarat*.

DECI-

DECISIO MLXI.

OBtentâ per Communitatem Suriani nova audientia adverſus deciſionem, ipſa non informante, editam coram Me ſub die 28. Januarii proximè præteriti, renovatum hodiè fuit examen Tranſactionis initæ de anno 1706. inter eamdem communitatem, & D. Ducem ab Altæmps ſuper univerſali dominio Nemorum, & Sylvarum d Caſtri, quod ille ad ſe ſpectaſſe una cum facultate lignandi contêdebat, & de facto pluribus Judicatis hujus noſtri Tribunalis ſibi attribui reportaverat; totaque in præſens quæſtio reducebatur ad inſpectionē illā, cujus generis, & qualitatis ligna deſignare partes intellexerint in *Cap.9.* dictæ Tranſactionis, quando diſpoſuerunt, *Ch'oltre il ſolito jus, che hà il Signor Duca come primo Cittadino ſopra le dette Selve &c. poſſa prenderſi ogn'anno dalli diradi Pali numoro* 150., *e Pertiche num.*150. *per ſervizio de' ſuoi Beni &c. ſenza che poſſa pretenderſi pagamento di ſorte alcuna &c.* Quippe quia ſub-
1 ſtinere conabatur Communitas intelligi non poſſe verba illa *Pali, e Pertiche*, niſi de virgultis illis, & exiguis lignis aptis ad ſubſtinendas vites, & nuces excutiendas, juxta *Text. in leg. Pali, & Pertica, ff. de legat.*3., & in alia *leg. Pali, & Perticæ, ff. de verbor. ſignific.*. E contra verò ex parte Ducis prætendebatur, quod ſub præmiſſa expreſſione venirent ex Partium voluntate ligna diverſæ longitudinis, & magnitudinis, ſive circumferentiæ, ut dici ſolet, deſignata in ſententia, quam protulit in prima Inſtantia A. C., & quæ tranſitum fecit ob non proſecutam debito tempore appellationem, in aucthoritatem Rei judicatæ.

Diſcuſſis itaque Partium juribus, ſubſiſtere adhuc viſa ſunt fundamenta tam dictæ Rei Judicatæ, quàm etiam memoratæ noſtræ Deciſionis, ideoque concluſum extitit, *ſtandum eſſe in Deciſis*.

Et quidem Tranſigentium voluntatem
2 eam fuiſſe, quod ſub nomine Palorum, & Perticarum etiam grandiora, & longiora ligna intelligerentur, optimè deſumebatur, primo ex verbis recenſitæ Tranſactionis, ſecundò ex cauſa, quæ motivum præbuit eidem Tranſactioni, & tertio demùm ex ob-
3 ſervantia ſubſecuta, ex quibus regulariter declarationem erui voluntatis Contrahentium, & explicari quid illi in Tranſactione diſponere intellexerint firmat *Rota dec.*27. *num.*1., *& ſeqq. poſt Vrceol. de Tranſact. dec.* 492. *num.*19., *&* 20. *coram Bich.*, *& in Romana Tranſactionis* 10. *Decembris* 1694. §. *Neque ad declinandam coram bo.me. Pio*.

4 Porrò verba Tranſactionis non reſtringi ad ſola virgulta, & ligna inferioris notæ, ut diximus ad nuces excutiendas, & vites ſubſtinendas exercibilia, optime demon-
5 ſtrat communis intelligentia in Caſtro Suriani verborum *Pali, e Pertiche*, deponentibus Teſtibus examinatis à Iudice primæ inſtantiæ in acceſſu ad locum controverſiæ, quod ſub dictis nominibus veniunt ligna ejus qualitatis, quam ille ſucceſſivè approbavit in ſua ſententia; hac autem poſita intelligentia, non eſt quærendum, quid juxta
6 ſtrictam Iuris interpretationem deſumptam ex ſupra allegatis *leg. Pali, & Pertica, ff. de leg.*3., *& ff. de verbor. ſignif.* dici poſſet de dictis verbis, ſivè nominibus, ſed judicandum eſt, ſecundum eum probabilem ſenſum, quem tranſigentes ex communi uſu loquendi habere potuerunt, ad vulgat. *Text. in l. Labeo.*, *ff. de ſuppellect. legat.*, & firmat *in Rot. Rom. diſtributionis Dotium* 22. *Februarii ſuperioris anni* §. *Quoad Bohemos*, *coram Me*, cum aliis in deciſione, quæ revidetur §. *final.*

7 Tantoque magis hujuſmodi ſenſus ſequi debuit, tum quia tranſigentes de Palis, & Perticis 150. quolibet anno à Domino Duce percipiendis rationem habuerunt *ampliativè* ad jus, quod habebat iſte uti primarius Civis quæcumque ligna aſſumendi ex Sylvis Territorii Suriani, quæ pro cultura, & uſu ejus Bonorum eſsent neceſsaria, ibi -- *Oltre il ſolito jus, che ha il Signor Duca come primo Cittadino &c.* itaut explicantes ſe mediante præmiſsa dictione *Oltre*, videantur de diverſis lignis in pacto intellexiſse, quam eſſent ea, quæ jure Civico Duci deberentur, ad *Text. in l. Actione* 9. *verſ. & illa verba*, *C. de Tranſact.*, ut advertit *dec.*, quæ revidetur
8 §. *Etenim*. Tum etiam quia ſubdiderunt ſtabilitam conceſſionem Duci factam eſſe *ſenza che la Communita poſsa pretendere pagamento alcuno*, ex quo demonſtratur reſpexiſſe in hujuſmodi pacto ad ea, quæ vendi ſueverant à Communitate: conſtat autem ex dicto ſupradictorum Teſtium formiter examinatorum, quòd ligna à Communitate vendi ſolita, non ſunt ea minora, quæ ipſa contendit exprimi ſub ſæpedictis nominibus *Pali, e Pertiche*, ſed ea, quæ fuerunt in ſententia A. C. Duci attributa, unde & pactum ſupra expreſſum intelligi debet de iſtis, quibus congruit qualitas venalitatis à tranſigentibus ponderata, ex firmatis *dec.*279. *nu.*9. *coram Emer. Jun.* cum aliis in deciſione, quæ revidetur §. *Confirmatur*.

Neque ullam mereri poſſe fidem viſi ſunt
9 teſtes nuperrimè pro parte Communitatis adducti, diverſimodè exponentes qualitatem lignorum, quæ ex Sylvis Territorii Suriani vendi ſolent, & deſignari ſub nomine Palorum, & Perticarum, quia vel ex hoc ipſo non probant, quod pendente lite, & ad perpetuam dumtaxat rei memoriam depoſuerunt, ut firmat *Rot. dec.*709. *num.*6., *& dec.*944. *num.*7. *coram Emer. Iun.*, vel ex eo quod pugnant cum aliis, ut ſupra in actu acceſſus examinatis, & pluribus circumſtantiis diverſum ſenſum ſuadentibus eorum fides deſtruitur, & non ſunt attendendi, *Rot. dec.*25. *n.* 6. *coram Beninc.*, *& dec.*431. *num.* 13. *par.*19. *Recent.*

Non minus hujuſmodi partium ſenſus edu-
10 citur ex cauſa, qua Communitas mota fuit ad ineundam cum Domino Duce tranſactionem, & reſervandum in ea illius favore pactum

ctum controverſum annuę perceptionis 150. Palorum, & Perticarum. Siquidem ex ejuſ-
11 dem Ducis parte inſtructa fuerat ea lis, in qua, ut refert deciſio, quæ revidetur in principio, tot noſtri Tribunalis prodierunt, reſolutiones ſuper univerſali dominio Sylvarum, & Nemorum totius Territorii Suriani, eaque de tempore initę tranſactionis ad illum deducta ſtatum reperiebatur, in quo Dux per plures inſtantias Victor extiterat; ſicut verò negari non poteſt, quod tranſigendi cauſam prębuit hęc ipſa lis, ita admitti etiam debet, quod Duci deſiſtenti à lite, & renuncianti juri univerſalis dominii, ac Juri lignandi in tota extenſione dictorum Nemorum, & Sylvarum non erat in congruum ultra ſummas pecuniarias, ei ſolutas, & fortaſsè inæquales, aliquod etiamjus æſtimabile, & lucroſum concedere, per quod magis juſta evaderet compenſatio ejus, quod dimittebat, ne cæteroquin ipſe in lite Actor
12 & victor, parum congruam, & condignam ex concordia utilitatem retraheret, contra naturam tranſactionis, quæ debet eſſe de re dubia, & litigioſa non gratuita pacto, ut inquit *Rota dec.553. num.25. par.19. Recent.* & in qua æquum, juſtumque eſt, ut aliquid hinc inde à partibus tranſigentibus remittatur, ut pariter advertit *Rota per Text. in l. 1. Cod. de Tranſact. dec.479. num.18. par.19. Rec.*, & cum aliis in *Faventina Fideicommiſſi de Gaſiis 7. Maii 1714. §. in aliquo, coram R.P.D. meo Criſpo.*

Si autem pactum illud reſervationis Palorum 150. totidemque Perticarum intelligendum eſſet juxta hodiernam prætenſionem Communitatis de inferioribus lignis, ſeu virgultis, patens eſt, quod non reportaſſet Dux ex concordia hujuſmodi utilitatem, & recompenſam ceſſioni ejus prętenſionum, quia jam uti primus Civis talia ligna, & virgulta poterat ad ejus libitum percipere ex Sylvis, & Nemoribus ſui Territorii, itaut
13 reſervatio prædicta remanſiſſet ſuperflua, & ſola pecuniarum ſolutio pretium fuiſſet Jurium dimiſſorum, quando tamen aliquid plus dare voluiſſe tranſigentes ex eodem pacto reſultat, itaut veriſimile nunquam eſſe
14 poſſit, illum contentum fuiſſe, quod ejus reſpectu dimitteret univerſale dominium non parum conſiderabile omnium eorumdem Nemorum, & Sylvarum: inferri propterea debet ab hac veriſimilitudine actum verè fuiſse de lignis illis hodiè petitis ex parte ejuſdem Ducis, quæ admodum vilis prætii non ſunt, & nè quidem admodum exorbitantis, ut probabile undequaque ſit
15 de illis Partes intellexiſse, proùt alias à veriſimili arguit *Rot. dec.24. num.7., & dec. 47. nu.8. & ſeq. coram Emer. Juv., & dec. 43. nu.21. coram Reverendiſs. meo Anſaldo Decano.*
16 Obſervantia demum ipſiuſmet Communitatis in eumdem collimat intellectum. Habemus namque in facto, quod ipſamet Communitas ut ſeſe eximeret à præfato pacto conceſſivo 150. Palorum, & perticarum annuatim debitarum Domino Duci, obtulit unica vice perſolvere de anno 1711. ingentem ſummam ſcutorum ſex millium, & rurſus de anno 1713. majorem quantitatem ſcutorum 8000., quod ſi ipſa Communitas tanti
17 fecit hujuſmodi pactum, ut illius caſsationem tanto pretio ſibi comparare pluriès, ſtuduerit, quis dicet actum fuiſse de vili materia, & de virgultis aut lignis modicæ æſtimationis.

Rurſus eadem Communitas, poſtquam Suriani Caſtrum à Domo ab Altæmis alienatum fuit, movit omnem lapidem ad obtinendam caſsationem prædictam à Dominis Emptoribus, ac modernis Poſſeſsoribus, & deveniens cum illis hac lite jam pendente de anno 1715. ad novam concordiam, ſtatuit pretium ſæpedictæ caſsationis in ſcutis 3666. & eo interim quo conventam ſummam non exſolvebat, pepigit loco Palorum 150., totidemque Perticarum Duci Suriani pro tempore perſolvere annua ſcuta 110.
18 Conſtat itaque ex hoc facto, fuiſse perceptionem Palorum, & Perticarum reſervatam in prima concordia Dominis Ducibus æſtimatam à Communitate metipſa (approbante ſucceſſivè hanc æſtimationem Sacra Boni Regiminis Congregatione) in non exigua annua ſumma ſcutorum 110., quæ ſanè ſi actum fuiſset de paruis virgultis, & inferioribus lignis, fuiſset nimium exceſſiva, & verum valorem rei, cujus loco ſubrogabatur, ſuperaſset longè ultrà medietatem, id quod ſanè credendum non eſt, nec fuiſse permiſſuram dictam Sacram Congregationem, neque in ipſius Communitatis animo cadere potuiſſe, ut de ſe patet. Quantum autem in omni
19 materia valeat argumentum ductum ex obſervantia, & præſertim ad contractuum interpretationem, ſunt *Text. in l. Sed, & 9. §. Proindè ff. ad Macedon., & in l. Si Servus plurium §. fin. ff. de legat. primo &c.*, & relatis concordan. firmat *Rot. dec.416. n.4. par.19. Recent. num.2.*

Et ita relativè etiam ad Deciſionem, quæ revidetur concluſum fuit, Utraque &c.

PERUSINA CAPPELLANIÆ.

Veneris 6. *Maii* 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatæ ſub die 11. Martii hujuſmet anni.

Fundator, qui indefinitè loquendo, de ſua familia deſcendentes ad Cappellaniam à ſe erectam, & ad nutum commovibilem invitaſſet, ſuperveniente uno ex iſtis extraneum de ea jam proviſum eici voluiſſe cenſetur.

Sub nomine deſcendentium venit tota familia contentiva, & deſcendentia quomodo probetur, diſtinctè explicat ſequens.

SUMMARIUM.

1 *Beneficium adiudicandum illi eſt, qui omnia*

nia à Fundato re volito habet requiſita, & acſi fuiſſet ab iſto met electus, & nominatus reputatur.

2 *Deſcendentia ex Fundatore rigoroſe non eſt à proviſo, & per gradus diſtinctos probanda ad obtinendam inſtitutionem, quando res eſt inter unum de familia, & penitus extraneum.*

3 *Amplia in caſu, quo Fundator propriam, & effectivam deſcendentiam non habens, omnes indiſtincte de ſua domo vocaſſet, quod denotat, ut tota contentiva familia vocata intelligatur.*

4 *Deſcendentia ex Teſtatoris familia probatur ex cognomine, quo Anteceſſores eam probare volentes, uſque ab antiquiſſimo tempore uſi eſſent.*

5 *Amplia ex fidibus Teſtium, & Parocorum teſtantium, eum ſemper ſub fundatoris cognomine vocatum fuiſſe.*

6 *Subamplia, quando linea iſtius ad beneficium à tali Fundatore erectum ſub fundamento talis deſcendentiæ fuiſſet admiſſa.*

7 *Linea de familia Teſtatoris ſemel approbata, amplius reprobari non poteſt.*

8 *Admiſſio ad beneficium refertur ad cauſam & titulum præexiſtentem, qui jus tribuat præſentando; intellige, ut admiſſus ille non præſumatur, qui de fundatoris familia ſe deſcendere prius conſtare non feciſſet, & vide rationem.*

9 *Ennunciativa deſcendentiæ eam non probat, quando principaliter dubitatur de ennunciato, & probationes in contrarium adſũt.*

10 *Cappellania quando favore deſcendentium de Fundatore eſt ad nutum amovibilis, tunc extraneus de ea proviſus eſt removendus, & admittendus ille de familia ſuperveniens.*

11 *Fundator Cappellaniæ, ſi vocaſſet ad eam deſcendentes de ſua familia cum his verbis* -- Se alcun figlio &c. voleſſe farſi Prete &c. *indefinite loquendo, quocumque tempore illi extent, ad excluſionem extraneorum ſunt admittendi.*

12 *Fundator, quod in Cappellania ad nutum amovibili favore deſcendentium de ſua familia iſtis* expectativam *tantum noluerit concedere, ſed facultatem, & jus eiciendi extraneum de ea jam proviſum, ex quibus deducatur.*

DECISIO MLXII.

CAppellaniam erectam in Eccleſia Hoſpitalis Caſtri Rigonis ex pia diſpoſitione Hercalani de Amatuccis, obtinuit declarari per geminas Sententias, ſibi debitam eſſe Franciſcus pariter de Amatuccis, non obſtante, quod in illius actuali poſſeſſione reperiretur alter Sacerdos ex eo fundamento, quod ipſe uti filius illorum domus Amatucciæ ex voluntate Fundatoris in excluſionem extraneorum quandocumque vellet ad Sacros Ordines promoveri, de d. Cappellania providendus eſſet; nec diſſimilis fuit ſenſus Sacri Auditorii, dum commiſſa mihi appellationis cauſa; & propoſito in audientia diei 11. Martii proximè præteriti dubio -- *An Franciſco ſit adiudicanda Cappellania*, DD. illius favore reſponderunt.

Et quoniam Officialibus Hoſpitalis fuit ſucceſſive indulta facultas deducendi ſua Jura adverſus captam in eorum contumacia reſolutionem, fuit hodie dubitatum -- *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis*, libratiſque utriuſque partis Juribus, reſcriptum prodiit *In deciſis*.

Clara ſiquidem Fundatoris voluntas, quod ſi aliquis ex filiis illorum Domus ſuæ de Amatuccis Eccleſiaſticæ militiæ adſcribi vellet, & ob rei familiaris anguſtiam patrimonium ſibi ad id neceſſarium conſtituere nequiret, ab Officialibus Hoſpitalis ad Cappellaniam ab ipſo fundatam admittendus eſſet ex fundationis Inſtrumẽto deprehendebatur; ideo-
1 que conſtito etiam de Franciſci propoſito aſcendendi ad Sacros Ordines, ac de impotentia ſibi conſtituendi patrimonium ex interpellatione facta Officialibus, longa litis ſuſtentatione, ac plurium teſtium depoſitione, utique non poterat amplius retardari illius admiſſio ad ejuſdem Cappellaniæ poſſeſſionem, cum debeat haberi, ac ſi fuiſſet ab ipſo met fundatore admiſſus, & prælectus, juxta firmata *in Valentina beneficii* 6. *Decembris* 1713. §. *Claræ, in Gerunden. Juriſpatronatus* 14. *Februarii* 1715. §. *Imo, in Forolivien. Canonicatus ſuper iſtitutione* 26. *Junii* 1716. §. *Et alteram cor. Me, & paſſim alibi*.

Contra hæc fundamenta etiam in præcedenti deciſione ſtabilita, duplicem Officiales proponebant exceptionem, quod nempe Franciſcus ſe non probaret eſſe de familia vocata per Herculanum Amatuccium Cappellaniæ erectorem, quodque illi obſtaret, eamdem Cappellaniam non vacare, ſed plenam eſſe, cum actualiter ab alio Sacerdote, antequam ipſe compareret, legitimè nominato detineatur.

Quantum vero attinet ad primam, advertebant DD. rigoroſam in præſenti deſcendentiæ probationem per diſtinctos, ut præ-
2 tendebatur gradus à communi ſtipite, tàm Herculani Fundatoris, quàm Franciſci Cappellaniæ proviſionem expoſtulantis, non requiri, eo quia non concurrit iſte cum alio de eadem familia competitore, quo caſu talis ſane probatio facienda eſſet, ſed litem agit ad excluſionem alterius prorſus extranei, & ideo jam d. probatio non requiritur, ſatiſque eſt, ut ſeſe natum oſtendat in familia à Teſtatore vocata, ut bene diſtinguit *Rot. dec.* 254. *n.* 16., *&* 17. *cor. Royas, in Tuden. Parochialis de Reverteme* 17. *Junii* 1712. §. *Et abſque ullo cor. R.P.D. meo Falconerio Urb. Gubernatore, & in Vaden. Canonicatus* 5. *Decembris ejuſdem anni* §. *Quoniam coram Me*. Quod eo fortius in præſen-
3 ti locum habet, quia de facto fundator propriam effectivam deſcendentiam non habens poſt vocatos filios *delli Fratelli*, o *Sorelle*

Con

Conſobrine d'eſſo Teſtatore, qui utique nequidem erant de familia Amatuccia, vocavit ſucceſſivè omnes indiſtinctè *di caſa ſua degl' Amatucci*, in quibus ſane terminis (quidquid ſecus eſſet ſi admiſiſſet ſolum deſcendentes primo vocatorum, ut in contrarium aſſerebatur ab Officialibus Hoſpitalis) cenſetur vocata tota familia contentiva, nulla adhibita diſtinctione proximioris, vel remotioris gradus, aut deſcendentiæ, ut cum cęteris adductis in deciſione, quę revidetur §. *Quod autem*, concordat *Rot. in Lauretana Canonicatus* 20. *Junii* 1692. §. *Siquidem cum ſeqq.*, & 13. *Februarii* 1593. §. *Iuſtitia namque cor. bo. me. Muto*, & *in Aſculana beneficii* 26. *Novembris* 1699. §. *Probato ex his cum pluribus ſeqq. cor. Eodem*.

His autem pręmiſſis, ſatis certa probatio
4 deſcendentiæ Franciſci ex Domo Amatuccia deducebatur, non ſolum ex eo, quod ejus Progenitores à centum circiter annis hujuſmodi cognomine in quibuſcumque actibus uſi ſunt, ut evincunt plura antiquiſſima documenta per illum exhibita, ſed etiam ex quo Teſtantur Parochus loci, aliique Teſtes
5 formiter examinati, illum communiter, ejuſque etiam Progenitores ſemper habitos fuiſſe, & vocatos de domo Amatuccia, quibus ſane documentis, & depoſitionibus, præſertim deperditis Baptiſmatum libris, ut inquit idem Parochus, multo facilius ſtandum eſt, *ex Gloſſ. in l.* 1. *verb. Quoties ff. de probat.*, *Mareſc. variar. reſol. lib.* 1. *cap.* 70. *nu.* 3., & *ſeqq.*, *Rot. in Melphicten. Cappellaniæ* 4. *Iulii* 1698. §. *In Nicolao*, *ac in Aſculana Beneficiorum* 26. *Novembris* 1699. §. *Minus deſumi*, & §. *Hecque cor. bo. me. Muto*.

Sed cæteris etiam omiſſis, concludentiſſi-
6 mum ad præſens argumentum requiſitę deſcendentiæ ab illa Domo Amatuccia, quam Teſtator perpetua vocatione honoravit, ea præſtat circumſtantia, quod aliàs de anno 1634. fuit ab Hoſpitalis Officialibus admiſſus ad Cappellaniam controverſam Philippus de Amatuccis, quem ex indubitatis Juribus conſtat fuiſſe fratrem Patruelem Antonii Avi Paterni ipſiuſmet Franciſci hodiè comparen-
7 tis: Quo circa ſi ſemel illius linea fuit admiſſa, & approbata, nullo modo poteſt hodiè amplius reprobari, ut alias dixit *Rota dec.* 213. *n.* 22. *p.* 9. *rec.*, *in Sutrina Canonicatus* 21. *Junii* 1706. §. *Præter quam quod cor. Emo D. Card. Priolo*, & *in Eyſteten. præcedentiæ* 1. *Aprilis mox elapſi* §. *Atque ex his cor. Me, cum aliis in deciſione, quæ revidetur* §. *Quad autem*.

Neque obſtat, quod in d. Philippi Amatucci admiſſione non fuit ab Officialibus habita relatio ad Teſtamentum Herculani Fundatoris, ſed indiſtinctè proceſſum fuit eo modo, quo procedere ſueverant in admiſſionibus aliorum, qui non erant de domo Amatuccia. Quippe quia dum conſtat de titulo,
8 & cauſa propter quam ille admittendus erat ad Cappellaniam, ſi Officiales proceſſerunt per viam admiſſionis, utique ad talem titu-

lum, & cauſam præexiſtentem, & quæ jus admittendo tribuebat, etiam admiſſio referri debet, alias namque non per viam acceptationis illiuſmet concurrentis, ſed per viam potius nominationis proceſsiſſent, juxta deducta *in Viten. Scribaniæ ſuper bono jure* 25. *Februarii* 1695. §. *Siquidem cor. bon. me. Urſino*, *in Romana inciſionis Arborum prima Julii ejuſdem anni* §. *Prout neq. cor. Emo D. Card. Priolo*, & *in Ferrarien. bonorum ſuper fructibus* 11. *Februarii* 1707. §. *Hæc quoad cor. Eodem*.

Minuſque relevat, quod Antenati Fran-
9 ciſci uſi non fuerunt cognomine de Amatuccis, ſed alio diverſo de Maſſutiis, illudque aſſumpſerunt ad uſurpandum juſpatronatus controverſæ Cappellanię, contrarium namque conſtat ex ſupradictis probationibus, & quatenus aliquæ adducuntur enunciativæ pręfati cognominis de Maſſutiis, vel non bene probatur, quod illæ reſpiciant perſonas certas, & omnino exiſtentes in Domo Amatuccia, vel deſtruuntur tot aliis in oppoſitum adductis, & approbatis etiam ab Officialibus Hoſpitalis occaſione admittendi inter ipſius Confratres de anno 1622. Sanctem, & Philippum de Amatuccis, & aſſumendi in Cappellanum præfatum Philippum de anno 1634., ideoque nullam poſſunt conſtituere probationem, *Rota dec.* 281. *n.* 10. *cor. Emer. jun.*, *dec.* 318. *n.* 12. *p.* 17., & *dec.* 409. *n.* 53. *p.* 19. *rec.*

Deſcendentes itaque DD. ad ſecundam Officialium exceptionem, quantum pertinet ad id, quod ſaltem non poſſit admitti Franciſcus, donec poſſidet Cappellaniam Sacerdos de illa proviſus ante ullam ejus comparitionem, ponderabant hujus quoque inſubſiſtentiam convinci ex integro contextu Fundationis, ſeu Teſtamenti, in quo Herculanus
10 nulla certa dote aſsignata, nullaque adhibita Ordinarii Auctoritate, minuſque illa requiſita in Cappellanorum inſtitutione, voluit Cappellaniā eſſe reſpectu extraneorum nutu amovibilem, quo caſu certum eſt, quod ſuperveniente conſanguineo ab eodem fundatore vocato, debet extraneus removeri, & in adimplementum ejus voluntatis admitti Conſanguineus, ſeu vocatus, ut præter adductos in generalibus terminis *in Romana fideicommiſſi* 21. *Junii* 1702. §. *Hæc tamen*, & §. *Eo enim caſu cor. bo. me Caſſarello*, & *in Romana Prælaturæ de Vecchiarellis ſuper fructibus* 9. *Martii* 1703. §. *Nec obſtat cor. cl. me. Card. Caprara*, *diſcuſſo articulo in terminis firmat Rot. dec.* 325. *nu.* 4., & *ſeq.*, & *per tot p.* 17. *rec.*

Maxime quia dubium non eſt, quin funda-
11 tor in ordinanda hujuſmodi voluntate reſpexerit tempus indefinitum, longeque remotum, dum locutus fuit per ea verba -- *Se alcun figlio &c. voleſse farſi Prete &c.*, directa ad omnem caſum, quo aliquis de familia vellet Sacris Ordinibus inſigniri, neque id conſequi poſset ex defectu Patrimonii, ex quo evidens fit, quod ſi talis qualitas Capa-

citatis obtinendi ſacros Ordines deberet tantum verificari in puncto vacationis Cappellaniæ, non vero ſufficeret illam, jàm proviſo de eadem Cappellania extraneo, ſupervenire, tàm pia, & congrua Teſtatoris diſpoſitio remaneret ſere inutilis, & non niſi rarò, & per accidens operari poſset vocatorum admiſsionem, ut proſequitur *dicta dec.* 325. *n.* 5., *& ſeq. p.* 17. *rec.*, & fuit ponderatum *in allegat. Romana Prælaturæ de Vecchiarellis ſuper fructibus* 9. *Martii* 1713. §. *Hoc idem, & ſeqq. cor. cl. me. Card. Caprara.*

Abſque eo quod confirmari è contrario
12 poſsit voluiſse tantummodo Fundatorem concedere Conſanguineis expectativam ex ea Facti circumſtantia, quod donec augerentur Bona Hoſpitali relicta cum onere manutenendi in ejus Eccleſia Cappellanum, mandavit ſuo ex ſorore conſobrina nepoti dari aliam Cappellaniam jam erectam; quandoquidem patet ex ipſo teſtamento eatenus illo caſu ita Herculanum diſpoſuiſse, quatenus controverſa Cappellania nondum erat in eſse, ſed erat expectandum augumentum bonorum uſque ad certam ſummam præſcriptam, ideoque clara eſt diverſitas rationis, propter quam illo caſu voluit ille differri admiſsionem conſanguinei, nec poteſt fieri illatio, quod idem voluerit reſpectu extranei poſt Cappellaniam jàm erectam, reſiſtente regula *text. in l. Gapinianus ff. de minor.*

Et ita relativè etiam ad præcedentem meā deciſionem, reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO.

Lunæ 9. *Maii* 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius emanatę ſub die 4. Junii 1717., ubi fuſiùs habes argumentum.

Sub nomine deſcendentium maſculorum, licèt etiam maſculi de fæmina veniant, hęc tamen limitationem patitur regula, quando ex omnibus ſimul junctis, agnationis conſervandæ votum teſtatorem ante oculos habuiſſe depræhenditur, quod tam ex parte generati, quod generantis maſculinitatem requirit.

SUMMARIUM.

1 *Maſculi ex maſculis, & maſculi ex fæminis veniunt ſub nomine deſcendentium maſculorum juxta conſilium* 85. *Fulgoſii*, & n. 4. & 6.

2 *Limitatur regula, quando ex mente teſtatoris fuiſſent tantummodo vocati maſculi tam ex parte generantis, quàm generati cum voto conſervandæ agnationis*, & n. 13. & 18. amplia ut in n. 39.

3 *Maſculi ex fæminis ſub quibus verbis dici poſſunt vocati*, & n. 5.

6 *Fæminæ veniunt ſub nomine deſcendentium in ultimis voluntatibus.*

7 *Maſculi, & fæminæ veniunt ſub denominatione lineæ, quando non adjicitur qualitas maſculinitatis*, & n. 11.

8 *Teſtator quando quod voluit expreſſit, dat intelligere ſe noluiſſe quod non expreſſit.*

9 *Amplia, quando argumentum à diſcretivo modo loquendi deſumitur.*

10 *Maſculi etiam ex fæmina dicuntur vocati, quando teſtator uſus eſſet verbis eorum compræhenſionis capacibus.*

12 *Teſtamentum revocatum inſeruit pro declaratione ultimi, cum quo teſtator deceſſiſſet.*

13 *Limitatio regulæ ferentis, quod ſub nomine maſculorum deſcendentium veniant etiam maſculi ex fœminis, ut habeat locum in mente teſtatoris, probari debet talis expreſſa voluntas, ac agnationis votum ſine ulla obſcuritate.*

14 *Voluntas ultima teſtatoris, ut ritè interpretetur, ſunt omnia ſimul juncta ponderanda, quæ disjunctim aliquam paterentur difficultatem*, & n. 30.

15 *Maſculus de maſculo tam ex parte generantis, quàm generati intelligitur vocatus ad excluſionem maſculi ex fæmina, quando teſtator declaraſſet, quod ubicumque de filiis, nepotibus mentionem feciſſet, ſemper de maſculis ex maſculis loqui intellexiſſet.*

17 *Declaratio clara, & litteralis à teſtatore facta, non dat locum interpretationi mentis ejuſdem.*

18 *Maſculi ex maſculis, ſicut & maſculi ex fœminis, licèt veniant ſub nomine deſcendentium, attamen ſi adjecta reperiatur qualitas maſculinitatis, primi tantum dicuntur vocati.*

19 *Qualitas maſculinitatis in quacumque parte appoſita, totam diſpoſitionem informat, neque obſtat, quod ſit appoſita vel ante, vel poſt plures ſubſtitutiones.*

20 *Amplia, ut ubicumque ratio ſubſit dubitandi, hæc propoſitio pro regula tenenda, eſt ad voluntatis interpratationem attendenda.*

21 *Maſculi ex maſculis dicuntur vocati ex hoc, quod poſt expletam eorum vocationem, de facto teſtator ad maſculos de fæmina ultimo agnato magis proxima ſubſidiariè deſcendiſſet.*

22 *Maſculus de fæmina ex quibus dicatur, in defectu tantum maſculinæ lineæ vocatus.*

23 *Subſtitutio maſculorum de fæminis qualificata proximioritate, erga ultimum maſculum de maſculo defunctum non purificatur, niſi evacuatis omnibus maſculorum lineis, in quos primogenitura de una in aliam lineam ingreſſum habuiſſet.*

25 *Maſculus de fœmina ex præſumpta mente fideicommittentis ſuccedit, quando datur caſus ejus vocationis ab eodem prçord. natus, & volitus.*

26 *Votum conſervandæ agnationis à teſtatore prædilectæ eſt inſpiciendum, poſthabita etiam arctiori ſanguinis conjunctione*, & n. 29.

27 *Maſ-*

27 *Maſculi de maſculis voliti in linea unius, cenſentur voliti in omnibus lineis ſubſtitutis, quando eadem relatio verborum convenit tam primę, quàm ſecundæ, & tertiæ lineæ vocatæ, & univerſalis repetitio omnium conditionum volitarum in prima linea, ſecunda, & tertia, una eademque oratione facta reperiatur.*

28 *Verba univerſalia, & indefinita* tutte le coſe &c. *nullam patiuntur reſtrictionem.*

30 *Votum conſervandæ agnationis eſt ſufficiens ad excludendos deſcendentes ex fœminis.*

31 *Contemplatio agnationis non excluditur per hoc, quod teſtator maſculis de maſculis prius maſculos ex fœminis, & poſtea maſculos de ſuo cippo antiquo ſubſtituiſſet, quando iſti diſſitam, & remotam derivationem à linea teſtatoris, ac ſtemmata diſtincta geſtarent.*

32 *Agnatio ex diverſitate armorum, & inſignium diſtinguitur.*

33 *Teſtator dicitur non recognoviſſe in agnatos eos, quos ad fideicommiſſum vocaſſet cum onere aſſumendi arma, & inſignia.*

34 *Votum agnationis non excluditur per hoc, quod teſtator, poſthabito primo, & ſecundogenito, tertiogenitum de linea prędilecta vocaſſet, cum id, non niſi nudam prædilectionem erga iſtum ſecum portet.*

35 *Amplia, quando tam primogenitus, quàm ſecundogenitus aliquo impedimento afficerentur, cujus cauſa, agnationem non poſſent conſervare.*

36 *Voluntas hominis eſt uſque ad obitum deambulatoria.*

37 *Teſtamentum morte confirmatum, attendendum eſt.*

38 *Regula admiſſionis etiam maſculorum de fœminis ad ſucceſſionem, eo magis non attenditur, quando ex re judicata vulnerata remaneret.*

39 *Res judicata in dubio ſemper habet locum, & pro ea ſtandum eſt.*

40 *Reſtitutio in integrum adverſùs rem judicatam non datur, niſi de certa læſione, & injuſtitia conſtet.*

DECISIO MLXIII.

Celeberrimam quæſtionem variè à Doctoribus pertractatam, ac diverſimodè etiam à noſtro Auditorio juxta ſubjectas Teſtatorum diſpoſitiones definitam, utrum ſub nomine deſcendentium maſculorum maſculi tantum ex maſculis, an maſculi quoque ex fœminis deſcendentes vocati intelligerentur, renovavit nuper inſtantia reſtitutionis in integrum, quam DD. de Nicolinis, & Falconeriis propoſuerunt contra DD. Marchiones de Bubalo, qui utì maſculi ex maſculis victores fuerunt uſque ad rem judicatam in interpretatione voluntatis Octavii ſenioris de Bubalo panditæ in ejus ultimo, cum quo deceſſit elogio, ſed inania illorum vota extiterunt: quippe quia in audientia diei 4. Junii ſuperioris anni coram Me reſponſum prodiit -- *Conſtare de re judicata.*

Cum tamen ita cauſæ gravitas expoſcere videretur, obtinuerunt ſucceſſivè ex conſueta DD. benignitate facultatem eorum jura iterum deducendi, & propterea reaſſumptum hodie fuit examen fundamentorum dictæ meę deciſionis, & jurium utrinque totis viribus deductorum, & adhuc magis conformia Octavii Teſtatoris voluntati ea viſa ſunt, quæ maſculorum ex maſculis vocationem perſtringentius ſuadebant; ideoque reſcriptum fuit *in deciſis.* Quoniam verò præter deducta quoad vocationem ad demonſtrandam rei judicatæ injuſtitiam plura cumulabantur ex parte DD. de Nicolinis, & Falconeriis etiam contra bonorum identitatem in eadem re judicata canonizatam. Hinc cum de illa nullatenus actum fuiſſet in mea præcedenti deciſione, eo quia iidem DD. de Nicolinis, & Falconeriis putantes ſibi aſſiſtere litteram vocationis, ſuperfluum putaverint agere de identitate, quamvis illius examen ſibi præſervaverint, & idcirco propoſitum hodie dubium ad iſtius deciſionis fundamenta reſtringeretur, demandarunt quoque DD., quod *de identitate bonorum particulariter videatur.*

Quantum itaque attinet ad vocationem,
1 concordes erant Partes in abſtracto, tum circa regulam, quod vocatis à Teſtatore *Deſcendentibus maſculis*, invitati cenſeantur ad ſucceſſionem tam maſculi ex maſculis, quàm maſculi ex fœminis, juxta *vulgat. Fulgoſii conſil.* 85. Tum circa limitationem,
2 quod occurrente contraria Teſtatoris voluntate non admittendi niſi maſculos ex maſculis, & pollentes qualitate maſculinitas tam ex parte generantis, quàm generati, vel etiam ita ſuadente voto conſervandæ propriæ agnationis, tunc nonniſi maſculi ex maſculis admittendi ſint, & excludendi maſculi deſcendentes ex fœminis, juxta theoricas latè firmatas *in Bononien. fideicommiſſi de Roſſenis* 4. *Junii* 1708. §. *Nec relevante coram bo. me Omanna, in Foroſempronien. legatorum ſuper fideicommiſſo Antonii* 2. *Maii* 1712. §. *Jure coram Reverendiſſimo P. D. meo Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*, aliiſque adductis in deciſione, quæ revidetur §. *Dixerunt*, & concordat pariter *Rota in Romana, ſeu Interamnen. fideicommiſſi de Ferentillis* 10. *Maii elapſi anni* 1717. §. *Quod enim coram R. P. D. meo Falconerio Almę Urbis Gubernatore*, totaque propterea quæſtio reſtringebatur ad punctum illarum applicationis ad dignoſcendum nempe, utrum juxta diſpoſitionem Octavii ſenioris de Bubalo conditoris controverſæ primogenituræ eſſemus modo in caſu regulæ, ſeu limitationis.

3 Porro pro ſuadenda vocatione maſculorum deſcendentium ex fœminis (& ſic caſu regulę) deducebatur ex parte DD. de Nicolinis, & Falconeriis, quod Octavius Teſtator non ſolum in ipſa vocatione Pauli primi

mi hæredis inſtituti, à quo ipſi deſcendunt mediantibus DD. Contiſſa, & Victoria dicti Pauli filiabus, invitavit ad primogenituram -- *Il ſuo figlio maſchio Primogenito, i Nipoti, Pronipoti, & altri ſuoi deſcendenti maſchi, legitimi, e naturali*, & ſic uſus fuit in principali parte ſuæ diſpoſitionis verbis capacibus compræhendendi etiam maſculos deſcendentes ex fœminis; verùm etiam in omni ſucceſſiva vocatione eamdem
4 dicendi formulam adhibuit renovando generalem mentionem deſcendentis maſculi; & ſic deſcendentis maſculi etiam ex fœminis, qui ſub tali appellatione bene intelligitur vocatus, ut dictum fuit in *Bononien. fideicommiſſi de Ballattinis penès Balducc. ad Ramon. dec 22. n.3. verſ. utique, in Bononien. fideicommiſſi de Roſſenis 17. Martii 1702. §. Rurſus cor. bo. mem. Muto, & in Romana, ſeu Interamnen. fideicommiſſi 14. Maii 1714. §. 16. cor. Rm̃o P. D. meo Decano, & 1. Aprilis 1715. §. 6. cor. R. P. D. meo Cerro.*

5 Confirmavitque hanc ejus voluntatem relinquendi ſedem deſcendentibus maſculis ex fœminis, conſimili loquendi modo in parte quoque conditionali, in qua, ut legere eſt, præſertim in §. 12. 16., & 17. ejus teſtamenti, pluries ſermonem faciens de deſcendentibus ex maſculis ab ipſo vocatis, ſemper ſub eadem generalitate illos nominavit, neque unquam illos expreſſit cum aliqua nota importante maſculinitatem tam ex parte Generantis, quàm Generati, ibi -- *O' altro deſcendente primogenito, che mi ſuccederà* -- Rurſùs -- *della qual nominatione, e facoltà ſe ne doveranno valere in caſo che detto Paolo, ò altro figlio del detto Angelo non haveſſero figli, ò altri deſcendenti maſchi legitimi, e naturali atti à fare queſta primogenitura, ma havendone, il che à Dio piaccia, debbano ſuccedere i deſcendenti del detto Signor Angelo.* Iterumque -- *quel medemo, che hò diſpoſto delli deſcendenti del detto Signor Angelo s'intenda &c.*,
6 quæ ſanè verba eo fortiùs attendenda ſunt ad explicandam vocationem deſcendentium ex fœminis, quia cum concepta ſint ſub illa tantum expreſſione -- *Deſcendenti dal Sig. Angelo* -- non ſolùm ipſos maſculos deſcendentès ex fœminis compræhendere poſſent, ſed ipſasmet fœminas. *Fuſar. de ſubſtit. qu. 325. n.1., Rot. dec.324 nu.3. p.17., dec.638. n.3. p.18., & dec.620. num. pariter 3. p.19. recen.*

Addito ſignanter (prout illi ſubjungebant) quod ubi voluit effectivè maſculos tantum ex maſculis deſcendentes, teſtator non rudis vir, neque idiota, ſed accuratus ſatis, & ſagax ſcivit voluntatem ſuam optime exprimere, eligens ad hunc effectum verba, quę ſtrictam hanc maſculinitatem pro-
7 cul dubio importarent. Noſcens profectò, quod verbum - *Lineæ* - capax erat cujuſcumque extentionis ad fœminas, eo uſus, addidit adjectivum -- *maſculinę*, -- & ita de facto volens contradiſtinguere lineam agnatorum remotiorum, aliorumque ſubſtitutorum minus dilectorum à linea Angeli ſui fratris prædilecta, de iſta locutus nullum additamentum maſculinitatis adhibuit, quia illam latius patere poſſe in ſua ſibi voluntate conſtituerat: locutus verò de alia, ſtatim addidit, quod intelligebat de maſculina, & ſic ad maſculos ex maſculis volebat fore reſtrictam, ut *in* §. 14., ibi -- *In difetto di tal nominato, e della ſua linea maſcolina* -- Ac
8 rurſus, quia paulò infra occaſione, quam mentionem faciens de Linea Quintii dictam maſculinitatem adjicere prætermiſerat, ibi -- *In difetto della linea nel Signor Quintio*, -- ne locum dubitationi relinqueret, quod de linea maſculina excluſiva deſcendentiū ex fœminis intellexerat ſine aliorum verborum adjectione, eam ſuperaddidit declarationem, ibi -- *Cioè della linea maſcoli-*
9 *na legitima, e naturale &c.* Præſefert autem diſcretivus iſte diſponendi modus vali-
10 diſſimum argumentum, quod ubi Teſtator verbis fuit uſus capacibus compræhenſionis maſculorum ex fœminis, ut ſunt ea adhibita in ſubſtitutione deſcendentium maſculorum Pauli, *deſcendenti maſchi*, dare procul dubio locum voluit in ſucceſſione dictis maſculis ex fœminis, alioquin ſemper excluſis ab ejus ſucceſſione, id, quod non voluit, quando conſimilia verba reſtrinxit ad maſculos ex maſculis vocando *la linea maſcolina*, juxta ea, quæ pluries advertit *Rot. deciſ. 514. n.6. cor. ſan mem Gregor. dec.46. nu.19, & ſeqq. cor. Dunoz. jun. dec. 622. n.11. coram clar. mem. Card. Cerro, & in Romana fideicommiſſi de Albericis 11. Martii 1698. §. Et quamvis coram Me.*

Fortiùs verò contendebant ſumendam eſſe interpretationem hujuſmodi admiſſionis maſculorum deſcendentium ex fœminis, quia Teſtator in præciſo caſu, qui contigit, tranſitus primogenituræ de linea Angeli ad Agnatos remotiores, hujuſmodi tranſitum qualificavit, & pendere voluit à conditione non exiſtentię in dicta linea, nulla reſtrictione deſignata maſculi capacis, & habilis ſuccedendi, ut §. 14, ibi -- *Talmente che non vi foſſe alcuno della linea di d. Signor Angelo, abile à fare queſta primogenitura, in tal caſo voglio, che d. Signor Angelo poſſa elegerſi, e nominare &c.* Qua diſpoſitione clarior haberi non poteſt pro compra henſione maſculorum deſcendentium ex fœminis exiſtentium in ipſamet linea Angeli, ut ſunt DD. de Nicolinis, & Falconeriis ejuſdem Angeli Pronepotes, qui contrario ſenſu admiſſo, licèt adeo ſtricta conjunctione cum Teſtatore devincti ſint, ſemper remanerent excluſi. Quis enim dicet eos habiles non eſſe ad ſuccedendum, dum ſunt qualificati maſculinitate à Teſtatore requiſita, & exiſtentia in linea ab illo contemplata, imo dici è converſo debet, quod non ſit purificata conditio, ſub qua remotiores Agnati ſunt vocati, quales ſunt DD. Marchiones

de

de Bubalo, cum non defecerint omnes de linea Angeli, capaces ſuccedendi, ſub qua
11 quidem lineæ mentione tam maſculi ex maſculis, quàm maſculi ex fæminis continentur, ut dixerunt Scribentes ſuper hoc ipſo Teſtamento, *Altogr. jun. controv.68. n.30., & 67., Torr. de Maiorat. Ital. cap. 38. n.462., Card. de Luc. de fideic. diſc.25. n.16.*, & tenuit *Rot. in Auximana Juriſpatronatus* 9. *Martii* 1703. §. *Quod autem cor. bo.me. Muto, & in allegat. Romana, ſeu Interamnen. fideicommiſſi* §. *Cui interpretationi cor. R.P.D. meo Cerro.*

Et certiora quoque reddi hæc omnia aſſerebatur, attentis novis documentis hodie ex illorum parte deductis, binis nempe epiſtolis ſcriptis ab eodem Octavio Teſtatore; formiterque recognitis, ex quibus patens erat, quod iſte in ordinanda ejus voluntate non abhorrebat tales deſcendentes ex fæminis, dum in priori Teſtamento à quo tamen receſſit, inquit ſe vocaſſe poſt Angelum fratrem Abbatem de Cavalcantibus ejus ex
12 ſorore nepotem. Deſerviunt enim priora teſtamenta revocata pro declaratione alterius non revocati, ut ex *Text. in leg. unic.* §. *Et cum triplici Cod. de caduc. tollen.*, arguunt *Andreol. contr.134. nu.8., Card de Luc. de ſucceſſ. diſcurſ.6. ſub n.12. verſic. Adbuc tamen, & Rot. in Aven. ſucceſſionis* 9. *Martii* 1708. §. *Et in univerſum coram Me.*

Concludebant denique, quod ſi hæc omnia non ponebant in ſtatu evidentiæ eorum vocationem, ſaltem iudicantium animos conſtituere debebant in aliquali dubitatione
13 propter quam inhærendum eſſet regulæ deſcendentium ex fæminis comprehenſivæ, utpote quæ magis eſt iuri conſentanea, naturali charitati, ſanguiniſque coniunctioni, ac verbis ipſis Teſtamentariæ diſpoſitionis, potius quàm limitationi, quæ requirit expreſſam Teſtatoris voluntatem, aut voti agnatitii ſine ulla obſcuritate, & involucro certitudinem, ex generaliter firmatis per *Text. in l.1. Cod. de condit. inſert. in alleg. Bononien. fideicommiſſi de Ballatinis apud Balducc. ad Ramon. dec.22. n.8. deciſ.334. n.5. cor. Benincaſ., in Aven., ſeu Carpectoracten. fideicommiſſi de Tertullis* 2. *Decembris* 1705. §. *Ex quibus cor. Rmo Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore, & in Fanen. fideicommiſſi* 6. *Maii* 1716. §. *Hinc cor. Rmo P.D. meo Anſaldo Decano.*

Hæc tamen, & alia, quæ in iſtorum corroborationem ſatis valide proponebantur argumenta, adhuc Dominis cedere viſa ſunt aliis, quæ vocationem reſtrictam fuiſſe ſuadebant ad maſculos tantum ex maſculis, ita ut fundamenta reſolutionis coram Me captæ, & innixæ ſupra recenſitæ limitationi, plenariam obtinerent firmitatem & debitam promererentur confirmationem.

14 Siquidem concurrebant ad hunc effectum validiſſima argumenta ex teſtamenti viſceribus profluentia, quæ licet de per ſe ſumpta, aliquam pati poſſe difficultatem viderentur, evidenter tamen conſtituebant Octavii voluntatem circa admiſſionem in ſui ſucceſſione maſculorum tantum ex maſculis, ſi ſimul juncta ponderarentur, prout in interpretandis ultimis defunctorum elogiis fieri debet, ex plenè firmatis in *Romana locorum Montium* 4. *Iunii* 1714. §. *Quibus coram Reverendiſs. D. meo Anſaldo, & in Senogalien. Fideicommiſſorum* 21. *Ianuarii* 1715. §. *Veritatem, & ſeq. coram eod., & in Peruſina Fideicommiſſi* 5. *Iunii* 1716. §. *Quod ſi coram R. P.D. meo Cerro.*

15 Ex his autem argumentis, primum ſibi locum vindicabat ſpecifica ipſius Teſtatoris declaratio, de qua in §. 25. ſuæ diſpoſitionis, quod *in tutti i luoghi nelli quali ſi fa mentione di figlioli, nipoti, pronipoti, & altri deſcendenti hò inteſo, & intendo ſempre de' maſchi legitimi, e naturali*, ex qua ampla, & relativa ad omnes Teſtamenti partes declaratione conſequitur, quod applicando regulam ab ipſo teſtatore ſtabilitam occurrenti hypotheſi, dum in precedenti §. 11. paulo primo heredi inſtituto ſubſtituit -- *Il ſuo figlio primogenito, e nipoti, e pronipoti, & altri deſcendenti maſchi*, non potuit ipſe teſtator de aliis intelligere, quam de Primogenito maſculo, nepote maſculo, pronepote maſculo, & deſcendente immediatè maſculo, rejectis quibuſcumque maſculis ex fœmina deſcendentibus ad ſubſidiariam tantum ſucceſſionem in iſtorum defectu, quia dicta præfiguatio maſculorum in omni gradu, qualitatem maſculorum exigit tam in generante, quam generato, ut benè advertunt deciſiones cauſæ antiquitus editæ *cor. clar.mem. Card. Cerro, & bo.me. Albergato*, & recenter *cor. Me* §. *Quod autem.* & concordat eadem *Rota in Interamnen. fideicommiſſi ſuper re judicata* 11. *Decembris* 1705. §. *Plures namque, & ſeq. coram Reverendiſſimo P. D. Molines, & in confirmatoria* 12. *Martii anni elapſi* §. *Contraria coram R. P. D. meo Falconerio Urbis Gubernatore.*

16 Cedit propterea omnis vis primi fundamenti ſupra ponderati pro deſcendentibus maſculis ex fœminis, & deducti ex latitudine vocabuli deſcendentium, apti etiam illos comprehendere, quia reſtrictum eſt ab hu-
17 juſmodi declaratione ipſiuſmet Teſtatoris, quæ aliam quamcumque tollit de medio interpretationem, *Rota deciſ.* 304. *num.5. par. 19. recentior., & in Romana fideicommiſſi* 10. *Iunii* 1696. §. *Hujuſmodi, & ſeq. coram*
18 *Me*, & operatur, quod licet ſit collectivum, & generale, ad maſculos utriuſque qualitatis referibile, ſuam tamen generalitatem amittat, & coarctetur juxta adiectam ex teſtatoris declaratione maſculinitatem, ut in fortioribus terminis reſtrictivæ additæ per Teſtatorem cum ſola dictione relativa, ut ſupra, dictum fuit in *Interamnen. fideicommiſſi ſuper re judicata* 11. *Decembris* 1705. §. *Nec diſcordat, &* 5. *Iunii* 1686. §. *Certius cor. Rmo Molines, atque etiam in confirmatoria*

toria 12. Martii ſuperioris anni §. Nec iſta coram R. P. D. meo Falconerio Urbis Gubernatore.

19 Leviari nec potuit hujus declarationis efficacia ex eo, quod adiecta ſit in diſpoſitione Octavii poſtea quam progreſſus ad plures ſubſtitutiones tam in partibus diſpoſitionis, quam conditionalibus uſus fuerat nomine collectivo deſcendentium, & ſic admiſerat etiam deſcendentes ex fœminis. In quacumque enim parte, ſive loco diſpoſitionis appoſita illa ſit, totam diſpoſitionem informat, &

20 ubicumque ratio ſubſit dubitandi, pro regula tenenda eſt, & in interpretationem voluntatis Teſtatoris attendenda, ut fuit firmatum *deciſ. 20. num. 9. poſt Torr. de primogen. Ital., deciſ. 70. num. 6. par. 12. recentior., & in Faventina Buſſoli cor. clar. mem. Card. Caccia impreſſ. penès Paulucc. diſſert. 75. nu. 24., & in illius confirmatoria ibid. impreſſ. nu. 5. coram Me, & in Aſten. Prioratus ſuper inſtitutione 20. Ianuarii 1708. §. maximè pariter cor. Me.*

Nec minoris ponderis viſum extitit aliud

21 argumentum, quod Teſtator poſt expletam vocationem eorum, quos cum qualitate adeò exoptatæ maſculinitatis invitaverat ad ſucceſſionem, converſus de facto fuit ad vocationem maſculi deſcendentis ex fœmina magis proxima ultimo maſculo Agnato cum præcepto, quod ſucceſſivè Primogenitura ad alios maſculos ex eodem maſculo deferretur, ut legitur in §. 19. ejus Teſtamenti; hæc autem certę ſedis, & vocationis deſignatio pro iiſdem maſculis ex fœminis deſcendentibus ſpecialiter à Teſtatore volita, optimè pandit, ſerio illum de caſu eorum exiſtentię cogitaſse, etſi ſcivit certo caſu illos vocare, quod noluit in alio, ut arguunt in ſimilibus terminis *Curt. Iun. conſ. 47. n. 7. lib. 1., Palma Nep. alleg. 284. num. 3.*, & cum aliis ſupra adductis §. *Addito in eadem Romana Fideicommiſſi de Alberinis 6. Iunii 1704. §. Minus coram bo. me. Omanna*, quodque ita in ſui intellectu, & voluntate ſegregavit Maſculos Agnatos à Maſculis Cognatis, & juxta prædilectionis ordinem ſibi ipſi præfixum, & connotatum, voluit prius evacuandum eſse genus omne Maſculorum Agnatorum, & in iſtorum defectum recurri ſubſidiariè poſse ad genus Maſculorum Cognatorum, & id reſtrictionem pluſquam certam oſtendit antecedentium vocationum ad Maſculos ex Maſculis, ut cum cæteris allegatis in deciſione, quæ revidetur §. *& id ipſum*, firmat *Rota in Peruſina fideicommiſſi 1. Decembris 1702. §. & certiùs cor. Emo D. Card. Scotto, in Romana fideicommiſſorum 11. Martii 1712. §. Nullo ſiquidem cor. R. P. D. meo Criſpo, & in Romana, ſeù Interamnen. fideicommiſſi de Ferentillis 10. Maii 1717. §. Secundo coram R. P. D. Meo Urbis Gubernatore.*

22 Nullius itaque roboris erunt ea, quæ in contrarium cumulabantur circa diſcretivam locutionem in nominandis lineis, modo verò cum reſtrictione qualitatis maſculinæ, quaſi quod id Teſtator feciſſet ad relinquendam Sedem in ipſa linea Angeli, & Pauli antè progreſsum ad alias lineas Horatii, Quintii, & Mutii: Maſculis in illa exiſtentibus, & deſcendentibus ex fœminis; quia ſi peculiarem expreſsam ſedem illis aſſignavit in defectu maſculorum deſcendentium ex dictis Horatio, Quintio, & Mutio, ſignum evidens, quod noluit in linea Angeli illos admittere in iſtorum excluſionem, neque è contra ſub-

23 ſiſtit, quod ità interpretata hujuſmodi ſubſtitutione, adhùc nunquam fuiſset certa ſedes aſſignata iiſdem maſculis deſcendentibus ex fœminis lineę Pauli, dum dicta maſculorum ex fœminis deſcendentium ſubſtitutio eſt qualificata proximioritate erga ultimum maſculum defunctum, & ſuperviventia in caſu apertæ talis ſucceſſionis, ibi -- *Il figlio primogenito d' una femina, cioè di quella, che ſopraviverà, e ſarà più proſſima all' ultimo, che ſuccederà &c.* quæ qualitates dato ingreſſu Primogenituræ in dictas alias lineas non poterant in deſcendentibus ex fœminis Pauli ullo modo verificari.

24 Quippè quia ultrà quod hic, & nunc opus non erat diſserere utrum maſculi ex dictis fœminis de linea Pauli poſsent obtinere ſucceſſionem etiam poſt ingreſſam Primogenituram in aliis lineis Horatii, Quintii, & Mutii, quatenus iſtæ tractu temporis remanerent penitùs evacuatæ per non exiſtentiam neque maſculorum, neque fœminarum, quo caſu contingibili videndum eſset, an reviviſcerent jura Maſculorum ex fœminis dictæ lineæ Pauli ad effectum vindicandi ſucceſſionem, animadverſum inſuper fuit, quod ad hunc effectum, ut dici poſſit in illis certa ſedes in teſtamento ſtabilita, non eſt neceſsaria ſucceſſio actualis, aut perpetua illorum facultas ſuccedendi, ſed ſatis eſt potentia, ca-

25 pacitas, & habitus ad ſuccedendum: quæ ſanè potentia in hac noſtra hypotheſi certò certiùs concurrebat, quia dari poterat caſus, quod de tempore extinctionis lineæ Maſculinæ Pauli, nullus Agnatus ex aliis tribus lineis Agnatis ſuper extitiſſet, quodque eo caſu ex Teſtatoris præmiſſa voluntate ſucceſſiſſet de facto maſculus ex fœmina ultimi maſculi de linea Pauli, ut ponderata ſubſtitutione indefinitè abſolutè, & impersonaliter facta ultimo poſſeſsori, advertit in puncto hujus teſtamenti *Rot. dec. 910. nu. 27. coram clar. me. Card. Cerro*, & concordant relati in *Romana fideicommiſſi 10. Junii 1698. §. Quippè cor. Me, & in Peruſina fideicommiſſi 11. Decembris 1702 §. Nam dictum coram Emo D. Card. Scotto.*

Alias enim ſi ipſa actu ſucceſſio requireretur, quis non videt, quod nuſquam daretur ſeparatio generis maſculini agnatitii à genere maſculino Cognatitio, ſed fieret utriuſque intermixtio contra Teſtatorum diſpoſi-

26 tiones; à quorum voluntate provenit etiam, quod ſtrictiori ſanguinis conjunctione poſthabita, ſuccedant aliquando remotiores in pro-

proximiorum excluſionem,id, quod contigit in præſenti, dum ſucceſſerunt maſculi dictarum trium linearum in Pronepotum Angeli, & Proximiorum Teſtatoris excluſionem, quę dum ab illo volita fuit, ſervanda eſt, ſicut cœteroquin ſervatur etiam in caſibus, in quibus proprias filias Teſtatores abiiciunt, ut ſplendori conſulant propriæ agnationis, & ſatisfaciant voto illam conſervandi, ut ait *Rota in Aven., ſeu Carpectoraten. fideicommiſſi de Tertullis 2. Decembris 1705. §. Præſertim cor. R̃mo Molin. Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.*

27 Collimat pari claritate ad demonſtrandam reſtrictionem ſæpedictam ad maſculos ex maſculis parificatio vocationis maſculorum deſcendentium ex Paulo, vocationi aliorum maſculorum deſcendentium ex dictis Horatio, Quintio, & Mutio per effrænatam repetitionem eorum omnium, quæ in una vocatione volita fuerunt etiam in alia juxtà teſtamenti verba relat. in deciſione, quæ revidetur §. *Reſultat*. Quod ſi igitur Teſtator deſcendentes maſculos Horatii,Quintii,& Mutii voluit eſſe maſculos ex maſculis, ut etiam ex parte Dominorum de Nicolinis, & Falconeriis admittebatur, per ea, quæ ſupra dicta ſunt §. *Addito, & ſeqq.*, eodem modo dicendum eſt deſcendentes Angeli, vel Pauli voluiſſe, quod eſſent maſculi ex maſculis. Non verificaretur enim,ſi diverſus ſenſus daretur Octavii diſpoſitioni in noſtro themate conformitas illa onerum, qualitatum, & conditionum omnium, quæ tam in primis Angeli,vel Pauli deſcendentibus, quàm in aliis poſterioribus aliorum vocatorum anxiè adeò fuerat ab illo exoptata, ut proſequitur mea deciſio, quæ confirmatur §. *Reſultat*, & arguit in ſimilibus terminis *Rota in Romana Primogeniturę de Cæſariniis impreſſ. ad ornatum Card. de Luca de fideic. deciſ. 108. nu. 1., & in Romana fideicommiſſi de Alveris 12. Januarii 1711. §. Recurrendo coram R. P. D. meo Criſpo.*

Quin relevet ea interpretatio, quod talis parificatio cœteras conditiones complectatur, non verò referenda ſit ad qualitatem agnatitiam requiſitam in maſculis aliarum
28 linearum. Repugnat namque nimium claræ litteræ diſpoſitionis, in qua dictum fuit--*Talmente che tutte le coſe, che hò diſpoſto del Signor Angelo, e ſuoi figli, e deſcendenti, e circa anche l' eſcluſione delle femine, & ogn' altra coſa da me diſpoſta di ſopra, s' intenda repetita ne' Succeſſori*. Attentis enim generalibus illis verbis *tutte le coſe, & ogn' altra coſa*, nullius littera talis diſpoſitionis capax eſſe poteſt reſtrictionis, *Text. in l. cum quid ff. ſi cert. pet., & l. à Procuratore C. mandat, cum aliis dec. 7. nu. 5. par. 17., & deciſ. 542. num. 5. par. 18. rec.*

Coadiuvabantur hæc argumenta aliis pluribus perpenſis in deciſione, quæ revidetur, nec propterea inutiliter repetendis, ità
29 ut neque littera diſpoſitionis, neque diſcretiva linearum denominatio, neque ſedis, & vocationis defectus, neque proclivitas Teſtatoris erga Cognatos illa valerent concutere, ſed eo etiam fortiùs ſubſiſtebant, ſi copulativè cum illis ponderaretur votum agnatitium, cœteroquin de per ſe ſufficiens ad excludendos deſcendentes ex fœminis tacitè, & expreſsè ab Octavio Teſtatore deſignatum, quemadmodum firmiter in eadem mea deciſione firmatum fuit à §. *Votum iſtud cum plur. ſeq.*, adhæſive ad ea, quæ prius fuerant etiam ſtabilita *coram cla. mem. Card. Cerro, bon. me. Emerix, & Albergato*, non ſingulas
30 de per ſe teſtamenti partes examinando, ſeu debitam, ut ſupra dictum eſt interpretationem efformando ex omnibus ſimul junctis.

31 Abſque eo quod repetere juverit in contrarium, quod Teſtator non videatur ad agnationem reſpexiſſe, dum ante admiſſionem deſcendentium ex Baccio de Cancellariis, qui erant de Cippo Teſtatoris, ſubſtituit maſculos ex fœmina, quæ conjuncta foret ultimo Agnato poſſeſſori primogenituræ; quoniam deſcendentes à Baccio de Cancellariis proficiſcebantur quidem ab antiquiſſimo ſtipite communi etiam Octavio Teſtatori, ſed per adeò diſſitam, remotamque derivationem, ut unaquæque familia peculiaria inſignia, ac diverſa, & diſtincta ſtemmata geſta-
32 ret, ex quibus quædam jam diverſitas etiam agnationis inter ipſas inducta videri poterat, ut per *Text. in leg. ſtemmata C. de fabricenſ. lib. 11.* probant *Altogr. Sen. conſ. 66. nu. 58. lib. 2., Capyc. Latr. conſult. 129. num. 42., & ſeqq, Rota dec. 60. nu. 4.* apud *Torr. de Pri-
33 mogen.*, ac de facto Teſtator illos in figura diverſæ agnationis contemplatus fuit, dum finaliſſimo loco illos nuncupavit, ipſiſque expreſsè injunxit, prout fecerat deſcendentibus ex fœminis prius vocatis, onus aſſumendi *l' Arma, Nome, Cognome, Caſato, & Impreſa mia*, ut in propoſito advertit *deciſ. 910. num. 22. cor. cla mem. Card. Cerro, & deciſ. 69. num. 34., & 35. par. 17. rec.*

34 Minuſque refert, quod Teſtator præoccurrens caſui, quod Angelus non nominaſſet futurum ſucceſſorem, invitavit ad primogenituram tertiogenitum Horatii, poſthabitis primo, & ſecundo genitis illius. Ultrà enim quod oſtendit talis animadverſio non niſi quandam prædilectionem, non verò ullo modo confundit perſiſtentiam voluntatis in agnatione, de qua ſicut erat primogenitus,
35 etiam erant ulteriores geniti, adhùc ſatis conſultò id actum à Teſtatore conſtat, dum eorum alter Clericali caractere inſignitus, Eccleſiaſticæ vitæ curſum inceperat addictus, quoque ſervitio ſanctæ Sedis in Prælatura, à quo decens non erat, ut ſpe pinguis ſucceſſionis retraheretur, & alter fuerat Apoplexiæ morbo correptus, itaut fuerint incapaces habiti à Teſtatore ad agnationis conſervationem, quam toto animo exoptabat, ex ſupra firmatis.

Quibus ità poſitis, inutile erat adducere in declarationem ejus voluntatis epiſtolas per ſex annos ante exarationem ejus poſtre-

mæ

mæ diſpoſitionis conſcriptas, quia ſicuti am-
36 bulatoria voluntas hominis eſt uſque ad mortem, ità potuit ab ejus propoſito præeligendi maſculos ex fœminis re melius hoc temporis ſpatio perpenſa, recedere, prout de facto receſſiſſe oſtenditur, dum illius Ab-
37 batis de Cavalcantibus nullam legimus vocationem in eo teſtamento, quod unicè uti Teſtatoris morte confirmatum, attendendum eſt, ex plenè deductis *deciſ.* 88. *num.* 19., & 20. poſt *Card. de Luca de fideic. tom.* 3.

Et ſubſiſtente idcircò in ſui evidentiam limitatione admiſſionis maſculorum tantum ex
38 maſculis, nullum ſupererat dubium, propter quod cum regula admiſſionis maſculorum ex fæminis procedendum eſſet, maximè in præſenti, dum hęc regula vulnerata, imò etiam plenè confixa eſt, contraria re judicata, pro
39 qua in dubio reſpondendum eſt, cum pro
40 adſtruenda adverſus illam reſtitutione, in integrum requiratur ex iniuſtitia, vel nullitate certa læſionis probatio, *l. res judicata ubi Præſ. ff. de reg. jur. cap. in præſentia in fin. de probat.*, *Rota dec* 63. *nu.*9. *cor. ſa. me. Alex. VIII. dec.* 742. *num.* 8. *coram Ubald.*, & *dec.*536. *nu.*10. *par.*19. *rec.*

Et ita utraque parte &c. omnibus DD. ſuffragium ferentibus relativè in reliquis non ſolum ad antiquas, ſed, & ad proſtremam deciſionem coram Me fuit reſponſum &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO SUPER DEPOSITO PENSIONUM, ET INVESTIMENTO.

Lunæ 8. *Maii* 1718.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 11. Junii 1717.

Obligatio clara deponendi penſiones in vim decretorum rotalium ſub prætextu adimplementi eorumdem decretorum numquam ſequuti nequit retardari, cum nemo ex propria culpa commodum valeat referre.

SUMMARIUM.

1 *Actio competens pro depoſito pentionum dicitur clara, quando à Rota fuiſſet approbata*; amplia ut in num. ſeq.

2 *Res judicata paratum habere debet exequtionem.*

3 *Exequtio decreti retardari nequit ſub motivo inadimplementi ejuſdem, imo hoc ipſum illi robur addit.*

4 *Commodum ex propria culpa nemini referre licet.*

5 *Pacta omnino ſervanda ſunt.*

6 *Obligatio clara non retardatur per exceptionem ſimulationis, quæ altiorem indaginem requireret.*

7 *Adimplementum correſpectivæ obligationis petere nequit, qui ſimili obligatione ligatus ex parte ſua numquam adimpleviſſet.*

8 *Exceptio de jure tertii ad propriam evitandam obligationem non admittitur.*

9 *Creditor, ſicut non poſſet debitorem ſui debitoris pulſare, niſi prius ille ab iſto condemnatus reperiretur, ita nec eumdem debitorem deſcribere pro multiplico non facto, niſi prius de hac ommiſſione edocuiſſet.*

20 *Calculi extrajudiciales non attenduntur.*

DECISIO MLXIV.

REdiit ad Dominorum examen in hodierna audientia una cum cæteris controverſiis vertentibus inter Dominas Sorores de Bubalo, & D. Marchionem Octavium Rinaldum ejuſdem cognomenti etiam ea, quæ nuperrimè ex illarum parte promota, quoad depoſitum, & inveſtimentum Penſionum retractarum ex Palatiis ad Plateam Columnę, & ad Cloacā, reſoluta fuit ſub die 11. Junii ſuperioris anni cor. Me, juxta modum in deciſione tunc edita explicatum, & favorabilem, juxtà id, quod hactenus declaratum fuit in dictis corporibus pertinere ad fideicommiſſum Antonii eiſdem Dominis Sororibus ad illud vocatis; iterumque perpenſis captæ reſolutionis fundamentis, iiſque ſubſiſtere compertis, reſponſum fuit *in deciſis*.

1 Actio enim competens prò huiuſmodi depoſito, & inveſtimento vocatis ad fideicommiſſum Antonii evidens erat, quia non ſolum promanabat ex pertinentia Palatiorum pro certis ſummis ad idem fideicommiſſum, approbata etiam quod Palatium ad Cloacam Bubali in præterita audientia coram Me,
2 ſed etiam ex pluribus decretis, ſeu rebus judicatis de facto proditis ſuper eodem met Jure multiplici, & inveſtimenti, quæ debitam promerebantur executionem, ad *Text. in l. unica C. ne liceat in una, eademque Cauſ. Rot. dec.*484. *num.*5. *coram Merlin. dec.*519. *num.*14. *par.*18. *rec.*, & *paſim*.

Methodice autem procedendo, quoad
3 Palatium ad Plateam Columnæ Antonianæ, concurrit Decretum à clar. mem. Card. de Luca latum ſub anno 1680., dum eſſet Auditor ſan. mem. Innocentii Papæ XI., quo definitum fuit, citato Curatore D. Marchionis Rinaldi de Bubalo ſucceſſoris in Primogenitura, penſiones decurſas, & decurrendas ex dicto Palatio, & Apothecis eſſe deponendas in Sacro Monte Pietatis, à quo Decreto ſeſe ille eximere non poteſt ſub prætextu inadimplementi, ex quo numquam illi parendo, penſiones depoſuit, ſiquidem hoc ipſum inadimplementum, eſt, quod DD. Sororibus actionem præbet urgendi eumdem D. Marchionem, qui nullam exhibet remiſſionem ab honere ſibi in eo injuncto, nullamque ejus revocationem, alias ſi poſſet ſe
4 excuſari Reus conventus ratione ſui defectus in adimplemento, commodum ex propria culpa reportare videretur, contra ea, quæ inquit *Rota dec.*598. *num.*6. *par.*19. *rec.*; & *in Æſina Hæreditatis* 7. *Martii* 1704. §. *Et præmiſſa coram Eminentiſſimo D. Card. Priolo*,

Quo

Quò verò ad aliud Palatium ad Cloacam Bubali, non unum, ſed plura aderant decreta Rotalia conſimile onus injungentia eidem D. Marchioni, qui eodem modo debitam aliquando paritionem promerebantur, & tanto magis, quia reſpectu iſtius Palatii concurrit etiam ipſius ſpecifica obligatio tunc emiſſa, quando facta locatione de anno 1680. Palatii cum Remiſſa, Fænile, ac Virdario pro annua penſione ſcut.400. Laurentio Corſio, cum pacto ſingulis annis ea deponendi in Sacro Monte Pietatis, juxta præcedentia Decreta noſtri Auditorii, voluit idem Marchio Ri-
5 naldus in eadem Locatione præferri, & in exaratione Inſtrumenti ſuper iſta, obtenta prælatione, ſuſcepit in ſe ſingula pacta, & obligationes conventas cum prædicto Corſio unde multò magis æquum, & juſtum eſt, ut ad hujuſmodi pacta obſtrigatur, ad *Text. in l. Paciſci ff. de pact.*, & *L. Pacto C. de contraben. oblig.*, & *L. Pacta C de locat.*, aliaque Iura in puncto deducta in *Balneoregien. Depoſiti*, & *Inveſtimenti* 15. *Junii* 1714. §. *Neque coram R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore*.

Nec retardari valuit hujus obligationis effectus ſub prætextu ſimulationis dictæ locationis, præter enim alias reſponſiones, de quibus in deciſione, quæ revidetur §. *Neque ullatenus*, illa in propoſito ſatis videbatur,
6 quod talis exceptio contra actum jam à pluribus annis ſecutum ex capite talis ſimulationis, requireret ſemper altiorem indaginem, & propterea admitti non debet ad impediendum effectum, & executionem adeo litteralis obligationis, ex firmatis in *Maceraten. Cambii* 12. *Decembris* 1704. §. *Abſque eo quod coram Emo D. Cardinali Scotto*, & *in Senogallien. Pecuniaria* 28. *Junii* 1709. §. *Nec dicatur cor. Eminentiſſ. D. Cardinali Polignach.*

Minuſque obeſſe potuit, quod in poſtremo ex dictis decretis anni 1783. idem depoſitum, & Inveſtimentum injunctum ſit etiam Dominis Sororibus, quæ idcirco cum pro parte ſua non adimpleverint, agere nequeant pro conſimili omiſſo adimplemento contra D. Marchionem Octavium Rinaldum.

Etenim ſtatim obiectum tollitur, diſtinguendo Perſonas, & tempora, quibus prædictum decretum interpoſitum fuit, ſiquidem poſſedit controverſam Primogenituram prius Marchio Hyacinthus, & deindè Marchio Rinaldus, unde quantum attinet ad penſiones decurſas durante vita dicti Marchionis Hyacinthi, decretum dicti anni 1684. poſſet quidem opitulari in fundanda
7 præmiſſa exceptione, dum tunc vigente lite inter illius hæredem, & Dominas Sorores de Bubalo ſuper penſionibus hincinde perceptis, Rota mandavit hincinde deponi, taliter, quod ſi unus non adimplevit, alter non poſſit petere implementum, ut plenè cum aliis firmat *Rot. dec.*877. *num.*8. *coram clar. mem. Card. Cerro*, ſed non poteſt ex tali Decreto ullam ſui favore deſumere obligationem Marchio Rinaldus, qui ex dicto Marchione Hyacintho cauſam non habet, nè
8 alias proponat exceptionem ad ſui obligationem evitandam de Jure Tertii, quod nuſquam permiſſum eſt, ex allegat *in dec.*382. *n.*19. *cor. Benincaſ.*, & *deciſ.*505. *num. fin. par.*19. *recent.*, & *in deciſione, quæ revidetur* §. *Nec relevat cor. Me.*
9 Abſque eo quod Jus ſuum Marchio Rinaldus deſumere poſſit ex eo, quod ipſe uti ſucceſſor in eadem Primogenitura habeat obligatum Marchionem Hiacynthum pro multiplico ab iſto omiſſo, tempore, quo ipſe poſſedit eamdem Primogenituram, & cęteroquin ex voluntate Octavii Teſtatoris annuatim explendo, ideoque illi liceat allegare Jura ſui Debitoris, ſicut liceret agere contra ſui debitoris debitorem.

Deberet enim, ut hæc ſubſiſterent, præcedere principalis debitoris condemnatio, itaut liquido conſtaret, Marchionem Hyacinthum non perfeciſſe dictum Multiplicum, ex cujus omiſſione Jus deducit Marchio Rinaldus, & remanere erga Primogenituram illius debitorem, hoc autem deficiente, ſicut ille non poſſet agere contra Marchionem Hyacinthum, ex plenè firmatis in *Romana Pecuniaria* 26. *Novembris* 1712. §. *De credito coram Emo D. Cardinali Scotto*, & 26. *Februarii* 1714. §. *Et quamvis coram R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore*, ita neque poteſt allegare Iura, quæ ex' aſſerto Primogenituræ credito deduci poſſent, præſertim ad evitandum, ut ſupra diximus, effectum claræ obligationis, & jam ſecutæ, ex relatis decretis condemnationis.

In reliquis exceptionibus, quæ non erant, niſi illæ confutatę in mea deciſione, quæ confirmatur, putarunt Domini non amplius immorandum, habita tantum plenaria ad illam relatione, & omiſſa etiam quacumque reſponſione ad calculos, & ad judicium motum alias pro conſignatione, quia iſtud nihil commune habet cum obligatione depoſiti, & inveſtimenti pro nunc demandati, & dicti cal-
10 culi pænitus extra judiciales ſunt, ideoque non attendendi, ut advertit *Rot. dec.*1501. *n.* 5. *coram Coccino*.

Et ita utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO SUPER PALATIO AD CLOACAM.

Veneris 13. *Maii* 1718.

ARGUMENTUM.

Purus creditor melioramentorum ſuper augumento domus melioratæ, dominium non adipiſcitur.

SUMMARIUM.

1 *Ædificium cedit commodo illud elevantis.*
2 *Ædificium in ſolo alieno ſuper inſtructum, cedit eidem ſolo*, & num.5.

3 *Teſtator ſe declarans creditorem impenſæ factæ in melioranda domo, dat intelligere ſe intra cancellos meri Creditoris melioramentorum detinere voluiſſe, & non domus melioratæ condominium, ſeu illius partem adipiſci.*

4 *Deciſio, quæ in gradu appellationis revidetur, ejuſdem non eſt naturæ, cujus ſunt antiquæ præſupponendæ, de quibus non quæratur.*

6 *Creditor melioramentorum tantum, non ſibi comparat dominium ſuper augumento quo ex eorum cauſa domus fuiſſet affecta.*

DECISIO MLXV.

CONtrariam rem iudicatam paſſę DD. Conciſſa, & Victoria Sorores de Bubalo, per quam excluſæ fuerunt una cum eorum filiis maſculis, DD. nempè de Nicolinis, & Falconeriis à ſucceſſione in Primogenitura Octavii ſenioris de Bubalo, allegarunt plura in Sententiis Rotalibus, & imò etiam in executione comprahenſa non eſſe de ſubjectis eidem Primogenituræ, & præſertim Palatiū nuncupatum *del Giardino*, tamquam proveniens ab Antonio ſeniore de Bubalo Avo Octavii, & ſic non Octavii Primogenituræ ſuppoſitum, ſed ejuſdem Antonii fideicommiſſo, quod ipſarum favore verificatum fuerat.

Et quoniam DD. Marchiones de Bubalo ſucceſſores in Primogenitura, ex dicta re judicata, (quæ adhuc eſt in controveſia) & ex alia deciſione præcedentis audientiæ coram Me, diverſos deducebant Titulos ad excludendam illarum prętenſionem, & præceteris condominium Octavii ratione melioramentorum in eodem Palatio ab illo factorum in extructione ejus Partis, ſeu, ut dicitur appartamenti, hinc delata ad judiciale examen in noſtro Auditorio coram Reverendiſſimo P.D. meo Anſaldo Decano, deventum fuit ad Peritorum electionem, quorum Judicio diſtingui poſſent ratæ aſſerti condominii, & repartiri penſiones.

Superventis Peritorum relationibus, quæſitum fuit in Audientia diei 8. Maii 1705., pro qua rata pertineret Palatium ad alterutram ex Partibus, & conſequenter ad Antonii, vel Octavii diſpoſitionem, & deciſum extitit pertinere ad Sorores ſucceſſionem obtinentes in fideicommiſſo Antonii juxta modum, qui fuit declarativus Octavii in eodem Palatio pro rata ſcutorum 7800., & prodiit Sententia conformis huic reſolutioni, a qua cum Partes reclamaſſent, cauſa mihi commiſſa, dubium propoſui circa Sententiæ Rotalis confirmationem in audientia diei 7. Junii ſuperioris anni 1717., & confirmandam eſſe Rotalem Sententiam Domini reſponderunt: nec diverſus hodie fuit eorum ſenſus, dum conceſſa Partibus, quoad omnes quæſtiones inter ipſas vertentes, facultate iterum ſua Jura deducendi, revocata fuerunt ad novum examen fundamenta dictæ meæ deciſionis, & reſcriptum emanavit pro perſiſtentia *in deciſis*.

Non enim ampliùs hodie impugnabant DD. Marchiones de Bubalo quantitatem Juris Primogenituræ competentis ſuper controverſo Palatio in ſcutis 7800. duntaxat, juxta plenè firmata in deciſione, quæ revidetur §. *Quemadmodum cum pluribus ſeqq.*, ſed unicè inſiſtebant in expoſtulanda declaratione, quod jus prædictum competeret ratione condominii, prout contenderant uſque ab initio, juxta facti ſeriem ſupra in neceſſariis repetitam, pleniùs vero expoſitam in deciſione, quæ revidetur, eorumque aſſumptum comprobare unicè ſtudebant ex iis, quæ firmata fuerunt in antiquis Cauſæ deciſionibus, circa bonorum identitatem, hodiè pariter in gradu reſtitutionis in integrum revidendam, juxta reſcriptum præteritæ audientiæ, quod de illa particulariter videatur.

Arguebant enim fuiſse firmatum hujuſmodi condominium *dec.371. par.17. rec. nu. 6. & 7.*, ubi quod fideicommiſso Antonii non competeret actio, niſi pro ſolo, & *dec.27.*
1 *par.18. rec. num.19., & 20.*, ubi, quod Fabrica, in tactis juribus, ſoli cedit commodo ædificantis, nec non *deciſ.269. num.18. eadem part. 18. tom.2.*, ubi quod pretium ſoli potuiſset compenſari cum fructibus reſtituendis à die motæ litis.

Idque ipſum in deciſione edita in inſtantia præcedenti coram Reverendiſsimo Decano ſub § *Verum*, ubi quod procedebat partita ſcutor. 7800. debita Primogenituræ ſuper Palatio ad Cloacam pàriformiter cum affirmatis per partes, quoad conſortium, & dominium alterius Palatii ad Plateam Columnæ Antonianę.

Verum ceſsare hæc omnia putarunt ex lectura ipſarum deciſionum; primę namque impreſsæ inter recentiores locis allegatis, minime deſcendebant ad punctum iſtius condominii, & procedentes tantum cum argumento ducto à qualitate ſoli exiſtentis ſub proprietate Antonii, non autem Octavii, imo neque inter ipſos communis, ęrant intelligendæ ad formam Juris, & ſecundum theo-
2 ricas, ex quibus habemus, quod ædificium in alieno ſolo ſuperinſtructum cedat eidem ſolo, *ex tex. expreſſ. in §. Cum in ſuo inſtit. de rer. diviſ. l. ſi ſupra §. Sed Proculus ff. de acquir. rer. domin., & l. 1. §. Quod ait ff. de ſuperficie*, cum aliis relatis in deciſione, quæ revidetur §. *Abſque eo quod*, quibus concordat *Rot. in Foroſempronien. immiſſionis 8. Iulii 1693. §. In nibilo cor. bon. mem. Manuel.*

Tantoque magis, quia regula iſta Juris, conformis eſt declarationi ipſiuſmet Octavii conditoris controverſæ Primogeniturę. Quippe quia provide occurrens controver-
3 ſiis, quæ oriri potuiſsent circa bona, & Jura ab eo ſuppoſita Primogenituræ in eodem ſuo teſtamento, illa omnia adnotavit, & deveniens ad controverſum Palatium, ſe ſolum adnotavit creditorem impenſę factæ pro melioramentis; ſi autem intellexiſset vigore eorum-

eorumdem melioramentorum acquiſiviſſe domus melioratę condominium, non Jura in domo, ſed domus ipſius partem inter propria ſtabilia connumeraſset, ut de ſe patet, & ſatis probant auctoritates in eadem mea deciſione relatæ §. *Deficit*.

Eodemque modo interpretanda etiam
4 fuiſset deciſio præcedentis inſtantiæ edita 8. Maii 1705. cor. Reverendiſsimo Anſaldo Decano; quatenus aliquam ingerere valuiſſet dubietatem, aut afferre difficultatem, cum cæteroquin illa non ſit, ut antiquæ aliæ deciſiones præſupponenda, dum examinatur hodiè in gradu appellationis ejus juſtitia, & tranſeat cum paritate, quæ hìc, & nunc non procedit, dum cauſa ſuper Palatio ad Plateam columnæ remanet indeciſa, & pendet à relatione, quæ expectatur peritioris.

Sed adhuc in univerſum ceſsat quævis contraria hujus deciſionis interpretatio ex ejus perluſtratione, dum in §. *pariter*, teſtatur,
5 quod DD. reputarunt, *quod excluſo D. Marchione à participatione hujus condominii in ſui principio unicè ſpectantis ad Antonium, ſi quid ſuperacceſſit ex cauſa melioramentorum factorum ab Octavio, eadem melioramenta ceſſiſſent ſolo ex perſona memorati Antonii deſcenſo ad DD. Sorores ad clara principia; adeout quoties nullo pacto, aut*
6 *natura rei adverſante, hujuſmodi melioramenta reſici debeant habenti cauſam ab ipſo meliorante, is remaneat purus creditor quantitatis ad ſe nihil trahentis de augumento, nuſquam vero regulariter evadat condominus, ex allegatis per Fabr. &c.* ſunt ipſa verba deciſionis, cum qua DD. cenſuerunt procedendum.

Et ita remiſſivè in reliquis, quæ alias adducebantur, ſed hodie non erant inter Partes in quæſtione, tàm ad dictam Reverendiſſimi Decani deciſionem, quàm ad meam, quæ confirmatur fuit reſponſum utraque &c.

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE BUBALO SUPER RELIQUIS BONIS AD CLOACAM.

Veneris 13. *Maii* 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius ſub die 7. Junii 1717. Teſtator, qui in ultimo ſuæ vitæ elogio omnia ſua ſtabilia accuratè deſcripſiſſet, ſtabile, de quo in eo locutus non fuiſſet ſe poſſediſſe non eſt præſumendum, dominium ſuper Domo, vel aliis bonis ſtabilibus, quando ex locationibus probatum remaneat, & quando ſecus, necnon idem quando ex depoſito penſionum argui poſſit, & quando non, optimè, & ad rem explicat ſequens

SUMMARIUM.

1 *Teſtator ſe merum melioramentorum Creditorem declarans, non poteſt dici, ut dominium ſuper re meliorata adipiſci intellexerit.*

2 *Donatio illius favore ędificantis ſuper eo non inducitur, ex ſcientia, & patientia Domini illius, qui alium ſuper eo videns ędificare, non reclamaſſet, cum id ſatis non ſit*, & vide rationem in n. ſeq.

3 *Donatio nunquam præſumitur, & a fortiori ex contraria animi declaratione ſemper excluſa remanet.*

4 *Locatio probat tantum dominium rerum in ea deſcriptarum, & locatarum, & ad corpora in ea non adnotata non extenditur.*

5 *Locatio Domus antiqua, in qua expreſſus non reperiatur titulus, quo facta ſit, ſivè Primogenituræ, ſive fideicommiſſi redditur æquivoca, adeo quod neque hæres fidei commiſſarius, neque primogenitura ex eaius deſumere valeat.*

6 *Depoſitum penſionum factum ſub nomine* -- di eredità, o primogenitura -- *titulum dominii æquivocum efficit inter unam, & alteram, cum capax ſit utriuſque tituli, nempe fideicommiſſi, & primogenituræ.*

7 *Teſtator non præſumitur poſſediſſe fundum, de quo in ſuorum ſtabilium deſcriptione in teſtamento facta loquutus non fuiſset.*

8 *Amplia quando ſuper tali exemptione ab illius hæreditate res judicata emanaſset, quę ſemper eſt præſupponenda, donec adverſus eam reſtitutio in integrum non referatur.*

9 *Reſtitutio in integrum ab utraque parte obtenta, ſit utrique parti communis.*

10 *Rota ſolet ſtrictè tantum ad dubia et propoſita, & non ad ea ſub illis non cadentia reſpondere.*

DECISIO MLXVI.

Ex eodem fonte, unde cæterę profluxerunt quæſtiones inter DD. Sorores de Bubalo, & DD. Marchiones pariter de Bubalo, deſcendit etiam ea, quæ reſpicit pertinentiam plurium corporum, quæ ſita ſunt ad Cloacam denominatam Bubali ex proximitate habitationis prænobilis huius familiæ, è conſpectu nempe Palatii, de quo actum eſt in contemporanea mea deciſione; quemadmodum autem reſpectu d. Palatii perſtiterunt DD. in ſenſu, quem fuerunt amplexi in antecedenti mea pariter deciſione edita in audientia diei 7. Junii anni præterlapſi, confirmandi ſententiam latam à Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano, ita etiam cenſuerunt quoad alia omnia corpora approbantes reſolutionem de illis ſpecialiter eadem die captam, & reſcribentes etiam huic ſeparato dubio -- *In dec iſis*.

Et quidem parum immorandum erat in primis corporibus ſtabuli, Fænilis, & Remiſſæ quia quoad prima duo (dum aliud non impugnabatur) ſatis firma erat diſtinctio melioramentorum, ſeu Ædificii à ſitu, vel ſolo, juxta quam Fideicommiſſum purificatum favore DD. Sororum de Bubalo obtinere in illis debet ſcuta 505., & Primogenituræ Octavii ſcuta 643., juxta valutationem hodierni ſtatus dictorum melioramentorum.

Abſque eo quod præter alias exceptiones in

in deciſione, quæ revidetur plenè ſublatas,
1 recurrere valuerit etiam quoad hæc corpora prætenſio condominii inter Octavium Conditorem Primogenituræ, & fideicommiſſorum Antonii, quia ſatis illud excluſum fuit tum in præcedenti, tum in contemporanea mea deciſione ſuper Palatio, ubi quod aſſerto huic condominio obſtat præceteris voluntas ipſius Octavii, qui ſe non condominum, ſed creditorem conſtituit in enumeratione bonorum, quæ ſupponebat ſuæ Primogenituræ. Et hæc Octavii voluntas ſatis etiam
2 tollit aliud iſtius condominii argumentum deſumptum ex tacito conſenſu, & patientia permittentis in ſuo ſolo ædificari, quia cum
3 ſit fundatum in mera præſumptione, quod quis donare non præſumatur, neque intelligatur ſecuta talis donatio, quando concurrit diverſa animi declaratio, ex adductis per *Gratian. diſcept. 32. n. 1. cum pluribus ſeqq.*, & *diſcept. 442. n. 288.* cum aliis allegatis in deciſione ſuper Palatio ad Plateam Columnæ 12. Martii 1703. §. *vel ſaltem coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano*.

Prout etiam ſatis firmiter ſtabilita viſa fuit pertinentia ad idem Antonii fideicommiſſum Lavacri vulgo dicti *il Lavatojo*, non obſtantibus repetitis obiectis, quæ deducebantur ex antiquis locationibus de eo factis ab Octavio Conditore Primogenituræ, ac Paulo in illa Succeſſore, & ex depoſito illius penſionum fieri ſolito ſub expreſſione *d'eredità, ò primogenitura*.

Utrumque enim argumentum remanet
4 æquivocum, animadvertendo, quod una ex locationibus loquitur de manſionibus ſupra remiſſam, nulla facta mentione Lavatorii;
5 altera vero exprimens Domum cum Horto, Fonte, & Lavatorio exarata per Paulum poſſeſſorem Primogenituræ, & filium Angeli poſſeſſoris fideicommiſſi, non declarat quo titulo facta ſit, ſivè primogenituræ, ſive fideicommiſſi, quod etiam potuiſſet allegare idem Paulus ratione compoſſeſſionis, & familiaritatis cum Angelo ejus Patre, ut conſimili obiecto reſpondit *Rota in deciſione præteritæ inſtantiæ* 8. *Maii* 1705. §. *Hiſce tamen cum ſeqq. cor. Reverendiſſimo Decano*, agendo de Remiſſa, quæ hodie amplius non eſt in controverſia, & advertit deciſio, quæ revidetur §. *Quo vero cor. Me*.

Depoſitum autem penſionum, eodemmodo
6 pertinentiam ad Primogenituram non poteſt concludere, quia illa expreſſio *d'eredità, ò primogenitura* capax eſt utriusque tituli, Fideicommiſſi nempe, & primogenituræ, & appoſita noſcitur pro comodo, ut dici ſolet, ſcripturæ, dum in eadem menſa nummularia deponebantur omnes pecuniæ tam ad Angelum poſſeſſorem fideicommiſſi, quam ad Paulum poſſeſſorem primogenituræ pertinentes, ut proſequitur eadem deciſio §. *Reſpectu cor. Me*.

Maxime vero nullius roboris deprehendebantur hæc, & conſimilia argumenta, at-
7 tento quod non ſolum hujuſmodi Lavacrum omiſſum fuit in ea diligenti, & accurata deſcriptione, quàm in fine teſtamenti fecit Octavius bonorū ſuæ primogenituræ, ſed etiam
8 exemptum fuit per noſtrum Tribunal ab immiſſione vigore d. primogenituræ conceſſa DD. Marchionibus de Bubalo, itaut pro illius libertate reſpectu ejusdem primogenituræ, ſtet res judicata incidenter non impugnanda, imo in præſenti iudicio, non obtenta in integrum reſtitutione, ſupponenda, juxta regulas latè firmatas *dec. 38. n. 3.*, & *dec. 39. n. 1. cor. Benincaſa*, & cum aliis in *Romana diſtributionis dotium 22. Februarii 1717. §. Non tamen, & ſequ. coram Me*.

Et fruſtra proponebatur, quod talis in in-
9 tegrum reſtitutio non deficiat, dum illa obtenta fuit ex parte Dominorum de Nicolonis & Falconeriis, quæ propterea debet eſſe communis utrique parti; ut enim reſponſum fuit huic eidem obiecto in deciſione edita ſuper palatio 7. Junii ſuperioris anni coram Me, etiamſi talis reſtitutio in integrum verè
10 facta fuiſſet communis, adhuc conſimiles exceptiones contra ſtabilita in re judicata proponi non poſſent, niſi ſub congruo dubio, prout fecerunt reſpectu ſucceſsionis in primogenitura dictæ DD. Sorores de Bubalo, ne aliás intervertatur ſtylus, & praxis noſtri Tribunalis examinandi iuxta obtentas commiſsiones congrua dubia, iiſque ut par eſt, ſtrictè reſpondendi, ut dictum pluries fuit, & ſignanter *in Romana Primogenituræ de Corſinis ſuper Trebellianica 22. Junii 1714. §. Nec eſt cor. R. P. D. meo Cerro*.

Hiſiterum ſtabilitis favore dictarum DD. Sororum de Bubalo, ſuperfuiſset examinare ea, quę in eadem deciſione ſubſequntur favore D. Marchionis de Bubalo reſpectu ſitus Emphyteutici Monaſterii S. Silveſtri, & Apothecæ ad uſum inciſoris; ſed quoniam adverſus illa nihil in præſenti propoſitione deductum fuit, relativè ſe habuerunt DD. ad dictam deciſionem, & ad alias præcedenter editas coram Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano.

Et ita utraque &c.

FAVENTINA FIDEICOMMISSI SUPER FRUCTIBUS.

Veneris 3. Junii 1718.

ARGUMENTUM.

Sicuti à die præſentationis monitorii ſuper immiſſione ad bona per alium poſſeſſa, iſte in mala fide ponitur; ob id ab hac die fructuum curſus ſuum deſumit initium, nec ſcripturarum effectiva requiritur productio.

Taxa legalis, ex quo ſimplici innititur præſumptioni, pro omnibus caſibus indiſtinctè regulam non præbet univerſalem, ſed paſſim ab ea receditur, quando de præciſa fructuum quantitate aliunde conſtat, & de ſtylo loci fructus minoris taxari debeant, qui per Judices ſervandus eſt.

Libri

Libri tutelæ, nitidè, & legaliter à tutore tenti optime probant fructuum pupillarium exactionem, nec doloſi præſumuntur, maximè, ſi eorum legalitas à Peritis veniat approbata.

SUMMARIUM.

1 *Fructus adverſus poſſeſſorem malę fidei currere incipiunt à die preſentationis monitorii*, amplia, ut in n. ſeq., & 3.

2 *Mala fides ſemper parit obligationem reſtituendi fructus.*

3 *Productio ſcripturarum neceſſaria non eſt adverſus malæ fidei poſſeſſorem, ad hoc, ut iſte teneatur ad ſolutionem fructuum, &* vide rationem, amplia, ut in n. 5.

4 *Scientia mali Juris poſſidendi probatur ex productione teſtamenti, in quo legeretur vocatus ad fideicommiſſum ille, qui monitorium ad obtinendam immiſſionem ſuper illo poſſeſſori præſentare feciſſet.*

6 *Curſus fructuum, ut ex ſcientia mali Juris inducatur in poſſeſſorem malæ fidei, ſat eſt, ut eam ex productis juribus poſſit iſto quomodo recipere, cum unicè effectus ejuſdem cauſæ attendatur.*

7 *Læſio enormiſſima dolum ſecumfert.*

8 *Fructus ex natura rei veniunt reſtituendi, & a die moti Judicii, quando titulus poſſidentis reperitur infectus, & ad non titulum reducitur.*

9 *Læſio enormiſſima per rem judicatam canonizzata, & acceptata, nullam defenſionem admittit.*

10 *Res judicata parit exceptionem litis finitæ, donec per reſtitutionem in integrum relatam non vulneretur.*

11 *Taxa legalis non præbet regulam univerſalem in omnibus locis ſuper taxatione fructuum, ſed ab ea receditur, ubi aliunde de preciſa fructuum perceptione conſtet.*

12 *Quantitas fructuum perceptorum à pupillo ex libris tutelaribus à Tutore nitide tentis probatur*, & n. 14.

13 *Libri tutelares an fuerint juſte, & nitide, ac legaliter à Tutore tenti, probatur ex teſtimonio, quod de eis præbuiſſet peritus ratiocinator.*

15 *Amplia quando iſti libri ex fide teſtis de facto proprio deponentis, ſuæque ſcientiæ cauſam reddentis adminiculantur.*

16 *Teſtis adminiculatus plenę probat.*

17 *Taxa fructuum, quæ currit de ſtylo loci, ſervanda eſt à Judice, & non legalis.*

18 *Tutor non preſumitur fraudibus voluiſse involvere pupillum, & cum hæc ſapiant de delicto, ſunt ab eas allegante probandæ.*

19 *Amplia in Tutore nobili, & conditionis non ſuſpectæ*, & n. ſeq.

20 *Tutor eo magis non præſumitur fraudolentus adverſus pupillum, quando ex tali fraude nullum commodum eſset ſibi relaturus.*

21 *Amplia quando omnes redditus pupilli de anno in annum à Perito ſcripturali accurate deſcribere feciſset, qui fidelis quoque preſumitur.*

22 *Fructus bonorum augeri præſumuntur, quando creeſcit proprietas.*

23 *Teſtis de propria deponens credulitate nil probat.*

24 *Amplia, ut neque contra ipſum inducentem fidem habere debeat.*

DECISIO MLXVII.

CAnonizzata per rem judicatam noſtri Tribunalis favore Marię Catharinæ de Miſſirolis de Zucchinis immiſſione ad medietatem bonorum fideicommiſſariorum Caroli Cæſaris Miſſiroli ejus Patris, una cum reſtitutione fructuum à die motæ litis, iiſdemque bonis in vim d. rei judicatę ab Antonia Miſſirola Poſſeditrice dimiſſis, orta ſubinde fuit controverſia inter Partes ſuper fructuum reſtituendorum liquidatione, ac tempore, quo mota lis dici deberet, ad quam dirimendam propoſito per Me dubio ſub die 29. Januarii anni præteriti -- *An, & à quo tempore ſint reſtituendi fructus, & pro qua ſumma liquidandi, ac reſpectivè relaxandum mandatum* -- reſcriptum fuit -- *Dilata, & eligatur Peritus Curialis*, cujus relatione ſuperventa, quamquam DD. in Rota 11. Februarii currentis anni non fuerint concordes; in hodierna tamen Cauſæ repropoſitione convenerunt in reſcripto -- *Fructus eſse reſtituendos, ac liquidandos juxta modum in preſenti deciſione exprimendum.*

Cum nulla quæſtio verſaretur ſuper fructuum reſtitutione in genere facienda in ordine ad primam dubii partem, quæ reſpicit tempus à quo fructus ſint reſtituendi, DD.
1 fuerunt in ſenſu, illos eſſe reſtituendos ab anno 1700., dum uſque ab eo tempore ad inſtantiam Mariæ Catharinæ Actricis fuit expeditum Monitorium cor. A. C. ſuper immiſſione ad d. medietatem bonorum fideicommiſſariorum, & præſentatum Tutoribus Antonię Reæ conventæ, ac reſpective in actis reproductum.

Minime in præſenti caſu, attenta reſponſione, ſuper qua tota defenſio ejuſdem Antoniæ, niti viſa eſt, quod ad conſtituendum
2 Poſſeſſorem in mala fide, quæ ſemper obligationem inducit fructuum reſtituendorum, non ſufficiat ſimplex expeditio, & preſentatio Monitorii, ſed ulterius neceſse ſit devenire ad effectivam jurium in actis productionem, quorum tenore perluſtrato, poſſeſſor rei fideicommiſſarię ſtatim bene fundatam Actoris intentionem dignoſcere poſſit, ac reſpectivè conſcius evadere ſui mali Juris, juxta inconcuſſam Sacri Tribunalis opinionem, de qua latè *in alia Faventina fideicommiſſi ſuper Domo quoad fructus 20. Ianuarii 1717. cor. R. P. D. meo Foſcaro.*

Siquidem cum effectiva ſcripturarum in
3 actis productio non exigatur preciſè, & de forma; qua non ſervata fructus amplius peti non valeant, ſed tantum cauſativè, & ad peculiarem effectum inducendi in Reo convento ſcientiam mali juris, quoties hęc aliunde reſultat, tametſi deficiat ſolemnitas produc-

ductionis ſcripturarum, ſemper eſt locus fructuum perceptorum reſtitutioni, quia virtualiter, & per æquipollens ſatisfactum dici debet d. legali incumbentię, & Poſſeſſor ſatis dicitur conſtitutus in mala fide, *Rota in Aven., ſeu Vaſionen. Primogenituræ* 23. *Aprilis* 1695. §. *Fruſtra cor. bo. me. Muto, in Romana immiſsionis ſuper fructibus* 27. *Iunii* 1708. §. *Nec relevat*, & 14. *Iunii* 1709. §. *Nec obſtat cor. Me*.

Scientia autem ſpecifica, & individualis
4 Iurium Mariæ Catharinæ in pręſenti hypotheſi ſuperlative reſultare viſa fuit ab Inſtrumento tranſactionis paulo poſt d. monitorii præſentationem inter partes celebratæ, in qua fuit inſertus tenor totius diſpoſitionis teſtamentariæ Caroli Cæſaris fideicommittentis, ac per conſequens litteralis vocatio pręfatę Catharinæ, facta ibidem expreſsione, quod purificata extiterat conditio ejus ſubſtitutioni appoſita, una cum deſcriptione bonorum hæreditariorum dicti Caroli Cæſaris fideicommittentis, & adnotatione eorum valoris, factaque mentione d. Monitorii coram A. C. expediti ſuper immiſſione ad medietatem eorumdem bonorum ad inſtantiam Actricis: In hiſce autem relevantiſsimis circumſtantiis, inutile prorſus eſt inſiſtere ſuper defectu ſcientiæ Iurium, quæ Actori opitulantur, ut in debilioribus terminis probat *Rota dec.* 3. *n.* 27. *p.* 7. *rec.*, & *in Romana donationum ſuper fructibus* 24 *Iunii* 1710. §. *Neque ad cor. R. P. D. meo Criſpo*.

Non minori inſubſiſtentia laborabat replicatio Defenſorum ejuſdem Antoniæ, quod
5 licèt aliquando mala fides reſultare poſſit ex ſcientia aliunde, quàm ab ipſa effectiva jurium productione quęſita, hoc tamen procedit, & locum ſibi vindicat in eo dumtaxat caſu, quo actus, ex quibus erui prætenditur ſcientia, directi ſunt ad importandam in poſſeſſore notitiam ſui mali juris, ſecus autem ſi actus ſit ordinatus ſua indole ad extinguendam litem, qualis eſt tranſactio, tunc enim potius operatur contrarium, & auget bonam fidem eorumdem tranſigentium.

6 Æquivocum enim ſtat in eo, quod cum unicè attendatur effectus ſcientiæ in Reo, boni juris Actoris, ac reſpectivè mali juris ſui ipſius, quæ quidem ſcientia æque bene erui potuit à formali jurium productione, ac ab ipſo tranſactionis Inſtrumento, nullatenus eſt curandum, aut inquirendum de ejuſdem actus natura, ejuſque præordinatio-
7 ne; tantùm verò abeſt, ut aliquod præſidium bonæ fidei deſumi valeat à dicta tranſactione, quin potius contrarium reſultet, quia declarata fuit nulla à ſacro Tribunali, tum ex defectu cauſæ, tum læſionis enormiſſimę, ratione cujus redolere dicitur fraudem, & dolum, ſi non ex conſilio, ſaltem re
8 ipſa, qui removet conſenſum ab actu, operaturque, ut ea de medio ſublata, titulus reducatur ad non titulum, & fructus veniant reſtituendi uſque ab initio moti judicii, quod contigit anno 1700. poſt expeditum, ac pręſentatum dictum monitorium, *Rot. dict. dec.* 3. *n.* 29. *p.* 7. & magis latè *dec.* 605. *à n.* 7. *uſque ad* 18. *p.* 1. *tom.* 2. *rec.*

Perperam vero Scribentes pro eadem Antonia in hodierna cauſæ propoſitione denuo inſiſtebant ſuper qualitate, & prærogativis memoratæ tranſactionis ex omni ſui parte bonam fidem præſeferentis, veluti initæ à Pupilla 15. menſium, in qua cadere nequit præſumptio doli, & fraudis, & ſervatis in ea omnibus ſolemnitatibus tam juris communis, quàm municipalis.

9 Etenim quæſtio iſthæc in ordine ad validitatem, vel invaliditatem tranſactionis amplius reſtaurari non poteſt poſt dictam rem judicatam eam annullantem, tanquam enormiſſimè læſivam, quam Rea conventa ſolemniter acceptavit verbo, & facto, illi nimirum parendo cum effectiva bonorum di-
10 miſſione, res enim judicata, uti dici ſolet, facit de albo nigrum, perpetuumque parit obſtaculum, donec obtenta prius reſtitutione in integrum de medio ſublata non fuerit, *l. res judicata* 108. *ff. de regul. jur.*, *Rota dec.* 465. *n.* 5. *p.* 19. *tom.* 2. *rec.* cum aliis *in Romana Primogenituræ de Bubalo ſuper reliquis bonis ad Cloacham* 13. *Maii menſ. elapſi* §. *Maximè coram Me*.

Deſcendentes DD. ad alteram dubii par-
11 tem ſuper eorumdem fructuum liquidatione in præſenti caſu, crediderunt non poſſe procedi cum taxa legali quæ tamquam innixa ſimplici præſumptioni non dat regulam univerſalem pro omnibus caſibus indiſtinctè attendendam, ſed ab illa paſſim receditur, ubi aliunde conſtat de certa quantitate ex bonis ab illo poſſeſſis percepta, *Rot. coram Priolo dec.* 415. *n.* 15., & *in Baren. Teſtamenti ſuper fructibus*, & *expenſis* 26. *Iunii* 1709. §. *Cumque coram Reverendiſſimo D. meo Decano*, *idemque in annot. ad ejus dec.* 59. *n.* 12. & 13.

12 Hæc quantitas certa, & invariabilis quoad fructus perceptos à dicta Antonia ſatis probata remanet ex libris tutelaribus nitidè, ſummaque diligentia, & legalitate retentis
13 à Tutore, ut teſtatur Peritus Curialis in ejus Peritia §. 19. -- *dal quale con tutta integrità, candore, e regola più eſatta furono ritenuti i libri tutelari colle formalità di rubricella, graticole, & altri requiſiti, che compongono una buona, e legale ſcrittura meritevole d'ogni fede.* -- Nec minus amplum Teſtimonium facit de eorumdem librorum legalitate alter Peritus in Urbe Ratiocinator, quorum judicio, addita etiam oculari inſpectione, ex qua patet omnia fuiſſe in illis ſincerè, & rectè diſpoſita, ſtandum dubio procul videtur, per *Text. in l.* 1. *in princip. ff. de ventr. inſpic.*, *Rot. coram Emer. jun. dec.* 1112. *n.* 8.

14 Sicuti enim ex libris Tutelaribus, conſtat Puellam quantitatem in illis deſcriptam dumtaxat percepiſſe, ita non niſi ad illam reſtituendam condemnari debet, cum idem genus probationis, ex illis conſtituatur contra

tra Puellam, & adverſus Tertium, cui in hypotheſi eſt facienda fructuum reſtitutio, *Pacion. de locat. & conduct. cap.*19. *n.*48., *Rot. cor. Merlin. dec.*488. *n.*6.

Tantoque magis DD. juxta tenorem librorum tutelarium, non verò juxta præſcriptum taxæ legalis in hoc caſu procedendum
15 eſſe crediderunt: quia iidem libri valde adminiculantur, tum à fide iurata alterius Teſtis ratione ſui exercitii de facto proprio deponentis, & teſtantis, fructus ſtabilium in Territorio Faventino ſemper regulari ad rationem trium pro quolibet centenario, & anno, & eius ſcientię cauſam reddentis, qui
16 iunctis aliis adminiculis magnum præbet veritatis iudicium, *Rota in Engubina, ſeu Senogallien. devolutionis ſuper fructibus* 16.
17 *Maii* 1698. *cor. bo. me. dell' Olmo.*, tum ex taxa ſervari ſolita à Judicibus Faventiæ in liquidandis fructibus, de qua eſt fides in alio iudicato *in Summario Antoniæ Miſſirolæ num.* 4., quæ quidem taxa debet dare normam etiam aliis Judicibus quantitatem fructuum ex bonis in eodem Territorio ſitis recollectorum determinare debentibus, iuxta ſtylum loci, ex deductis *dec.* 176. *n.* 3. *cor. ſan. mem. Alexandr. VIII.*, & *dec.* 360. *n.*4. *cor. Emer. jun.*

18 Hinc ad adimendam fidem dictis libris tutelaribus nihil valuerunt tot exagerationes ex parte eiuſdem Catharinæ adverſus Zannellum Tutorem impictæ, quatenus ipſe in adnotando annuo redditu, dolo, & fraude conſpiraverit in perniciem dictæ Catharinæ creditricis, quæ cum ſapiant delictum, deberent concludentiſſimè probari, aliàs habent omnem præſumptionem contra ſe, *Ro-*
19 *ta dec.*132. *n.*4. & 5. *p.*15. *rec.*, dum prę cipuè deducuntur contra virum, non ignobilis, aut ſuſpectę conditionis, de quo talia præſumi non poſſunt, ut in præciſis terminis habendi fidem privatæ ſcripturę, advertit *Rot. dec.*321. *n.*2 *p.*3. *rec.*

20 Accedente ulterius, quod nullum excogitari valet eius intereſſe, vel commodum, quo ad fraudes committendas allici valuerit, undè inveriſimile prorsùs eſt, quod ſine proprio lucro, & commodo, voluerit propriam illaqueare conſcientiam, ut Pupillę facultatem augeret, eiuſque conditionem meliorem faceret, *Rota Florentin. penès Maſſin. de confiſcat. q.*39. *n.*125.

21 Et ulterius animadvertebant DD. uſque ad annum 1710. quo munus tutelæ reſedit penès Zannellum, cuius fidem modo in diſcrimen revocatur, libros tutelares fuiſſe de anno in annum conſcriptos à Perito ſcripturali de mandato ipſius Tutoris, qui eidem Perito debitam mercedem in pluribus vicibus perſolvit. A' dicto enim anno 1710, quo tutela per Zannellum exercita expiravit, uſque ad annum 1715., omnes redditus fuerunt deſcripti in libris, de quibus eſt controverſia, ab Antonio Maria Cerrono ejuſdem Antoniæ Curatore à Judice deputato, ac proinde non in ſolo Zannello eſſet præſumenda fraus, & dolus, ſed, & in dicto Perito ſcripturali, ac in Cerrono Curatore, quo nihil inveriſimilius, nihilque magis alienum à mente iudicium ferre debentium.

Non relevante obiecto, quod in tranſactione fructus bonorum fideicommiſſariorū fuerint calculati ad rationem 4: pro centenario iuxta taxam legalem; quodque Joannes Conſulus Teſtis inductus ab eadem Catharina, ad effectum firmandi ſtatum hæreditarium Caroli Cæſaris pro faciendis detractionibus, dicat, quod fideicommittens habebat annuum redditum ſcut. 900., quę adęquat taxam legalem in ſcut. 4. habito reſpectu ad illius capitalia.

Prima enim obiecti pars elidiţur ſtatim à reſponſione, quod eatenus fructus in tranſactione calculati extiterint ad rationem
22 quatuor pro centenario, quia non habitus fuit reſpectus ad ſtatum præſentem, ſed ad valorem antiquum bonorum de tempore illorum acquiſitionis, ut probant deciſiones in cauſa editæ coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Scotto, quo quidem tempore ſtabilia minoris valebant, & ſic fructus regulabantur ad magis rigoroſam rationem ſcut.4. Aucto autem exinde bonorum valore, illorum redditus decreverunt, ut refert *Conſtantin. ad Stat. Urb. annot.*46. *art.*2. *nu*, 84, & *Rota poſt eumdem dec.* 163. *nu.* 10.. & quoad alteram obiecti partem ſatisfacit
23 reſponſio, quod pręfatus Teſtis non loquitur abſolutè, & certitudinariè ſuper annuo redditu Cæſaris fideicommittentis, ſed de eius credulitate ibi -- *e la di lui entrata poteva aſcendere un' anno per l'altro à ſc.* 900. Teſtis autem de propria credulitate deponens, nullum probationis gradum conſtituit,
24 neque contra ipſum inducentem, *Rota dec.* 517. *nu.*17. *cor. Gregor.* Fortius quia idem Teſtis deponit de redditibus integri aſſis teſtatoris, & ſic ab eius dicto nulla poteſt capi regula pro determinando annuo fructu bonorum, de quibus agitur, quia plura corpora hęreditaria; & quidem de melioribus amplius inter illa non exiſtunt, cum fuerint tradita in ſatisfactionem legatorum.

Quo verò ad ſummam, pro qua ſit relaxandum mandatum, DD. pro nunc nihil determinare voluerunt, cum hæc inſpectio pendeat ab altera cauſa ſuper detractionibus iuxta deciſionem editam 11. Februarii præteriti coram Me, adverſus quam Antonia novam hodie impetravit audientiam.

Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU FLORENTINA PECUNIARIA.

Veneris 3. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Per dationem rei in ſolutum, ſicuti iſtius dominium in creditorem acceptatem transfertur, tia

ita fructus de eadem perceptos idem creditor ſuos facit, nec ad extenuandam ſortem eos tenetur adſcribere, ad differentiam rei in pignus datæ, in quo ſecundo caſu fructus de ea percepti ſortem diminuunt; iſtique duo contractus ex verbis contrahentium deſignantur, & inter ſe ſe diſtinguuntur.

Evicta re in ſolutum data pro extinctione cambii, iſtius jura, tam quoad ſortem, quam fructus reviviſcunt; Fructus tamen ejuſdem rei pro illa rata, quæ creditum acceptantis exuberaret, ſortem cambii diminuunt.

SUMMARIUM.

1 *Hæres factum defuncti, quod in ſuum authorem recognoſcat, impugnare non poteſt,* & num. 14.

2 *Datio in ſolutum unius rei transfert dominium in acceptantem.*

3 *Fructus ſequuntur dominium rei, & liberè percipiuntur ab acceptante rem fructiferam in ſolutum abſque ulla imputatione in ſortem,* & num. 25.

4 *Fructus rei in pignus datæ ab eodem acceptante percepti cedunt in extinctionem ſortis crediti,* & num. 8.

5 *Contractus cujus ſit qualitatis deducitur ex denominatione, quam contrahentes illi dediſſent.*

6 *Solidatio crediti ex quibus verbis probetur exarata.*

7 *Pignus de ſui natura creditoris ſatisfactionem non portat, ſed meram crediti ſecuritatem.*

8 *Limita, quando creditor ex eo fructus percipiat, qui in capitalis extinctionem cedere debent.*

9 *Datio in ſolutum quamcumque perimit præcedentem actionem creditoris, & ex quibus verbis ſequta probetur.*

10 *Qualitas perſonarum contrahentium ſpectanda eſt in interpretandis contractibus.*

11 *Creditor liquidus, & certus, ſuas pecunias minutatim non tenetur recipere.*

12 *Creditor rei fructiferæ non præſumitur bona recepiſſe in pignus, & quare.*

13 *Debitor dicitur approbaſſe geſta à ſuis creditoribus, quando quietantiam ad eorum placitum factam acceptaſſet, & in iſtius ſequelam aliquid dimiſiſſet.*

14 *Hæres non poteſt in dubium revocare confeſſionem debiti in actu ſerio, vel ultimo vitæ elogio ab ejus authore factam.*

15 *Datio in ſolutum non excluditur per hoc, quod debitor rem tradens conſtituiſſet acceptantem in procuratorem ad eandem rem vendendum, cum hoc non habeat vim deſtruendi contractum ejuſdem dationis jam perfectam.* & vide caſum.

16 *Amplia, quando idem mandatum continet expreſſam precedentis contractus confirmationem.*

17 *Confirmatio contractus jam perfecti, quamlibet excludit innovationem in ipſo.*

18 *Subamplia, ut idem mandatum poſſet referri ad intereſſe, quod ſuper eadem re in ſolutum data haberet debitor pro eò pluris, quod eadem ſuum debitum valore ſuperaret.*

19 *Statutum Laicale non ligat contrahentes cum perſonis eccleſiaſticis.*

20 *Limita reſpectu laici, qui omninò remanet ligatus.*

21 *Datio in ſolutum ſatis perfecta dicitur eo ipſo, quod fiat de certa re, & pro credito certo, loco pretii ſuccedente.*

22 *Datio in ſolutum non immutat ſubſtantium ob incertitudinem, quæ provenire poſſet ex augumento pretii, quod ex ſucceſſiva venditione reſultaret, neque ex hoc conditionalis efficitur.*

23 *Amplia, ut neque ſi eam recipiens in propriis libris fructus illius deſcripſiſſet ſub expreſſione dominii favore dantis, quando ille favore iſtius de aliqua rata ejuſdem rei rationem reddere teneretur.*

24 *Subamplia, ut neque ex conſenſu præſtito electioni periti ad extimandam eandem rem, quando non fuiſſet liber, ſed neceſſarius ad cauſæ defenſam.*

26 *Creditor ex cambio loco crediti aliquid in ſolutum acceptans, ſi iſtius ſequatur evictio, regreſſum ad ſua jura cambii habet.*

27 *Creditor, tali ſequta evictione, acquirit jus ex empto pro damnis, et intereſſe rei evictæ.*

28 *Creditor non facit ſuos fructus rei inſolutum acceptæ pro ea rata, quæ ſuum creditum exuberaret, ſique eos exegit, in diminutionem ſortis eos tenetur adſcribere; declara,* ut in num. ſeq.

29 *Fructus indebite exacti in ſortem ſunt imputandi, et debitum extinguunt.*

DECISO MLXVIII.

Dimittere coacti Domini Senator Laurentius, & Andreas del Roſſo Prædia *delle Montanine*, ſibi pro ſatisfactione Cambii ſcutorum 4000., ejuſque fructibus in ſcutis tribus cum dimidio monetæ Florentinæ aſſignata per clar. mem. Cardinalem Franciſcum Nerlium, curarunt emendare damnum indè ſibi illatum ſuper pretio, quod ex iiſdem prædiis ſub haſta publica poſitis, & pro ſcutis 4780. deliberatis retractum fuerat, ſed novis quotidiè inſurgentibus creditoribus, qui præferri in aſſequtione dicti pretii contendebant, diù ſine victoriæ ſpe litigarunt in Tribunalibus Florentinis, donec ſubindè transſportatis omnibus actis, Judicium de novo inſtruxerunt coram A. C. de Gentilibus, petentes contra hæreditatem ejuſdem Cardinalis delatam ad Vener. Hoſpitale Dementium Urbis mandatum executivum pro ſcut. 3665., quanti fuit liquidatum in partibus eorum creditum, excomputatis fructibus perceptis ex dictis prędiis à die ſecutæ aſſignationis ad diem deliberationis, ſed contraria ſententia Hoſpitalis abſolutoria repulſi fuerunt ab eorum petitione.

In gradu tamen appellationis interpoſitæ ad noſtrum Tribunal, & proſequutæ poſt obitum

tum Andreæ per D. Senatorem, cauſa mihi commiſſa diverſo exitu definita fuit; quippè quia propoſito in hodierna audientia dubio -- *An, & in qua ſumma conſtet de credito* -- prodiit reſponſum -- *Conſtare de credito juxtà modum* -- in hac deciſione exprimendum.

Nulla ſanè quęſtio fuit ſuper credito in ge-
1 nere, quia non ſolùm reſultabat ex Apoca cambiali plenam probationem conſtituente, ſed etiam ex confeſſione ipſius Cardinalis debitoris emiſſa in aſſignatione prædiorum evictorum, qua nulla major juſtificatio, & quam Hoſpitale illius hæres impugnare non poteſt, *ad not. Text. in leg. Cum à matre 14. Cod. de rei vindic. ſemper à Rota approbat. ut in deciſ.563. num.11., & dec.613. num.31. par.18.*

Quo verò ad quantitatem, illius definitio ab ea pendebat inſpectione, utrum ex perceptione fructuum Prædiorum, ut ſuprà aſſignatorum in cauſam prædicti crediti, extenuaverint Domini del Roſſo idem creditum, ſeù potius illis licuerit dictos fructus percipere jure dominii in ipſos per hujuſmodi aſſignationem tranſlato abſque ulla in credi-
2 ti extinctionem imputatione. Et quidem in hoc ſecundo caſu rem verſari Domini cenſuerunt, attento quod aſſignatio ſæpedicta facta fuit inſolutum, ex qua inſolutum datione nemo dubitat tranſlatum fuiſſe dominium, *Rota dec. 130. num.11., & deciſ. 319. nu.12., & 13. coram Cerro, deciſ. 502. nu. 4. par. 18., & dec.374 num.10. par. 19. recent.*
3 Sicut neque dubium eſt, quod fructus dominium ſequuntur, & ab obtinente rem fructiferam inſolutum liberè percipi poſſunt, & abſque ulla imputatione, ut diſtinguendo docet *Gloſſ. in l. à Divo Pio §. Si ſuper rebus verb. integris verſ. non miſſus ff. de re judicat., Rota deciſ.101. nu.10., & 15. poſt Pacific. de Salvian., dec.504. num.3., & 17. cor. Bich., & in allegat. deciſ. 502. num. 3., & 4. par.18. recentior.*
4 Neque dici valuit, quod potiùs dicta aſſignatio reſolvi videretur in pignus ex pluribus circumſtantiis in contrarium ponderatis, itaut propterea eſſet inevitabilis memorata imputatio fructuum in diminutionem crediti, juxta plenè deducta per *Merlin. de pign. lib.5. quæſt.45. num.1., & ſeq., Rota deciſ. 137. num. 10. coram ſan. me. Alex. VIII., & deciſ.243. num.7, & 8. par.19. rec.*

Rimata namque debita maturitate litteral, & qualitate contractus, facile fuit pro datione potiùs inſolutum reſpondere, quàm in pi-
5 gnus. Non ſolum enim Partes ipſæ contractum denominaverant dationem inſolutum declaratione illa -- *I quali Beni abbiamo preſo inſoluto, e pagamento* -- quæ denominatio plurimum deſervit ad oſtendendam qualitatem contractus, ut in puncto inquit *Roſa conſult.7. num.5., & 6., Rota dec.221, num.7., & deciſ.225. num. 6. par. 17., & deciſ. 556. nu.13. par.18. rec.*; ſed etiam aliis verbis uſæ
6 ſunt idem importantibus, ut ſunt illa -- *con-*

feſſiamo eſſer ſtati pagati, e ſodisfatti intieramente del noſtro credito &c. -- & rurſùs -- *Per ſaldo di detto conto* - quæ ſequtam oſtendunt in ipſo contractus momento totalem crediti ſatisfactionem, & debitoris liberationem, ut in his terminis firmat *Rota dec. 240.*
7 *num.5. cor. ſan. me. Innocentio X.*, id, quod receptio in pignus operari non potuiſſet, quia illud non conſtituitur ad ſatisfactionem, ſed ad ſecuritatem creditoris, & debitoris
8 liberationem operatur, quatenus idem creditor fructus ex pignore percipiat, non ſtatim, ſed paulatim, & uſquequo illi tractu temporis creditum adæquent, *ex Text. in l. 1. Cod. de pignor. act., & in cap. conqueſtus de uſur., Merlin. de pignor. lib. 1. qu.1. nu. 2., Rota dec.85. num.14. cor. Bich., & dec. 972. num.1. cor. Emerix Jun.*

Maximè quia ſubindè etiam additum fuit
9 -- *E perciò ne facciamo à S. E. finale quietanza, e promettiamo con patto perpetuo di non domandare, nè pretendere più ſomma, e coſa alcuna* -- ex quo pacto clarius explicari non poteſt effectus veræ dationis inſolutum, cujus eſt perimere quamcumque præcedentem prætenſionem, & actionem, ut in his terminis firmavit *Rota deciſ.153. num.6. par.12. rec.*

Et his intrinſecis argumentis accedit aliud
10 extrinſecum ductum ex qualitate perſonarum contrahentium, quæ in interprætandis contractibus etiam ſpectandæ ſunt, ut arguit *Rot. dec. 107. num. 16. par.17., & dec. 656.*
11 *num.19., & 20. par.18. rec.* Porrò DD. del Roſſo eorum pecunias otioſas retinere non ſoliti de tempore aſſignationis erant liquidi, certique creditores tam pro ſorte, quàm pro fructibus Cambii, ad cujus extinctionem minutatim ex Prædiorum aſſignatorum fructibus conſequendam nullo pacto adſtringi non
12 poterant. Undè quis dicet, illos ultroneè ita paciſci voluiſſe, amittendo puram, & abſolutam debitoris liberationem, & caſſationem ſcripturæ cambialis, & reportando ſolam aſſignationem in pignus, quæ incommodum ipſis attuliſſet, & curæ Bonorum, & excomputationis ſui crediti per minutas exactiones, ut perpendit *Rota deciſ.249. nu. 4. par. 15., & dec.114. num.23. par.17. rec.*

Neque obſtat, quod hæc omnia deducantur ex facto tantum illorum del Roſſo, qui
13 Cardinali præjudicare non poterant; quandoquidem non ſolum concurrit tacita Cardinalis approbatio eorum omnium, quæ geſta, & ſcripta fuerunt ab ejus creditoribus, dum quietantiam ſupra relato tenore conceptam acceptavit, & apud ſe retinuit, atque in illius exequutionem Prædia aſſignata dimiſit, *Rota dec.460. nu.19., & dec.734. n.8.*
14 *par.18. rec.* Verum etiam expreſſa, dum in ejus ultimo teſtamento mentionem faciens de cambio contracto cum DD. del Roſſo, profeſſus fuit illis inſolutum dediſſe Villam prope Florentiam, quæ dicitur *le Montanine*. Hæc autem ſeriò emiſſa Cardinalis confeſſio ab Hoſpitali ejus hærede, ampliùs contro-

troverti non poteſt, juxta ſuperius firmat. §. *Nulla ſanè.*

15 Nec pariter relevat, quod Cardinalis eadem die aſſignationis Procuratores conſtituerit eoſdem aſſignatarios ad vendendum bona aſſignata, quę cum ſatis probent, adhùc retentum fuiſſe à Cardinale dominium, repugnant dationi inſolutum, & conveniunt pignori, quod ab Aſſignatario poſſidetur pro Domino; ſiquidem præſuppoſita jam verà, & perfecta datione inſolutum, quæ juxtà partium præcedentem expreſſionem, & acceptationem expleverat effectum veræ, & perfectæ liberationis, mandatum iſtud Procuræ ad vendendum cenſeri non poteſt factum fuiſſe animo mutandi contractum ſub eadem die celebratum, & recedendi ab extinctione crediti, & à quietantia jam exarata, ex deductis in *Melevitana Pecuniaria 27. Junii 1703. §. Quinimò cor. Rmo P. D. meo An-*
16 *ſaldo Decano*, dum præſertim idem mandatum continet expreſſam præcedentis, contractus & ſcripturę confirmationem, ibi -- *A favore di S. E. deve ſtar ferma, & oſſervarſi in tutto, e per tutto la ſcrittura celebrata*
17 *queſto giorno &c.* qua confirmatione nil validius ad quamcumque novationem penitùs excludendam, ut inquit *Rota deciſ. 1. nu. 5. ad ornat. Card. de Luca de cred.*, & in puncto *in Bononien. liberationis à moleſtiis 2. Julii 1700. §. Prævaluit, coram eodem Rmo P. D. meo Decano.*

18 Quæ fortius procedunt eo, quod mandatum iſtud Procuræ referri optimè poteſt ad intereſſe, quod adhuc Cardinalis obtinebat in iiſdem bonis pro eo majori valore, quem habere poterat ſuprà eius debitum, ut exitus demonſtravit, & non eſt admodum à veritate alienum, quod fuerit utrinque à Partibus requiſitum ad effugiendam ſolutionem Gabellæ à Statuto Florentino venditionum contractibus impoſitæ, quod ſi non afficiebat
19 DD. del Roſſo contrahentes cum D. Cardinali tanquàm Perſona Eccleſiaſtica, ex animadverſis per *Sperell. dec.41. num.7., 8. & Rot. dec.101. num.9., & 10. par.14. rec.*, li-
20 gaſſet tamen alios laicos ementes à DD. del Roſſo, utpotè quia tunc omnes Laicali Statuto fuiſſent ſubjecti, ut probant *Ciarlin. controv. forenſ. 22. num.8. & ſequent., Cobel. ad Bull. Boni Regim. cap.47. n.24., & Card. de Luca diſc.43. num.11. de Regal.*

21 Minuſque obſtat defectus pretii, quod in perficienda datione inſolutum, ſicut in emptione, & venditione requiritur. Certi enim juris eſt, quod datio in ſolutum ſatis perfecta dicitur eo ipſo, quod fit de certa re, & pro certo credito, quod pretii loco ſuccedit, ut probant *Surd. conſ.46. num.5., & 6, Rota dec.54 num.2. cor. Celſo, deciſ. 372. num.2., & 3. cor. Buratto, dec.45. nu. 15. par.12., & dec.93. num.5. par.15. Rec.*,
22 neque incertitudo, quæ provenit ex augumento pretii, ex ſucceſſiva venditione retrahendi ullo modo immutat ſubſtantiam veræ dationis inſolutum, aut illam efficit conditionalem, ut in puncto venditionis inquit, *Rota dec.79. num.10. coram Buratt. & dec. 121. num.11. cor. ſan. mem. Alex. VIII.*, & in præciſis terminis dationis in ſolutum *dec. 264. num.2., & ſeq. coram Seraph., & deciſ. 63. num.8., & 9. coram Ubaldo.*

23 Abſque eo quod receſſiſſe dici poſſint ab eadem datione inſolutum etiam ipſi DD. del Roſſo, eo quia & fructus Prædiorum aſſignatorum deſcripſerunt in propriis Libris ſuis expreſſione dominii Cardinalis, & omiſerunt in libris publicis Civitatis Florentiæ illa regiſtrari facere in ipſorum faciem, quoniam deſcriptio fructuum ita fieri debuit, ſtante quod excedente Prædii valore creditum, neceſſe aliquando ipſis fuiſſet de illis reddere rationem Cardinali pro ea parte condomino, & regiſtratio in æſtimo omiſſa fuit ad evitandam Gabellæ ſolutionem, ut ſuprà dictum eſt.

Nullatenus demum attendi meruit alia exceptio, quod ipſi faſſi fuerunt in partibus dationem in pignus cum extenuatione crediti ex fructuum perceptione, conſentiendo electioni Peritorum ad calculandum. Etenim talis confeſſio nullibi legitur, & conſenſus
24 præſtitus d. Peritorum deputationi non fuit liber, ſed neceſſarius pro munere defenſionis Cauſæ, ità mandante Judiçe, & propterea præjudicare ullo modo non valuit, *Rot. dec.120. num.17. cor. clar. mem. Card. Cer. dec.618. num.6., & dec.908. num.4. coram Emerix Jun.*

25 Poſita itaquè ex his ſubſiſtentia dationis inſolutum, cujus vigore potuerunt ex ſupra firmatis Aſſignatarii fructus ſine crediti extenuatione percipere, inde ſequi etiam DD.
26 cenſuerunt, quod ob Prædiorum aſſignatorum evictionem, ac reſtitutionem revivixerunt jura ipſiuſmet Cambii, & fructuum illius, ut probant *Gabriel. conſil 36. num.60. lib.1., Surd. dec.51. num.20. & Rota dec.972. n.7.,*
27 *& 8. coram Emerix Jun.*, ita tamen ut idicti fructus non ex Cambio ipſo debeantur, ſed actio tantum pro illis competat ex Empto, & ſic loco damnorum, & intereſſe, *ad Text. in l. Si Prædium Cod. de evict., l. Cum Succeſſores Cod. eodem, & l. Si tradit C. de action. empt., idem Surd. dec.266. num.4., & ſeq., Rota dec.248. num.16. coram Ubald., & dec.106. num.6., & 7. par.17. Rec.*, & ex hac ratione ſuperfluum exiſtimarunt amplius inquirere, an Cambium ex ſe fructiferum eſſet, nec nè.

Quoniam verò facta fuit hujuſmodi datio inſolutum pro credito ſcutorum, 4000. Bona verò ſubindè vendita, & quæ imo ab ipſo aſſignatario juxta mandatum ab eo acceptatum vendi debebant uſque ab initio, pluris valebant in ſcut.780., quæ juxta conventionem debebant ſpectare ad Cardinalem debitorem, & Aſſignantem, hinc advertentes DD,
28 quod pro talis ſummæ intranti rata dominium Prædiorum ipſi Cardinali erat reſervatum, ideòque ex ea fructus nonniſi indebitè Aſſignatarii perceperant, reſtringendam

dam

dam crediti quantitatem cenſuerunt ex præmiſſis, audita limitatione, quod fructus ex dicta ſumma, & rata percepti, proportionabiliter cedere debuerint in ejuſdem crediti extinctionem, ſemper enim fructus inde-
29 bitè exacti in ſortem imputandi ſunt, & creditum extinguunt, ut eſt *Text. in l. indebitas C. de uſur.*, *Surd. dec.328. num.15.*, *& 17. Rota dec.74. num.1., & 2. coram Bichio dec.526. num.2. par.14.*, & plenius *dec. 191. num.3. cum plur, ſeqq. par.18. Rec.*

Et Iuxtà hunc modum conſtare de credito reſponſum fuit utraque &c.

COMEN. PAROCHIALIS.

Veneris 10. Junij 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius emanatæ coram Reverendiſſimo P. D. Aldrovando ſub die 10. Februarii 1713.

Gratia ſubrogatoria à lite legitime introducta fundamentum recipit.

Præſentatus à Procuratore legitime conſtituto inſtituendus eſt ad excluſionem præſentati ab ipſo conſtituente, poſt expletum tamen primum ejuſdem Procuratoris actum.

Odioſitas Populi ad excludendum Parochum tunc attenditur, quando eſt rationabilis & in juſta cauſa fundetur, ſecus enim nihil refert.

SUMMARIUM.

1 *Litteræ Apoſtolicæ in forma gratioſa juſtificatæ, ſunt illico exequendæ.*

2 *Lis calumnioſa non dicitur proprie lis, nec facit beneficium litigioſum.*

3 *Gratia ſubrogatoria non intrat ſtante lite calumnioſa, quia conceditur quando lis eſt legittimè introducta.*

4 *Præſentatus à Procuratore legitimè à Patrono conſtituto, veluti ſi fuiſſet ab ipſo Patrono conſideratur*, & num.11.

5 *Lis ut dicatur calumnioſa, requiritur, quod litigans omni boni juris colore deſtituatur nullamque probabilem victoriæ opinionem habere poſſit.*

6 *Patronus non habet amplius facultatem præſentandi, poſtquam Procurator ab ipſo conſtitutus alterum præſentaſſet, adeoquod illius præſentatio irrita remaneret.*

7 *Præſentatio coram Ordinario dicitur actus jus effectivè tribuens nominato ad conſequendum Beneficium.*

8 *Mandatum procuræ factum à Communitate, dicitur validum, quando ad illius confectionem duo ex tribus partibus hominum concurriſſent.*

9 *Notarius numquam præſumitur falſarius, maximè quando aſſereret omnia coram ſe facta fuiſſe*, amplia ut in num.13., & 14.

10 *Procurator ad nominandum conſtitutus, præſumitur quoque ad præſentandum, cum nominare, & præſentare ſynomine accipiantur.*

13 *Beneficiatus poſſeſſionem beneficii non poteſt adipiſci, niſi prius coram habente facultatem eum inſtituendi fuiſſet præſentatus.*

14 *Notarius eo magis ſe limpide geſſiſſe in rogitu dicendus eſt, quando in iſto nulla appareret additio, appendix, vel, ut dicitur*, rimeſſa,

15 *Diffamatio Notarii non probatur per teſtes pendente lite expiſcatos.*

16 *Parochia tunc non poteſt alicui ob Populi odioſitatem conferri, quando talis popularis averſio eſſet juſta.*

17 *Amplia, ſi ageretur de Proviſo Apoſtolico, eo magis odioſitas injuſta non attenditur*

18 *Cauſa odioſitatis popularis ad removendum Parochum, ne aſſequatur Parochiam; non probatur ex dicto hominum illius communitatis, qui ſub nomine iſtius talem agerent litem adverſus illum.*

19 *Amplia, quando eorum atteſtatio affectata detegeretur, quæ ferret, quod etiam pueri odio ipſum haberent, quod ratione ætatis non eſt præſumibile*, ſubamplia ut in num. ſequenti.

20 *Honeſtas, & boni mores Parochi, ex fide Ordinarii ſatis probantur.*

21 *Amplia, quando concurreret cum fide Ordinarii atteſtatio alterius communitatis, ubi per decem, & ultra annos animarum curam bene, & honeſte Parocus ſuſtinuiſſet.*

22 *Parochus qui Curam animarum annos viginti tres optime exercuiſſet, dignus qualibet alia cura reputatur.*

23 *Parochus, quod animarum curam optimè geſſerit, probatur ex fide ſuorum Parochianorum, nec talis probatio infirmatur ex fide hominum alterius loci, qui ſub ejus cura non permanſiſſent, qua de re informati non præſumuntur.*

24 *Parochus, ut privari debeat Cura, odioſitas Populi ex ſuſtentatione litis cauſata non attenditur, quia ex capite tantum malæ qualitatis, in honeſtatis perſonalis, aut criminoſæ vitæ ea fieret indignus.*

25 *Teſtes in eorum dicto varii, & de auditu nil probant.*

26 *Teſtes probantes bonam famam Parochi præferuntur aliis ejus in honeſtatem probari ſtudentibus, & in dubio, illis, & non iſtis deferendum eſt.*

27 *Parochus ut cura fiat indignus ob recurſum ad Judices Laicos, talis recurſus eſt prius concludenter probandus.*

DECISIO MLXIX.

Duplici innixus titulo, nominationis nempè de ſe factæ per Procuratorem à Communitate loci de Roncalea ad hunc effectum conſtitutum, & gratioſæ ſubrogationis, quam à S. Sede reportavit in juribus Stephani Quadrii poſt dictam Procuratoris nominationem ab ipſa Communitate præſentati, & lite pendente defuncti, petiit Joannes Petrus Ottinus ſibi adjudicari Parochialem S. Jacobi Majoris dicti Loci ejuſque jura, contradicente

dicente ipſa Communitate, quæ interim aliud nominavit, nempe Joſephum Caſtelli, delata fuerunt ad noſtrum Auditorium ſub Dubio -- *An litteræ Apoſtolicæ ſint exequendæ, ſeu potius an, & cui ſit danda inſtitutio* -- quo propoſito die 10. Februarii 1713. à Reverendiſſimo P. D. meo Aldrovando Hyſpaniarum Nuncio, prodiit reſolutio *Literas Apoſtolicas eſſe exequendas, & non eſſe dandam inſtitutionem Joſepho*. At quoniam præcipua Communitatis exceptio conſiſtebat in eo, quod Ottinus eſſet inviſus & exoſus Populo controverſæ Eccleſiæ Subdito, hinc additum fuit eidem Reſcripto, *& ad D. Ponentem juxta mentem*, & mens fuit juxta ea, quæ refert deciſio tunc edita quod ſcriberetur Epiſcopo, ut informet auditis Partibus ſuper exceptionibus perſonalibus Ottini, & illarum juſtificatione, ut poſſent exindè Domini, prout juris eſt providere.

Subrogatus in locum abſentis Reverendiſſimi Collegæ, mentem Rotæ communicavi Reverendiſſimo Epiſcopo Comen., à quo demum tranſmiſſus mihi fuit proceſſus examinis plurium Teſtium, quorum nomina, nè ulteriora excitarentur odia ſub ſecreto petiit occultari, & quos ope ſui Vicarii Generalis de Ottini exceptionibus requiſiverat, Delata hujus rei notitia ad Homines ſæpedicti Loci, ſeu Communitatem ipſam, inſtitum apud me fuit pro nova cauſæ propoſitione, in qua dicta Teſtium ſummariè ſaltem Dominis referrentur, & illorum ponderaretur relevantia, idque contigit in hodierna audientia, in qua tamen iterum Domini fuerunt in ſenſu favorabili eidem Ottino, & ſtandum eſſe reſponderunt *in deciſis*.

Reſedit ratio reſolutionis in eo, quod Li-
1 teræ Apoſtolicæ gratioſæ ſubrogationis ab Ottino obtentæ in juribus Quadrii plenariè ſunt juſtificatæ, nam conſtat de ejuſdem Ottini habilitate, dum eſt Sacerdos, atque exercet jam à pluribus annis Curam alterius Parochiæ S. Provini, & conſtat etiam de lite jam intentata inter ipſum, & Quadrium, cujus obitu ſecuto, factus fuit locus eidem Gratiæ, ex ſententia in partibus, & appellatione interpoſita ad S. Sedem, itaut propterea debitam executionem promereantur, ex vulgatis juribus.

Utramque partem hujus aſſumpti Communitas, & Homines Roncaleæ impugnare
2 ſtuduerunt etiam in præſenti cauſæ diſcuſſione, & quidem quoad litem, totis viribus ſuadere curabant, quod fuiſſet calumnioſa, & evidenter injuſta, itaut litigioſum Beneficium facere non potuerit, nec locum Gratiæ
3 ſubrogatoriæ, quæ fundamentum recipit nonniſi à lite, verè, & legitimè introducta, ut explicat *Mandoſ. ſub regul. de ſubrogan. quæſt. 1. num. 6. & ſeq. & num. 11. Rot. dec. 611. num. 20. coram Card. Cerro, & deciſ. 427. num. 6. par. 18. rec.*

Sed inutiliter, quia ſtatim deprehendebatur omni Iuſtitiæ fundamento litem Ottinum
4 ſubſtinuiſſe adverſus Quadrium. Ipſe enim præſentatus reperiebatur à Paravicino Procuratore ad præſentationis actum explendum ab eadem Communitate conſtituto, ideoque jus habebat ad petendam inſtitutionem in controverſa Parochiali, tamquam ſi ab ipſamet Communitate fuiſset nominatus, ex firmatis *dec. 739. n. 1. p. 18. rec. in Capuana juriſpatronatus 11. Maii 1708. §. Conſtito, & in Ferrarien. Parochialis 17. Iannarii hujuſ anni §. Cum enim cor. Me*. Si autem ita quoad ipſum res ſe habet, utique litis ſubſtentatio ad calumniam referri non
5 poteſt, quia ad illam incurrendam requiritur, quod litigans omni boni juris colore ſit deſtitutus, nullamque probabilem victoriæ opinionem habere potuerit, ut plene dictum fuit *dec. 4. n. 11. cor. Rmo P. D. meo Anſaldo Decano, in Faventina beneficii 18. Decembris 1704. §. Minus relevat cor. bo. me. Muto, & relatis concordan. in dec. quæ revidetur §. Ad premiſſum cor. Reverendiſſimo P. D meo Aldrovando*.

Non obſtat, quod Communitas à d. Mandato receſſerit, Quadrium ſpecialiter eligendo, qui etiam in concurſu præſentati à Procuratore generaliter conſtituto erat præferendus; quippe quia præter alias reſponſiones in eadem deciſione approbatas, ea removebat præ cæteris difficultatem, quod
6 cum jam Procurator Ottinum præſentaſset, & ſic res amplius integra non eſset, non poterat Communitas ſucceſsive recedere, & alium privativè præſentare, itaut privativè facta præſentatio, ad quemcumque effectum remanſerit irrita, & nulla, quemadmodum diſtinguendo à præſentatione cumulativè facta, docent *Vivian. de jurepatr. lib. 5. cap. 6. n. 22., & lib. 10. cap. 3. n. 10., Antonell. de Regim. Eccleſ. lib. 3. cap. 6. §. 8. per tot.*, & firmavit *Rot. dec. 19. n. 7. poſt eumdem Antonell. de jur., & oner. Cleric. deciſ. 176. n 9. p. 15. rec.*, & cum aliis in deciſione pariter; quæ revidetur adductis §. *Et quamvis cum ſeqq.*, latè eadem *Rot. in dicta Ferrarien. Parochialis 17. Ianuarii hujus anni §. Licet enim cor Me*.

Minuſque refert, quod mandatum à Communitate datum d. Procuratori, vel fuerit nullum, quia non datum à majori parte Populi illam repræſentantis, ſed ab aliquibus tantum hominibus adherentibus eidem Paravicino, vel fuerit reſtrictum ad faciendam ſimplicem nominationem, non vero præſen-
7 tationem cor. Ordinario, qui eſt actus jus effectivè tribuens nominato pro conſequendo Beneficio.

Quantum enim attinet ad nullitatem, iſta
8 ſatis excluſa remanebat ex ipſius mandati lectura, dum inibi expreſsum fuit, quod ad Paravicinum Procuratorem conſtituendum conſenſerant *duæ partes trium partium Hominum d. Curiæ*, ex quo patet non à paucis illud hominibus datum fuiſse, ſed à ſufficienti numero ad concludendum legitimè actum pro Communitate, ut aliis relatis in puncto

ſequit

tenuit *Rot. in Comen. Parochialis ſuper Inſtitutione* 23. *Iunii* 1710. §. *Parum attentis cor. R.P.D. meo Falconerio Vrbis Gubernatore*.
9 Neque dicendum eſt, ita ſcripſiſse Notarium ex ſuggeſtione d. Paravicini potentis Viri, quia hoc eſset ſupponere falſitatis delictum, quod non præſumitur, dum præſertim loquitur Notarius dè facto proprio ſe præſentem aſserens, & videntem omnes congregatos in loco, in quo de inſtrumento rogatus fuit; alias enim ſi tales exceptiones attenderentur, omnis Notariorum fides ita in Inſtrumentis loquentium deſtrueretur, ut advertit *Rot. in eadem Comen. Parochialis ſuper inſtitutione d.* §. *Parum cor. R.* P.D. *meo Falconerio*.

Quo vero ad Procuratoris conſtituti fa-
10 cultates, nequidem dubitari poteſt, quod illæ porrigerentur etiam ad explendum actum validæ præſentationis cor. Ordinario, dum non ſolum fuerunt expreſsæ per verbum *nominare*, quod aliquando Synonimè accipitur pro *Præſentare*, ſed etiam median-
11 te Communitatis acceptatione nominandi per Procuratorem, itant per ipſammet ille cenſeretur electus, *prout nunc pro tunc, & tunc pro nunc elegerunt, & eligunt*, & attendi voluerunt easdem Procuratoris facultates, *finchè il detto Parocho ſarà in pacifico poſseſſo*; id quod ſequi nullo modo poterat,
12 niſi per antecedens ſequuta fuiſset legitima præſentatio coram habente poteſtatem iſtituendi, & in Beneficii, ſeu Parochialis poſſeſſionem mittendi, ut arguit *Rota dec.* 77. *n.* 4. *poſt Vivian. de jurepatron.*, *in Cremonen. Beneficii* 14. *Maii* 1706. §. *Præſentatio in fin. cor. bo. me. Kaunitz, & in Melevitana Iuriſpatronatus* 13. *Ianuarii* 1708. §. *Minus relevat cor. bo. me. Omanna*.

Quin juverit ad eam recurrere excetionem
13 quod verba ſupradicta italico expreſsa idiomate, & ſic diverſo à copore totius mandati, falſo ſuperaddita fuerint à Notario jam de aliis falſitatibus diffamato. Hoc enim delictum ſapiens deberet, ut etiam ſupra ponderatum fuit concludenti probatione demonſtrari, ex *text. in l. merito ff. pro ſocio*, *Rota dec.* 289. *n.* 18. *p.* 18., *& dec.* 48. *n.* 5., *& ſeqq. p.* 19. *rec.*, *& in Bituntina Iuriſpatronatus* 28. *Iunii* 1717. §. *Coæqualis coram R.P.D. meo Criſpo*. Tantum autem abeſt, quod talis in præſenti caſu probatio deducatur, ut imo potius excludi videatur ex ipſius mandati lectura, in quo principaliora omnia pacta conſimili materno expoſita fuerunt idiomate, nulla, ſuper hoc facta appen-
14 dice, ſeu marginatura, aut prout dici ſolet *rimeſſa*, quod convincit bonam fidem actum explentium, qui agentes rem cum rudibus pro majori parte hominibus, ea, quæ principalius in contractum deducebantur, ſatis ab
15 illis intelligi, & percipi poſſe curarunt. Diffamatio autem Notarii, non probatur ex fide ſimplici teſtium, pendente lite hic in Urbe expiſcata, & nuper tantum exhibita, quia non debet attendi, ex vulgatis regulis, de qua *in Hortana Sylvarum ſuper qualitate lignor.* 6. *Maii proxime præteriti* §. *Neque ullam cor. Me, & in Pampilonien. altius tollendi* 9. *Maii proxime præteriti circa fin. cor. R.P.D. meo Falconerio VrbisGubernatore*.

Comprobato ex his omnibus jure Ottini ad controverſam Parochialem propter quod rectè valuit expoſcere, & obtinere gratiam ſubrogationis, etiam in Juribus ſui Competitoris defuncti, habitaque quoad iterum repetita circa ejuſdem gratiæ ſubreptionem, & obreptionem relatione ad præcedentem ReverendiſſimiP.D.Aldrovandi deciſionem,
16 deſcendebant DD. ad examen inhabilitatis ejuſdem Ottini deſumptæ ex everſione, & odioſitate contra illum Populi ſub cura iſtius controverſiæ Parochialis exiſtentis, in quo quidem examine præmittebant, quod talis populi odioſitas, & everſio, tunc ſolum attenditur, quando eſt rationabilis, fundamentum ſcilicet habens in juſta cauſa, propter quam recuſet ille acceptare Perſonam Parochi electi, vel præſentati, ut in puncto docet *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 2. *p.* 2. *q* 9.
17 *art.* 11. *n.* 3. Fortius vero, ubi non agitur de electo, vel præſentato, ſed de proviſo per Papam, ut in præſenti caſu, quemadmodum firmavit pluries *Rot. in Senogallien. Canonicatus de Luchis* 23. *Ianuarii* 1710. §. *Ex quibus cor. eodem Reverendiſſimo P.D. Aldrovando, in Tridentina Parochialis* 11 *Maii* 1711. §. *final. coram Reverendiſſimo P. D. Anſaldo Decano, in Roſſanen. Parochialis* 19. *Januarii ejuſdem anni* §. *Præter autem cum ſeq. cor. R. P. D. meo Criſpo & in Bononien. Archidiaconatus* 2. *Junii* 1713. §. *Minus obſtitit cor. Emo D. Cardinali Scotto*.

Iſta autem rationabilis cauſa odioſitatis
18 deduci viſa nō fuit ex dicto hominum ejuſdem Communitatis, aſſerentium in d. mandato Procuræ ad hanc litem faciendam dato & in aliis conſimilibus actibus -- *Che tanto Vomini, come Donne, e Fanciulli hanno totale avverſione, e diffidenza al medemo Signore Ottini, quale non hanno mai voluto elegeere* -- ultra enim quod nullam allegant rationem, propter quam hujuſmodi averſio, & odium contra illum conceptum ſit, ſunt ex illius met hominibus, qui hodie litem ſuſtinent adverſus Ottinum, ſub nòmine Communitatis, ideoque repugnat nimium legalibus noſtris regulis, quod ipſis fides ulla adhibeatur, ut eſt *Text. in l. nullus idoneus ff. de teſtib.*, *& in l. omnibus C. eodem*, *&* probant in præciſis terminis hujus quæſtionis *Bellamer. in cap. Oſius nu.* 5. *de elect.*,
19 eorumque atteſtatio affectata etiam dignoſcitur, dum talem erga illum odioſitatem impreſſam eſſe dicunt etiam in Pueris, qui habilitatem illius, crimina, vel virtutes diſcernere non valuerunt, & non habentes velle, neque nolle, incapaces ſunt aſſertæ odioſitatis; id, quod propterea minuit multo magis fidem illorum dicto, ut alias advertit *Rota dec.*

dec. 280. *n.* 4. *cor. Celſ. dec.* 148. *n.* 10. *p.* 16, *dec.* 263. *n.* 2., *& dec.* 305. *n.* 18. *p.* 18. *rec.*

20 Tantoque minus illorum attendendæ ſunt conqueſtiones, quia è contrario de ejuſdem Ottini fama, vita, honeſtate, boniſque moribus nedum amplum habetur proprii Ordinarii teſtimonium, ſed etiam fides publica,
21 & jurata Communitatis, & Parochianorum loci Datii, ubi actualiter Parochus reperitur à 12. circiter annis, & alterius Communitatis Hominum Turricellæ in valle Tellina, ubi per alios undecim annos Curam animarum exercuit in Parochia S. Georgei; Præbuit enim hoc ipſum grave argumentum ejus
22 probitatis, & bonæ vitæ, quod curam animarum ſpatio annorum 23. jam exercuerit, & propterea effectus dici modo non poſſit indignus ad aliam obtinendam, ut notatum fuit in præciſis terminis in allegata *Tridentina Parochialis* 11. *Maii* 1711. §. *fin. coram Reverendiſſimo P. D. meo Decano, & in Bononien. Archidiaconatus* 2. *Junii* 1713. §. *Neque propterea coram Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto*.

23 Et hæ ſanè atteſtationes prævalere procul dubio debent aliis atteſtationibuſ deductis ab hominibus Loci de Roncalea, quia iſti neſcire poſſunt mores, & vitam alieni Parochi, poſſunt verò de illa plenam habere cognitionem illi, qui ſub ejus cura diu fuerunt, actuque ſunt, & cum eo ſpatio tot annorum converſare ſueverunt, ut ſunt *Text. in cap ſcriptum* §. *Pro Apoſtolica de elect. cap. Poſtquam* 3. *pariter de elect.*, *ubi Gloſſ. verbo converſatus, & plures DD.*, ſignanter *Abbas n.*6., *Butr. n.*3., *Barboſ. n.*2., *& Gonzal. n.*9. *in fin.*

Nulla demum vis fieri potuit, neque ulla probatio deſumi ex proceſſu de mandato ſacræ Rotæ, per Epiſcopum compilato, & mihi, ut ſuperius retuli, tranſmiſſo. Etenim
24 ex illius attenta perluſtratione non potuit aliud elici, niſi, quod Populi odioſitas erga eundem Ottinum aliundè non provenit, niſi ex ſubſtentatione præſentis litis, & pro majori illorum Teſtium parte, qui in eo fuerunt examinati, alia urgens cauſa odioſitatis non adducitur. Iſta verò apta non eſt ad illum excludendum, quia non attenditur, niſi talis cauſa, quæ ratione malæ qualitatis perſonæ inhoneſtæ, aut criminoſæ vitæ delictum ſapiat, & rationabile faciat odium, & averſitatem, *Rot. dec.* 501. *num.* 1. *p.* 19. *rec. tom.* 2., *in d. Roſſanen. Parochialis* 19. *Januarii* 1711. §. *Preter autem, & ſeqq. cor. R. P. D. meo Criſpo, & in eadem Bononien. Archidiaconatus* §. *Minus obſiſtit cor. Emo D. Cardinali Scotto*.

25 Quod ſi verò illorum nonnulli maculam aliquam illius vitæ, & moribus impingere etiam ſtuduerunt, varii ſunt in eorum dicto, deponunt ut plurimum de auditu ab aliis
26 perſonis, & contradicunt tot aliis de bona ipſius fama, & honeſtate deponentibus, & qui propterea in adſtruenda probatione circa ſuppoſitam odioſitatem præferendi ſunt, ad *Tex. in cap. ex litteris, ubi Doctores de probat.*, *Rot. dec.* 768. *n.*9. *cor. Merlin.*, *dec.* 207. *n.*21. *p.* 17. *rec.*, & in ſimilibus terminis, *in Pacen. Canonicatus* 24. *Aprilis* 1716. §. *fin. cor. R. P. D. meo Criſpo, & in Toletana Canonicatus* 14. *Maii* 1717 §. *Quin obſtare cor. Rmo P. D. meo Anſaldo Decano*.

27 De ſuppoſito demum recurſu Ottini ad Judices Laicos, propter quem etiam hodie proponebatur, quod factus fuiſſet indignus ad conſequendam Parochialem, nullam Domini rationem habendam exiſtimarunt, quia non fuit deducta ſufficiens ulla probatio, quod ab illo fuerit interpoſitus.

Et ita utraque &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunæ 13. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Hęc eſt confirmatoria alterius ſub die 14. Januarii hujuſmet anni.

Miniſter à Superiore, vel Congregatione Loci Pii deputatus, de ſui natura talis electio ad tempus, & donec ejuſdem Superioris perduret præeminentia non intelligitur, cum etiam ad Succeſſores ſuperiores pertranſeat, ex quo fit, ut illius fidejuſſoris obligatio etiam ad tempus novi Superioris extendatur, nec per confirmationem ejus miniſterii ab illo exarata, aliqua facta dicitur innovatio, ob quam, quod fidejuſſio ceſſaſſet, dicendum ſit.

SUMMARIUM.

1 *Obligatio ſolidalis plurimū præbet actionem creditori agendi contra quemcumque ex eiſdem pro tota ſumma.*
2 *Fidejuſſor prioris contractus liberatur per innovationem illius.*
3 *Miniſter electus à Superiore pro tempore Loci Pii, eo moriente, non fit novatio, cum Superior eundem locum repræſentet.*
4 *Superior Loci Pii ad nil remanet obligatus ex perſona propria de iis, quę promiſit in aliquo contractu illius nomine geſto, ſed ab eo promiſſa locum tantum afficiunt.*
5 *Miniſter electus à Superiore Loci Pii remanet obligatus favore iſtius, & non eligentis, uti ex perſona propria ab eodem loco independenter.*
6 *Facultas eligendi Miniſtros alicujus Loci Pii, quod reſideat penes Superiorem illius, ex quibus probetur.*
7 *Miniſter, electus à Congregatione Loci Pii, ſtat damno, & utilitati illius, & non Congregationem, uti ſinguli, repræſentantium.*
8 *Facta per Congregationem Loci Pii non evaneſcunt per obitum illam componentium.*
9 *Fidejuſſor indefinitè obligatus favore Loci Pii pro fideli adminiſtratione alicujus Miniſtri*

Miniſtri, *tenetur de geſtis ab iſto pro toto tempore ſuæ adminiſtrationis.*

10 *Suppreſſio Tribunalium particularium Urbis ſequuta anno 1692. non extenſa fuit ad ſuppreſſionem Gubernatoris Depoſitariæ Urbanæ.*

11 *Obſervantia ſubſequuta declarat actum dubium, de quo quæreretur.*

12 *Creditor non poteſt præjudicari ex actibus malè inſinuatis à ſuo debitore ad propriam exonerationem, qui doloſi præſumuntur.*

13 *Fidejuſſor, qui in uno tantum caſu fidem ſuam voluit eſſe reſtrictam, non eveniente caſu, non poteſt condemnari*; amplia, ut in num. ſeq. & 15.

14 *Dictio* -- Viceverſa -- *ſecum fert omnimodam correſpectivitatem.*

15 *Actio non datur ex obligatione correſpectiva, niſi promiſſio reſpectu prius adimpleta demonſtretur.*

16 *Promiſſio relevationis licèt favore fidejubentis intelligatur de ſui natura inducta, eo ipſo, quod fidejuſſit; attamen quando talis obligatio in ſtipulationem deduci debuiſſet, hac non adimpleta conditione, reſolvitur fidejuſſio.*

17 *Fidejuſſio conditionata, & ob non adimpletam conditionem in præjudicium creditoris reſoluta, etiam reſpectu confidejuſſorum reputatur de medio ablata.*

18 *Actio nulla oritur ex obligatione, quæ non legitur in inſtrumento appoſita, nec iſtud afficit illos, qui non interfuiſſent*, & vide caſum.

19 *Omiſſum in diſpoſitione hominis conſultò dici debet omiſſum.*

DECISIO MLXX.

COmmune fidejuſſorum infortunium experti fuerunt etiam ii, qui aſſumpto per Eminentiſſimum Camerarium Lanciono in Gubernium Depoſitariæ Urbanæ, ejus obligationi de bene, & fideliter illam adminiſtrando in ſolidum acceſſerunt, quippe quia conventi pro ſatisfactione debiti ejuſdem Lancioni, propoſito dubio in audientia diei 14. Januarii proximè præteriti ad inſtantiam Loci Pii S. Euphemiæ, cui unita reperitur d. Depoſitaria ex præſcripto ipſius met ſa. mem. Urbani VIII. ejus Erectoris, -- *An conſtet de credito d. Loci Pii adverſus eoſdem fidejuſſores*, reſponſum fuit *affirmativè* quoad perſonas Joannis Baptiſtæ Bonifacii, Chriſtophari Nicolai, Bartholomæi de Leon, & Felicis Jacobelli, & ſic excepto tantum Antonio Rainaldo, ſive Pacichellio ejus ſucceſſore, ut ex deciſione tunc edita; cujus fundamenta, cum hodie reviderentur, perſtiterunt Domini quoad omnia *in deciſis*, præterquam quoad quantitatem debitam à Lanciono, & conſequenter ab iiſdem fidejuſſoribus, circa quam demandarunt eligendum eſſe Peritum.

Diſtinctè igitur ſingulas reſolutionis partes examinando, motivum condemnationis
1 prædictorum quatuor fidejuſſorum præbuit litteralis illorum obligatio æque principaliter, & inſolidum, reſultans ex publico inſtrumento, quod ſuperlativam probationem conſtituit, juxta quam pro debito Lancioni principalis debitoris contra ipſos Loco Pio creditori æque competit actio, ac ſi contra illum met ageretur, ad *Text. in l. ſi duo*, *& l. Creditor Cod. de duob. reis &c. l. Creditori*, *& l. Jure noſtro Cod. de fidejuſs.* & paſſim.

Abſque eo quod eorum obligatio reſtringi poſſit, ut contendebant etiam in antecedenti cauſæ propoſitione, ex eo quod Lancionus fuit deputatus Gubernator, & Adminiſtrator Depoſitariæ ſub anno 1696. per clar. mem. Cardinalem Palutium de Alteriis tunc Camerarium; ideoque illo defuncto ſub anno 1696. deputatio ceſſaverit, &
2 obtinendo Lancionus confirmationem ab Eminentiſſimo Spinola moderno pariter Camerario, novum dicatur contractum iniviſſe, & ſic novatione legitimè perfecta, ipſi prioris contractus fidejuſſores liberati ſint, ut inquit *Text. in l. novatione Cod. de fidejuſſ.*, *& l. novatione ff. de novat. & delegat.*

3 Tunc enim procederet hujuſmodi novationis argumentum, quando ſubſiſteret, Lancionum à D. Cardinali de Alteriis jure propriæ perſonæ quæ extincta fuit, fuiſſe deputatum, ſed in præſenti caſu proceſſum extitit à d. Cardinali jure dignitatis, & protectoriæ Loci Pii, quod adhuc viget, & nullam ex obitu d. Cardinalis pati potuit immutationem, eique, non ipſi Cardinali tribui propterea debet actus nomine protectorio expletus, ut ex *Text. in l. annua* 20. §. *Attia. ff. de ann. legat.*, *& in l. Civibus*, *& ibi Bart. ff. de reb. dub. arguit gloſſ. in l. Sicut municipium* §. *In decurionibus verb. no-*
4 *men ff. quod cuiuſque un. nom.* Et ſicut in iis, quæ promiſſa fortaſſe extiterunt in ejus deputatione per Cardinalem facta Lanciono, obligatus remanſit, non Cardinalis Protector, ſed ipſe Locus Pius, ad terminos *Tex. in l. pro ponebatur* 76. *ff. de judic.*, *Gratian. diſcept.* 721. *num.* 8., *& ſeqq.*, *Rot. dec.* 394.
5 *nu.* 15., *& ſeq. p.* 15. *rec.*, ita etiam obligatus dici debet Lancionus eidem Loco Pio, non Cardinali ad ſervandam æqualitatem, *Gloſſ. in l. ſi ex perſona verb. inſtaurationi Cod ſi adverſus tranſactionem.*

6 Non dubitari valet, quin facultas illa, qua Cardinalis de Alteriis uſus fuit in deputatione Lancioni, ipſi competeret ratione Officii Protectoriæ Loci Pii S. Euphemiæ. Id enim reſultat ſatis clarè ex littera Brevis Apoſtolici ſan. mem. Urbani Papæ VIII., quo Brevi fuit conſtitutus primus Protector dicti Loci Pii *clar.* mem. Cardinalis Antonius Barberinus, & cujus vigore primus iſte Gubernatorem Depoſitariæ, ejuſque Miniſtros cæpit eligere ibi -- *Deputiamo Voi come Protettore di d. Luogo Pio, e Succeſſori in perpetuo di d. Protettoria per Prefetto &c. con facoltà di eleggerſi da Voi &c. li Miniſtri* -- in quo quidem Brevi ullius

lius alterius tituli expreſſio non legitur, ut ponderavit deciſio quæ revidetur §. *Nec ſubſiſtere.*

Accedente ad hujus veritatis confirmationem ponderatione illa, quod in eodem Brevi facultas iſta deputandi Miniſtros alternativè impartita fuit, vel Cardinali Protectori, vel Congregationi ipſius Loci Pii cum confirmatione Cardinalis; undè ſicut ſi fuiſ-
7 ſet expleta electio, ſeu deputatio per Congregationem, facta diceretur pro ipſo Loco Pio, ita dici debet expleta per Cardinalem
8 & ſicut facta per Congregationem non deficeret per obitum repræſentantium Congregationem, juxta ea, quæ probant in propoſito Joannes *Anan. in cap. fin. ne Prælat. Vices ſuas &c. Afflict. dec.* 101. *ſub num.* 2. *verſ. Fallit. & Carolus Anton. de Luc. ad Franch. dec.* 466. *nu.* 5.; ita neque deficere debet per obitum Cardinalis ſupplentis ratione d. Alternativæ Vices Congregationis & Loci Pii. Quodque de facto tam Cardinalis in ſubſcriptione approbatoria inſtantiæ à Lanciono propoſitæ pro ſui deputatione, titulo Protectoris expreſsè uſus fuit, nulla facta alterius dignitatis commemoratione, & ipſemet Lancionus obligationem bene, & fideliter adminiſtrandi non præſtitit cum fidejuſſione reorum hodie conventorum favore Cardinalis, ſed favore ipſius Loci Pii, ſtipulantibus pro eo Deputatis, itaut nulla unquam utilis actio ipſi Cardinali ex tali contractu orta ſit, ſed tantum Loco Pio, cujus nomine ſtipulatus fuit, ut bene firmavit *Gloſ. in l. Conſtitit.* 10. *ff. quod cuique univ. nom.*; actio autem iſti quæſita per-
9 empta dici non poteſt, niſi tempore, quo Lancioni ceſſavit adminiſtratio, quia nullo tempore præfinita, prout neque ullo tempore limitata fuit fidejuſſorum acceſſio, ut proſequitur deciſio, quæ revidetur §. *Certius, & §. Et de facto cor. Me.*

Neque dici poteſt, ut iidem fidejuſſores objiciebant, quod expiraverat facultas in Cardinalibus ſe gerendi in hujuſmodi rebus uti Protectoribus Loci Pii ex ſuppreſſione Tribunalium Particularium Urbis ſecuta anno 1692., undè quidquid ſit reſpectu primi Protectoris, Cardinalis nempe Barberini, non tamen procedant ſupra relata argumenta reſpectu Cardinalis de Alteriis, qui poſt d. ſuppreſſionem, anno nempe 1696. Lancio-
10 num deputavit. Quandoquidem, & iſtud objectum facile tollitur advertendo, quod actus deputationis in Gubernatorem Depoſitariæ non pertinet ad eam juriſdictionem, quæ in Tribunalium ſuper ſuppreſſione Cardinalibus Protectoribus erepta fuit, ſed ad eam tantummodo œconomicam quaſi adminiſtrationem, quam certum eſt ipſorum vigilantiæ fuiſſe relictam, & quam adhuc in omnibus fere Locis Piis hujus Urbis videmus ab Eminentiſſimis Cardinalibus conti-
11 nuò exerceri: itaut quatenus littera ſuppreſſionis aliquam pateretur dubietatem ex ſubſecuta obſervantia, declarationem hanc obtinere deberet, juxta regulas, de quibus *Rot. dec.* 99. *num.* 19. *cor. Benincaſ.*, *dec.* 80. *n.* 27. *cor. Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano*, & paſſim.

Ea verò, quæ iterum opponebantur circa plures actus geſtos per Eminentiſſimum Dominum Card. Spinulam uti Camerarium, non uti loci Pii Protectorem, iterum quoque
12 ceſſare videbantur, habita ponderatione, quod omnes dd. actus proceſſerunt ex inſinuatione Lancioni, ideoque loco Pio creditori præjudicare non potuerunt, imò uti ſubreptitiè extorti per eam ſuppoſitionem, quæ ex ſupra firmatis, detegitur inſubſiſtens pertinentiæ adminiſtrationis Depoſitariæ ad Cardinales Camerarios, nullo modo ſunt attendendi, ut advertit *deciſ. quæ revidetur §. Factum verò coram Me*, cum qua in hac parte Domini tranſierunt, illius fundamenta penitus approbantes.

Unica tantum, quæ ſuperfuit difficultas, fuit in quantitate condemnationis, circa quam opponentibus plura fidejuſſoribus, & præſertim, quod debitum Lancioni proveniat ex pecuniis per eundem Locum Pium illi mutuatis, & pro quibus ipſi nullam obligationem contraxerunt, hinc relicta in ſuo robore condemnatione tam in genere pro eo, quod debitor compertus fuerit Lancionus ex capite adminiſtrationis Depoſitariæ per eum retentæ, quoad hujuſmodi quantitatem electionem Periti mihi injunxerunt, ut ejus ope partitæ diſcuti, & liquidatio debiti ſubindè haberi poſſit.

Deſcendendo nunc ad Pacichellium, cujus liberatio firmata fuit in poſtrema parte aliàs captæ reſolutionis, idem, & hodiè fuit DD.
13 ſenſus; quippè quia Rainaldus ejus Auctor, licet in folio ſubſcripto 16. Maii 1696. promiſerit fideiubere unà cum aliis quatuor ſupra memoratis pro Lanciono, ejus tamen promiſſio concepta legitur ſub conditione, quatenus nempè Lancionus ſe ſe obligaret ipſum indemnem relevare, ibi -- *Purche viceverſa eſſo Sig. Lancioni prometta, e ſi obblighi rilevarci da qualſivoglia danno, e moleſtia &c.* -- quod verbum *purche &c.* dubio procul conditionem importat, bene *Palm. conſult.* 67. *num.* 50., *Manſ. conſ.* 101. *nu.* 31., *& Saminiat. contr.* 175. *num.* 94.; unde tali obligatione non ſecuta, ſtatim evanuit etiam promiſſio, & deficit hodie fundamentum omne, propter quod contra ipſum pro Lancioni debito agi poſſit, ut per *Tex. in leg. ſi in pignore, & leg. fideiuſſores ff. de fideiuſſ.*, firmavit in ſpecie *Rot. dec.* 131. *num.* 3., *&* 4. *par.* 16. *rec.*

Tantoque magis, quia dicta conditio re-
14 ſtricta illa dictione *Viceverſa*, quæ omnimodam correſpectivitatem ſecum fert, juxta plenè deducta in *Lucana Livelli* 9. *Maii* 1707. §. *Lucidius coram Reverendiſſ. P. D. Anſaldo Decano*, itaut volita relevationis obligatio, finalis cauſa cenſeri debeat pro-
15 miſſæ fideiuſſionis, & nullo modo liceat ex correſpectiva obligatione actionem deſume-

re

re, niſi adimpletã fuiſſe doceatur utrimque promiſſio, ad *Text. in l. Julianus §. Offerri, ff. de act. empt.*, *Rocc. diſput. jur. cap.* 156. *num.* 5., *Rot. dec.* 131. *num.* 4. *cor. ſa. me. Alexan. VIII. dec.* 146. *num.* 13. *par.* 19. *rec.*, & *in Romana Theſaurariæ Marchiæ ſuper credito Ducis Baldinotti* 8. *Martii* 1717. §. *Sexta partita cor. R. P. D. meo Criſpo.*

16 Deſumi nec valuit implementum conditionis, aut correſpectivæ promiſſionis ex eo, quod abſque alterius obligationis neceſſitate eo ipſo, quod Rainaldus fideiubebat, Lancionus de jure tenebatur illum indemnem relevare; dum enim fideiuſſio promiſſa præcisè fuit ſub explicita conditione, quod ſolemniter, & expreſſè deduci deberet in ſtipulationem obligatio relevationis, tali caſu ſemper promiſſio reſolvitur, non impleta conditione, ut per *Text. in l. eſt differentia ff. in quibus cauſ. Pign. vel hypoth.*, & *leg. penult. ff. de evict.*, diſtingunt *Gratian. diſc.* 306. *num.* 20., *Ciarlin. contr.* 177. *num.* 8., *Samimiat. contr.* 17. *num.* 31.

Neque obſtat, quod ex d. promiſſione Rainaldi jus quæſitum fuiſſet, & aliis confidejuſſoribus, quodque in inſtrumento per iſtos exarato inſerta fuerit apoca d. promiſſionis, & emiſſa per Lancionum volita obligatio. Etenim quoad jus confidejuſſorum recurrit eadem reſponſio, quod pendebat à conditione omnino adimplenda per Lancionum; unde ſibi debent illi imputare, ſi occaſione qua pro illo fidejuſſerunt, non curarunt etiam Rainaldum legitimè, ac perfectè

17 cum ipſis coobligari, cum cæteroquin ille vigore promiſſionis conditionalis ac reſolutæ, ſicut non tenetur quoad creditores, neque teneri poſſit quoad alios confidejuſſores, ad *Text. in leg.* 1. *Cod. quando liceat ab empt. diſc.*, & *alii deducti dec.* 85. *num.* 20. *p.* 16. *rec.*

Quo verò ad inſertionem apocæ in inſtrumento, & emiſſam in eo relevationis obligationem, nullum exinde irrogari valuit

18 Rainaldo præjudicium, quia neque dictæ inſertioni, neque memorato interfuit inſtrumento, fuitque illud independenter ab eo exaratum cum aliis fidejuſſoribus Jo. Baptiſta Bonifacio, Chriſtopharo Nicolai, Bartholomeo de Leon, & Felice Jacobello; unde etiam conſequens eſt, quod relevationis obligatio ad iſtos dumtaxat reſtricta intelligatur, neque ulla oriri poſſit actio contra d. Rainaldum ex inſtrumento, ubi nulla legitur illius obligatio, ad *Text in leg. licet §. Ea obligatio ff. de procurat.*, *Palm. conſ.* 48. *n.* 2., *Palm. Nep. alleg.* 290. *nu.* 4., *Rot. dec.*

19 84. *n.* 1. *poſt Zacch. de oblig. Cam.*, & quod omiſſum reperitur in hominis diſpoſitione, & contractu, omiſſum conſulto dici debet, quia ita contrahentes voluerant, itaut quod non dicit inſtrumentum, nec nos dicere debeamus, ut inquiunt ex *Text. in leg. ſi vero §. Decurio ff. ſolut. matrim.*, & *leg. fideiuſſores Magiſtratus ff. de fideiuſſor. Manſ. conſ.* 259. *n.* 12., *Rot. cor. Coccin. dec.* 84. *n.* 11.

Et ita utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Lunæ 15. *Iunii* 1714.

ARGUMENTUM.

Hæc eſt confirmatoria alterius ſub die 19. Aprilis 1717.

Cæſſionarius, ut immiſſionem ſuper bonis debitoris cæſſi, & in tertium diſtractis reportet cæſſione verè jurium translativa, & non extinctiva gaudere debet.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio verificatis omnibus neceſſariis extremis ſemper conceditur.*

2 *Ceſſionarius omnia jura cædentis in omnibus repreſentat.*

3 *Ceſſio jurium translativa, non vero extinctiva requiritur, ad hoc, ut ceſſionarius nomine cedentis immiſſionem reportet.*

4 *Qualitas hæreditaria excipiendo non præſumitur, ſed qui eam prætendit in aliquam inductam fuiſſe, probare tenetur.*

5 *Ceſſio jurium, quæ in futurum competere poſſunt, & quæ ſunt agendo exercibilia veram translationem, non eorumdem extinctionem importat.*

6 *Actio Creditoris non retardatur per hoc, quod bona ſui debitoris retineat, quando probet ſuum creditum excedere in ſumma certa, & liquida valorem rei retentæ, pro quo tantum in Judicio ſtaret, & ageret*

7 *Ceſſio omnium jurium generaliter facta turbida non fit, ex quo inter partes conventum fuiſſet, quod ſi aliquid ceſſionarius recuperaret, favore cedentis deberet retrocedere, quando illa nullam relationem haberet ad eamdem ſequutam, vel non ſequtam recuperationem.*

8 *Excuſſio debitoris communis à contrahentibus volita, quando facta dicatur.*

9 *Exceptio Juris alieni, immiſſionem claram pro credito certo, & liquido non retardat*

DECISIO MLXXI.

MAturo ſubjecta fuerunt examini fundamenta Deciſionis editæ coram Me die 19. Aprilis anni præteriti, in qua DD. Comitibus de Cajetanis conceſſa fuerat immiſſio vigore Salviani Interdicti ad Domum poſſeſſam à Paulo Antonino, & provenientem à Mutio Seniore pariter de Cajetanis eorum debitore, cumque firmiter ſubſiſtere non obſtantibus repetitis exceptionibus, viſa fuerint, reſponſum extitit *in deciſis*.

1 Et quidem extrema in hoc Judicio neceſſaria ſatis, ſuperque concurrebant, ſubſiſtente antiqua Mutii debitoris poſſeſſione, & moderna Rei conventi, & credito plenariè reſultante tum ex Inſtrumentis ſocietatis Officii contracti per bon. mem. R.P.D. Laurentium de Maximis favore Marchionis Pauli Maccarani cum prædicti Mutii in ſolidum obligatione, tum ex Tranſactione inter Marchionem Sylvium Maccaranum dicti Pauli ſucceſſorem inita, & hodiernos Comites,

mites de Cajetanis cùm plenaria in iſtos ceſſione, & transfuſione Jurium, quæ dicto Paulo
2 competebant, ex qua ceſſione factum eſt, quod ſicut ſi egiſſet ipſe Paulus cedens, excluſus fuiſſet à detentione controverſæ Domus Paulus Antoninus, ità idem Juris eſſe debet agentibus DD. Comitibus Ceſſionariis, qui in omnibus, & per omnia Cedentis Jura, & perſonam repræſentant, ut ſunt *Tex. in leg. Quidam 25. §. fin. ff. ad Sen. Conſ. Trebell., & leg. fin. Cod. de Jur. Fiſc.*, & cum aliis arguit *Rot. dec. 172. num. 8., & 9. par. 18. recent., & in Romana Salviani 5. Decembris 1710. §. Potiſſimè coram Rmo P. D. Meo Anſaldo Decano*.

Fruſtra verò evitari contendebatur efficacia illius ceſſionis ex eo, quod Comites de Cajetanis, qui illam reportarunt ratione qualitatis hæreditariæ Mutii Senioris, ad illius Debita tenerentur, ideoque dicta ceſſio ſit
3 tantummodò extinctiva pro illorum liberatione, non verò tranſlativa, qualis requireretur ad proponendam hodiernam actionem. Tollitur enim iterùm hoc objectum duplici animadverſione, jàm præcedenti deciſione approbata, quod nempè, licet in hoc Judicio Actores ſe ſe hæredes eſſe Mutii Debitoris ſemper, conſtanterque negaverint, plura etiam ad hunc effectum argumenta, & demonſtrationes iſti qualitati repugnantes alle-
4 gando, numquam ullam Antoninus probationem ſui hujus fundamenti valuit deducere, ut cœteroquin neceſſe fuiſſet, quia qualitas hæreditaria non præſumitur, ſed plenè juſtificanda eſt, ex deductis *in Auximana fideicommiſſi, ſeu Pecuniaria 9. Junii 1702. §. Agnitum cor. Rmo P. D. meo Anſaldo Decano, in Aven. Salviani 12. Martii 1705. §. Prout elici cor. bon. mem. Muto, cum aliis in deciſione, quæ revidetur coram Me*, quodque contrarium depræhenditur ex
5 tenore ipſiuſmet tranſactionis, & Ceſſionis Inſtrumenti in quo habetur expreſſa declaratio, quod Iura ampliſſimè ceſſa intelligerentur talia, ut iis DD. de Cajetanis uti valeant, eaque experiri tàm agendo, quàm excipiendo; ex qua ſanè declaratione videtur evidens, quod non ad ſolam Partes reſpexerint Jurium extinctionem, ſed ad veram, & effectivam, utilemque tranſlationem, ut in minoribus terminis dixit *Rot. dec. 119. n. 2. cor. Celſo dec. 330. num. 7., & 8. par. 17. rec., & in Romana Cambii 29. Februarii 1712. §. Sed fortius cor. Eminentiſſimo D. Cardinali Priolo*.

Minuſque obſtare valuit promotæ per Fratres de Cajetanis actioni altera exceptio, quod, cum ipſi retineant medietatem Caſtri Turris provenientem à Mutio Debitore, aut fruſtra petant, quod intus habent, aut repellantur intuitu evitandi inutilis circuitus, aut excludantur exceptione cedendarum. Hæc enim omnia ſtatim ex facto ceſſant, quippe quia medietas dicti Caſtri juxtà valorem jàm aliàs ſtabilitum per *Rot. in dec. Romana Caſtri Turris 4. Febr. 1707. cor. Reverendiſſimo D. Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore*, quę de more venit in præſenti Judicio ſupponenda *ex notor. regul.*, non excedit ſcuta 5000.; creditum verò ceſſum à Marchione Maccarano Fratribus de Cajetanis aſcendit ad ſcut. 6180.
6 Undè ducto calculo fit evidens, quod adhuc ipſi remanent liquìdi Creditores ſcutorum 1180. pro qua de facto ſumma dumtaxat ſtant in præſenti Judicio, & jure meritoque agere poſſunt, ex firmat. *deciſione* 802. *nu.* 18. & 19. *parte* 18. *dec.* 646. *num.* 39., & 41., & *dec.* 650. *num.* 19. *par.* 19. *rec. Tom.* 2.

Nec juvit replicatio, quod ceſſio Dominorum de Maccaranis non ſit pro tota ſumma, totoque eorum Credito conſiſtente in dictis ſcutis 6180., ſed reſtricta ad ſola ſcuta 2500., quorum illi de Cajetanis ſe conſtituerunt cedentium debitores. Quandoquidem etiam hæc replicatio inſubſiſtens in facto detegitur ex lectura ipſius inſtrumenti, ubi expreſſa eſt ceſſio tranſlativa, ut ſupra diximus, ad agendum pro primo dicta integra quantitate.
7 Quod ſi verò in eodem Inſtrumento conventum fuit, quod tenentur Ceſſionarii proſequi Judicium excuſſionis Bonorum bo. me. Laurentii de Maximis, & ſi quæ bona recuperarent liberè favore cedentis dimittere, hoc tamen non officit puritati, & generalitati factæ ceſſionis, utpotè quæ nullam habuit relationem ad ſecutam, vel non ſecutam talem recuperationem, ut benè obſervatum fuit etiam in deciſione, quæ revidetur, §. *Quamvis autem*.

Prout neque opponi valuit Cajetanis defe-
8 ctus adimplementi dictæ Excuſſionis, quia ut latè probatum fuit in eadem Mea Deciſione §. *Pariterque, & ſeqq.*, jam ſatis ſuo muneri illi ſatisfecerunt perquirendo Bona dicti principalis Debitoris, & agendo etiam priùs contra clar. mem. Cardinalem de Maximis, & poſtea etiam contra Dominum Marchionem Camillum de Maximis, ſed inutiliter ſemper, quia neque ulla Laurentii Bona potuerunt reperiri, neque contra præfatos de Maximis obtineri, cum non fuerint illius hæredes, itaut amplius defectus promiſſæ excuſſionis impugnari non, poſſit ex plenè firmatis *in Romana Pecuniaria 26. Februarii 1714. §. Excuſſio, & §. Potiſſimè coram R. P. D. meo Falconerio Almæ Urbis Gubernatore*.

9 Nullatenus demum attendi valuit poſtrema Antonini exceptio, quod ratione alicujus Juris, quod habere poſſet Marchio Maccaranus circa ſufficientiam prædictæ excuſſionis, eſſet & ille citandus in præſenti Judicio. Ultrà quod enim poſſet ipſe ſui libito id peragere, quatenus exindè ullum ſibi blanditur præſidium, exceptio iſta alieni Juris erat incongrua ad evitandam immiſſionem prò claro Credito adverſus bona Debitoris, ideoque non attendenda, juxtà regulam, de qua ſæpiùs *Rot.*, & *ſignanter dec. 582. num. 7. coram ſan. mem. Gregorio XV. dec. 505. num. fin. par. 19. rec. dec. 56. num. 1.*

cor.

coram Reverendiſſimo Domino meo Anſaldo Decano, & in Rom. Fideicommiſſi de Cajetanis 13. *Maii mox elapſi* §. *Cæterum coram R.P.D. meo Criſpo*.

Et ita relativè ad præcedentem meam deciſionem, in qua plenius præmiſſis, aliiſque non repetendis exceptionibus ſatisfit, reſponſum fuit quinto, & ſexto ſuffragium ferentibus, & utraque &c.

ROMANA SALVIANI.

Veneris 18. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Immiſſio clara per exceptionem fideicommiſſi, quod allegaretur ab illo, in cujus perſonam non poſſet purificari, minime retardatur, cum ſit de jure tertii exceptio.

Hæres gravatus ad ratam detractionum ſibi competentium poteſt valide obligare fideicommiſſum, reſque in earum cauſa ex eo detractæ, in ejuſdem nexus amplius non reincidunt.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio, tribus neceſſariis verificatis extremis, non poteſt retardari.*

2 *Immiſſio non retardatur per exceptionem fideicommiſſi oppoſitam ab illo, qui ad eum non eſt vocatus, & tamquam de jure tertii reiiceretur.*

3 *Amplia, quando debitori actoris detractiones competerent ſuper bonis, ad qua illa peteretur.*

4 *Hæres fideicommiſſarius pro intranti rata ſuarum detractionum poteſt fideicommiſſum obligare.*

5 *Competentia detractionum firmata per deciſiones preſupponendas, in dubium revocari non poteſt.*

6 *Amplia, ſi approbata reperiretur per Inſtrumentum bona fide inter gravatos celebratum, quod de ſui natura etiam ſucceſſores jure proprio venientes afficeret.*

7 *Factum proprii authoris nemo poteſt impugnare*, & num. 9.

8 *Fideicommiſſum non poteſt allegari ſuper domo, quod hæredes gravati titulo detractionum inter ſeſe diviſiſſent, & aliqui ex iſtis libere eorum portionem alteri vendidiſſent.*

9 Immiſſio, *quam defunctus ſi viveret, evitare non poſſet, à fortiori ab ejus hærede retardari non poteſt.*

DECSIO MLXXII.

Conſequi curantes D. Benedictus, aliique fratres de Floravantibus duo Cambia, una cum fructibus diu decurſis, & non ſolutis, & pertinentia ad hæreditatem Catharinę de Paulis, in qua ipſi poſt obitum bon.mem. R. P. D. Pompei pariter de Floravantibus ſucceſſerunt vigore ſubſtitutionis fideicommiſſarię ordinatæ à Hyeronima Lopez hære- de ejuſdem Catharinæ, & eorum favore purificatæ, judicium inſtruxerunt coram A.C. de Gentilibus ex remedio utilis Salviani interdicti contra D. Comitem Virginium de Urſinis poſſeſſorem domus provenientis à Paulo de Boncompagnis debitore eorumdem Cambiorum, & favorabilem ſententiam obtinuerunt, à qua cum fuerit appellationis Cauſa mihi commiſſa, propoſui dubium -- *An ſit danda immiſſio* -- & Reo comparere negligente, reſponſum habui *affir-*
1 *mativum*, concurrebant enim favore Actorum extrema omnia, quæ ad obtinendum in memorato judicio ſunt neceſſaria, quia creditum cum hypotheca reſultabat ex publicis Inſtrumentis creationis Cambiorum de quibus in illorum *Summario num.* 2. 3., & 4.; Antiqua verò poſſeſſio Pauli debitoris, prout etiam moderna Comitis Urſini Rei conventi, ex aliis documentis plenam probationem conſtituentibus, de quibus *eodem Summario num.* 8., & 9., itaut propterea de concedenda immiſſione hæſitandum non foret, juxtà alias firmata *in Romana Salviani* 19. *Aprilis* 1716. §. *Suppoſitis cor. Me*, & *in Rom. Immiſſionis, ſeu vineæ* 21. *Januarii hujus anni* §. *Perſpicua*, & *ſeqq. coram R. P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore*, & *in Peruſina Immisſionis* 18. *Martii proximè præteriti* §. *Conſtitit coram Me*.

2 Neque ad illam retardandam ſuffragari valuit exceptio retentionis vigore fideicommiſſi ab Ugone Seniore de Boncompagnis ordinati in antiqua donatione ſcutor. 30. mil., quam fecit dictus Ugo favore Gregorii ejus filii. Quandoquidem ultra quod hodiernus domus controverſæ Poſseſsor non eſt ullo modo de vocatis in dicto fideicommiſso, itaut illud allegando, deducere videatur exceptionem de Jure tertii in Iudiciis non admitti ſolitam, ut in puncto nuperrimè dictum fuit in *Rom. fideicommiſsi de Caietanis* 13. *Maii mox elapſi* §. *Cæterum coram R.P.D.*
3 *meo Criſpo*, adhuc fatalis ea occurrebat reſponſio, quod Paulo Actorum debitori, & Ugonis Conditoris fideicommiſſi nepoti plures in eodem fideicommiſso, atque etiam in magna ſumma competebant detractiones,
4 itaut pro intranti illorum quantitate validè ipſi licuerit bona fideicommiſsaria obligare, ac validè etiam poſſint adverſus eadem bona agere ejus Creditores, ut ex *Text. in leg. Marcellus* §. *Res quæ ff. ad Trebellian.* paſſim notavit *Rota* & *præſertim in Firmana Commendę* 17. *Aprilis* 1711. §. *Funditus coram Eminentisſimo D. Card Priolo*, & 26. *Februarii* 1712. §. *Quibus cor. Me*.

Quantitas autem iſtarum detractionum, longè ultra creditum Actorum conſiſtens in duobus Cambiis ſcutorum 400. eorumqu e fructibus, facile comperitur aſcendere ad plura ſcutor. milia, advertendo, quod juxta ea, quæ firmata fuerunt *dec.* 247. *num.* 9., & *ſeqq. par.* 14. *rec.*, & approbata etiam extiterunt in tranſactione ſubindè ſolemniter inita inter mediatos ſucceſsores ejuſdem Pauli

Pauli, & bon.mem. R.P.D. Urſinum olim noſtri hujus Auditorii Decanum alterum ex iiſdem ſucceſsoribus, & Authorem Comitis Rei conventi, debebatur Paulo ſuper bonis Avi fideicommittentis legitima ex Perſona Gregorii illius filii, & primi hæredis gravati in triente, & ſic in ſcut. 10. mil. Debebatur etiam ex perſona dicti Gregorii dos materna in ſcut. 3100., dos uxoris in aliis ſcut. 2000. & demum debebantur etiam aliæ dotes, aliæque detractiones aſcendentes in totum ad ſcuta 20.mil.; quas quidem detractiones
5 impugnare hodiè amplius non licet, tum quia fuerunt ita ſtabilitæ *in dicta Rot. deciſione par.* 14., quam ſupponere de more neceſſe eſt, ex notoriis regulis; tum quia fue-
6 runt admiſsæ in dicto publico Inſtrumento tranſactionis, quæ utpotè bona fide inita inter gravatos, omnes afficit ſucceſsores, quamvis proprio jure, & ex propria perſona venientes, *Rot. in Romana dotis* 9. *Decembris* 1715. §. *Evanida coram Eminentiſſimo D. Cardinali Scotto*, & cum concordantibus *in Ferrarien. fideicommiſſi de Giliolis* 7. *Martii proximè elapſi* §. *Eoque minus coram Me.*
7 Multoque magis illi ſtare tenetur D. Comes Virginius, quia cauſam habet à dicto R.P.D. Urſino uno ex Tranſigentibus, cujus id circò factum impugnare ipſe non poteſt, obſiſtente *Text. in l. cum à matre Cod. de rei vindicat.* ut in propoſito advertit *Rota in Firmana Commendæ* 29. *Februarii* 1712. §. *Neque*, & in allegata *Ferrarien. fideicommiſſi de Giliolis* §. *Galeatium coram Me*.

Et ſine ulla difficultate non poteſt amplius
8 hodiè prætendi controverſa domus ullo modo ſubjecta ſupradicto fideicommiſſo, quia R.P.D. Urſinus Author, ut dictum eſt, hodierni Poſseſsoris, poſtquam illa ex juribus detractionum in eo competentium diviſa fuerat in quatuor partes cum aſſignatione cujuslibet partis diverſis perſonis jus habentibus earumdem detractionum, obtinens ipſe unam ex quatuor dictis partibus, reliquas tres titulo emptionis acquiſivit ab aliis tamquam liberas à nexu fideicommiſſi, & ſic præelectas in cauſam earumdem detractio-
9 num, undè fit, ut ſicut non poſset ipſe immiſſionem hodiè petitam à Dominis de Floravantibus evitare, ita neque poſſit ex hujuſmodi titulo illam retardare Dominus Com. Virginius ejus ſucceſſor, ut proſequitur *Rota in dicta Firmana Commendæ* 29. *Februarii* 1712. §. *Neque coram Me*, ubi concordan.

Et ita altera tantum &c.

PISAUREN. IMMISSIONIS.

Lunę 20. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Deliberatio tam ex capite exceſſus, quam brevitate termini ad reluendum per Judicem reſtricti, ac omiſſione affixionis edictorum in loco, ubi adſunt bona, omnino irrita fit; ſicut pariter in caſu, quo creditor in ea ſuum aliud excomputaret creditum ſine novo mandato Judicis, & exequutione, pro quo ſuper diverſis aliis bonis ejuſdem debitoris aſſociationem reportaſſet.
Tranſactio falſæ cauſæ nixa, & enormiſſima læſione laborans, ſimiliter reſcinditur.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio, tribus verificatis extremis, ſemper conceditur.*
2 *Titulus validus poſſidendi ex deliberatione nulla non deſumitur.*
3 *Deliberatio ex defectu citationis, & decreti* ad videndum ſubhaſtari, & deliberari *ſemper irrita remanet.*
4 *Defectus citationis* — ad videndum deliberari — *non ſuppletur à decreto facto in receptione oblationis, quod notificaretur, & poſt triduum deliberationis inſtrumentum exponeretur, cum nil commune cum dicta citatione habeat.*
5 *Deliberatio irritatur per hoc, quod Judex in termino ad reluendum ſuum decretum ad viginti dies coarctaſſet, quando ageretur de ſtabilibus, in quo caſu menſis integer neceſſarius eſt.*
6 *Limita in ſubbaſtatione mobilium, in qua decem tantum ſufficiunt.*
7 *Deliberatio fit nulla, ſi edicta affigerentur extra locum, ubi adſunt bona, & quare; etiam ſi talis affixio fieret, ubi peractum fuiſſet judicium.*
8 *Amplia, ut fiat nulla ex capite exceſſus, licèt pretium erogaretur in dimiſſionem etiam aliorum creditorum, quando iſti non urgerent*, amplia ut in num. 10.
9 *Subhaſtatio, & exequutio debent neceſſario relaxationem, & expeditionem mandati præſupponere.*
11 *Deliberatio fit nulla, quando conſumatur ſine actu præambulo exequtioni mandati.*
12 *Creditor ad bona ſui debitoris pro ſui crediti ſatisfactione aſſociatus, ea deliberari facere non poteſt, niſi obtenta prius particulari commiſſione.*
13 *Deliberatio corruit ex capite exceſſus, quando creditor eam conſumaret etiam pro altero credito alicujus cenſus, pro cujus fructuum ſatisfactione ſuper aliis diſtinctis bonis aſſociationem reportaſſet.*
14 *Amplia, quando creditum, pro quo deliberatio conſumpta fuiſſet, eſſet illiquidum, cujus liquidatio eſt omnino neceſſaria*, ſub-amplia, ut in num. ſeq.
15 *Compenſatio ſortis cenſus cum pretio rei deliberatę ad inſtantiam illius creditoris non intrat, cum ſit de ſui natura irrepetibilis, & maxime, ſi abſque Judicis decreto talis facta fuiſſet compenſatio.*
16 *Tranſactio falſæ cauſæ nixa corruit cum omnibus inde ſequutis ex defectu conſenſus*, & vide rationem.
17 *Approbatio actus nulli, ut in aliquem inducta*

ducta dicatur, illius ſcientia poſitiva de eadem nullitate requiritur.

18 *Tranſactio detecta læſiva corruit de ſui natura.*

19 *Læſio debet eſſe enormiſſima ad irritandam tranſactionem.*

20 *Conſenſus præſtitus deliberationi per epiſtolas, à debitore datus cenſetur, quatenus deliberatio, ſervatis de jure ſervandis, ſequuta fuiſſet, non verò extenditur ad caſum, quo fuiſſet nulla.*

21 *Deliberatio nulla non dicitur approbata per epiſtolas, quæ ad diverſum tenderent effectum, & de tali approbatione non loquerentur.*

DECISIO MLXXIII.

INnixus Ubaldus Andreas de Biacchinis fideicommiſſi titulo condito à quondam Fabio pariter de Biacchinis, judicium vigore *leg. fin. C. de edict. D. Adr. toll.* inſtituit in partibus coram Vicario Generali Piſauri contra fratres de Lapis, petens immiſſionem ad Prædium nuncupatum *del Taccone*. Plures tamen invenit, & graves oppoſitiones; quippe quia non ſolum dictum Prædium fuerat à Poſſeſſoribus acquiſitum, occaſione qua poſitum ſub haſta publica pro cenſibus debitis ab ipſo fideicommittente Cappellaniæ S. Antonii, & S. Bonaventuræ Civitatis Urbini, deliberatum fuit Gordiano Lapi Reorum conventorum Auctori, ſed inſuper hujuſmodi deliberatio fuerat ab ipſomet Actore Ubaldo Andrea approbata cum renunciatione quibuſcumque juribus ſibi ſuper Prædio deliberato competentibus vigore dicti fideicommiſſi.

Quoniam verò plenè demonſtratum fuit ex parte ejuſdem Actoris hujuſmodi renunciationem factam fuiſſe cum ſuppoſito validitatis ſequutæ deliberationis, quæ cæteroquin undequaque nulla depræhendebatur, prodiit ſententia præfati Judicis, qua conceſſa fuit immiſſio, & decreta fructuum reſtitutio à die motæ litis, bonificatis tamen illis de Lapis ſcut. 581., quę in actu deliberationis Prædii controverſi fuerant à Gordiano deliberatario legitimè erogata, vel in actuale depoſitum favore Biacchini deliberationem paſſi, vel in dimiſſionem creditorum fideicommittentis.

Fuit iſta ſententia plenariè confirmata in gradu appellationis ab A. C. de Gentilibus, & non acquieſcentibus fratribus de Lapis, devoluta cauſa ad noſtrum Auditorium, conſimilem promeruit etiam hodie approbationem, propoſito namque dubio -- *An ſit danda immiſſio* -- Domini *affirmativè juxta modum* reſponderunt, nempe ad formam præcedentium ſententiarum Vicarii Generalis Piſauri, & A. C.

1 Siquidem dilucidè conſtitit concurrere pro Actore extrema omnia in præſenti immiſſionis judicio neceſſaria, exiſtentia, & purificatio fideicommiſſi, & identitas Prædii controverſi, itaut neque ex parte illorum de Lapis ulla proponeretur adverſus hæc difficultas, totaque eorum defenſionis vis conſtitueretur in duobus titulis excluſivis Actoris, deliberationis nempe pro debitis fideicommittentis, & tranſactionis cum eodem Ubaldo Andrea Actore jam initæ, ut ſupra dictum fuit; neuter verò ex his titulis obicem præbere valuit petitæ immiſſioni.

2 Quatenus enim deducebatur ad hunc effectum deliberatio, viſa fuit iſta tot vitiis obnoxia nullitatis, & exceſſus, totaliter actum deſtruentibus, ut ex ea legitimus ullus titulus erui pro poſſeſſore non potuerit. Ex

3 quibus ſanè nullitatibus, omiſſis aliis levioribus, præ cæteris illæ ſatis eſſe videbantur, quæ profluebant, tum ex defectu ſpecialis citationis, & decreti ad videndum ſubhaſtari, & deliberari, quorum forma pro actu validè explendo omnino ſervanda erat, nec

4 ſuppleri poterat per decretum factum in receptione oblationis, quod notificaretur, & poſt triduum exponeretur inſtrumentum deliberationis, nihil commune habens cum dicta citatione, juxta ea, quæ docet *Mangil. de ſubhaſt. q. 47. n. 10., & ſeq.*, & firmat *Rot. dec. 61. nu. 15. poſt Merlin. de pignor., in Ceſenaten. Spolii 25. Junii 1700. §. Secunda nullitas, & §. Nec ad ſupplendam cor. bo. me. Muto, & in Sueſſana Bonorum 1. Junii 1717. §. Sicut quoque cor. Me.*

5 Tum etiam ex brevitate termini ad reluendum bona deliberanda, licèt namque Judex profeſſus fuerit illum præfigere ad formam Sacrarum Conſtitutionum, adhuc ſe reſtrinxit ad dies viginti dumtaxat, quando tamen, ut ritè, rectèque procederet, aſſignare ſtrictionem terminum non poterat, quàm triginta dierum, dum agitur de ſub-

6 haſtatione ſtabilium, ad differentiam mobilium, in quibus ſatis eſt terminus decem dierum, ut tradunt in propoſito *Saluſt. Tib. in prax. lib. 1. cap. 43. nu. 2., Ridolphin. p. 1. cap. 15. n. 121., Poſth. de ſubhaſt. inſpect. 39. n. 29. 30., & 48.. Rot. poſt Mangil. eod. tract. dec. 106. n. 7.*

7 Tum demum ex omiſſa affixione edictorum in Civitate, aut diſtrictu Piſauri, ubi præfata bona ſita erant, dum ſatis non fuit illa affixiſſe in Civitate Urbini, ubi peractum fuit judicium, quia cum edictorum affixio ad eum præſcripta ſit finem, ut faciliùs emptores ad offerendum accurrant, & certiores reddantur de facienda ſub haſta publica venditione, non poteſt talis finis ulterius adimpleri, quàm affigendo edicta in loco rei ſitæ, ubi major notitia rei deliberandæ, & promptior, pinguiorque oblatio reperiri poteſt, ut advertunt *Ridolphin. in prax. d. par. 1. cap. 15. n. 131., Poſth. de ſubhaſt. inſpect. 29. à n. 40. ad 47., Altimar. de nullit. rubr. 1. p. 4. q. 37. num. 545. verſ. in locis tom. 6.*

8 Accedit his nullitatibus evidens exceſſus, ex triplici præſertim capite promanans, & primò quod licèt in actu deliberationis pretium

tium fuerit pro majori parte erogatum in dimiſſionem aliorum creditorum, ultra Cappellam Sancti Antonii habentem creditum ſcutorum 22. dumtaxat, nihilominus hoc evenit non ex neceſſitate, ſed ex voluntate, cum nullibi probetur præfatos cæteros creditores inſtetiſſe pro ipſorum ſatisfa-
9 ctione. Id, quod omnino fieri debuiſſet pro ſubſtinenda etiam quoad illos deliberatione uſque ad effectivam mandatorum judicialiũ relaxationem, & expeditionem, ſine qua nec exequutio fieri poterat, nec ſubhaſtatio, ut probant *Poſth. de ſubbaſt. inſpect.* 11. *n.*39.*& ſeq.*, *Vant. de nullit. ex defectu proceſſ. n.*69., & firmavit *Rot. dec.*19.*poſt Zaccb. de oblig. Camer. dec.*15.*n.*4., *& dec.*142. *n.*2. *&* 3. *cor. Duran.*

10 Æque gravis exceſſus profluit ex alio capite comprehenſionis in eadem deliberatione etiam Terrenorum, quæ non erant niſi annexa, & contigua Prædio deliberato *del Taccone*, bona nempe nuncupata *del Marrone*, & alia ſuper quibus jam pridem Gordianus de Lapis deliberatarius aſſociatus reperiebatur; quæ ſane comprehenſio hujuſmodi Terrenorum multiplicem inducit ex-
11 ceſſum, & nullitatem. Quippe quia conſumata fuit eorum deliberatio abſque actu præambulo exequutionis mandati, quod fieri non poterat ſine nullitatis incurſu, ut plenè tradunt *Pacion. de arreſt. lib.*18. *tit.*6. *art.*2.*per tot.*, *& Poſt. de ſubbaſt. de inſpect.*
12 11. *n.*29. Imo ſtante præmiſſa ad eadem bona aſſociatione ad effectum ſibi ſatisfaciendi ex fructibus, non licebat ad eorum ſubhaſtationem devenire, niſi obtenta prius particulari commiſſione, juxta praxim traditam à *Rodolphin. in prax. p.*2. *cap.*6. *n.*92. *& Rot. dec.*115.*n.*2 *.penès Pacif. de ſalu.*, *& dec.*161.*n.*12.*& ſeqq. p.*6.*rec.*

13 Coronat hæc omnia tertium caput exceſſus ſatis evidenter deducti ex eo, quod idem Gordianus deliberatarius in partem pretii bonorum deliberatorum excomputavit pro rata ſcutorum 219. ſuum creditum conſiſtens in cenſu, pro cujus fructibus, ut mox dictum fuit, reperiebatur aſſociatus ad alia terrena annexa pariter deliberata, & hujuſmodi excomputatio facta fuit tam quoad ipſos fructus, quàm quoad ipſam ſortem
14 principalem cenſus: quando tamen creditum fructuum effectum erat totaliter illiquidum ex detentione per viginti ferè annos prædictorum bonorum, nulla reddita fructuum interim perceptorum ratione; id, quod in jure non admittitur, cum imo ad ſubſtinendam deliberationem pręcedere omnino debeat crediti legitima liquidatio, ex firmatis *dec.*72.*num.*12.*cor. Vbag.*, *dec.*77. *n.*1., *ibique Adden. n.*12. *coram Pamphil.*, *dec* 94. *num.*49.*cor. Rm̃o P.D. meo Anſaldo Decano*, *& cum aliis in Ferrarien. evictionis ſuper manutentione* 11. *Martii hujus anni* §. *Nec minus cor. R.P.D. meo Cerro.* Sors
15 verò principalis ejuſdem cenſus erat de ſui natura ex parte creditoris irrepetibilis, & incapax cujuſcumque compenſationis cum pretio rei deliberatæ, præſertim abſque Judicis decreto, & mandato, ut punctualiter advertit *Poſth. de ſubbaſt. inſpect.*33. *nu.* 40., & firmat *Rot. dec.*58.*n.*8. *penes Mangil. eod. tract.*, *& dec.*38.*num.*15. *penes Poſth. de manut.*

Corruente autem ex his titulo delibera-
16 tionis, ruit pari facultate etiam titulus trãſactionis initæ inter Ubaldum Actorem, & Lapios Reos conventos, quoniam non ſolum expleta fuit ſub erroneo, & inſubſiſtenti ſuppoſito validitatis ejuſdem deliberationis, ideoque velut inita ex falſa cauſa, & cum errore removente conſenſum ab actu, totaliter eſt inſubſiſtens, & nulla, ad *Text. in l. cum putarem* 36. *ff. famil. erciſcun*, *& l. falſa C. de tranſact.*, *Gratian. diſcept.*788. *n.* 2.*&*3., *Vrceol. de tranſact. q.*96. *num.*3., *Rot. dec.*603.*n.*1.*cor. Merlin.*, *& dec.*260.*n.*8. *cor. Bichio.* Non enim ita tranſegiſſet, ſi habuiſſet ſcientiam nullitatum, & injuſtitiæ ſequutæ
17 deliberationis, quæ ſcientia ad hunc effectum debebat eſſe facti, & juris, qualis requiritur ad inducendam tacitam approbationem, & ratificationem actus adeo evidenter inſubſiſtentis, *Rot. dec.*76.*n.*5.*&* 6.*poſt Merlin. de pignor.*, *dec.*31.*num.*31.*& ſeq. p.*12., *& dec.*306.*n.*28.*cum ſeqq. p.*18. *rec.*

18 Verum etiam fuit enormiſſimè læſiva, advertendo quod Ubaldus Andreas in eadem tranſactione emiſit effrenatam renunciationem cujuſcumque juris ſibi ex titulo fideicommiſſi competentis ſuper bonis deliberatis, recepto pretio hujus renunciationis in ſcutis 25. monetæ Urbini dumtaxat, quando bona illa tantum, quæ una cum Prædio *del Taccone* fuerunt deliberata, & prius retenta vigore aſſociationis erant valoris ſcut. 400.; unde addito pretio etiam dicti Præ-
19 dii, & aliorum annexorum, quiſque videt qualis fuerit in tali contractu læſio, & utrum talis ſit, ut totam irritet, & deſtruat tranſactionem, juxta deduct. per *Vrceol. de tranſact. q.*94.*n.*16.*&* 17., *Rot. dec.*407.*num.*1. *& ſeqq. cor. Cavaler.*, *dec.*367. *n.*1.*cor. Bichio*, *dec.*441.*n.*8 *p.*13., *& dec.*73.*nu.*3. *&* 4.*par.*16. *recen.*

20 Neque ulla ulterior præfatæ deliberationis ratificatio in comprobationem ſubinde factæ tranſactionis deduci valet ex epiſtolis per eumdem Ubaldum Andream conſcriptis Gordiano de Lapis deliberatario. Etenim (ultra quod ille tunc temporis erat in minori ætate conſtitutus) aut agitur de iis epiſtolis, quæ ſcriptæ fuerunt ante factam deliberationem, & nullius eſſe valent momenti, cum conſenſus in iis præſtitus trahi non poſſit ad nullitates futuras, & inopinatas, imo cenſeri debeat ita è contrario pręſtitus, quatenus deliberatio ſequatur ſervatis de iure ſervandis, *Poſth. de ſubbaſt. inſpect.*18.*n.*136., *& apud ipſum Rot. dec.*15.*per tot.*, *& dec.*22.*n.*6.*&* 7., *& dec* 86 *n.*22 *p.*18.
21 *recent.*; aut verò loquimur de iis poſt conſumatam iam deliberationem exaratis, & iſtæ

iſtæ, cum non importent, niſi requiſitionem ſolutionis reſidui pretii, & ſic tendant ad diverſum effectum, ne quidem ullam inducunt circa perſonam Scribentis, ſed ignorantis commiſſas nullitates, approbationem, aut ratificationem eiuſdem nullæ deliberationis, ut in puncto advertit *Giurb.dec.*105. *n.*11., & firmavit *Rot.dec.*413. *n.*88., *& ſeqq. p.*9.*rec.*

Et ita cæteris omiſſis, quæ levioris eſſe momenti videbantur, & demandata bonificatione ſcutorum 581., quam ultra ipſe Actor admittebat, Domini reſponderunt, conſentaneè ad præcedentia iudicata, utraque &c.

BONONIEN. PECUNIARIA.

Mercurii 22. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Pactum reverſivum ad primæva iura in caſu evictionis rei, quam inſolutum pro extinctione cenſus creditor acceptaſſet, non habet locum, quando eiuſdem rei fructus ex facto ſupremi Principis diminuerentur, cum illud ad caſum evictionis, prout de iure, referibile intelligi debeat.

Factum Principis caſui fortuito æquiparatur, & ob id caſus evictionis in eum refundi non poteſt.

SUMMARIUM.

1 *Datio in ſolutum alicujus rei per creditorem acceptata liberum omnino efficit debitorem.*

2 *Datio in ſolutum, ſicut totale transfert dominium rei in eam acceptantem, ob id augumentum, vel detrimentum illius ejuſdem acceptantis commodo, vel incommodo cedit.*

3 *Amplia, quando decrementum ex* Principis *facto progrederetur, quod ex cauſa totaliter provenire diceretur.*

4 *Aſſignatarius locorum montium, evenienti diminutione fructuum ex facto Principis, eorum non repetit ſupplementum, licèt aſſignans eorundem quantitatem ſpecificaſſet, quæ ſpecificatio demonſtrative tantum ſtare intelligeretur, & quare*; amplia ut in num.ſeq.

5 *Promiſſio ampliſſima cujuſvis manutentionis in exactione fructuum, in caſu diminutionis eorundem ex facto* Principis *evenientem, promittentem non ligat, & quare?* amplia ut in n.11.

6 *Factum Principis fortuito caſui æquiparatur.*

7 *Evictionis caſus non cadit in diminutione fructuum locorum montium ex facto Principis profluente, cum illa ex natura rei ſequi dicatur, & quare?*

8 *Manutentio in eorum exactione non dicitur tolli per tale decrementum, & evictioni locus dari, maximè ſi non eſſent Loca Montium Cameral.um.*

9 *Evictionis caſus in datione in ſolutum contemplatus interpretandus eſt, prout iuris eſt, excepto Principis facto, vel caſu fortuito*, amplia ut in num.ſeq.

10 *Cenſus de ſui natura ſubiacet individuali periculo diminutionis fructuum in creditoris præiudicium ex deterioratione fundi ſine culpa debitoris.*

11 *Debitor veriſimile non eſt, quod ſe in plus voluerit obligare, quam ex ſui debiti natura poſſet adſtringi.*

12 *Obſervantia, contrahentium mentem in dubio, tam ex facto ſequuto, quàm non ſequuto declarat.*

13 *Interpellatio legitimo tempore facta neceſſaria eſt, ut debitor ad damni refectionem teneatur*, amplia ut in n.14.

14 *Damnum ſponte volitum à creditore ei aufert actionem, ut illius emendationem à debitore poſſit poſtulare, ex quo culpa ſuum ſequatur authorem.*

15 *Interpellationis defectus ex præſumpta ſcientia non ſuppletur, cum neceſſe ſit, quod ex ea debitor ſui creditoris animum detegat, ut conſulat rebus ſuis.*

16 *Amplia, ſi ageretur adverſus hæredem debitoris, & minorem paternæ obligationis ignarum.*

DECISIO MLXXIV.

Eximi cupiens Co. Franciſcus de Urſis ab onere cenſus librar. 9. mil. contracti uſque de anno 1646. cum fructibus decurſis, & non ſolutis in quantitate aliarum librarum 1000., tradidit in ſolutum Monaſterio, & Monialibus S. Homoboni Bononiæ tot capitalia Montium ejuſdem Civitatis, Julii nempe, Gabellæ groſſæ, Salis, & Vini, veteris nuncupat, & aſcendentia ad libr. 10. mil., in qua præcisè ſumma debitor reperiebatur.

Hæc loca montium, quamvis de tempore ſecutæ hujus aſſignationis, anno nempe 1655. eſſent de ſui natura irredemibilia ratione pacti negativi nunquam francandi appoſiti in Bullis Pontificiis, fuerunt tamen ſub anno 1680. extincta, ita mandante ſan.mem. Innocentio Papa XI., & in Brevi Pontificio diſpoſitum extitit, quod nova crearentur cum reductione fructuum de 8. ad 4. pro centenario, data tamen veteribus Montiſtis optione vel recipiendi eorum capitalia, vel ſubingrediendi in novis Montibus cum id. fructuum reductione erigendis.

Monaſterium creditor locorum montium ſibi à Com. de Urſis aſſignatorum latius fore ſibi duxit ſubingredi in nova loca, prout curavit, nulla facta Aſſignatario interpellatione, nullaque ulteriori excitata prætentione, eodemque modo ſe geſſit, anno 1695. occaſione qua iterum ſuppreſſit, & extinxit dictos montes conſimili uſus ſuprema poteſtate

poteſtate ſan. mem. Innocentius Papa XII., nihilominus tamen poſt 30., & ultra annorum acquieſcentiam judicium ex illius parte fuit introductum in Tribunalibus Bononiæ contra Co Henricum de Urſis dicti Franciſci filium, & ſucceſſorem petendo ſupplementum fructuum ex facto Principis ad minorem ſummam reductorum pro locis illis montium illi de anno 1655. aſſignatis, obtinuitque gemina judicata, contra quæ cum reclamaſſet Co. Henricus ad A. C. de Gentilibus, prodiit ſententia revocatoria, & huius abſolutoria ab impetitis.

Nec diſſimilem habuit exitum cauſa in noſtro Auditorio; nam commiſſa mihi illius cognitione, propoſui hodie dubium -- *An conſtet de credito, & in qua ſumma* -- Et reſponſum fuit -- *Negativè*

Ratio autem reſolutionis in eo fuit, quod
1 ſecuta de d. anno 1655. datione in ſolutum pro credito cenſus, & fructibus decurſis, eaque per Monaſterium acceptata, mediante publico inſtrumento, remanſit cenſus totaliter extinctus, & Comes de Urſis debitor plenariè liberatus ex natura ipſius contractus, ad *Tex. in l. eleganter, ibique gloſſ. ff. de pignor. Surd. dec.* 266. *num.* 6., *Rot. dec.* 373. *n.* 12. *p.* 16., *& dec.* 360. *n.* 3. *p.* 19. *rec.*, & nuperrimè *in Romana, ſeu Florentina Pecuniaria* 3. *hujus menſis, & anni* §. *Ma-*
2 *ximè coram Me*; itaut translato per talem dationem in ſolutum dominio locorum montium aſſignatorum in Monaſterium, quemadmodum quodlibet eorum augumentum iſtius favore ceſſiſſet, ita etiam cedere debuerit decrementum, ut explicant *Staib. reſ.* 190 *n.* 101., *& reſ.* 195. *n.* 17. *&* 18., *Cyriac. contr.* 418. *num* 26., & firmavit *Rot. dec.* 381. *n.* 3. *lib* 3. *cor. Puteo, & dec.* 18. *n.* 6. *p.* 4. *to.* 2.
3 *rec.* Præſertim ſi, ut hic, proveniat decrementum ex facto Principis, & ſic ex cauſa totaliter nova, ut eſt *Tex. in l Lutius* 11. *de evict.*, *Theſaur. q. forenſ. lib.* 4. *q.* 10. *nu.* 5. *Reverendiſs. D. meus Decanus de commerc. & merc. diſc.* 60. *n.* 14., *Rot. dec.* 618 *nu.* 23. *cor. Cavaler., & d. dec.* 18. *n.* 6. *p.* 4. *rec. tom.* 2.

4 Non obſtat, quod Comes Franciſcus ſeſe obligaverit in eodem aſſignationis inſtrumento ad perpetuam manutentionem capitalium ceſſorum, eorumque redditus ibi -- *dd. credita capitalium prædictorum, & annui redditus reſpectivè fore, & eſſe de præſenti, ac fore, & eſſe debere in poſterum perpetuis futuris temporibus, & illa ſemper manutere* --; itaut propterea teneatur hodie Comes de Urſis præſtare quidquid Monaſterii juribus intereſt decreviſſe redditus ex fructuum diminutione.

Præter enim, quod non videbatur iſtiuſmet pacti littera continere promiſſionem manutentionis cadentem ſuper præciſa quantitate annui redditus, quæ obligare poſſet ad ſuppletionem in caſum ſolius diminutionis, ſed revera ſimplicem præſeferre obligationem manutentionis annui redditus in genere, quo caſu non cenſetur promittens obligatus, niſi ad præſtandam rem fructiferam, & ad omnia ea, per quæ res aſſignata redigeretur ad totalem infructuoſitatem, non verò ad ſimplicem diminutionem, cum promiſſio ſolā qualitatem illam fructuoſitatis reſpiciat, & annui redditus expreſſio ſtet in obligatione demonſtrativè tantum, non taxativè, ut perpendunt in terminis conſimilibus *Gratian. diſcept. for. cap.* 520. *n.* 20., *Andreol. controu.* 341. *n.* 4., *Card. de Luc. de donat. diſc.* 52. *n.* 2., *& per tot., & dec.* 433. *n.* 9. *& ſeq. cor. Card. Cerro.*

5 Removebatur ulterius difficultas ex illa animadverſione, quod quæcumque manutentionis promiſſio ſive capitalis, ſive redditus quantumvis ampliſſimè concepta, nunquam extenditur ad diminutionem, vel evictionem, quæ ſequatur ex cauſa ſuper-
6 veniente, & ex facto Principis, quod caſui fortuito æquiparatur, ut indivinualiter de reductione fructuum locorum montium ex Principis edicto probant *Rocc. diſput. jur. cap.* 91. *num.* 6., *Card. de Luc. de Camb. diſc.* 2. *n.* 23., & latius *Gratian. diſcept. for. cap.* 520. *n.* 23., *& Rot. ſeqq.*, & ibi *Carol. Anton. de Luc. n.* 7.

Nec refert, quod factum Principis iſto caſu inopinatum dici non poſſit, & ita inſolitum, ut non potuerit prævideri, dum in omni Principatu paſſim fieri ſolent huiuſmodi fructuum locorum montium reductiones.
7 Vis enim non ſtat pro exceptione caſus evictionis ex venientis facto Principis, in magis, vel minus ſolito facto ejuſdem Principis, ſed in eo ipſo, quod cum omnia ſint ſubjecta Principis poteſtati, quælibet evictio, quæ reſultet ex illius facto, evenire dicitur ex natura rei, quæ non venit in obligatione, ut probant *De Marin. reſol. jur. lib.* 1. *cap.* 68. *n.* 4., *Rocc. diſput. iur. d. cap.* 91. *nu.* 16. *&* 20., *Card. de Luc. de Offic. Ven. cap.* 17. *n.* 15., *& Rmus P.D. Anſuld. Decan. in ſuo tract. de commerc., & merc. allegat. diſc.* 60. *n.* 17.

8 Minuſque relevat, quod, hoc ſenſu admiſſo, inutile fuiſſet pactum manutentionis, dum aliunde evictio non poterat evenire; quodque de facto valutatio locorum montium capta fuerit ex illorum fructatu, & propterea manutentio fructuum, & capitalis in eodem ſtatu conventa fuerit. Quo enim ad primam hujus objecti partem, reſponſio inde certa deſumitur, quod loca montium Bononiæ Monaſterio aſſignata non erant, ut alia loca montium Cameralia exempta ab hypothecis, & vinculis non expreſſis in litteris Patentibus, ſed ad inſtar omnium aliorum indifferentium bonorum quibuſcumque hypothecis, & obligationibus poſſeſſorum ſubjecta, ideoque ad hæc omnia rectè pactum in inſtrumento appoſitum referri pluſ-
9 quam utiliter poterat. Quo verò ad ſecundam, potius facta valutatio viſa fuit retorqueri, quia certius demonſtrat Partes verè intellexiſſe in illo contractu dare, & recipere in ſolutum ea loca montium, itaut omni-

no

no cenſus remaneret extinctus, & evictio capitalis, & fructuum, prout juris eſt in hujuſmodi in ſolutum datione interprætanda ſit, & ſic excepto Principis facto, ut conſentaneè ad alios ſupra allegatos probant *Olea de ceſſ. jur. tit.7.q.3.n.31.*, *Tondut.reſol.civil cap.49.n.54.*, & *Card.de Luc. de donat.diſc.52. nu.4.*, & *de credit. diſc.54. num.151.*

Eoque facilius in hujuſmodi ſenſum Do-
10 mini convenerunt, quia agitur de datione in ſolutum facta in extinctionem cenſus, qui ſubjectus erat de ſui natura individuali periculo diminutionis fructuum in præjudicium creditoris, vel ex deterioratione fundi cenſiti ſine culpa debitoris, ut inquiunt ad litteram Conſtitutionis Pianæ *Cenc. de Cenſ.quæſt.102. numer.1.*, *Leotard.de uſur. q.57.n.42.*, & *Card.de Luc.de Cenſ. diſc.19. num. 3.*, vel ex facto pariter Principis, ut proſequitur *cit.Leotard. q.48.nu.2.*, & *ſeqq. de Luc.diſc.14 n.2.*, & *ſeqq. de Cenſ.*, & *Reverendiſs. Decanus de Commerc. diſc.72. n.*
11 *18.* & *37.*; unde ſi ſubſiſteret promiſſio manutentionis fructuum in aſſ. quantitate, ſequeretur, quod deterior ex ipſa extinctione facta fuiſſet debitoris conditio, & ſe ſe in plus obligaſſet, quàm ex natura ſui debiti obligatus fuiſſet; id, quod veriſimile eſſe non poteſt.

Neque in contrariam abſtrahi ſententiam voluerunt ex allegatis pro Monaſterio auctoritatibus *Franciſci Anſaldi conſ.18.*, & *26.*, & *Rm̃i pariter Anſaldi ſæpe laudati diſc.71.de commerc.* Loquuntur enim in terminis Capitalis cum certis fructibus conſtituti pro pio opere, ideoque totaliter diſtant à caſu noſtro, in quo nulla ſimilis concurrit obligatio quoad Comitem de Urſis, neque in ipſa cenſus impoſitione, neque in ſubſequuta datione in ſolutum pro illius extinctione.

Hæc utique ſatis fuiſſent pro cauſæ reſo-
12 lutione, ſed adhuc Domini non minus proficuam ad illius confirmationem eſſe putarunt obſervantiam tam ex facto, quàm ex non facto Monaſterii reſultantem. Siquidem illud, quamvis prima fructuum diminutio ſequuta fuerit uſque de anno 1680., nunquam hucuſque egit ad ſupplementum, neque Com. Aſſignatarium, aut ejus hæredem moleſtavit; itaut non ſpernenda contractus, & obligationis interpretatio inde reſultet iſtius favore, ut arguit *Rot.dec.647.nu.3.p.4. dec. 349. n.17.p.9.*, & *dec 21.n.15.p.19.rec.*

Sed id, quod fortius in puncto ſtringebat illud erat, quod facto caſu dictæ fructuum diminutionis ex Principis voluntate, dataque creditoribus locorum montium optione, vel recipiendi eorum pretium, vel ſubingrediendi in aliis locis montium de novo creandis, elegit Monaſterium ſponte ſua ſubingredi in his aliis cum minori fructuum redditu conſtitutis, & prætermiſit Com. de
13 Urſis de hoc facto interpellare. Certum autem eſt, quod ſine debitoris interpellatione legitimo tempore adimpleta ad refectionem damni ullatenus agi non poteſt, ad *Tex.in cap.cauſam,ibique Abbas n.5.de dol.*, & *contum.*, *Gratian.diſcept.829. n.8.*, *Rot. dec.420.n.15.cor.ſa.me. Innoc. X.*, & *in Romana fructuum dotis 1. Decembris 1698. §. In præſenti cor. Rm̃o P. D. meo Anſaldo.* Poterat quippe Comes de Urſis, quatenus ad id teneretur, & fuiſſet interpellatus alia ſubrogare Capitalia, aliiſve remediis conſulere iſtorum fructuum diminutioni, quibus, & Monaſterio, & ſibi damnum ejuſ-
14 dem diminutionis repararet. Si autem voluntariè ita Monaſterium rem tranſire paſſum fuit ſibi debet imputare, neque ab inſcio ſui facti debitore emendationem valet expoſtulare, *Andreol.contr.125. n.6.*, *Rot. dec.300.num.8.p.15.rec.*, & melius *in Aven. Officii Fiſcalatus 20.Aprilis 1711. §. Ceterum cor.Rm̃o Molines Gener. Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Abſque eo quod ſuffragari valeat excuſatio, quod talis interpellatio neceſſaria non foret, dum diminutio Locorum montium provenit ex publico Principis facto editis, affixiſque præcedenter edictis; & ſic Co. de Urſis ſcientiam illius habuit procul dubio.
15 Non enim ex hac generali præſumptaque ſcientia ſuppletus dici valet interpellationis defectus, dum ea pro refectione damnorum obtinenda non requiritur ad ſimplicem ſcientiam, ſed ad notificandam voluntatem creditoris adverſus debitorem, ad hoc, ut iſte poſſit conſulere rebus ſuis, ut inquit *Vgo conſ.17.num.9.* & *ſeq.*, & firmavit *Rot. dec.8.n.7.p.17.rec.*, & comprobant deducta *in alleg.Romana fructuum dotis 1. Decemb. 1698. §.In præſenti cor. Rm̃o P.D.meo An-*
16 *ſaldo Decano.* Tantoque magis hæc procedunt, quia dicto anno 1680., defuncto jam Com. Franciſco de Urſis ſucceſſerat in ejus hæreditate Comes Henricus in minori ætate conſtitutus dupliciter ignarus paterni contractus, tum quia erat minor, tum quia de facto alieno agebatur, plenè *Rot. dec. 292. n.5.*, & *dec.493.n.75.p.4. tom.2.rec.*

Et ita utraque &c.

FANEN., SEU SENOGALLIEN. FRUCTUUM.

Mercurii 22. Iunii 1718.

ARGUMENTUM.

Poſt donationis actum expletum, Donans omni jure ſuper bonis donatis deſtituitur, tum quoad ſortem, cum quoad fructus.

In contractibus neceſſariis mulierum ſolemnitates non requiruntur, ac manutentio jure familiaritatis tantum poſſidenti non datur.

SUMMARIUM.

1 *Donans poſtquam donavit, niſi expreſſe de reverſione rei donatæ ad ſe præcaverit, ſemper arcetur tum à poſſeſſione, cum perceptione fructuum rei donatæ.*

2 *Contractus mulierum in Urbini ditione ad eorum validitatem Eminentiſsimi Legati licentia indigent.*

3 *Alimenta præſtita per Donatarium favore Donantis animo compenſandi cũ fructibus bonorumdonatorum cenſentur, quos ſibi donans reſervaſſet, & reſpectivè Donatarius percepiſſet.*

4 *Donans non poteſt impedire fruitionem rei donatę Donatario ſub fundamento alicuius crediti quando eſſet turbidum, & altioris indaginis.*

5 *Licentia ſuperioris in contractibus mulierum volita licet non legatur in Inſtrumento contractus, per expreſionem de ea coram Judice facta ſuppletur* & vide caſum.

6 *Solemnitates in mulierum contractibus requiſitę ex calore Judicii ſupplentur.*

7 *Amplia, accedente obſervantia talis contractus per plurium annorum ſpatium.*

8 *Solemnitates in contractibus mulierum neceſſariis non requiruntur.*

9 *Manutentio ſemper datur poſſidenti.*

10 *Poſſeſsio perturbativa, & quę liti cauſam dediſſet manutenibilis non eſt.*

11 *Poſſeſsio ad merum familiaritatis jus referibilis non eſt manutenibilis, cum ex ea nullus legitimus titulus exoriatur.*

DECISIO MLXXV.

CUM Fauſtina de Illuminatis anno 1679. omnia ejus bona donaſset Franciſco, Marco, & Pio filiis cum Tarquinio de Georgeis ejus viro ſuſceptis, reſervata ſibi ſola medietate fructuum percipiendorum, qui deductis nonnullis oneribus, ſupereſſent, anno poſtmodum 1684. ob debitum contractum favore eorundem filiorum in munere adminiſtratæ tutelæ, illis in ſolutum dedit medietatem fructuum duorum Prædiorum in vocabulo *di S. Marino, e della Fonte*. Et quamquam filii prædicti Bona donata pacificè retinuerint per lapſum triginta, & ultra annorum, in illorum tandem poſſeſſionem ſeſe intrudere curavit anno 1716. eadem Fauſtina mater, fructus à Colonis recipiendo, eoſque in proprios uſus erogando, quod ægrè ferens dictus Pius alter ex filiis, ad quem vigore cujuſdam donationis ſibi à ſuis fratribus factæ, omnes fructus, & redditus dictorum Bonorum ſpectabant, illam in Judicium vocavit coram A.C. de Gentilibus, qui fructus perceptos Actori reſtitui mandavit, & mandatum de gravando contra dictam Fauſtinam donec reſtitueret, relaxavit; quo verò ad fructus impoſterum percipiendos, impartitus fuit eidem inſtanti licentiam illos percipiendi, inhibendo Fauſtinę, ne in illorum perceptione ſe amplius ingerere auderet. A quo judicato interpoſita appellatione ex parte Reæ conventæ, & delegata Mihi cauſæ cognitione per Signaturam Juſtitiæ cum clauſula -- *ſi quid exequendum*, propoſui in hodierna audientia dubium -- *An mandatum, ſeu mandata A.C. ſint exequenda*, cui DD. *affirmativè* reſpondere non dubitarunt.

Juſtitia enim dicti Judicati uberrimè reſultare viſa eſt ex donationis Inſtrumento initæ uſque ab anno 1679., vigore cujus bona fuerunt tranſlata in filios Donatarios, & ex datione in ſolutum illis facta anno 1684. medietatis fructuum duorum Prædiorum. Do-
1 nans autem poſtquam donavit, niſi expreſsè de reverſione rei donatæ ad ipſũ Donantem precaverit, ſemper, ac perpetuo arcetur tàm à poſſeſſione, quàm à perceptione fructuum Bonorum donatorum, undè licitum neutiquam fuit Fauſtinæ matri Bona donata iterum occupare, & fructus illorum percipere, *Rot. in Cavallicen. donationis 2. Julii 1710. §. Maximè, & in Nepeſina donationis 31 Martii 1713. §. Quandoquidem coram Me.*

Non relevantibus duabus exceptionibus à Scribentibus pro Fauſtina promotis, quarum altera percutit dictam donationem initam anno 1679. in qua Donatrix ſibi per pactum expreſſum reſervavit medietatem fructuum ex Bonis donatis percipiendorum, altera
2 verò eſt directa ad proſternendam dictam dationem in ſolutum ſequutam anno 1684. tanquam carentem licentia Eminentiſſimi Legati neceſſaria in contractibus mulierum, qui in Urbini ditione celebrantur. ad formam decreti 29. de quo *Rota in Eugubina Cambiorum 4. Martii 1712. §. Huic adeo coram R.P.D. Criſpo.*

Quo enim ad primam, animadverterunt
3 DD. hoc aſſertum creditum Fauſtinæ medietatis fructuum Bonorum donatorum, vel fuiſſe compenſatum cum alimentis eidem congruè, ac juxta proprium ſtatum, & conditionem à filiis ſubminiſtratis, *Surd de aliment. tit. 5. quæſt. 2. numero 3. Altogr ad conſ. 85. num. 32. & 33. Rota dec. 113. per tot. poſt Cenc. de Cenſ.*, vel remanſiſſe adeò
4 turbidum, & illiquidum, etiam reſpectu præviæ deductionis onerum & debitorum, quæ juxta conventionem in dicto donationis Inſtrumento inſertam fieri debebat, ut in præſenti judicio nulla ratio de illo haberi debeat, *Rot. in Peruſina dotis, & fructuum 12. Decembris 1710. §. Hæc Dominis coram Eminentiſſimo Scotto, & in Melevitana Pecuniaria 10. Maii 1715. §. final. coram Illuſtriſs. D. Almæ Urbis Gubernatore.*

Fragilior viſa fuit ſecunda exceptio fundata ſuper defectu memoratæ licentiæ Cardinalis Legati: hęc enim non ſubſiſtit in facto, quia ex eodem actu dationis in ſolutum conſtat dictam licentiam fuiſſe impetratam, exhibitam, & reproductam ibi -- *in præſentia ejuſdem reproduxit inſtantiam, & iura &c. una cum litteris Eminentiſsimi Cardinalis Legati cum precibus &c.* -- quæ licet non legantur regiſtratæ in Inſtrumento, attamen cum dicta expreſſio facta extiterit coram Judice, qui actum hujuſmodi approbavit, ſuoque roboravit decreto, vanum eſt dubitare de veritate prædictæ enunciativæ: calor enim Ju-

dicii

6 dicii tantam vim habet, ut poſſit in totum
eaſdem ſolemnitates ſupplere, *Gratian. diſ-
cept. forenſ.* 104. *num.* 3. *Card. de Luc. de hæ-
red. diſc.* 14. *num.* 3. *Adden. ad Pamphil. dec.*
111. *num.* 15. *Rota deciſ.* 396. *num.* 9., *&* 10.
7 *par.* 13. *rec.*, maximè accedente obſervantia
ejuſdem contractus per ſpatium 36. anno-
rum, quæ dubio procul fidem adauget ei-
dem enunciativæ in calore Judicii emiſſæ,
Rota coram Emerix iun. deciſ. 1013. *num.* 3.
verſ. Nec longæva, *& in Albanen. Tutelæ*
25. *Aprilis* 1712. *coram R. P. D. meo Criſpo*
8 Quinimmò cum ageretur de actu neceſſario,
quia Fauſtina erat debitrix ejus filiorum ob
munus tutelæ in conſiderabili ſumma, ejuſ-
que debitum judicialiter faſſa fuerat, & con-
tra eam mandatum relaxatum jam extiterat,
nullas opus fuit adhibere ſolemnitates, quæ
in actibus neceſſariis exigi non ſolent, ad tra-
dita per *Fenzon. ad Stat. Vrb. lib.* 1. *cap.* 103.
num. 1. *Rot. coram Buratt. deciſ.* 408. *num.* 5.
& 8., *& in Romana annuæ præſtationis* 15.
Maii 1705. §. *Hinc igitur cor. Emo Priolo*.

Sic etiam non obſtat, quod Fauſtina repe-
riretur in pacifica poſſeſſione bonorum do-
natorum, & perceptionis fructuum ex iiſdem
bonis recollectorum, ratione cujus Judex
9 primæ inſtantiæ abſque nota injuſtitię ei de-
negare nequiverit manutentionem expeti-
tam, quæ ſemper datur poſſidenti, ad *Text.*
in l. 1. *& tot. tit. ff. uti poſſid.* §. *Retinendæ*
inſtit. de interdict.

Siquidem pro objecti eliminatione DD.
duo tempora diſtinguebant. Vel enim Fau-
10 ſtina niti vult poſſeſſioni captæ anno 1716.,
& hæc tanquam perturbativa, & quæ dedit
cauſam liti nullatenus eſt manutenibilis,
Rota in Bononien. bonorum ſuper re judicata
22. *Junii* 1712. *coram Eminentiſſimo Scotto*,
*et in Cracovien., ſeu Sandomirien. Juriſpa-
tronatus ſuper manutentione* 1. *Julii* 1712.
*coram Reverendiſſimo D. meo Anſaldo De-
cano*. Vel fundatur in aſſerta poſſeſſione antè
11 d. annum 1716., de qua loquuntur Teſtes ab
ipſa inducti, cumque hęc poſseſſio niteretur
tantum jure familiaritatis, quatenus eadem
Fauſtina mater cohabitans una cum filiis, at-
que ab illis alimenta percipiens, rei familia-
ris curam habebat, ſimulque cum illis domus
gubernio pręerat; annuos redditus admi-
niſtrabat, fructus à Colonis recipiebat, alioſ-
que actus gerebat, qui ęquo animo ab iiſdem
filiis ob reverentiam ſemper matri debitam
permitti ſolent, neutiquam manutenibilis erat
per *Text. in l.* 1. §. *Adipiſcimur ff. de acquir.
poſſeſ. Rot. in Firmana diviſionis, ſeu manu-
tentionis* 13. *Jun.* 1710. §. *Minus cor. Emo Scot.*

Et ita utraque &c.

NULLIUS, SEU TERRÆ CIVI-
TELLÆ DOTIS.

Mercurii 22. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Dos ſine recognitione bonę fidei numquam ad

pompam in tanta enunciata ſumma pręſu-
mitur conſtituta, cum de ea tali caſus ſpon-
ſum ſollicitum fuiſſe credendum ſit,
ſimiliter dotans fimbrias dilatare pręſumi-
tur, quando ſe nobiliori viro filiam tradi-
diſset, ex quibus tale pompoſum augumen-
tum remaneat excluſum, optimè, & ad rem
ſequens admonet.

SUMMARIUM.

1 *Via executiva datur etiam adverſus hære-
des debitoris dotis.*
2 *Diſpoſitio ſtatutaria contra commune Ius,
ſummi Pontificis eget approbatione.*
3 *Solutio præſumpta excluditur, quando pro-
batur, quod creditor iteratis inſtantiis,
etiam extraiudicialibus debitorem pro ſa-
tisfactione requiſiviſset.*
4 *Solutio præſumpta non eſt allegabilis à debi-
tore, qui prius creditum impugnavit.*
5 *Simulatio in contractibus eum numquam
præſumatur, ſemper eſt ab allegante pro-
banda.*
6 *Dos ad pompam ſive in totum, ſive in parte
ſemper præſumitur cauthelata per me-
dium contraapocæ veram conſtitutionis
ſummam declarantis.*
7 *Amplia, quando ageretur de dotante, qui
ultimo ſua vitæ Elogio omnia bene ordi-
naſset, & de hac pompoſa dote nullam fe-
ciſſet mentionem in filiorum præjudicium*
8 *Amplia, quando filii hæredes debitum to-
tius dotis in ſtatu paſsivo hæreditatis de-
ſcripſiſſent, tempore non ſuppecto, & ſine
ulla ſimulationis mentione.*
9 *Adde, ſi unus ex cohæredibus ſuam ratam
iſtius debiti ſine contradictione creditori
perſolviſſet, & in totum dotem approbaſ-
ſet.*
10 *Dos ad pompam in tanta ſumma tanto mi-
nus non deſumitur, ex quo major eſſet do-
tibus aliis filiabus jam datis ab eodem do-
tante, quando vir illius eſſet aliis nobilior*
& quare.
11 *Amplia, quando talis dos eſſet minutatim,
& cum dilatione plurium annorum per vi-
rum recipienda.*
12 *Solutio dotis ad longum tempus dilata com-
penſat illud plus, quod pręter ſolitum ſuæ
familię dotans promiſiſſet.*

DECISIO MLXXVI.

EUphemia Galbetta anno 1684. nupſit Co-
miti Lamberto Malateſtæ, conſtituta
dote ab Innocentio Patre in ſcut. 1500., ad
quorum computum in actu celebrationis ma-
trimonii tradita fuerunt duo Prædia pro
prætio ſcut. 600. reſidualia verò ſcuta 900.
ſolvi debebant poſt lapſum novem annorum
à die contracti matrimonii, videlicet ſcu-
ta centum quolibet anno. Poſt obitum
dicti Innocentii dotis promiſsoris Dona-
tus ejus filius, ac cohęres una cum Philippo
fratre pro ſua rata dictum Paternum debi-
tum agnovit, ac extinxit ſolvendo, eidem
Comiti Lamberto ſcut. 450. in cauſam dotis

 Euphe-

Euphemiæ ejus Sororis. Diverſimode, autem fecerunt Innocentius, & Ioannes Paulus filii, ac hæredes prænominati Philippi, cum enim moroſi ſemper extitiſsent in perſolvendis ſc. 450. quorum Debitor erat eorum Pater favore ejuſdem Comitis Lamberti, hic eoſdem in Judicium vocavit cor. A.C., ac mandatum executivum reportavit contra bona hæreditaria dicti Innocentii Senioris, qui dotem promiſit, tàm pro dicti reſiduali ſum. ſc. 450., quàm pro illius interuſuriis, adverſus quod mandatum, cum ad inſtantiam eorumdem Innocentii, & Ioannis Pauli fratrum de Galbettis appellationis commiſſio mihi directa extiterit, dubiũ commiſsioni conforme Dominis meis propoſui — *An mandatum A.C. ſit exequendum*, habuique reſponſum affirmativum.

Validitas non controvertebatur; Juſtitia
1 verò clarè refulgebat ex capitulis matrimonialibus à duobus teſtibus atque à partibus hinc indè ſubſcriptis obligationeque Camerali munitis, vigore cujus executive potuit agi etiam contra hæredes promiſſoris dotis *Rot. dec.* 630. *num.* 1. *par.* 1. *rec.*, *& cor. Merlin. dec.* 575. *ſub num.* 1.

Duplici non relevante exceptione ſuper quibus tota Debitorum defenſio conſtituebatur, præſcriptionis nimirum, & ſimulationis ejuſdem dotis, cujus ſcut. 500. promiſſa extiterint ad pompam, & pro majori honorificentia matrimonii contrahendi.

Prima enim fundata in Statuto Terræ Civitellæ cap. 13., ubi diſponitur, quod per acquieſcentiam quindecim annorum debitum præſumatur ſolutum, non procedit in
2 hipotheſi, ultra quod enim de ejuſdem Statuti contra jus diſponentis confirmatione per Summum Pontificem non docetur, *Rot. in Auguſtana Canonicatus* 9. *Decembris* 1712. *cor. R. P. D. meo Criſpo*, iſtiuſmodi præ-
3 ſumptio ſolutionis à ſtatuto inducta penitus excluditur ab iteratis inſtantiis extrajudicialiter factis à Comite Lamberto poſt lapſum ſolius quinquennii à die, qua dilatio novem annorum expiraverat, *Rot. cor. Merlin. deciſ.* 124. *num.* 5. *in rec. dec.* 21. *num.* 9., *& dec.* 285. *num.* 18. *par.* 18. Cumque iidem fratres
4 de Galbettis controverſæ dotis debitores totis viribus hoc debitum coram Iudice primæ inſtantiæ impugnaverint, ac hodie denuo in Sacro Auditorio impugnent, incongruum videtur uti velle præſidio præſumptę ſolutionis à Statuto inductæ, ut individualiter firmavit *Rot. dec.* 849. *num.* 15., *&* 16. *coram Dunozzet Jun. dec.* 164. *num.* 12. *par.* 8. *rec. poſt Albic. de Inconſtat in judic. deciſ.* 61. *num.* 5.

5 Eo minus locum ſibi vindicare poteſt altera exceptio prætenſæ ſimulationis, quæ numquam præſumitur, niſi ab allegante concludenter probetur, *Rot. in Senogallien Pecuniaria* 27. *Junii* 1710. §. *Eo minus coram Illuſtriſſimo Domino meo Almę Urbis Gubernatore*, *& in Rom. Pecuniaria* 14. *Martii* 1712. §. *Abſque eo quod coram eodem*; ani-
6 madvertebant inſuper DD., quod ſi in rei veritate prædicta dos fuiſſet in aliqua ſui parte ſimulata, Innocentius Pater, & dotis promiſſor contrapocam reportaſſet à Comite Lamberto, prout in hujuſmodi caſibus communiter practicari ſolet in obſequium veritatis, ac bonæ fidei teſtimonium, ut in puncto obſervat *Rot. dec.* 390. *num.* 15. *par.* 17. *rec. coram Emerix Jun. dec.* 744. *num.* 5., *& coram R̃mo D. meo Decano dec.* 40. *num.* 7., *&* 17.
7 Fortius quia idem Innocentius promiſſor in ejus ultimo ſub quo deceſſit teſtamento, Domui ſuæ perfectè diſpoſuit, ac omnia in illo ſumma cura, ſummaque diligentia ordinavit ac proinde non poteſt præſumi, quod ſi dos fuiſſet ſimulata, voluiſſet ex hac vita migrare abſque ulla declaratione, *Mozz. conſult.* 531. *ſub num.* 97. *Bertach. vot.* 39. *num.* 20., & ſic ejus filios, & hæredes gravare in ſumma longè majori proprio debito, ut arguit *Rot. in Romana, ſeu Viterbien. Legati ſuper reſervatis* 27. *Junii* 1710. §. *Non ſubſiſtente cor. R. P. D. meo Criſpo*.

His additur, quod hoc debitum dotis poſt
8 obitum illius adnotatum fuit in ejus Inventario hereditario à Donato, & Philippo filiis, atque hæredibus confecto, ac ſucceſsive facta fuit mentio de eodem debito in integra ſumma ſcut. 900. in diviſione bonorum Paternorum inter eoſdem Hæredes ſequuta. Quinimò iidem Debitores in inventario Bonorum hæreditariorum Philippi Patris præfatum debitum deſcripſerunt, tot autem iteratis confeſſionibus in actibus feriis, tempore non ſuſpecto, & nemine cogente ab ipſiſmet Debitoribus, vel ab eorum Actoribus emiſſis, dubio procul ſatisſuperque canonizata remanſit realitas, ac veritas dicti dotalis debiti, ut in longè debilioribus circũſtantiis firmavit *Rot. dec.* 34. *num* 8. *in Mantiſ. lib.* 8. *de cred.*, *& debit.*

Quid plura? Donatus alter ex filiis Inno-
9 centii, qui dotem in ſcut. 1500. promiſit, pro ſua rata ſcutor. 450. reſiduum dotis Com. Lamberto ſine contradictione perſolvit, ut inter Partes non controvertitur, quibus omnibus ſimul junctis, & realitas crediti ad evidentiam oſtenditur, & illius ſimulatio penitus excluditur, cum impoſſibile ſit illam ex actibus contrariis deſumere, ut inquit *Rot. in Romana domus ad curſum* 27. *Junii* 1710. §. *Ex quibus cor. bo. me. Epiſcopo Labacen.*

Non refragante conſuetudine Terræ Civitellæ, ac ſolito familiæ Galbettæ, quæ ſignanter aliis Sponſæ Sororibus dotem in tanta quantitate non conſtituit. Pondera-
10 bant enim Domini, quod ut Innocentius Pater Euphemiam filiam in matrimonium collocaret cum Viro Nobili, ac per antiquæ Familiæ, nil mirum ſi fimbrias dilatavit ultra ſolitum in hac dotis conſtitutione, prout quotidie fieri ſolet, ad tradita per *Card. de Luc. de dot. diſc.* 2. *nu.* 8., *&* 9., *& diſc.* 144. *num.* 9. *Rot. dec.* 48. *num.* 34. *par.* 12. *rec.*, & melius *dec.* 94. *num.* 22., *&* 26. *cor. R̃mo D. meo Decano*. Animadvertendo ulterius

terius, quod juxta conſuetudinem loci, ac ſolitum Familiæ dotes conſtitui ſolent in
11 quantitate ſc. 1000. circiter, prout reſultat ex documento dato *Summ. eorumdem Debitorum num. 5.* Quamquam vero dos promiſſa Com. Lamberto attingat ſummam ſc. 1500., attamen in actu matrimonii ſoluta dumtaxat fuerunt ſcut. 600. in tot ſtabilibus, reſiduum autem hoc eſt ſcuta 900. promiſſa fuerant poſt longiſſimum temporis ſpatium annorum novem à die contracti matrimonii ſcut. 100. quolibet anno, & ſic dotis complementum nonniſi poſt lapſum tanti temporis haberi
12 poterat; undè adeo protracta dotis conſtitutæ dilatione compenſatum remanſit illud plus quod præter ſolitum ejuſdem Familiæ Euphemiæ filiæ Innocentius Pater promiſerat, *Rot. cor. Royas dec. 345. num. 4., deciſ. 249. num. 3. par. 15., & dec. 703. nu. 26. par. 18. rec.*

Et ita utraque &c.

NULLIUS, SEU TERRÆ CIVITELLÆ DOTIS SUPER ARTICULIS.

Mercurii 22. Junii 1718.

ARGUMENTUM.

In materia prophana articulorum admiſſio non denegatur, maxime quando eorum relevantia ad cauſæ victoriam protendat.

Matrimonii mediator de vera quantitate promiſſæ dotis informatus præſumitur.

SUMMARIUM.

1 *Articuli in materia prophana ſemper admittuntur.*
2 *Articuli relevantes, etiam ſine veritatis fumo admitti debent.*
3 *Articuli dicuntur relevantes, quando articulata materia ad cauſæ victoriam protendat.*
4 *Actio pro dotis augumento ceſſat, quando iſtud ad pompam fuiſſe factum probaretur pro majori matrimonii decore.*
5 *Articuli relevantes ſunt à fortiori admittendi, quando fumum veritatis habent, & hæc ex quibus deducatur.*
6 *Mediator Matrimonii de dotis quantitate apprime conſcius præſumitur.*
7 *Amplia, ut eo magis, circa hunc ejus fidei ſit deferendum, ſi eſſet Sacerdos.*
8 *Subamplia, quando eius depoſitio ex alterius teſtis dicto adminicularetur.*

DECISIO MLXXVII.

PRætendentes Fratres de Calbettis dotem conſtitutam in ſcutis 1500. uſque ab anno 1684. ab Innocentio Calbetti Euphemię ejus filiæ, quæ nupſit Co. Lamberto Malateſta quoad ſcuta 500. fuiſſe ad pompam promiſſam, & pro majori ejuſdem Matrimonii honorificentia, ac de eorum juribus in hodierna cauſæ propoſitione fortaſſe diffidentes, una cũ dubio ſuper negocio principali, aliud per Me proponi curarunt ſuper admiſſione articulorum ad effectum formiter examinandi Teſtes ſuper promiſſæ dotis ſimulatione uſque ad preſens non probatę, ut ex alia contemporanea deciſione coram Me ſuper negocio principali, cui quidẽ inſtantiæ DD. benigne annuentes, reſponderunt -- *Articulos eſſe admittendos, non retardata tamen exequutione mandati ab A.C. relaxati.*

Cum enim omnis juris ratio exigat in pro-
1 phanis probationes nunquam eſſe impediendas, ubi quomodocunque influunt ad deciſionem cauſæ, *Rot. deciſ. 280. num. 3. par. 19. rec. in Hydruntina Collectarum ſuper remiſſoria 17. Iun. 1715. §. fin. coram R.P.D. meo Cerro.*;
2 taliter ut articulorum admiſſio paſſim concedatur, etiam ſine fumo veritatis, quoties illorum relevantia concurrit, *Rot. in Romana Mercedis 26. Junii 1709. §. articulorum coram R. P. D. meo Aldrovando.*
3 De eadem materiæ articulatę relevantia ſatis in præſenti conſtare viſum fuit; dum iſti concernunt præambulam conventionem ad confectionem capitulorum matrimonialium, initam inter Comitem Malateſtam futurum ſponſum & Innocentium Calbetti dotis promiſſorem ex altera, quod vera dotis conſtitutio Euphemiæ iſtius filiæ non excedere deberet ſcut. 1000., quamquam in capitulis matrimonialibus ex poſt celebrandis conſtituta appareret in ſcut. 1500., quod que iſtiuſmodi augumentum fieret ad Pompam, & ut majori cum honorificentia Matrimonium
4 contraheretur. Probata autem pręambula hac conventione, ſtatim evanida fit omnis prætentio Com. Lamberti aſſerti creditoris in ordine ad d. ratam ſcut. 500. dotis ſibi promiſſæ, *Card. de Luc. de dot diſc. 24. num. 1. Rot. dec. 13. num. 1. par. 19. rec., & magis in terminis dec. 744. num. 3. coram Emerix Iun.*
5 Eo autem facilius Domini pro eorumdem articulorum admiſſione reſponderunt, quia præter illorum relevantiam, aderat fumus articulatæ conventionis deſumptus ex jurata atteſtatione Saceredotis Vinelli; qui fuit
6 mediator matrimonii propterea totius tractatus, & ſubſequutæ concluſionis optimè informati, ut reſpondit *Rota in Eugubina Dotis, & fructuum 17. Jun. 1712. §. Quin obſtet. coram R.P.D. meo Aldrovando, & in confirmatoria 14. Jun. 1713. §. jam vero coram Eminentiſſimo Scotto*, & ſignantèr
7 quia Sacerdotali charactere eſt inſignitus, *Rota in Romana donationis prima Martii 1709. §. Præcipuè coram bon. mem. Epiſcopo Labacen.*
8 Adſtipulatur quoque depoſitio Antonię de Perſonalibus, quæ audivit ab alio ejuſdem Matrimonii mediatore, nunc defuncti, ratam dotis ſc. 500. conſtitutam fuiſſe ad pompam, & õnia geſta fuiſſe prout narravit præfatus Vinellus mediator ſuperſtes, cui in iſtis circumſtantiis magis credendum venit, *Rota dec. 128. num. 6. par. 16. rec.*

Et ita utraque &c.

FIR-

FIRMANA DOTIS, ET ALIMENTORUM.

Lunæ 27. Iunii 1718.

ARGUMENTUM.

Dos non ſolum in caſu, quo bona libera nullimodè adſunt, ſed etiam quando ſunt intricata, de aſcendentali fideicommiſſo detrahenda eſt, utque congrua dicatur, regionis conſuetudo, quantitas Patrimonii, & perſonæ qualitas ſpectandæ ſunt, quod idem circa alimentorum taxam procedit.

SUMMARIUM.

1 *Dos detrahitur ex fideicommiſſo aſcedentali, maximè quando agitur de fæmina paupere & bona libera non adſunt.*

2 *Alimenta ex eodem, ſicut & dos, detrahuntur.*

3 *Dos conſtitui debet de bonis liberis, & in ſubſidium, ex aſcendentali fideicommiſſo detrahitur.*

4 *Mulier quando ſatis dicatur ſe excuſſiſſe bona libera, ut poſſit adverſus fideicommiſſum aſcendentale actionem pro dote revertere.*

5 *Hæres beneficiatus non prohibetur ſua credita adverſus hæreditatem deducere.*

6 *Aditio hæreditatis cum beneficio legis hæredem à jurium confuſione præſervat.*

7 *Mulier ut valide bona fideicommiſſaria perſequatur pro conſequenda dote, ſat eſt, quod bona libera intricata repererit.*

8 *Dos, ut congrua dicatur, ſpectanda eſt qualitas familiæ, quantitas patrimonii, & uſus regionis*, amplia, ut in n.10.

9 *Conſuetudo localis quoad conſtitutiones dotium probatur ex fide Civium.*

11 *Dos conſtituenda mulieri ultimæ de linea, in qua major fideicommiſſi pars diu ſtetiſſet, non ſecundum communes regulas taxanda eſt, ſed magis ample, ac remoto rigore Juris.*

12 *Alimenta, ſicut & dotes, juxta quantitatem, & Loci conſuetudinem taxantur.*

DECISIO MLXXVIII.

SUper ſucceſſione in bonis hæreditariis Joan. Baptiſtæ de Montibus grave fuit litigium inter plures perſonas, Mariam ſcilicet Bernardinam ejus ex fratre neptem, & donatariam, Pulcheriam, & Luciam illius ſorores, & hæredes ejus in teſtamento inſtitutas, ac Valerium, alioſque pariter de Montibus contendentes ſe, uti vocatos in fideicommiſſo Lutii ſenioris, illi ſucceſſuros, & in hoc judicio terminato per ſententias A. C. Cincii, quibus bona libera fuerunt dictis Pulcheriæ, & Luciæ uti hæredibus adjudicata, & bona fideicommiſſaria ex titulo antiquæ diſpoſitionis conceſſa memorato Valerio, & aliis de Montibus, non potuit Maria Bernardina obtinere, niſi generalem jurium reſervationem agendi pro dotis ſibi prout de jure, & quatenus de jure debitæ conſtitutione adverſus eadem bona fideicommiſſaria.

Experiri ſubindè cupiens hujuſmodi jura ſibi reſervata, & novum eadem Maria Bernardina Judicium inſtruxit contra præfatos fideicommiſſarios, petens ſibi etiam decerni congrua alimenta, & quoniam A.C. Cincius mandavit ſubdelegari Judicem in partibus pro firmatione ſtatus, à qua fortaſsè putaverat pendere Cauſæ definitionem, gravamen ſibi illatum extimavit, & habito recurſu ad Signaturam Juſtitiæ, obtinuit ſuæ inſtantię cognitionem mihi committi, quam hodie decidendam Dominis propoſui ſub Dubio -- *An, & in qua ſumma ſit conſtituenda dos, & alimenta* -- eique reſponderunt *Dotem eſſe conſtituendam in ſcut.2500., & alimenta in menſtruis ſcutis decem aſſignanda.*

1 Viſa quippe fuit habere intentionem ſatis fundatam ad utrumque effectum, tam conſtitutionis dotis, quàm aſſignationis alimentorum in qualitate fideicommiſſi, quod eſt aſcendentale, & in eo, quod nulla profectò alia bona ipſa poſſidet, quibus indigentię ſuæ valeat conſulere; in his enim terminis dubium non eſt, quin adverſus bona fideicommiſſaria agi permiſſum ſit, ex *Text in auth. res quæ C. commun. de legat.*, ut in terminis dotis firmat *Rot. dec.1034. num.1. cor. Emeris iun.*, *& in Melevitana dotis 18. Junii 1700. §. nulla habita coram bo. me. Muto*,

2 & in terminis alimentorum *dec.1131. num.5. pariter coram Emerix jun.*, *& in Romana Pecuniaria 17. Junii 1701. §. Hujuſmodi autem coram Rmo Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.*

Qualitas porrò fideicommiſſi, & deſcendentia Actricis à fideicommittente non impugnabatur, & in hac parte difficultas erat in eo ſolùm, quod conſequi valeat bona libera, quibus de congrua dote proviſa ſit ex titulo donationis ſibi factę per Joannem Baptiſtam ſupra memoratum, & ultimo loco defun-

3 ctum, proindeque debeat, priuſquam pro dotis conſtitutione ſe vertat contra fideicommiſſum, quod in ſubſidium tantummodo tenetur, excutere, & perquirere bona ſibi donata.

Sed facilis occurrebat reſponſio, quod

4 hujuſmodi excuſſioni ſatisfeciſſe dici debet, dum de viribus ejuſdem donationis diù actum fuit coram A. C. Cincio, & ex iſtius ſententia canonizata etiam ſucceſſive per ſignaturam Juſtitiæ cum clauſula *ſine prejudicio* bona Donantis fuerunt aliis adjudicata, hæredibus nempè teſtamentariis tam ex titulo teſtamenti concurrentibus in ipſius Mariæ Bernardinæ excluſionem, quam ex titulo plurium creditorum, & ſignanter alterius jàm dñi promiſſæ dotis, & non ſolutæ, quæ credita potuerunt jure meritò allegare, non obſtante qualitate hæreditaria, quia hæreditatem adiverant cum beneficio legis

5 & Inventarii, cujus effectus eſt perſervare hæredem à jurium confuſione, ad *Text. in l. fin.*

fin. §. *Et ſi præfatam*, *ibique DD. C. de iur. delib.* Rota 627. *num.*4. *coram Cerr. dec.*901. *num.*2. *coram Emerix iun.*, & *dec.*16. *nu.*3. *par.* 19. *rec.*

Satiſque erat pro effectu, de quo nunc agitur, quod jam de facto à bonis iſtis excluſa Actrix reperiretur, quodque ea ad alios devoluta poſſeſſores, & quidem mediante Judicis authoritate non admodum facile avocari poſſent, quando de cætero, ut illa
7 perſequi mulier non teneatur, ſufficit, ut aliqualiter ſint intricata, quemadmodum probat *Card. de Luc. de dot. diſc.*145. *num.*15. Rot. *in* Reatina *fideicom.* 7. *Martii* 1704. §. *Etenim coram* Reverendiſſimo *Molines*, & *in* Romana *dotis* 17. *Jun.*1712. §. *Et quidem coram Eminentiſ.* D. *Card. Scotto*.

Poſita ex his competentia actionis, reliquum erat tam dotem, quam alimentorum quantitatem conſtituere; & quantum ad do-
8 tem attinet, cenſuerunt DD. illam in minori quantitate ſcut.2500.comprahenſo acconcio conſtitui non poſſe, ita quippe ſuadebant tam mos regionis, quam familiæ qualitas, ejuſque ſolitum, quam etiam quantitas patrimonii, quæ in his terminis ſpectanda docent *DD. in l. cum poſt* §. *Gener. ff. de jur. dot. Menoch. de arbitr. caſ.*149. *Car. de Luc. diſcurſ.*144. *num.*9. *cum plurib. ſeq. de dot.*

Et quidem de quantitate patrimonii plura concurrebant documenta demonſtrativa
9 illud eſſe admodum pinguè, de Civitatis Firmanæ conſuetudine teſtimonium perhibebant plures ex principalioribus Civibus ajentes circà ſc.3000. ſolitos ipſos dare, & recipere dotes, de qualitate familiæ nulla erat quæſtio, quin ſatis diſtincta eſſet, & illu-
10 ſtris, & de ſolito ejuſdem familiæ conſtabat præceteris ex eo, quod Jo.Bernardinus Avus Mariæ Bernardinæ actricis, tempore, quo nec luxus modū excreverat, neque ideó dotes adeo pingues pro nubentibus requirebantur, licet gravatus numeroſa prole decem filiorū, inter quos quatuor erant fœminæ, ipſis conſtituit dotē ſc.1500; ducto autem argumento ab uno ad alium caſum, facile conijcitur, quod dici exceſſiva non poſſit ſupradicta quantitas pro dote unicæ fœminæ, & his temporibus conſtituenda, ut advertit *Mantic. de tacit. lib.*12. *tit.*21. *num.*4. *Menoch. de arbitr. caſ.* 169. *num.*2. *Card. de Luc. de dot. diſc.*12. *n.* 2. Rot. *coram Duran. dec.*26. *nu.*15., & *poſt Salgad. in labyrinth. credit. dec.*27. *n.*41., & *dec.*150. *n.*11. *par.*9. *rec.*

11 Eoque ſemper minùs dicta quantitas exceſſiva videri poterit, ſi reſpectus quoque habeatur ad eam peculiarem facti circumſtantiam, quod eadem actrix eſt unica fœmina, imò ultima ſuperſtes ex ea linea, in qua fideicommiſſum diù fuit pro non modica ſaltem ipſius parte, ex quo etiam fit, ut pro illa benignior in hoc judicio capienda ſit interpretatio, & remiſſus eſſe debeat rigor, cū quo in aliis ceteroquin caſibus procedendum eſſet, *Card. de Luca de dot. diſc.*40. *n.*3. Rot. *dec.*135. *n.*6., & 7. penès *Torr. de pact. dec.*236. *n.*8. *coram. Benincaſa*, & *in Rom. fideicommiſſi de Goggis* 4. *Februarii* 1699. §. *Minuſque cor. bo.me.Pio*,

A quantitate dotis ad qualitatem alimen-
12 torum deſcendendo, placuit DD. illa aſſignare in menſtruis ſc.10. perpenſis iiſdem omnibus circūſtantiis, qualitate ſcilicet perſonæ alendæ, ſolito Civitatis, & quantitate patrimonii, cum quibus etiam in conſtituenda dote proceſſerant, & ex quibus alimentorum etiam taxandorum regula ſumenda eſt, juxta plenè firmata *dec.*475. *nu.*28. *dec.*562. 10. & *dec.*639. *n.*3. *par.* 19. *rec.*

Et ita reſolutum fuit ſuperaddito etiam quod Mariæ Bernardinæ interim ſubminiſtrentur ſc.50. in cauſam declarandam utaque &c.

ROMANA LOCORUM MONTIUM SUPER FRUCTIBUS.

Lunæ 27. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Poſſeſſor locorum Montium fideicommiſſariorum in mala fide ex ſcientia fideicommiſſi conſtitutus, à die purificationis eorumdem fructus Vocatis reſtituere tenetur.

Fideicommiſſum particulare ſemper præſumitur à Teſtatore impoſitum ſuper illis bonis, erga quæ, dum vixit, fuiſſet ſemper precipua affectione ductus, potius quam ſuper ceteris aliis minus ſibi caris; quod etiam ex prohibitione detractionum deducitur, quam imperative ſuis hæredibus quoad illa injunxiſſet.

SUMMARIUM.

1 *Fructus locorum montium particulari fideicommiſſo ſubjectorum à die purificationis veniunt ab illo poſſeſſore vocatis reſtituendi, quando ſcientiam de tali fideicommiſſo habuiſſet.*

2 *Fideicommiſſum particulare ſemper dicitur potius conſtitutum ſuper illis bonis, quæ magis cordi teſtator habuiſſet.*

3 *Amplia, ſi ſuper his eiſdem detractiones quaſcumque fieri unquam noluiſſet.*

4 *Detractiones ex fideicommiſſo particulari non ſolent fieri.*

5 *Fideicommiſſum particulare per ſententiam canonizatum tale, dicitur clarum.*

6 *Amplia, ut eo minus impugnari poſſit ab illo, qui talem ſententiam acceptaſſet.*

7 *Ignorantia fideicommiſſi ſuper locis montium non poteſt allegari ab eorum poſſeſſore, quando in litteris patentibus illud appareret deſcriptum.*

8 *Bona fides poſſidendi loca montium fideicommiſſaria non poteſt allegari, & fundari ſuper dubietate ejuſdem fideicommiſſi;* & *quare?*

9 *Fideicommiſſum non excluditur per dubietatem, qua laboraret, ad effectum inducendi*

cendi bonam fidem in poſſeſſore bonorum illi ſubjectorum.

10 *Nil adeo clarum & certum reperitur, quod per intellectuales ſubtilitates diſputari non poſſit.*

DECISIO MLXXIX.

POſtquam DD. Marchio, aliique fratres de Caſalibus geminas favorabiles in noſtro Auditorio obtinuerunt ſententias latas à Reverendiſſimo P. D. Anſaldo Decano, & ſucceſſivè à Me ſuper immiſſione ipſis debita ex perſona bo. me. R.P. D. Bernardini eorum patrui ad loca montium ſubjecta vinculo particularis fideicommiſſi conditi à Sertorio Sen. de Theophilis ſuper ejus domo magna, & poſtquam etiam viderunt à pluribus dd. locorum montium poſſeſſoribus eaſdem ſententias acceptatas fuiſſe, aſſumi curarunt cognitionem in prima ſententia Reverendiſſimi Decani raſervatam poſt condemnationem in genere ad fructuum reſtitutionem; An, & à qua die illi deberentur: hinc propterea dubium hodie propoſui conforme eorum petitioni -- *An, & à qua die debeantur fructus* -- Cui, Actoribus tantum jura ſua deducentibus, Reis verò pluries debito tempore monitis, ſed non comparentibus reſponſum fuit -- *Pro informante, deberi* ſcilicet fructus *à die purificationis fideicommiſſi.*

1 Satis enim conſtitit in præſenti agi de fideicommiſſo particulari, & concurriſſe illius ſcientiam in poſſeſſoribus locorum montium illi ſubjectorum, quibus poſitis, deberi Vocatis ad idem fideicommiſſum fructus à die ſecutæ hujus purificationis plenè deciſum fuit *in Romana immiſſionis ſuper fructibus* 27. *Junii* 1708. §. *Cum enim, & ſeqq. confirmata* 14. *Junii* 1709. §. *Nec obſtat cor. Me*, & nuperrimè in alia *Romana immiſſionis ſuper fructibus* 15. *Martii ſuperioris anni* §. *Quamobrem Domini, & per tot coram R. P. D. meo Rouault de Gamaches.*

2 Quod verò ageretur de fideicommiſſo particulari, non ſolum oſtendebatur ex littera diſpoſitionis Sertorii ſenioris de Teophilis, in qua certiſſima eſt enixa Teſtatoris affectio perpetuandi ſemper in ſucceſſoribus uſque in infinitum domum magnam, in cujus vicem ſubrogata fuerunt loca montium, de quibus agitur, & in qua ipſius nomen, & inſignia, ejuſque Avunculi majoris, tam ſculpta, quàm depicta reperiebantur, quod votum perpetuationis derivans ab expreſſa cauſa hujus affectionis ad inducendum fideicommiſſum particulare plurimum valet, ut arguit *Rot, dec.* 245. *n.* 3., *& per tot par.* 19.

3 *rec.*, addita etiam, præter generalem prohibitionem alienationis omnibus bonis in dictam, ſpeciali per ſingularem diſpoſitionem demandata, cum exceptuatione cujuſcumque Dotis, Legitimæ, & Trebellianicæ, quas declaravit Teſtator poſſe tamen detrahi ex aliis ejus bonis, quod pariter argumentum eſt ſatis validum pro inducendo fidei-

4 commiſſo particulari, cum illius indoles talis de facto ſit, ut ex eo hujuſmodi detractiones non fiant, *Rot. dec.* 218. *n.* 6. *& ſeqq. p.* 15., *dec.* 375. *n.* 8. *p.* 17., *& dec.* 613. *n.* 34. *p.* 18. *rec. cum aliis in Bononien, fideicommiſſi de Volta* 7. *Aprilis* 1704. §. *Quia ultra coram Em̃o D. Card. Priolo-*

5 Verum etiam id in præſenti extra controverſiæ aleam erat ex eo, quod dum jam tam in Deciſionibus editis coram *Rm̃o P. D. meo Decano* 4. *Junii* 1714., *& cor. Me* 28. *Novembris ejuſdem anni*, *&* 22. *Junii* 1716., quàm in ſententiis ſucceſſivè latis idem fideicommiſſum particulare canonizatum reperitur, ut præſertim patet ex prima ſententia *in Actorum Summ. num.* 1. ibi *Sententiamus DD. Jo. Baptiſtam, & Fratres de Caſalibus Succeſſores bo. mem. R. P. D. Bernardini, in quo uti &c. purificatum fuit, dum vivebat particulare fideicommiſſum ſuper d. domo magna &c. immittendos fore &c. in poſſeſſionem ſupradictorum locorum montium provenien. à pretio d. domus magnæ particulari fideicommiſſo, ut ſupra ſuppoſitæ &c.* Unde, cum ipſimet Rei hodie Conventi per publicum inſtrumentum judicialiter acceptaverint huiuſmodi deci-

6 ſiones, & ſententias, utique non poſſunt amplius huiuſmodi fideicommiſſi qualitatem impugnare, ex plenè deductis in *deciſ.* 522. *n.* 15. *cor. Bich.*, *dec.* 129. *n.* 101. *p.* 12. *rec.*, *dec.* 95. *n.* 2., *& dec.* 253. *n.* 20. *p.* 18. *rec.*

7 Non minus evidens erat ſcientia iſtius fideicommiſſi in poſſeſſoribus locorum montium, quia in ipſis litteris patentibus eorum favore expeditis diſtincta, & plenaria relatione enunciatur inſtrumentum venditionis domus factæ de anno 1634. vigore Brevis ſa. mem. Papæ Urbani VIII., in qua venditione enarratur per extenſum fideicommiſſum particulare, cui eadem domus erat ſubiecta, & declaratur in iiſdem litteris Patentibus, quod loca montium proveniunt à d. venditione, & ſtent, & ſtare debeant pro fideicommiſſo D. Sertorii de Theophilis, *& alias in omnibus, & per omnia juxta tenorem, & formam inſtrumenti d. venditionis*, quæ quidem adeo expreſſa ad fideicommiſſum relatio, illius ſcientiam clarè convincit, ut ad hunc præciſum effectum in fortioribus terminis dictum fuit *in allegata Romana immiſſionis ſuper fructibus* 15. *Martii* 1717. §. *In dubium cor. R. P. D. meo de Gamaches.*

8 Abſque eo quod confugi poſſet ad eiuſdem fideicommiſſi dubietatem pro excuſandis iiſdem poſſeſſoribus ex capite bonæ fidei, deducendo ad hunc effectum, quod ſuper eodem fideicommiſſo contrariæ prodierunt Deciſiones *coram bon. mem. Benincaſa.* Etenim eo tunc egit ad immiſſionem ad loca montium controverſa Olympia de Theophilis, quæ uti fœmina meritò potuit excludi, ſed agente ſucceſſivè R. P. D. Bernardino

nardino, uti filio natu maiore Margharitæ, & ex eius perſona D'Marchione, aliiſque eius Nepotibus, Sacra Rota fideicommiſſum, ut ſupra dictum eſt, tribus Deciſionibus, & binis Sententiis canonizavit, & admiſerunt hodierni Rei conventi, renunciando liti, dictaſque Deciſiones, & Sententias
9 acceptando; quod ſi verò fuit diſputabile, non inde ſequitur, quod clarum dici non poſſit, aut prætendi à contrario dubium,
10 nam nullum eſt unquam adeo clarum, & certum, quod per intellectuales ſubtilitates diſputationem pati non poſſit, ex iis, quæ adnotavit Rota *in Faventina Fideicommiſſi & Tranſactionis 5. Maii 1713. §. Ex quibus cor. Emo D. Card. Scotto*, & ſubdit in his terminis allegata *Romana immiſſionis ſuper Fructibus §. Nam pro, & ſequen. cor. R. P. D. meo de Gamaches.*

Et ita unica &c.

ROMANA PECUNIARIA.

Lunæ 27. Iunii 1718.

ARGUMENTUM.

Tranſactio bona fide facta ab Æconomo appoſito ſuper aliquo affictu cum iſtius debitoribus, & fideiuſſoribus, diuque obſervata ſicut affictuarium ligaret, à fortiori eius heredem tenere debet.

Fideiuſſor per innovationem inter creditorem & debitorem ſequutam remanet liberatus, necnon hæres defuncti factum ſervare tenetur.

SUMMARIUM.

1 *Tranſactio parit exceptionem litis finitæ, quamcumque perimet actionem, & agentem à judicii limine repellit.*
2 *Hæres defuncti factum ſervare tenetur*, & num. 60.
3 *Circuitus inanis in judiciis ſemper vitandus eſt.*
4 *Quietantia facta cum verbis univerſalibus, & indefinitis nullam limitationem, nec reſtrictionem patitur.*
5 *Quietantia facta favore adminiſtratoris pro toto adminiſtrationis tempore non dici poteſt reſtricta ad aliquos tantum annos ex inſertione folii demonſtrativi, quod aliquorum annorum tantum debitum panderet, quando eadem inſertio ad eandem demonſtrandam reſtrictionem facta non fuiſſet*; & vide caſum.
6 *Tranſactio approbata à defuncto, nequit ab eius herede impugnari, cum illius factum ſervare teneatur*, amplia, ut in n. 20.
7 *Tranſactio non retardatur per exceptiones turbidas ad ſuum congruum iudicium remittendas.*
8 *Amplia, quando agitur de tranſactione ex cauſa valida, & iuſta ſequuta.*
9 *Creditum non dicitur liquidum, quando conſtituitur ex pretio illiuſmet rei, quam creditor apud ſe retinet, & debitori nunquam tradidit.*
10 *Venditor rem, & pretium retinere non poteſt.*
11 *Fideiuſſor non obligatur ad ea, quæ debitor à creditore non recepiſſet.*
12 *Fideiuſſor per novationem contractus inter creditorem, & debitorem liberatur.*
13 *Liber favore ſcribentis fideiuſſionem factam non probat.*
14 *Innovatio ex quibus actibus inter creditorem, & debitorem geſtis inducta dicatur, ad hoc, ut fideiuſſor à ſua fideiusſione poſſit dici liberatus.*
15 *Obligatio ſine conſenſu obligati non oritur.*
16 *Æconomus, qui ſit vir ſagax, & ſolers non præſumitur ſine utilitate ſuæ æconomiæ ad tranſactionem cum fideiuſſoribus eiuſdem deveniſſe.*
17 *Tranſactio etiam ex dubio litis eventu ſuſtinetur.*
18 *Tranſactio diù obſervata, & ab obſervantia vim deſumens rite facta præſumitur.*
19 *Adminiſtrator à lege deputatus habet facultatem tranſigendi ſuper re adminiſtrata, ſicut adminiſtrator à Judice electus.*

DECISIO MLXXX.

Inter cæteros ſubconductores, quos habuit Carolus Panconeſius in Appaltu Generali Pulveris Nicoſiani, vulgò *Tabacco*, ſuſcepto ſub anno 1684. ad novennium, numerabatur etiam Philippus Lucatellus, qui ſub certis conditionibus, pluribuſque pactis ſe ingeſſit in tali negocio, & non modicæ ſubinde ſummę debitor fuit. Durante adhuc Appaltu, fuit ad inſtantiam Ceduliſtæ à R. P. D. Theſaurario (ex quo ejus etiam debitum plurimum excreverat) Panconeſio deputatus in Oeconomum Cæſar Sacchius, qui vigore ſuæ deputationis res omnes ad idem negocium concernentes rite, recteque compoſuit, tranſegitque præ cæteris ſub anno 1688. cum Petro Jacobo Patriarca, tamquam d. Lucatelli fidejuſſore, ſubindeque anno 1697. à Felice Uxore, & cohærede relicta à dicto Carolo Panconeſio, tam nomine iſtius proprio, quàm uti Tutrice Annæ filiæ alterius hæredis, finalem ſuæ adminiſtrationis quietantiam reportavit.

His tamen non attentis eadem Anna vocavit in judicium coram A. C. Cincio Angelam Salandram Patriarcam uxorem, & hæredem memorati Petri Jacobi pro ſolutione integræ ſummę ſcutor. 2930. in qua præcisè debitor conſtitutus prætendebatur Caroli ſui Patris Philippus Lucatellius, obtinuitque ab eodem Judice relaxari mandatum pro ſcutis 570. *pro nunc*, reſervatis ſcilicet juribus pro reliqua quantitate. Adverſus quod, cum obtinuerit Angela commiſſionem mihi directam à Signatura Juſtitiæ cum clauſula *Si quid exequendum*, bina concordata fuerunt dubia, alterũ reſpiciens mandatum ut ſupra relaxatum, & alterum reſpiciens novũ mandatum petium ab Anna pro reliqua ſumma per Judicem à Quo preſervata, iiſ-

que propoſitis in hodierna Audientia, reſponſum in omnibus fuit favore Angelæ; primò ſcilicet, de quo in præſenti Deciſione -- *Mandatum A.C. non eſſe exequendum* -- & alteri de quo in contemporanea pariter Deciſione, *negative*.

Quo igitur ad primum, quamvis pro ſui defenſione plura cumularet Angela fundamenta, tum defectus viæ executivæ, qua conventa fuit coram A. C., quàm defectus obligationis fidejuſſoriæ à ſuo Viro, & anthore contractæ, ſine qua nulla competiiſſet
1 actio Annæ Panconeſiæ, adhuc ratio reſolutionis in eo tantum reſedit, quod ſub anno 1688. inter Cæſarem Sacchium Oeconomum Deputatum Panconeſio, & Patriarcam deventum fuit ad tranſactionem, in qua prævia ſolutione ſcutorum 130. & relaxatione totius ejus quantitatis Pulveris Nicoſiani, ſeu Tabacci, quam, juxta conventa in inſtrumento ſubconductionis Lucatellius recipere debebat, ſed non receperat ab appaltu, plenariè idem Patriarca abſolutus, & liberatus fuit. Hæc autem tranſactio, parit exceptionem litis finitæ, perimit quamcumque actionem, & agentem repellit à limine judicii, ad *Tex. in leg. non minorem, Cod. de tranſact., Rot. dec. 573. nu. 2. & ſeqq. cor. Emer. jun., in Piſauren. tranſactionis 21. Februar. 1707. §. Nullus cor. Eminentiſſimo D. Cardin. Priolo, & in Romana, ſeu Tuſculana Tranſactionis 11. Maii 1711. §. Ex his coram Reverendiſſimo Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.*

2 Et obſtat hujuſmodi tranſactio etiam Annæ hodiernæ Actrici, quippe quia ipſa hæres eſt Felicis ejus Matris, quæ favore Sacchii Oeconomi ſubinde de anno 1697. finalem quietantiam exaravit de geſta per ipſam adminiſtratione, promittendo illam ratam, & gratam quandocumque habere, contraque non facere, & alias ad omnia damna teneri. Unde ſi liceret hodie Annæ impugnare tranſactionem ab eodem Sacchio initam cum Patriarca, iſte ſe verteret contra eundem Sacchium à quo prius fuerat liberatus, & ipſe Sacchius illico actionem retorquere poſſet contra Annam hæredem Felicis ejus Matris, & Tutricis ad hoc, ut in vim finalis quietantiæ ejus favore expoſitæ liberaret illum à moleſtiis illatis per Patriarcam, ac defunctæ Matris, & Auctricis factum, atque obligationem ſervaret, & ſic
3 fieret inanis circuitus, omnino, præſertim in judiciis ſemper vitandus, juxta vulgat. jura de quibus *in Tuſculana Fideicommiſſi 23. Jun. 1698. §. Ejuſdem cor. Me, & in Bononien. Fideicommiſſi de Gbiſleriis ſuper reintegratione 23. Martii 1711. §. Quidquam coram Eminentiſſimo D. Card. Scotto*, & paſſim alibi.

Abſque eo quod hujuſmodi obſtaculi efficacia ullatenus elidi poſſet illa animaverſione, quod in ſupraſcripta Sacchii quietantia per Tutricem expleta, habita non fuerit ratio, niſi de ultimis ſeptem annis ejus adminiſtrationis, computa incipiendo ab anno 1691., non autem de annis antecedentibus, & ſic nullatenus comprehendi in illa valuerit actus tranſactionis factæ cum Patriarca de anno 1688.

Contrarium enim, nempe quod univerſum tempus geſtæ adminiſtrationis comprehendat, reſultat ex illius perluſtratione,
4 non ſolum namque enarratur in eo aſſumptio ipſius adminiſtrationis, & pluries habetur ratio de toto tempore, quo fuit illa per Sacchium exercita cum aſſertione, quod ſemper ſedulo & diligenter ſe geſſerat, ſed etiam in actu ipſo concludendæ ſolidationis & quietantiæ profitetur Felix Tutrix illam exaratam intelligi debere -- *di tutta l'amminiſtratione, & economia da eſſo come ſopra fatta &c.*, quibus ſane verbis, quid clarius pro excludenda quavis reſtrictione, juxta regul., de qua *Tex. in L. Julianus in principio ff de legat. 3., & cum aliis dec. 615. n. 3. p. 19. rec. tom. 2.*

5 Nec reſtrictionis ejuſdem argumentum deſumi valuit ex notula in fine ejuſdem inſtrumenti quietantiæ inſerta, & dictos tantum ſex annos verè reſpiciens, quia illa, non ad illum effectum, qui contrarius eſſet tenori, & litteræ inſtrumenti, appoſita dici debet, ſed ad effectum tantum declarandi reſiduum debiti ipſius Sacchii, quod fortaſſe non incipiebat, niſi ab anno 1691., cum Paritæ debiti, & crediti antecedentium annorum eſſe poſſent peræquatæ, nec relatione ulla indigerent, alias namque ſequeretur inſtantanea correctio præcedentis generalis, & nullo modo reſtrictæ ſolidationis, quæ non debet admitti, ad *Tex. in L. ubi repugnantia ff. de regul. jur.*

Minuſque de medio tolli valuit efficacia, ſeu impedimentum, quod præſtat hodiernæ actioni inſtrumentum aliud tranſactionis initæ inter Sacchium ſæpedictum, & Patriarcam aſſertum fidejuſſorem Lucatelli, & auctorem Angelæ, ex eo quod facta fuerit hujuſmodi tranſactio læſivè nimis ſuper debito ſatis claro cum exceſſiva ingentis ſummæ remiſſione, & nulla impellente cauſa.

6 Præter enim quod ſuppoſita præmiſſa approbatione Tutricis, & auctricis etiam Annæ omnium geſtorum à Sacchio tempore ſuæ adminiſtrationis, & ſic hujus quoque tranſactionis, non poteſt eadem Anna hujuſmodi hodie exceptiones deducere, cum illius factum ſervare teneatur, ad *Tex. in L. Cum à Matre Cod. de rei vindicat.*, quod-
7 que etiam proponi illæ non poſſunt in præſenti judicio, in quo ſemper vim habet eadem tranſactio excludendi quamcumque actionem, & creditum, ſed eſſent in ſuo magis congruo judicio reſciſſionis examinandæ, ut inquit *Rot. dec. 1270. nu. 1. cor. Emer. jun. in Bononien. tranſactionis 20. Maii 1709. §. Cum enim coram Me. & in Romana, ſeu Tuſculana tranſactionis 11. Maii 1711. §. Et ex his cor. Rmo Molines magn. Hiſpan. Inquiſit.*

Adhuc

8 Adhuc etiam omnis difficultas removeba-
tur, attento quod in ipſa tranſactione ſatis
validæ referuntur cauſæ, propter quas de-
monſtratur, & creditum Panconeſii, pro
quo Sacchius Oeconomus tranſigebat, fuiſſe
totaliter illiquidum, & ſummam non fuiſſe
in illa quantitate, quæ hodie petitur, &
plures concurriſſe rationes, ex quibus utile
fuit ad illam devenire.

9 Et ſanè, quod attinet ad creditum, etiamſi
illud quoad Lucatellium verè conſtitiſſet in
ſcutis 2200. circiter uſque ad diem tranſa-
ctionis, adhuc occurrebat difficultas in il-
lius liquidatione, quod è contrario Panco-
neſia habebat in manibus libras 5891., ut
aiunt *di Tabacco lavorato*, & libras 83. *di
Braſile*, quas obtinere debuiſſet idem Luca-
tellius ratione ſuæ ſubconductionis, quæ
porro pulveris Nicoſiani quantitas erat in
iſtius exgravium valutanda, ne cæteroquin
10 Panconeſia rem, & pretium obtinere vide-
retur, ut in propoſito advertit *Rot. dec.* 125.
11 *nu.* 13. *cor. Bich.*, minuſque pro rata iſta
Tabacci non conſignati teneri poterat
Patriarca fidejuſſor, ad *Text. in L. Julia-
nus §. Offerri de act. empt.*, *Gratian. diſ-
cept.* 325. *n.* 3., *ibique Carol. Anton. de Luc.
n.* 1., *Card. de Luc. de uſuris diſc.* 14. *n.* 4. *cum
ſeqq.*

Non fuit itaque ingentis ſummæ remiſſio
illa, quæ facta fuit Patriarchæ in recenſita
tranſactione; quippe quia correſpectivè ad
ſuam liberationem condonavit ipſe Panco-
neſiæ, ſeu Sacchio Adminiſtratori dictam
quantitatem Pulveris Nicoſiani cæteroquin
vel ſibi, vel Lucatellio principali debitori
debitam, & perſolvit de proprio ſcuta 130.

Minor verò non erat exceptio ipſiuſmet
Patriarchæ quoad actionem pro dicto credi-
to contra ſe exercendam. Vel enim conten-
debat ſe nullatenus teneri, quia nunquam
12 fidejuſſiſſet, vel novationem ſecutam fuiſſe
poterat allegare, propter quam fuiſſet ipſe
liberatus. Quod nullatenus teneretur non
ſine rationis fundamento inde valebat de-
13 ducere, quod nullum inſtrumentum ſoli-
dalis, ſeu acceſſoriæ ejus obligationis um-
quam fuerat exaratum, & ſola ipſius deſcri-
ptio uti fidejuſſoris in libris Panconeſii hu-
juſmodi obligationem non valebat induce-
re, cum ſcribentis favore nullam probatio-
nem conſtitueret, ad *Tex. in L. fin. Cod. de
conveniend. Fiſc. debit. lib.* 10., *Rocca diſ-
put.* 77. *nu.* 10., *Card. de Luc. de regal. diſc.*
151. *n.* 14., *Rot. cor. Emerix jun. dec.* 1112.
n. 1., & *ſeqq.*

14 Quodque fuiſſet inducta novatione libe-
ratus, inde pluſquam juridice prætendi po-
tarat, quod interdicta adminiſtratione ſuæ
apothecæ Lucatellio, pro quo ille fidejuſſe-
rat, fuit in ea deputatus adminiſtrator, ſeu
Oeconomus, qui nomine Appaltus Generalis
illam exerceret, & licèt in actu talis depu-
tationis fuiſſet ab initio citatus etiam Pa-
triarca, ſucceſſivè tamen alii plures in dicta
adminiſtratione modò fuerunt intruſi, modò
remoti ſine ulla d. Patriarchæ fidejuſſoris
ſcientia, participatione, & conſenſu, itaut
meritò poſſet ille opponere ſe liberatum ob
mutationem perſonarum abſque ſuo conſen-
15 ſu, ſine quo quiſquam obligari non poteſt,
ut latè probant *Henrig. de fidejuſſ. cap.* 20.
n. 1. & 2., *Rocca diſput.* 120. *n.* 40., & *ſeqq.*,
Sulgad. in Labyrinth. credit. p. 1. *cap.* 9. *n.* 76.
cum ſequen. Vrceol. dec. Florent. 21. *à n.* 46.,
& *Rot. noſtra dec.* 11. *n.* 4. *cor. Doran.*

16 Ex quibus ſatis ſuperque evidens fit Sac-
chium, Virum cæteroquin ſolertem, & de
ſua diligentia ab ipſa Panconeſiæ auctrice,
ut ſupra dictum eſt, aliàs commendatum,
non oſcitanter ſe geſſiſſe in tranſigendo cum
Patriarcha, qui tot, tantaſque jam paraverat
exceptiones, ut præter ejus ſolvendo inha-
bilitatem expreſſam in eadem tranſactione,
coegiſſet aſſumere cum eo litem, cujus pro-
17 fectò dubius fuiſſet eventus, & periculoſa
totius amiſſio, quod ad ſubſtinendas tranſa-
ctiones exuberat, *Gloſſ. in l. cum hi verb. mo-
dico ff. de tranſact.*, *Saminiat. controv.* 143.
n. 39., *Valeron. de tranſact. tit.* 1. *q.* 7. *nu.* 8. &
9., *Rot dec.* 163. *n.* 14. *cor. Merlin.*, & *dec.* 461.
n. 15. *p.* 19. *rec.*, & *in Piſauren. tranſactionis
ſuper bono jure* 1. *Julii* 1707. §. *Conſtito cor.
Emo D. Card. Priolo.*

18 Eoque magis hæc omnia attendenda ſunt
pro tranſactionis efficacia, & validitate
ſubſtinenda, quia iſta impugnatur, poſtquam
fuit triginta circiter annis pacificè obſervata;
quæ porrò obſervantia plurimùm confirmat
præſumptionem ejus juſtitiæ, veritatis cau-
ſæ, & bonæ fidei, *Rot. in Januen. tranſac-
tionis* 15. *Decembis* 1704. §. *Quæ omnia cor.
bon. me. Omanna*, & *in Romana Fideicom-
miſſi de Maximis ſuper quarta ſubrogatione
quoad Legata Fulviæ* 2. *Maii* 1710. §. *Tan-
tò magis coram Eminentiſs. D. Cardinali
Scotto.*

Inutile demum fuit in controverſiam re-
vocare facultates tranſigendi in Sacchio
Oeconomo per R. P. D. Theſaurarium tunc
19 temporis deputato; quia ſicuti adminiſtra-
tor à lege deputatus hujuſmodi actus poteſt
explere, ita etiam poteſt legitimè deputatus
à Judice, qui legum eſt executor, ut probant
Andreol. controv. 432. *n.* 12., *Vrceol. de tran-
20 ſact. q.* 12. *nu.* 28., & de facto fuit talis ap-
probatus non ſolum ab aliis quamplurimis
perſonis, qui cum eo contractus, & tranſa-
ctiones uti adminiſtratore, ſeu Oeconomo
geſſerunt, ſed etiam ab ipſa Annæ actrice in
ſæpedicto quietantiæ inſtrumento, itaut re-
currat principium illud, quod neque id ei
liceat amplius impugnare.

Et ita utraque &c.

EADEM CORAM EODEM SUPER NOVO MANDATO.

Lunæ 27. *Junii* 1718.

ARGUMENTUM.

Habes in Summario.

SUMMARIUM.

1 *Tranſactio litis finita parit exceptionem, & actionem quamcumque perimit.*

2 *Judicium, quod efformatur de credito principali, efformatur quoque de acceſſorio.*

DECISIO MLXXXI.

Commiſſa mihi cognitione validitatis, & juſtitiæ mandati relaxati per A.C. Cincium contra Angelam Salandram favore Annæ Panconeſiæ pro certa tantum ſummam ſcutorum 570., licèt ſe in longè majori quantitate creditricem prætenderet, voluit iſta contemporaneè experiri ſua jura etiam pro reſiduo, proptereaque una cum dubio executionem dicti mandati reſpiciente, curavit hodie per me proponi aliud quoque -- *An, & pro qua ſumma ſit relaxandum novum mandatum* -- ſed contrariam paſſa reſolutionem ſuper primo, non diverſum ſortita fuit exitum ſuper hoc ſecundo, reſcribentibus DD. *negativè*.

1 Non minus quippe Domini cenſuerunt obeſſe petitæ executioni mandati jam ab A. C. relaxati, quam petitioni alterius novi conſimilis mandati pro uno eodemque credito tranſactionem initam inter Patriarcham authorem Angelæ, & Cæſarem Sacchium Oeconomum deputatum pro Appaltu Pulveris Nicoſiani Carolo Panconeſio ejuſdem Annæ pariter auctori, quia illius tranſactionis virtute omne debitum Patriarchæ caſſatum, & remiſſum fuit, extititque perempta omnis actio ad ſolutionem illius ulterius expetendam, ut probant auctoritates allegatæ in mea contemporanea Deciſione §. *Quo igitur.*

Ad quam quidem Deciſionem pro evitanda inutili eorundem fundamentorum, & jurium repetitione in excludenda quavis Annæ actione, & prætenſione, Domini ſe ſe relativè habuerunt. Agitur enim de uno eo-
2 demque credito, ut dictum eſt; ideoque idem iudicium, quod fuit efformatum de principali iſtius crediti inſpectione ſervari, & efformari debet etiam de acceſſoria, iuxta regulam, de qua *text. in cap. acceſſorium de regul. jur. in 6. Rot. coram Rmo P.D. meo Anſaldo Decano dec. 71. nu. 7. in addit., & paſſim.*

Et ita utraque &c.

URBEVETANA IMMISSIONIS

Lunæ 27. Junii 1718.

ARGUMENTUM.

Immiſſio datur etiam ſuper bonis ad manus mortuas devntis, quando hypotecis anteriorum Creditorum reperiuntur affecta, cum ex debitoris, vel tertii facto creditor minimè præjudicetur.

SUMMARIUM.

1 *Immiſſio, tribus neceſſariis probatis extremis concedenda eſt,* amplia, ut in num. 12.

2 *Inſtrumentum publicum facit probationem probatam.*

3 *Poſſeſſio penes reum conventum ex litis ſubſtentatione probatur.*

3 *Poſſeſſio antiqua penes debitorem bonorum ſtabilium probatur ex illorum venditione ab eodem debitore facta.*

4 *Poſſeſſio capta titulo venditionis reportatæ, continuata præſumitur.*

5 *Poſſeſſio penes reum conventum ex litis ſubſtentatione probatur.*

6 *Immiſſio petita ſuper fundo, quod ad manus loci Pii deveniſſet, nequit ſub hoc prætextu retardari, cum talis incorporatio, uti factum tertii, creditori non præjudicat.*

7 *Amplia ut tali creditori ſuccurratur remedio mandati executivi contra eumdem locum pro annua quantitate penſionibus correſpondente, quas creditor percipere potuiſſet, ſi tale corpus ad Eccleſiæ manus non pertranſiſſet.*

8 *Reſolutiones rotales, quando à debitore veniant præſupponendæ.*

9 *Poſſeſſio antiqua domus, ſeu prædii penes debitorem, moderna penes Reum conventũ ad effectum reportandi immiſſionem probata remanet. per demonſtrationes ex venditionum inſtrumentis illorum tranſitus de uno ad alium poſſeſſorem denotantibus;* amplia ut in num. ſeq.

10 *Identitas rei ad eundem effectum probatur ex deſignatione confinium, quę uniformis in unoquoque venditionis Inſtrumento reperiretur.*

12 *Ceſſionarius per dimiſſionem creditoris cedentis ad effectum agendi contra debitorem ceſſum, in omnibus illius Juribus ſubingreſſus intelligitur.*

13 *Debitor, qui ſuum creditorem recognovit, non poteſt de hujuſmodi ſuo debito adverſus illius ceſſionarium excipere.*

DECISIO MLXXXII.

Relevationem ſibi debitam pro fructibus Cenſus pluries in magna quantitate ſolutis à Comite Franciſco Clementino, & Catharina ejus Matre, nec non à Com. Hieronymo ejuſdem Franciſci hærede ratione fideiuſſionis in d. Cenſu præſtitæ pro Comitibus Gaſpare, & Octaviano de Marſciano Principalibus Impoſitoribus, conſequi nuper curarunt Comes Tarquinius pariter de Clementinis, & Maria Magdalena Clementina de Piccolominibus agentes coram A.C. Cincio in Judicio utilis Salviani interdicti contra diverſos Poſſeſſores bonorum provenientium à memoratis Comitibus de Marſciano, nempè contra Monaſterium S. Bernardini, & S. Petri Urbis Veteris, & contra Bernardinam Stronchinam, & obtinuerunt immiſſionem pro fructibus decurſis, uſque ad annum 1715. in ſcutis 3330. ſine præjudicio majoris ſummæ.

Commiſſa mihi appellationis Cauſa, propoſui hodiè dubium -- *An ſit danda Immiſſio, &*

& ſuper quibus -- Reiſque pluries monitis,
ſed non comparentibus, reſponſum ſuit pro
informante, quia favore Actorum concur-
2 rebant extrema omnia in præſenti Judicio
ex neceſſaria. Creditum nempè cum hypo-
theca, antiqua poſſeſsio Comitum de Mar-
ſciano, & moderna Reorum conventorum,
itaut procul dubio concedenda foret Immiſ-
ſio, juxtà vulgatas theoricas reaſſumptas *in Pe-
ruſina Immiſsionis* 18. *Martii proximè præ-
teriti* §. *Conſtitit*, *& in Romana Salviani*
17. *hujus menſis* §. *Concurrebant cor. Me*.

Et quidem præſuppoſito Credito cum ſua
Hypotheca, utpotè quod ex publicis reſultat
inſtrumentis tùm fidejuſsionis, & obligatio-
nis pro relevatione de anno 1625. tum ſolu-
tionis fructuum, & ceſsionis Crediti de an-
no 1659., reliqua etiam poſſeſsionis extrema
facile demonſtrabantur diſtinguendo, & ſin-
gulariter loquendo de quocumque Poſſeſ-
ſore.

Ordiendo igitur à Monaſterio S. Bernar-
dini, fundatam habent Actores intentionem
in eo, quod Gaſpar, & Octavianus Cenſus
3 Impoſitores una cum Alexandro de Marſcia-
nis eorum fratre vendiderunt anno 1616.
Palatium in Urbe veteri ſitum d. Monaſterio
pro pretio ſcut. 3900., quod pro duabus ratis
conſtituentibus ſcut. 2600. pertinuit ad præ-
dictos cenſus jam impoſiti de anno 1614. De-
bitores, dubitari non poteſt, quin talis ven-
ditio antiquam poſſeſsionē probet apud ven-
ditores Palatii, ad quod petitur immiſsio vi-
gore hypothecæ jam tunc ex præcedenti im-
poſitione cenſus ſuper eo contractæ, ex plenè
firmatis *in Peruſina Reintegrationis ſuper
fructibus* 27. *Martii* 1713. §. *Altera coram
R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore
in Calaritana Cappellæ* 14. *Maii ejuſdem
anni* §. *Adaugetur*, *& in* Romana *Salviani*
30. *Aprilis* 1714. §. *Poſſeſsio cor. Me*.

Sicut etiam in dubium revocari nequit mo-
4 derna poſſeſsio, quippe quia ſolum conti-
nuata præſumitur, poſtquam fuit vigore d.
venditionis legitimè appræhenſa, R*ot. deciſ.*
550. *num.* 48. *coram Emerix*, *dec.* 140. *num.* 9.
par. 19. *recent.*, *& deciſ.* 26. *num.* 11. *coram*
5 R*mo D. meo Anſaldo Decano*, verum ſatis
quoque comprobata noſcitur ex ſubſtenta-
tione præſentis litis, in qua fuit huc uſque
unum ex Contradictoribus idem Monaſte-
rium, *Rot. dec.* 446. *num.* 1. *cor. Emerix jun
dec.* 611. *num.* 3. *par.* 19., *& in* Romana *Sal-
viani* 30. *Aprilis* 1714. §. *Pariter coram Me
& paſsim alibi*.

Non obſtat, quod hodie idem Palatium
6 incorporatum reperiatur eidem Monaſterio,
ideoque velut effectum locus Religioſus
evaſerit incapax petitæ Immiſsionis. Quia
non debet præjudicium ullum inferri alterius
Juribus, & Credito ex confuſione iſta, & in-
corporatione rei pro illo hypothecatæ cum
loco Sacro, ſivè Religioſo, quæ provenit
tantum ex facto tertii, ut advertit in conſi-
milibus terminis Palatii Fideicommiſſarii
incorporati cum Eccleſia Roſa in Romana
Immiſsionis 8. *Junii* 1714. §. *In controverſa
& per totam coram Eminentiſs. D. Cardinali*
7 *Scotto*. Et propterea creditoribus, qui cæ-
teroquin deberent immitti, ſuccurri illo
caſu debet ſubſidiario remedio relaxationis
mandati executivi contra Monaſterium pro
annua quantitate correſpondente penſioni-
bus, quas percipere potuiſſet, ſi Palatium
non fuiſſet ipſi Monaſterio incorporatum,
ut in puncto practicavit R*ot. in alia Urbe-
vetana Immiſsionis* 8. *Martii* 1709. *coram
Emo D. Cardinali Priolo*, & quidem con-
tra idem Monaſterium, & ſuper eodem Pa-
8 latio favore alterius Creditoris, itaut nequat
amplius hujuſmodi deciſio quoad ſe impu-
gnare, ſed ſupponi ſemper debeat, & præſer-
tim in hodierna quæſtione, juxta vulgares re-
gulas, de quibus *dec.* 445. *n.* 1. *cor. Emerix*, *&
dec.* 31. *num.* 2. *cor. Beninc.*

Pari claritate procedunt jura DD. de Cle-
mentinis etiam quoad Immiſsionem peti-
tam adverſus aliud Monaſterium S. Petri
poſsidens Prædium in Villa S. Abundii, pro-
veniens pariter ab Impoſitoribus Cenſus, de
quo agitur; conſtat enim de antiqua poſſeſ-
9 ſione hujus Prædii apud Comitem Gaſparem
de Marſciano unum ex Impoſitoribus, quia
iſte tam ſuo proprio nomine, quàm uti Pru-
curator Comitis Fabii de Marſciano vendi-
dit de anno 1634. Prædium ſalmarum 32. cum
dimidio arativum, & vineatum &c. cū domi-
bus, & Columbariis &c. reſervato pacto re-
dimendi Monaſterio Sanctiſsimi nominis Je-
ſu, vendiditque ſubindè etiam pactum illud
redimendi, cujus vigore Prædium devenit
anno 1652. in Marinum Scarpam, & ab iſto
ſucceſsivè pro medietate in Camillum de
Binis, & demùm anno 1692. acquiſitum fuit
Monaſterio S. Petri hodierno Poſſeſſori pro
dicta medietate empta pretio ſcut. 500. ex
venditione dicti Bini, & pro altera medieta-
te, quæ ſupererat apud illos de Scarpis pro
ſcutis 700. ex conſimili iſtorum alienatione.

Hinc autem clarè reſultant non ſolum ſuffi-
cientes demonſtrationes poſſeſſionis antiquæ
apud Gaſparem debitorem, & modernæ
apud Monaſterium Reum conventum, ſed
10 etiam certa oritur probatio identitatis, dum
collationatis invicem Inſtrumentis prædicta-
rum alienationum, & acquiſitionum ocula-
riter dignoſcitur, quod eadem ſemper enun-
ciantur confinia, quæ fuerunt deſcripta in
prima alienatione facta per Gaſparem anno
1634.; quæ ſanè confinium congruentia, &
conformitas, identitatem Prædii ſatis oſten-
dit, juncto præſertim concurſu aliarum etiā
qualitatum, quæ ſemper fuerunt uniformiter
deſcriptæ. R*ot. deciſ.* 146. *num.* 2., *& per tot.
cor. Merlin. dec.* 17. *num.* 5. *cor. Cerro deciſ.*
120. *num.* 9. *par.* 6., *& dec.* 288. *num.* 5. *par.*
19. *rec*.

Supereſt, ut idem Juris eſſe noſcatur quoad
11 Strozchinam, quæ poſsidet vineam venditā
an. 1631. à Gaſpare Marſciano in ſolutū obliga-
tūs in impoſitione Cenſus Lucido Guindonio,
& ab iſtius ſucceſſoribus an. 1710. translatam
conſi-

conſimili emptionis titulo in ipſam Stronchinam, itaut etiam quoad iſtam eædem concurrerent certæ probationes reſultantes ex publicis præſertim inſtrumentis antiquæ poſſeſſionis, & identitatis rei, ad quam petitur immiſſio, & recentis Poſſeſſionis juxta ſuperius firmata.

Quæ quidem ita ſingulariter ſtabilita, eo facilius quoad omnes procedere in univer-
12 ſum Dominis videbantur, quia hodierni Actores conventi ſæpius ad fructuum decurſorum ſolutionem, ab hujuſmodi ſe eximere curantes incommodo, reportarunt à Creditoribus ampliſsimam ceſsionem omnium eorum jurium, juxta quam ceſsionem ſubingreſsi ſunt ad effectum agendi contra principalem debitorem in locum cedentium, ad *Tex. in l. mandati actio Cod. mandat*, *& l. Emptor. C. de jur.*, *& act. vendit* Rot. *deciſ.* 366. *num.* 3. *poſt. Cenc. de cenſ.*, *& in Romana Salviani* 13. *hujus menſis*, *& anni* §. *& quidem coram Me*, itaut propterea multò
13 minùs ulla poſsit allegari contra eorum Creditum, & actionem exceptio.

Et ità Actoribus tantum informantibus fuit reſolutum &c.

EUGUBINA FRUCTUUM CAMBII.

Veneris 1. *Julii* 1718.

ARGUMENTUM.

Cambia ſunt etiam Clericis licita, quando cambiandi onus penes debitorem relinquitur, vel per interpoſitam perſonam contrahuntur.

Locus Pius quibus conſtare debebat, ut talis dicatur, quique Prophanus potius appellari poſsit, ſive ſecularis etiam ad materiam negociationis, optimè refert præſens.

SUMMARIUM.

1 *Debitor cambii, ſi ſuam obligationem cambiandi impleverit, cambia præſtare tenetur, ſi non impleverit, ad damna, & intereſſe damnatur.*

2 *Cambium eſt licitum in Clerico, quando eſſet per interpoſitam perſonam exercendum, cambiandique onus Clericus in ſe non aſſumpſiſſet, ſed iſtud in debitorem tranſtuliſſet.*

3 *Locus Pius, ut dicatur talis, indiget fundatione facta auctoritate Ordinaria, vel Apoſtolica, & ſignis Eccleſiaſticam qualitatem, & religioſam denotantibus, ut probibitus cambia contrahere dicatur*, amplia, ut in num. ſequenti.

4 *Inſcriptio exiſtens ſuper janua Locii Pii illius aperitionis tempus tantum deſignans non concludit eandem auctoritate ordinaria fuiſſe factam, ut requiritur.*

5 *Subamplia, quod qualitatem Eccleſiaſticam ut dicatur Locus Pius, ex mera fundatoris enunciativa non deſumit, maximè quando de veritate enunciati dubitatur.*

6 *Teſtes ſimplices, & extrajudiciales talem Eccleſiaſticam qualitatem non probant.*

7 *Locus pius, quod ſit talis non probatur per non ſolutionem onerum communitativorum, maximè quando talis exceptio in contradictorio Judicio approbata non probaretur, cum id Civium pietati potius, & loci paupertati adſcribendum ſit.*

8 *Qualitas Eccleſiaſtica non inducitur in Locum, qui Pius prætenderetur, ex viſitationibus puellarũ admittendarum, & adminiſtratoris deputatione facta per Epiſcopum, quia hujuſmodi actus cum laicali qualitate ſunt compatibiles.*

9 *Locus Pius non dicitur ille, in quo mulieres ibi degentes nullo religionis inſtituto obſtringerentur, ad proprias domos remeare poſſent, & tamquam verè ſeculares viverent, ſed Profanus eſt appellandus, ſive ſecularis.*

10 *Locus profanus, ubi puellæ ſeculariter viverent, tolleratur, non vero fundatur, ſicut Pius.*

11 *Locus Eccleſiaſticus, & religioſus, ac ſtricto modo Pius non dicitur, ex quo in eo pietatis opera exerceantur, ſed concurrere debet fundatio facta, vel auctoritate ordinaria, vel Apoſtolica.*

DECISIO MLXXXIII.

PRO reſtitutione ſortis, & ſolutione fructuum Cambii à Dominico Biſellio de Ciucciolis contracti ab anno 1684. pro rata ſcutorum 560. favore Ubaldi Conventini ejuſdem Refugii Adminiſtratoris, qui ad illius indemnitatem perpetuo ſervandam Cambii validitatem ex promiſit; egit in Judicio coram A. C. Alexander Caietanus de Andreolis hæres dicti Conventini adverſus Canonicum Horatium, & Cæſarem fratres de Ciucciolis, & reſpectivè Debitoris filios, præfatique Cambii Accollatarios, & mandatum executivum reportavit, quod Judex ſecundæ inſtantiæ exequi mandavit.

Interpoſita autem ex parte Debitorum appellatione, ejuſque Commiſſione per Signaturam Juſtitiæ directa noſtro Auditorio -- *ſine præjudicio quoad ſortem, in reliquis Alteri, qui ad legitimam* -- interim prædicti Debitores ad integram ſortis extinctionem devenerunt, ac ſpontè perſolverunt fructus pro rata ſortis in ſc. 40., quæ ſpectabant ad Conventinum originarium Creditorem. Totum proindè Cauſæ momentum reſedit ſuper debito fructuum decurſorum alterius ratæ in ſcut. 560. ſpectantis ad Refugium Puellarum, qui ab iiſdem Partibus liquidati fuerunt in ſcut. 452., pro qua reſiduali controverſia dirimenda, propoſito per Me dubio Commiſſioni conforme -- *An ſit procedendum ad legitimam exequutionem mandati, & exequatur pro fructibus ratæ ſortis* Cambii *ſcut.* 560. -- reſponſum prodiit *affirmativum*.

1 Intentio ſiquidem Actoris benè fundata dignoſcitur in apoca dicti Cambii, in qua Domi-

Dominicus Biſelli illius Debitor aſſumpſit onus -- *di negotiare, e far negoziare una ſimil ſomma ſopra cambii, e recambii &c.* -- vel enim adimplevit, & tenetur ad cambia, vel non adimplevit, & tenetur ad damna, & intereſſe ob mandatum à ſe ſuſceptum, & & non adimpletum, *Rot. dec.231. num.13. par.17., & dec.353. num.10. par.19. rec., in Zamoren. Cambiorum 2. Julii 1710. §. Quo enim coram Rmo Molines Generali Hiſpaniarum Inquiſitore.*

2 Non relevante unica exceptione, quod ſcilicet agatur de fructibus Cambii debitis Domui Refugii puellarum, quæ tamquam Locus pius nequeat de jure eoſdem fructus prætendere, ſed iſti ad ſummum debeantur R. Camerę Apoſtolicę, tamquam provenientes ex illicita negociatione facta à Perſonis Eccleſiaſticis, Locis Piis, & Religioſis, cujus Cameræ jurium ceſſionem reportarunt ipſi Debitores.

Etenim, ultra quod hìc agitur de cambio per interpoſitā perſonam exercendo, & onus cambiandi in ſe Creditor non aſſumpſit, ſed transtulit in debitorem, quod eſſe permiſſum etiam Clericis probat *Card. de Luca in ſuo diſcurſu* pro veritate *impreſſo penes R.P.D. Zaul. ad Stat. Favent. to. 1. rubric. 6. lib. 3. num. 64.*, ubi concludit nullam in hoc caſu eſſe difficultatem, *& de communi* ſententia noſtri Auditorii diſtinguendo teſtatur *Rota in Romana Pecuniaria 14. Martii 1712. §. Conſtabilita, & §. Aſt quoad coram R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore.*

Res ulterius ponitur in claris ex eo, quod non probatur d. Refugium eſſe locum Pium, & Religioſum, prout neceſſe foret, vel exhibendo fundationem factam mediante auctoritate ordinaria, vel Apoſtolica, vel adducendo ad hoc ſigna qualitatem Eccleſiaſticam, & Religioſam neceſſario concludentia, juxta firmata *in deciſ. 313. num. 5. p. 10., & dec. 245. n. 24 p. 11. rec.* cum pluribus ibi congeſtis.

Et ſane hujuſmodi auctoritas, & conſenſus neque è conjecturis, & ſignis ad id ſufficientibus eruitur tacitus: Quatenus enim probatio deducitur ex inſcriptione
4 ſuperimpoſita in Ianua Domus, ubi dicitur -- *Ulderico S. R. E. Cardinali Carpineo eximiarum Virtutum Principi ob apertum Refugium Orphanorum, dum Eugubinum Antiſtitem ageret anno* 1634. Reſponſio de ſe patet, quia dicta inſcriptio indicat tempus, quo aperta fuit Domus, ſed non probat aperitionem fuiſſe factam cum auctoritate, & conſenſu ejuſdem Epiſcopi, ut præciſè neceſſe eſt, *Fagnan. in cap. ad hac n. 2. de Relig. domib., de Luc. de Iuriſdict. diſc. 40. n. 13.*

Enunciativa autem emiſſa à Fundatrice,
5 quod Conſervatorium fuiſſet erectum de mandato Epiſcopi minus concludit, cum hodie principaliter dubitetur de veritate enunciati, *Rota cor. Pampbil. dec. 236. n. 8.*, & omiſſis aliis generalibus in his præciſis terminis firmavit *eadem Rota in Hypruucina Carpellaniæ* 10. *Maii* 1697. *§. Adhuc illa ſuppoſita cor. R.P.D. dell'Olmo*; ſicut ne-
6 que ad hunc effectum merentur attendi depoſitiones informes Teſtium, quæ tanquam ſimplices, & extrajudiciales nullam faciunt probationem, *Rota cor. Cerr. dec. 122. n. 7. & dec. 578. cor. Emer. iun.*, & alibi paſſim.

Nec ſuffragatur aſſerta exemptio bonorum
7 ejuſdem Conſervatorii ab omnibus oneribus communitativis probata ex ſola fide Ratiocinatoris Civitatis, quia conſtare deberet illam judicialiter egiſſe pro ſolutione onerum communitativorum, & fuiſſe repulſam, ac in judicio ſuccubuiſſe, alias dicta exemptio unicè tribuenda eſt pietati eorumdem Civium, qui optimè ſunt conſcii ſummę egeſtatis dd. Puellarum Refugii, ut etiam reſultat ex actu viſitationis dato *in Summ. eorumdem Fratrum de Ginecciulis n.* 8. ibi -- *Vivunt ibi regulatim Puellæ* 12. *partim ex induſtria, partim ex eleemoſinis, partim ex redditibus d. Refugii*, ideoque nec unquam moleſtias inferre curarunt pro debita collectarum ſolutione.

Minuſque obſtant viſitationes d. Refugii;
8 approbationes Puellarum, quæ eſſent admittendæ, ac deputationes illius Adminiſtratorum factæ per Epiſcopum, quia omnes hujuſmodi actus ſunt compatibiles cum ſimplici qualitate Laicali d. Refugii, nec inferre valent ejuſdem qualitatem revera Eccleſiaſticam, *Federic. de Sen. conſ. 111. nu. 30. Rot. dec. 58. num. 6., & 7. poſt Tondut. de Penſion.*

Quibus ità poſitis, ſuperfluum exiſtimarunt DD. qualitatem Eccleſiaſticam iſtius Domus ulterius refellere, cum ſit locus profanus, ac mulieres in illo degentes nullo Religionis inſtituto ſint obſtrictæ, ſed dumtaxat pro majori honeſtatis conſervatione collegialiter vivant, ſintque merè Sæculares, poſſintque pro eorum libito ad proprias domos remeare, itaut quoad eas nec habeat locum diſpoſitio *Clementinæ unicæ de Statu Monachor., & Clementinæ primæ de Religioſ. Domib.*, aliæque ſimiles Juris diſpoſitiones, quæ loquuntur de mulieribus ſub certo Religioſo inſtituto, ac Regulis viventibus, non autem de illis, quæ tanquam veræ Sæculares vitam ducunt, ut in individuo probat *de Luc. de Juriſdict. diſc. 45. num. 3. Pignattell. conſult. 65. num. 10. tom. 2.* quin-
10 immò ex conſtitutione 8. §. 4. S. Pii V. non eriguntur, neque fundantur, ſed tollerantur tantum ad cuſtodiendam Puellarum honeſtatem, juxtà quam conſtitutionem plures etiam prodierunt reſolutiones Sac. Congregationis Concilii, relatæ per *Monacell. formul. pract. leg. par. 1. tit. 6. Formul. 19. num. 19, & 20.*

Ad conſtituendum autem locum Eccleſiaſticum, Religioſum, & ſtricto modo Pium, non ſufficit, quod in illo exerceantur opera pietatis, niſi cumulativè concurrat fundatio facta authoritate Ordinarii, vel ſummi Ponti-

Pontificis juxta *Text. in cap. ad hæc de Religioſ. Domib. Rota dec.313. num.9. par.10. dec.248. num 18., & 19. part.11. & dec.632. num.11. par.19. rec.*

Et ita utraque &c.

MELEVITANA HABITUS.

Lunæ 1. Julii 1718.

ARGUMENTUM.

Jus deputandi Commiſsarios ad faciendas probationes recipi prætendentium in Conventuales Cappellanias ad Italiæ Linguam non pertinet, ſed ad Vener. Conſilium. Similiter Aſsemblea nullo alio gaudet iure, niſi circa cantum, & litteraturam de eorundem idoneitate cognoſcendi. Scripturæ, & teſtes vilem originem Cappellanorum denotantes, poſt expletum probationum proceſsum, & poſtquam clauſus, & ſigillatus cum voto Comiſsariorum Linguæ traditus fuiſset, de ſacræ Religionis praxi, non admittuntur.

SUMMARIUM.

1 *Cappellanus repertus qualificatus ad formam Statuti ſacræ Religionis Hieroſolimitanæ jure merito dicitur admiſſus.*

2 *Qualificatio Cappellani volita ob ingreſſum in eandem, in quo conſiſtat, & quibus conſtare debeat.*

3 *Teſtes de cætu Magiſtratus ratione dignitatis perſonæ plenam faciunt probationem.*

4 *Teſtes omni exceptione maiores dicuntur Canonici, Cives, & Equites in hac materia.*

5 *Amplia, quando tales teſtes, & probationes per ſacræ Religionis Conſilia fuiſſent approbatæ, iſtorumque Judicatis in hac materia multum defertur.*

6 *Nobilitas Cappellanorum Religionis ex votis, & probationibus ab eiuſdem Equitibus examinatis deducitur, & probatur.*

7 *Amplia, ut etiam extra locum originis eorundem talis fieri poſſit probatio, quando adeſt Gratia Apoſtolica, & ordinationibus in contrarium vigentibus derogatoria.*

8 *Clauſula* — Quorum tenores — *operatur, ac ſi de verbo ad verbum Apoſtolicæ derogationes fuiſſent inſertæ.*

9 *Reſolutio Linguæ gratiæ Apoſtolicæ adverſativa non conſideratur.*

10 *Deputatio Commiſſariorum ad faciendas probationes neceſſarias pro ingreſſu in Cappellanias, ad V. Conſilium, & non ad linguas pertinet.*

11 *Probationes novæ, poſt compilationem proceſſus, iſtiuſque clauſi, & ſigillati ſequutam traditionem penes Linguam, non admittuntur.*

12 *Amplia, ut nec pro, nec contra amplius ſcripturæ recipiantur.*

13 *Teſtes, pendente lite expiſcati reiiciuntur.*

14 *Teſtes formiter repetiti, informibus præferuntur.*

16 *Teſtes in hac materia de nobilitate deponentes præferuntur contrarium affirmantibus.*

17 *Appellatio datur à reiectione, quando admiſſio ſtet ſub iuris diſpoſitione.*

18 *Appellatio datur reiectis ab Examinatoribus Synodalibus, & ad Parochiales nominatis.*

19 *Appellatio Aſſembleæ pro admiſſione Cappellanorum requiritur circa ſufficientiam iſtorum in litteratura, & cantu dumtaxat.*

20 *Appellatio ſemper datur illi, qui ſit ab aliquo Conſortio, mediante ſcrutinio excluſus, & hic eſt ſenſus Rotæ.*

21 *Aſſemblea non habet facultatem recipiendi Confratres in eius Conſortium, cum hoc ſit de iuribus Religionis.*

22 *Bonum ius ad tollendos circuitus ab attentatis excuſat.*

DECISIO MLXXXIV.

Adſcribi cupiens Joſeph Reitanus inter Fratres Cappellanos Hieroſolymitanæ Religionis, cui in Eccleſia Conventuali S. Joannis diu iam inſervierat uti Clericus, & deinde uti Diaconus, quam ibi vulgo vocant *di mezze Tavole*, Breve Apoſtolicum obtinuit à Sanctiſſimo Domino noſtro directum Eminentiſſimo magno Magiſtro cum facultate derogandi eius ætati, & certo etiã ac determinato numero Cappellanorum, nec non probationibus circa expetitam admiſſionem faciendis in loco nativitatis (erat enim oriundus ex Oppido *Via grande* nuncupato Diœceſis Catanien.) itaut, ſtante præmiſſa derogatione, probationes fieri poſſent in ſupremo Meliteſi Conventu eiuſdem ſacræ Religionis.

Vigore huius Brevis, Eminentiſſimus Magnus Magiſter Joſephum admiſit, recipique mandavit inter Fratres Cappellanos ſtatim ac in Conventu legitimæ ſuper eius requiſitis probationes fuiſſent expletæ, ad quem effectum deputati quoque extiterunt Commiſſarii, qui audito plurium Teſtium examine, comprobatiſque qualitatibus à Statutis, & ordinationibus requiſitis, favore illius ſuam fecerunt relationem, & adductas probationes pro bonis, & validis acceptarunt.

Quoniam verò cautum eſt inter eadem Statuta *ordinatione 42. ſub titul. de recep. Frat.*, quod nullus in Fratrum Cappellanorum numerum, & gradum recipiatur, niſi prius per Ven. Aſſembleam ſit approbatus; Hinc Joſeph petiit quoque ab iſta ſui approbationẽ *ſuper idoneitate cantus, & ſcientia.* Placuit tamen eidem Aſſembleæ illum rejicere. Unde habito recurſu ad Conſilium ordinarium, ad novum examen obtinuit admitti, quod expletum ſubinde fuit coram Examinatoribus Synodalibus, & Joſeph idoneus denunciatus extitit, ideoque etiam à Ven. Conſilio talis declarari, & approbari promeruit, juxta decretum Conſilii, ſeu ſcien-

ſententiam, quæ ob non proſequutam ab Aſſemblea appellationem debito tempore, in judicatum tranſivit.

Non tamen hic deſſitere moræ, quibus pacifica Joſepho adſcriptio in optatum ordinem retardata fuit; quippe quia, ſuperventis quorundam Teſtium depoſitionibus ſuper infimis, vilibuſque illius, & ejus parentum natalibus, fuit in ſenſu Venerabilis lingua Italiæ ſuſpendere illius receptionem, donec de præmiſſis fieret inquiſitio in loco ipſo Nativitatis, ad quem propterea effectum novos Commiſſarios deputavit.

Ab hoc decreto penitus contrario memorato Brevi Apoſtolico per Eminentiſſimum Magnum Magiſtrum, ejuſque Conſilium jam acceptatum, ad idem Conſilium Joſeph iterum provocavit, auditiſque in illo noviter Partium juribus, & exceptionibus, declaratum extitit *Joſephum tanquam legitimè admiſſum, gaudere debere omnibus juribus, prærogativis, & emolumentis, quibus cæteri Fratres Cappellani legitimè admiſſi fruuntur, & gaudent.*, idemque per aliam ſententiam confirmavit Conſilium completum, ſuperaddito, quod non competeret Aſſembleæ cognitio, niſi ſuper Idoneitate recipi Pretendentium in Cappellanos Conventuales, in quarum ſententiarum exequutionē fuit de facto Joſeph plenariè admiſſus à Priore Eccleſię, tam in Choro, quàm in aliis functionibus.

Adhuc verò Venerabilis Aſſemblea appellationis cauſam mihi curavit committi, expedita de more cōſueta inhibitione, & quia ejus vigore prætendit Joſepho præpedire conſignationem diſtributionum, & Conſilium illas conſignari mandavit. Hinc per talem reſolutionem commiſſa putavit attentata, & inſtetit proponi dubium -- *An conſtet de attentatis*, cui in Audientia diei 2. Julii ſuperioris anni reſcriptum fuit -- *Videatur de bono jure etiam ad effectum attentatorum.*

Reaſſumpta igitur modo fuit inſpectio ſub dubio -- *An, & de cujus bono iure conſtet etiam ad effectum attentatorum*; prodiitque perpenſis utriuſque Partis iuribus reſolutio -- *Conſtare de bono jure Joſephi, etiam ad effectum attentatorum.*

1 Conſtitit enim illum eſſe apprimè qualificatū ad formam *Stat.18. Sac. Relig. de recep. Frat.*, ejuſque confirmationis expreſſæ juxta determinationem Capituli Generalis anni 1631. in *ordinatione* 3. pariter *de recept. Frat.*; ideoque jure merito à Conſilio fuit approbatus, & admiſſus, *Rot. dec.215.n.13. & ſeq. cor. Coccin. dec.881. nu.19. & ſeq. cor. Merlin., & dec.142.n.8. cor. Emer. iun.*

2 Et quidem diſtinctè ponderatis probationibus, quæ ad oſtendendam huiuſmodi qualificationem, non ſolùm reſpectu Patris, & Matris juxta dictum Statutum 18., ſed etiam reſpectu Avi, & Aviæ, tam Paterni, quàm Meterni, juxta dictam ordinationem tertiam, aliasſin puncto approbatam per noſtrum Tribunal *dec.674. cor. ſan. me. Innoc. X. dec. 614. cor. Manzaned. per tot., & in Melevitana Habitus* 20. *Martii* 1702. §. *Cum enim cor. bo. me. Muto.* recognitum fuit pleniſſimè extitiſſe juſtificatum omnes prædictas perſonas natas fuiſſe ex legitimis matrimoniis, & familiis Catholicis, puriſque ſanguine abſque ulla diffamatione originis ex hebreis, nec ſimilium infectionum, propriis redditibus in Patria vixiſſe, ſordidas, vileſque artes nequaquam exercuiſſe, neque delicta commiſiſſe, quæ decori, & ſpectabilitati eorum familiæ obeſſe potuiſſent, imo ſemper officia publica, & Magiſtratum Oppidi communi exiſtimatione exercuiſſe, ita diſ-
3 ponentibus Teſtibus, qui cum in maiori parte de iis ſint, qui Magiſtratum eiuſdem Oppidi componunt, à quo oriundus eſt Joſeph, magnam ad hunc effectum fidem promerentur, ut præciſè tradunt *Micallef. verb. nobilitas ſub n.6. verſ.5. modus Caravit del recevimento de Fratelli cap.12. §. penult., Rot. dec.68.n.3. cor. Cavaler., dec.541. n.3 p.4. rec.*, & noviſſimè *in Aſſiſien. Habitus* 28. *Martii huius anni* § *firmato coram R.P.D. meo Foſcaro.*

Conformis horum Teſtium depoſitioni fuit etiam dictum aliorum ſex Teſtium formiter examinatorum in Conventu Melitæ per Equites Commiſſarios ad formam Brevis Pontificii ab Eminentiſſimo Magno Magiſtro deputatos. Affirmantibus omnibus, vel ex certa ſcientiæ cauſa, vel ex publica voce, & fama id ipſum, quod alii mox re-
4 cenſiti iam depoſuerunt. Quibus etiam teſtibus, veluti omni exceptione maioribus, cum alter ſit Canonicus Civitatis Cataneinſis, & Vicarius Generalis Melitæ, alii tres ſint honeſti Cives convicinorum locorum, & alii demum duo ſint Equites huius Ordinis, omnis fides præſtanda eſt, ut omiſſis generalibus firmat *Rot. dec.555.n.1.p.4. tom.1., dec. 213.n.1. & ſeq. p.13. rec., dec.630.n.2. coram Emer. iun., & in Aſſiſien. Habitus* 28. *Jun.* 1717. §. *Non deſiderabatur, & in allegat. eius confirmatoria* §. *Firmata in fine coram R.P.D. meo Foſcaro.*

5 Suadentque legalitatem, & ſufficientiam huiuſmodi probationum, non ſolum animadverſio, quod toties illas Conſilia Sacræ Religionis approbarunt, quorum iudicata licet revideantur, aliquam tamen, cum prodierint ab expertis in hoc genere Judicibus, in hac parte ponderationem merentur, ut in ſpecie advertit *Rot. in Melevitana Habitus* 20. *Martii* 1702. §. *fin. cor. bo. me. Muto*,
6 ſed etiam relatio una cum voto dd. Equitum Commiſſariorum, qui teſtati etiam ſunt ultra adductas à Joſepho probationes, alias quoque extraiudiciales habuiſſe informationes à viris fide dignis ſuper qualitatibus prætendentis, illumque in probatis eſſe renunciarunt, & huiuſmodi pariter relationibus, & votis, ut pote confectis ab ipſis Equitibus in hiſce materiis verſatiſſimis, ſemper noſtrum

ſtrum Tribunal deferre ſuevit, & in *dec.*358.
*n.*9. *cor.Buratt.*, *dec.*654 *n*,7. *cor.ſan.mem.*
Innoc.X., *dec.*172. *n.*14.*cor.Priol.*, *dec.*130.
*n.*9.*p.*17.*rec.*,*&* *in Melevitana Habitus* 28.
*Jan.*1686' §.*fin.cor.bo.me.Albergato.*

7 Abſque eo quod nullitatis vitium huiuſ-
modi probationibus impingi poſset ex alia
ordinatione 42. de receptione Fratrum, qua
iniunctũ eſt procedi debere ad inquirendas
præcedentium qualitates In loco originis,
quemadmodum poſtremo loco, ut in facto
relatum eſt ſervari in præſenti mandaverat
Lingua Italiæ. Etenim cum vigore Brevis
Apoſtolici indultum Joſepho fuiſset, quod
confici poſsent eius probationes non in loco
originis, ſed in ſupremo Melitenſi Conven-
tu per exhibitionem illic legalium docu-
mentorum, & Teſtium depoſitiones, prout
fuiſset opportunum, exemptus ille fuit à
prgſcripto dictæ ordinationis demandantis
in loco originis confrontationẽ ſcripturarũ
cum originalibus, dictam gratiam Pontifi-
ciam omnino, etiam in hac parte ſervandam,
cum in ea legantur ampliſſimæ derogationes
omnibus Statutis, & ſtabilimentis Religio-
8 nis cum clauſula *Quorum tenores*, quæ ope-
ratur, ac ſi de verbo ad verbum fuiſsent in
ea inſerta, ſingulisque ſpecificè derogatum,
*Rot.dec.*407.*n.*3. *p.*3.*rec.*, *cum concordan. in*
*ſpecie relat.dec.*22.*n.* 10. *& ſeq. cor.ſa.mem.*
Alex.VIII.

9 Inſubſiſtens propterea fuit dictę ultima
Linguæ reſolutio, non ſolum utpote contra-
ria de directo Gratiæ Summi Pontificis, ſed
etiam quia contraria ipſis ordinationibus,
& obſervantię Sac. Religionis, iuxta quas,
ut legitur in Decreto anni 1643., de quo in
10 *Sum. Joſephi nu.*9., ius deputandi Com-
miſsarios ad faciendas, examinandaſque
probationes in Partibus ad ſolum Ven. Con-
ſilium ſpectat, & non ad Linguas, itaut tan-
quam iniuſta, nullam promeruerit, nec pro-
mereri poſſit executionem, iuxta ea, quæ
generaliter habentur in *dec.*162.*n*,1. *cor.ſan.*
mem.Alex.VIII., *dec.*174 *num.*4.*p.*14., *dec.*
631. *n.*3.*p.*18., & paſſim.

11 Nec propterea ullatenus attendi potue-
runt illæ Teſtium depoſitiones procuratæ
ab Aſſemblea, ex quibus probari contendi-
tur obiecta Joſephi aſcendentium conditio;
quandoquidem ex hoc ipſo, quod ſolum
poſt expletas probationes coram Commiſ-
ſariis deputatis, eaſque de more clau-
ſas, & ſigillatas, eidemque Linguæ cum
relatione, & voto Commiſsariorum conſi-
gnatas fuerunt deductæ, reiici debent, ita
ſuadente Sac.Religionis inconcuſsa praxi,
12 iuxta quam, poſt hæc expleta, & pen-
dente adhuc contradictione, non recipiun-
tur amplius ullæ ſcripturę, nec in benefi-
cium, nec in prgiudicium prætendentis, ut
probat exemplum, de quo in *ſum. Joſephi*
*n.*23., & confirmat bo. me. Prior Caravit.
ſub titulo *del ricevere delli Fratelli cap.*17.,
& conferunt deducta per *Excobar. de nobi-*
*lit.part.*2. *gloſs.*8. *quæſt.*2.*ſog.*333. *num.*4.,
5., 6., 15.,18., *&* 34. *cum ſeq. uſque ad.* 40.
13 Ultra quod prędicti Teſtes non ſolum
fuerunt pendente lite à contradictore Jo-
14 ſephi expiſcati, ac ſine ulla ipſius citatione
examinati contra vulgaria iuris principia,
15 verum etiam concutiuntur dicto tot alio-
rum numero plurium Teſtium, qui in for-
mali examine ſub interrogatoriis optimè ſu-
per qualitatibus Prętendentis depoſuerunt,
& qui propterea prævalere in iudicio de-
bent, *cap.in noſtra de Teſt.*, *Dec.in cap. licet*
*cauſam n.*8.*de probat.*, *Rot.dec.*138.*n.*14., *&*
*dec.*621.*n.fin. cor. Bieb.*, maximè quia in
16 ſubiecta materia probationis generis, &
natalium præferendi ſunt teſtantes de affir-
mativa, aliis negantibus, ut in ſpecie tradit
Eſcagn: in Propugnat. Sac. Rel. Hieroſol.
*diſc.*7.*cap.*2.*n.*8., *Rot. dec.*498. *n.*16. *cor.ſan.*
*mem.Greg.XV.dec.*68.*n.*11., *&* 13.*cor. Coc-*
cin., *dec.*869.*n.*7.*cor.Card.Cerr.*, *& dec.*283.
*n.*3.*p.*4.*tom.*1.*rec.*

Eiuſdem inſubſiſtentiæ, & ea viſa fuit ex-
ceptio, quod in eadem ordinatione 42. ſu-
praallegata præſcriptum quoque ſit, non
poſſe quemquam admitti in gradu Fratrum
Cappellanorum, niſi fuerit per Aſsembleam
approbatus, id.quod defuit Joſepho in præ-
ſenti caſu, cum ipſe fuerit ab Aſsemblea
17 reiectus; cum namque dicta ordinatio ul-
terius non progrediatur, cenſetur caſum re-
iectionis reliquiſse ſub iuris diſpoſitione, iux-
ta quam ab iniuſta reprobatione cuique licet
appellare, prout fecit Joſeph, qui ad Con-
ſilium ordinarium, & ſic ad ſuperiorem
illico provocavit, & facto examine ipſius
coram non ſuſpectis examinatoribus fuit
approbatus; ideoque adhuc iuſtè potuit in
18 ſequelam huius approbationis admitti, ut
videmus quotidie ſervari in terminis conſi-
milibus Reiectorum ab Examinatoribus Sy-
nodalibus occaſione præſentationum ad Pa-
rochiales, de quibus *Rot.dec.*537.*n.*2.*coram*
ſa.me.Greg.XV., ibique *adden.n.*4.*dec.*882.
*n.*3.*cor.Coccin.dec.*159.*n.*10. *cor. Merlin.*, &
latius *in Syracuſana Prępoſituræ impreſſ.pe-*
*nes Piton.diſc. Eccleſ.*3. *per tot.* Certũque
19 eſt huiuſmodi Aſsembleæ approbationem
non requiri, niſi pro ſufficientia litteraturæ,
& cantus dumtaxat, ut allegatis pluribus
Concilii decretis, probat *Michaleſ.in verbo*
*Aſſemblea ſub num.*5., *& verb.Cappellanus*
*nu.*5., & ſæpe citat. Caravita *in comment. ad*
*Statut. Relig.tit.de recept.Fratr.cap.*4.& de
facto in aliis reiectionum caſibus fuiſse ad-
miſsam appellationem ad Concilium, pro-
bant etiam exempla, de quibus *ſumm. Ioſe-*
*phi n.*6

Ex hac ratione evadebant inapplicabiles
adductę in contrariũ Authoritates, firmantes
20 circa admitti petentem ad aliquod conſor-
tium mediante Scrutinio, quod excluſus
nequeat ab excluſione reclamare. Præter
enim, quod contraria prævalet opinio in
noſtro Tribunali, ut videre eſt *deciſ.*832.,
coram Merlin., *& dec.*188. *part.*7.*rec.*, *& in*
Forolivien. loci Conſilii 5. *Martii* 1704. *cor.*

Reve-

Reverendiſs. Molin. & Magn. Hiſp. Inquiſ., & *in alia 3. Iulii 1711. cor. Emo D. Card. Scotto*, & ita quotidie praticatur; adhuc reſponſio ſatis tuta habetur ex diverſitate hypo-
21 theſis, quia ſcilicet ex ſtabilimentis ſacræ Religionis non habet Aſſemblea facultatem iſtam recipiendi in eius conſortium Confratres, cum huiuſmodi ius ad ipſam ſpectet Religionem, quam tamen facultatem habebant reiicientes in caſibus allegatarum Authoritatum, eodemque modo eſt inapplicabile exemplum deductum ab ipſa Aſſemblea *in eius ſumm. n. fin.* reiectionis cujuſdã Ambroſii Perez, quia iſta contigit ex iudicio ipſius Concilii, ad quod fuerat poſt reiectionem Aſſembleæ reclamatum.

22 Conſtito autem ex his de bono iure Joſephi, ſuccedebat de plano illius excuſatio à quibuſcumque prętenſis attentatis, cum favore illius, cui favet boni iuris aſſiſtentia, ad evitandos inutiles circuitus, veniunt illa, ſi quæ etiam adſunt, ex praxi noſtri Tribunali reiicienda, ut pluries dictum fuit in *Compoſtellana Parochialis ſuper attentatis 25. Iun. 1695. cor. Emo D. Card. Priolo, in Salamantina juris conferendi ſuper attentatis 3. Decembris 1703. §. Etenim, & in Romana Hæreditatis de Ruſpolis ſuper attentatis 12. Iun. 1704., ubi concordan. cor. Reverendiſſ. Molines.*

Et ita utraque &c.

FLORENTINA, SEU TUSCANEN. PECUNIARIA.

Lunæ prima Julii 1718.

ARGUMENTUM.

Liber privatus pro ſcribente, licet non probet, à debitore tamen approbatus plenam meretur fidem. Liberatio debitoris, & novatio non præſumuntur, niſi de eiſdem in ſecundo contractu ſpecialis mentio fieret.

Expenſæ litis in majori parte verificatæ, veræ in omnibus præſumuntur, & veniunt per ſuccumbentem reficiendæ, earumque liquidatio Judicis remittitur arbitrio.

SUMMARIUM.

1 *Liber privatus licet legaliter tentus, favore tamen ſcribentis non probat.*
2 *Secus, ſi approbatus reperiatur ab eo, contra quem deducitur, vel per ſubſcriptionem, vel per epiſtolam.*
3 *Per ſubſcriptionem folii veniunt à ſubſcribente omnia in eo contenta approbata, & ſcientia plena de eis in ſubſcribente inducitur.*
4 *Liquidatio debiti in genere approbati levioribus convincitur probationibus.*
5 *Hæres tenetur factum defuncti ſervare, quem in ſuum auctorem cognoſcat.*
6 *Innovatio, & debitoris liberatio nunquam præſumuntur, & ideo mentio ſpecialis, quæ de eis fiat, neceſſaria eſt.*
7 *Præſervatio Jurium in contractu expreſſa, operatur, ut circa eadem jura nil innovatum dicatur, & omnia in ſuo eſſe, & firmitate remaneant.*
8 *Creditor alimentorum, quæ debeantur ab Uxore unius habet actionem tàm adverſus ipſam, quam virum, licet iſte eam teneretur alere*, & vide caſum.
9 *Obligatio de jure ſemper ſuum tenet Auctorem.*
10 *Annus Florentiæ de conſuetudine, non à die Nativitatis, ſed à feſto Sanctiſſimæ Annunciationis ſuum deſumit initium.*
11 *Inveriſimilitudo ſemper cedit veritati.*
12 *Remiſſio unius debiti non infertur ex contractione alterius, quando unumquodque eſt compatibile, & ex diverſis cauſis oritur.*
13 *Teſtes pendente lite expiſcati, poſtque duas ſententias inducti nil probant.*
14 *Expenſæ litis Judicis arbitrio liquidantur, quando ſunt veriſimiles, & neceſſariæ.*
15 *Expenſę juſtificatę in majori parte, in reliquis veniunt præſupponendæ, & reficiendæ.*
16 *Liber privatus viri probi, & à debitore approbati, probat expenſas minutatim facta pro eo ad effectum repetitionis.*
17 *Expenſæ, ut reficiantur, tempus admiſſionis ad cauſam ſuccumbentis non attenditur, quando præventivè de iſtius ordine factæ fuiſſent.*

DECISIO MLXXXIV.

PRonunciavit R. P. D. meus Corius, juxtà deciſionem editam 10. Maii ſuperioris anni in confirmationem præcedentis ſententiæ A. C., conſtare de credito Joſephi Antonii, & aliorum de Gabriellis pro binis partitis, prima expenſarum factarum pro alimentis Catherinæ Manſantæ Rimbaldeſię, & ſecunda pro ſummis erogatis in lite acta pro eadem Catharina coram diverſis Florentię Judicibus contra Patres Auguſtinianos Emporii, reſervatis etiam Juribus pro conſequendo ſalario, quod iidem Actores Dominico eorum Patri debitum contenderunt. Cumque reclamante adhuc Canonico Montebovio ejuſdem Catherinæ hęrede, ulterior iſtius cauſæ commiſſio directa Mihi fuerit, propoſui hodie dubium *An Sententia Rotalis ſit confirmanda vel infirmanda*, & reſponſum habui *pro confirmatione*, ſubſiſtente illius validitate, quæ non impugnabatur, & Iuſtitia, quæ ex fundamentis reſultabat antecedentis deciſionis R. P. D. mei Corii.

Et quidem quod in genere conſtaret de
1 credito Dominici Gabrielli, pro quo agunt ejus filii, & hæredes, hæſitandum non erat; quippe quia reſultat ex libris per illum diſtinctè, legaliterque retentis, qui licet regulariter pro Scribente non probent, probare
2 tamen debent in præſenti hypotheſi, quia vel Catharinę ſubſcriptione confirmati ſunt, vel aliis ejus actibus, & præſertim epiſtolis approbati, ad *text. in l. ſiquis ex Argentariis § 1. ff. de eden.*, & *in l. Inſtrumenta domeſtica 5 C. de probat. Genua de ſcriptur.*

privat. lib. 4. tit. de libr. Mercator. nu. 44. & 45., & *Rota dec. 425. n. 5. p. 19. rec.*

Difficultas itaque erat in liquidatione, quæ totaliter pendebat ab examine præmiſſarum partitarum; & quatenus attinet ad primam alimentorum, ea ſatis ſuperque deducebatur ex calculatione facta inter eumdem Dominicum, & Julium Rimbaldeſium Catharinæ Virum, in qua tales expenſæ per illum factæ reductæ fuerunt ad quantitatẽ librarum 2387.;
3 itaut juncta dicta ipſiuſmet Catharinæ ſubſcriptione, quæ omnem doli, & colluſionis ſuſpicionem removet, & omnium in ſcriptura ſubſcripta contentorum ſcientiam, & notitiam arguit, inducitque approbationem, ut probat *Bart. in l. ſicut §. Non creditur ff. quib. med. pign. vel hypot. ſolv.*, *Menoch. de præſumpt. præſumpt. 66 n. 7 lib. 3.*, *Rocca*
4 *diſput. jur. cap. 148. n. 19., & 20.*, dubitari nequeat de liquidatione in prædicta ſumma, cum cæteroquin iſta levioribus convinci poſſit probationibus, *Rota dec. 483. nu. 1. cor. Merlino dec. 771. n 6. cor. Cerro* cum aliis adductis *in Toletana decimarum de Capilla ſuper liquidatione 11. Februarii hujus anni §. Minuſque cor. R. P.D. meo Cerro*.

Impugnare non valens efficaciam d. ſub-
5 ſcriptionis Canonicus *Montebovius*, quia cum ſit hæres Catharinæ, ipſius factum ſervare tenetur, eamque acceptare, juxta firmata *dec. 750. nu. 2. cor. Buratto, dec. 328. nu. 2. cor. Sa. me. Greg. XV.*, & *in deciſ. præcedentis inſtantiæ §. Reſpectu in fine cor. RPD. Cerro*. Recurrebat ad Apocam recognitionis bonæ fidei exaratam à d. Dominico Creditore de anno 1699., ex qua prætendebat liberatam extitiſſe Catharinam, tanquam erroneè obligatam, totumque debitum transfuſum in Iulium ejus virum, cujus onus de jure erat uxorem alere. Sed jam plenè hujuſmodi objectum confutatum fuerat in eadem deciſione præcedentis inſtantiæ *§. Haud obſtante, & ſequen.* advertendo, quod in ea parte iſtius apocæ, in qua Dominicus dixit non eſſe habendam rationem de debito Catharinæ, non ſe retulit ad ſummam calculatam, ut dictum fuit in libris 2387., ſed ad alias partitas, ultrà d. ſummam in ejus libro conſcriptas; unde non poteſt exindè in-
6 ferri ad totalem Catharinæ liberationem, de qua nulla ſit mentio, dum niſi expreſsè, aut æquipollenter dictum fuerit, nuſquam debitoris liberatio, neque contractus novatio inducta cenſetur, ad *Text. in l. finali Cod. de novat. Rota dec. 43. nu. 8., & dec. 80. nu. 6. cor. Rm̃o P. D. meo Anſaldo Decano*.

Multo autem minus ulla prætendi potuit
7 novatio ex dicta apoca, quia pro ſumma calculata, ad quam hodiè dumtaxat agunt hæredes Dominici, facta fuit ibidem expreſſa præſervatio ita -- *ma deva il ſuo credito attenderſi nella ſomma eſpreſſa in d. ſaldo*, quæ quidem præſervatio totaliter, & liberationi, & novationi repugnat, cum ejus ſit naturæ, ut jura, & credita præſervata in ſuo eſſe, & firmitate relinquat, ut plenè firmat *Rota dec. 534. n. 5., & dec. 112. n. 8. cor. Emer. jun.*

Non eſt itaque attendendum, quod onus
8 alendi Uxorem ad Virum pertineret, ideoque cenſeri debeat hoc ille debitum in ſe aſſumpſiſſe, quia quidquid ſit ad alios effectus, & precipuè ad effectum obtinendi relevationem à Viro, certè ad inducendam ipſius Uxoris debitricis liberationem reſpectu ejus, qui alimenta preſtitit, non eſt de Viri agendum onere, cum ille eam in debitricem ſemper agnoverit, ab eaque partitarum approbationem mediante ſubſcriptione ſuorum librorum reportaverit, & regulare ſit, quod ſuum
9 obligatio teneat Authorem, & ab illo ſit adimplenda, per quem fuit contracta, ad *text. in l. Iuris gentium §. Prætor ait ff. de pact.*, & latè deducta per *Surd. deciſ. 260. num. 12.*

Neque ad demonſtrandum d. calculationis errorem, aut ſuſpicionem ejus veritatis conducit illud argumentum inveriſimilitudinis, qua pleræque ex partitis ſingulariter examinatæ notabantur ratione materialis temporum diſcrepantiæ. Quoniam omnis difficultas removebatur, ponderando in facto
10 quod in Florentię Civitate viget conſuetudo diverſimode computandi initium cujuslibet anni, non quidem à Nativitate Domini Reparatoris noſtri, prout Romæ, ſed à die Incarnationis, & ſic à die feſto Sanctiſſimę Annunciationis; hoc autem retento modo deſignandi tempora, ceſſat quęcumque prætenſa partitarum antepoſitio, vel poſtpoſitio
11 & ſic quæcumque etiam inveriſimilitudo, quæ cæteroquin ipſi ſemper cedere debet veritati, juxta regulam traditam *à Felino in cap. per tuas verſ. quinto de probat.*, de qua aliis relat. *Rota dec. 36. n. 16. cor. Reverendiſſimo D. meo Anſaldo Decano*, prout alia quoque ceſſat inveriſimilitudo, quæ ex aliis apocis ejuſdem Mulieris obligatoriis deducebantur, quia non ex contractu unius debi-
12 ti præſumi debet alterius remiſſio, & unumquodque compatibile eſt, maximè ſi ex diverſis cauſis originem ducat, ut ait deciſio ſpecitata præcedentis inſtantię *§. Proindeque cor. R P.D. meo Corio*.

Abſque eo quod ullam ſibi fidem prome-
13 reri poſſent duorum Teſtium atteſtationes, nuper adductæ de directo pugnantes cum ſupra relatis probationibus, & ipſius Catharinę debitricis ſubſcriptionibus, & creditum tam in genere, cum deponant de prompta ſolutione, quàm in ſpecie, cum deponant de certa ſumma conventa proſternentes. Siquidem ea tantum in præſenti ſatis erat reſponſio, quod pendente lite, imo jam latis binis contra deducentem ſententiis fuerunt expiſcatę, nullumque propterea probationis fundamentum poſſint conſtituere, ut dictum aliàs fuit *in Hortana Sylvarum ſuper qualitate lignorum 6. Maii proximè præteriti §. Neque ullam cor. Me*, ubi concordan.

Ad ſecundam itaque partitam, prima jàm ſatis comprobata, DD. deſcendebant, in eaque

que minus immorandum cenſuerunt, quia minoribus erat ſubjecta exceptionibus; ete-
14 nim cum agatur de expenſis factis occaſione litis de mandato ejuſdem Catharinę, cum ſint omnino veriſimiles, & neceſſarię in illius ſuſtentatione, remittitur illarum liquidatio Judicis arbitrio, itaut quando, prout
15 hic, in majori parte juſtificatæ dignoſcantur, cæteræ ſint admittendæ, & omnium demandanda bonificatio, ut dictum fuit *deciſ. 221. n. 7. p. 6. rec., in Toletana adminiſtrationis, ſeu executionis teſtamenti 15. Februarii 1700. §. Inter partitas coram bonæ mem. Pio, & in Romana pecuniaria 6. Junii 1701. §. Bonificanda, & ſeq. cor. bo. me. Muto.*

Certum autem eſt, quod etiam in iſtis ex-
16 penſis minutatim faciendis methodum ſervavit Dominicus, eas promptè adnotandi in particulari ejus libro, ex quo ducto calculo conſtat illas aſcendere ad ſcut. 223, unde cum ipſe liber ſit confectus à Viro probo ab ipſa Catharina ad id electo, & laudato de ſumma integritate per ipſum Montebovium in ejus epiſtola, utique additis etiam pluribus eorundem confeſſionibus in aliis epiſtolis circa easdem expenſas de proprio ab illo factas, optima exinde probatio reſultare dicenda eſt, ut advertit deciſio pręcedentis inſtantiæ §. *Deveniendo, & ſeq.*

17 Nullatenus attenta repetita exceptione, quod Catharina admiſſa fuerit ad cauſam longe poſtquam lis jam fuerat introducta; quia vis non ſtat pro expetenda expenſarum refuſione in tempore admiſſionis ad cauſam, ſed in commiſſione data Dominico faciendi dd. expenſas, & in aſſumpta tam per Catharinam, quàm per Canonicum Montebovium ejus hęredem obligatione illas reficiendi, quæ obligatio, cum ſit genenalis, ad totum creditum à Dominico deſignatum referenda eſt, *ad text. in l. Licet §. Et obligatio ff. de Procurat., Rota Lucen. penès Manſ. conſult. 118. n. 76. ubi concordan.*, & ita relative ad ſæpememoratam deciſionem R. P. D. mei Corii, in reliquis omnibus ibidem ductis reſponſum fuit utraque &c.

ROMANA EMOLUMENTORUM PAROCHIALIUM.

Vener. 1. Julii 1718.

ARGUMENTUM.

Vicarius habens intentionem fundatam pro exactione emolumentorum Vicariæ ad ſe ſpectantium, tam ſuper re judicata, quàm Conſtitutione Apoſtolica eadem exigere non prohibetur à tranſactione, ad quam ſui Prædeceſſores ſine Apoſtolico Beneplacito, & ſtipulatione etiam pro ſucceſſoribus devenilſet, maxime quando res judicata ab obſervantia vim deſumeret, eademque tranſactio ſuum numquam effectum habuiſſet.

SUMMARIUM.

1 *Emolumenta Parochialia debentur Vicario animarum curam exercenti, juxta conſtitutionem ſa. me. Pii V.*
2 *Conſtitutiones Apoſtolicæ exequi ſemper debent.*
3 *Res judicata favore Vicarii ſuper exactione emolumentorum Parochialium, omnem ei præbet validam actionem agendi pro eiſdem*, amplia ut in num. 5.
4 *Res judicata litis finitæ exceptionem parit, & facit de albo nigrum.*
6 *Res judicata contraria deſtruit quidquid per antea inter partes ſequtum fuiſſet, ſaltem donec reſtitutio in integrum reportetur.*
8 *Tranſactio inter Canonicos, & Vicarium Eccleſiæ ſine beneplacito Apoſtolico, ac ſine ulla ſtipulatione pro ſucceſſoribus, ſuum non egreditur authorem.*
8 *Amplia, ut multo minus attendatur ad effectum privandi ſucceſſorem in Vicaria parochialibus emolumentis, qui ſui favore rem judicatam ſuper illorum exactione reportaſſet.*
9 *Subamplia, ſi conſtaret, quod ex poſt Vicarius pro tempore mandatum contra capitulum obtinuiſſet de parendo tali rei judicatæ, & quid hoc factum operetur.*
10 *Contractus in parte dubia ab ejus obſervantia declaratur.*
10 *Amplia, quando obſervantia eſt judicialis, rebuſque Judicatis, Apoſtolicisque Conſtitutionibus conformis.*
12 *Exceptio, quod quis non fuerit citatus, ſi opponeretur poſt plures actus à Procuratore conſtituto geſtos, & poſt canonizatam ſententiam à Signatura, uti nimis ſerotina reiicitur.*
13 *Ignorantia in ſingulari ſucceſſore præſumitur.*
14 *Acquieſcentia non præjudicat ſingulari ſucceſſori, qui de ſuo Jure ignorantiam habuit, vixque poſt ſcientiam habitam reclamavit.*

DECISIO MLXXXVI.

Orta contentione ſuper pertinentia Emolumentorum Parochialium inter Capitulum, & Canonicos S. Angeli in Foro Piſcium, ac Vicarium exercentem Curam animarum ejuſdem Eccleſiæ, non ſolum dicti Canonici illam impugnarunt, prætendendo quod ad ſe pro medietate ſpectare deberent ſed etiam coram A. C. petierunt adverſus Hieronymum Amatum Calbinum modernum Vicarium per viam reconventionis, & repetitionis indebiti reſtitutionem Prætatici ſolvi eidem ſoliti in recompenſam damni, quod circa vivaria, & mortuaria illi infertur ex inhabitatione Hæbreorum in ſua Parochia, & reſtitutione eodem modo penſionum, quas ipſi Canonici ſolvere ſueverunt, loco præſtandæ dicto Vicario habitationis.

Prodiit vero in prima inſtantia à d. Judice Sep-

Sententia pro pertinentia Emolumentorum, quo etiam ad medietatem controverſam ad Vicarium, ejuſque abſolutione ab impetitis per Canonicos cum decreto relaxationis mandati pro reſtitutione eorumdem Emolumentorum perceptorum interim à dd. Canonicis; à quo judicato, cum appellaſſent ſuccumbentes, fueritque Cauſa mihi commiſſa etiam quoad Canonicorum prætenſionem circà Prætaticum, & penſiones dedi duo dubia. Primum, *An, & ad quem ſpectent Emolumenta Parochialia* -- de quo in præſenti deciſione favore Calbini plenariè reſolutum, cum reſcripto *Emolumenta Parochialia ſpectare ad Vicarium* -- Et alterum, de quo juxta ſtylum in contemporanea deciſione ſuper Prætatico, & Penſionibus.

Primi itaque reſolutio innixa fuit pluribus fundamentis, habet namque Vicarius
1 S. Angeli pro conſecutione Emolumentorum omnium Parochialium, & ſic etiam controverſæ illorum medietatis fundatam ſatis intentionem, non ſolum in peculiari Apoſtolica Conſtitutione, qua S. Pius V. Animarum Curæ paterna invigilans caritate, videnſque illam, quatenus in aliquibus Urbis Eccleſiis à Capitulis exercebatur, non parum neglectam eſſe, devenit ad electionem undecim Vicariarum, inter quas illa numeratur Sancti Angeli in foro Piſcium, ſingulisque Vicariis ultra certam, & determinatam pecuniarum quantitatem attribuit *omnia, & ſingula emolumenta, & obventiones, quæ ratione exercitii Curæ, & adminiſtrationis Sacramentorum hujuſmodi, & Officiorum funeralium, quæ ipſa die humationis Cadaverum celebrabuntur per ipſos Vicarios propria authoritate percipienda, exigenda, & levanda, ac in ſuos uſus converten. pro congrua ipſorum Vicariorum ſubſtentatione &c.* quæ ſanè conſtitutionis verba ſunt litteralia, nihilque Juſtitiæ magis eſt conſentaneum, quàm Apoſtolicæ Conſtitutiones debitam obtineant exe-
2 quutionem, ad *Text. in Cap. cum Capitulo*, ibique *Gloſs. verb. Exequatur de conceſs. Præbend. in* 6. aliaque jura relata *dec.*3. *nu.* 6. *coram Reverendiſ. P. D. meo Anſaldo Decano*.

3 Verum etiam in antiquo Judicio actitato anno 1662. inter eoſdem Canonicos, & Joannem Bernardinum Durantem, tunc Vicarium ejuſdem Eccleſiæ, in quo quidem Judicio non tantum prodiit Sententia relat. per *Pignatell. tom.*10. *eius conſultat. fol.*365. declarans controverſa emolumenta in integra eorum quantitate competiiſſe, & competere eidem Vicario, & illius in hac eadem Vicaria Succeſſoribus, ac teneri itidem Canonicos ad reſtitutionem à ſe perceptorum, ſed ulterius eadem ſententia canonizata fuit à Signatura Juſtitiæ uſque tunc cum clauſula *S. P.*, fuitque etiam ad illius tenorem relaxatum de anno 1687. mandatum de parendo favore Bartholomæi Ciampalantis Succeſſoris in eadem Vicaria, itaut propterea militet favore hodierni Vicarii res quoque
4 judicata, cujus ea virtus eſt, ut faciat de albo nigrum, ut dici ſolet, & Emolumentorum omnium pertinentiam ad Vicariam ponat extra controverſiam, ad *Text. in l. res judicata ff. de reg. Jur. Rota dec.*479. *num.* 4. *par.*14., *dec.*451. *num.*41. *par.*19. *rec.* & in *Cracovien. Plebaniæ* 20. *Januarii* 1717. §. *Quod ſi coram* R. P.D. *meo Cerro*, & paſſim alibi.

5 Tantoque magis, quia d. res judicata confirmata reperitur ab obſervantia in conculſa, aliarum Vicariarum, quæ in citata Apoſtolica coſtitutione eodem contextu fuerunt erectæ, & talis obſervantia habetur etiam judicalis; dum delata conſimili quæſtione ad Sac. Viſitationis Congregationem, favorabiles prodierunt reſolutiones favore Vicariorum S. Joannis Lateranen., SS. Quirici & Judittæ, & S. Nicolai in Carcere, ut refert idem *Pignattel.* loco ſupra deſignato, Nec diverſus etiam fuit ſenſus noſtri Auditorii idem firmantis favore Vicarii S. Mariæ in Via Lata, ut in *dec.*1268. *cor. Coccino*.

6 Contra hæc firmiſſima pro Vicarii Jure fundamenta, non alias Capitulum, & Canonici opponebant exceptiones, quàm eas, quas ex pluribus tranſactionibus cum ejus Anteceſſoribus initis, deducere contendebant, ſed totaliter inutiles, & inſubſiſtentes Dominis viſæ ſunt.

Quantum namque attinet ad illas, quæ celebratæ noſcuntur ſub annis 1553., 1595. 1643., præter alias reſponſiones, quibus earum omnis efficacia in præſenti deſtruebatur, ſatis tollere difficultatem comperta fuit ea, quæ eruebatur ex temporum combinatione; ſunt enim, ut patet anteriores prædicto Judicio, ideoque ex ſubſequuta re judicata illis directè oppoſita, de medio ſublatæ cenſentur, & niſi obtenta ſit in integrum reſtitutio, adverſus illam allegari non poſſunt, juxtà plenè in puncto deducta in *Ferrarien. Fideicommiſſi de Giliolis* 7. *Martii hujus anni* §. *Tollitque cor. Me*.

7 Quo verò ad aliam anni 1667. ſtipulatam cum prædicto Joanne Bernardino Durante, qui d. rem judicatam obtinuit; ultra quod facta fuit, dum ille in Carceribus ratione aliarum controverſiarum habitarum cum eodem Capitulo, vel aliquibus ejus Canonicis, detinebatur, adhuc in ſufficiens detegebatur ex eo, quod facta ſine benaplacito Apoſtolico, ac ſine ulla ſtipulatione pro Succeſſoribus, egredi non poteſt perſonam ipſiuſmet Tranſigentis, neque Succeſſores ullatenùs obligare, ad *Text. in cap. veniens de tranſaction.*, *Vrceol. pariter de tranſact. quæſt.*24 *num.*23., & *quæſt.*25. *num.*5. & firmat *Rot. dec.*340. *num.*1. *cor. Coccino*, & *dec.*1. *num.*7. *inter impreſſ. ad ornat. Car. de Luc tom.*2. *lib.* 6.

8 Multò autem minus ad effectum privandi Succeſſorem Emolumentis illis Parochialibus, quæ diuturna lite ſibi deberi uſque ad rem judicatam obtinuerat declarari

&

& de quibus nulla ſit in eadem concordia pactio particularis, imo neque de illis mentio, neque de Piana conſtitutione ſupra
9 relata. Ac de facto conſtat etiam, quod defuncto poſtmodum Joanne Bernardino tranſigente, Bartholomæus Ciampalantes Succeſſor reportavit anno 1687. mandatum contra Capitulum de parendo ſupradictæ rei judicatæ, id, quod operari dicendum eſt, vel novam ſuperveniſſe rem judicatam poſt hanc ultimam quoque tranſactionem, vel ex hujuſmodi judiciali obſervantia ſatis fuiſſe declaratum, quod illa aut in præjudicium Succeſſorum attendenda non erat, aut univerſalem emolumentorum pertinentiam ad Parochum non reſpiciebat, juxta vulgaria principalia, quod quicumque Contractus
10 à ſubſecuta obſervantia declarationem recipiunt & præſertim ſi ea ſit judicialis, ut
11 hic, & rebus judicatis conformis, & conſtitutionibus Apoſtolicis, *Rota deciſ.* 196. *num.3. coram Benincaſ.*, *& deciſ.* 80. *num.* 37. *coram Rmo P. D. meo Anſaldo Decano* cum aliis vulgar.
12 Et fruſtra vim, & efficaciam repetitæ rei judicatæ exinde Capitulum effugere prætendebat, quod non fuiſſet in illo antiquo Judicio legitimè citatum; nimis enim ſerotina erat hujuſmodi exceptio, poſtquam tot actus in eodem Judicio ex ipſiuſmet quoque Capituli parte per Procuratorem conſtitutum expleti fuerant, & poſtquam ſententia in eo lata per Signaturam Iuſtitiæ canonizata etiam extitit, ut alias inquit *Rota dec.*411. *num.*7., *&* 8., *dec.*577. *num.*2. *par.*19. *rec.*
13 Eodemque modo nullum ipſi præſidium quæri potuit ex eo, quod Calbinus actor acquievit perceptioni Emolumentorum Parochialium ab eodem Capitulo. Credere quippe potuit jus ſuum eſſe ſalvum ex Piana Conſtitutione, & potuit etiam provenire talis acquieſcentia ex ignorantia, quæ præſumitur in ſingularibus Succeſſoribus, itaut
14 cum ſtatim habita notitia, reclamaverit, nullum illi præjudicium ex d. acquieſcentia irrogatum ſit, *Rocc. diſput. Jur. cap.*71. *nu.* 41., *Rot. dec.*260 *num* 22. *par* 13., *& dec.* 582. *num.*14. *par.*18. *rec.* Maximè quia non eſt longi, ut aſſerebatur, temporis, ſed breviſſimi, dum Vicariam aſſecutus ille fuit anno 1714.

Et ità utraque &c.

ROMANA EMOLUMENTORUM PAROCHIALIUM SUPER PRÆTATICO, ET PENTIONIBUS.

Lunæ prima Julii 1718.

ARGUMENTUM.

Prætaticum inter Jura Parochialia comprehenditur, & ſecundum iſta regulatur, quando loco emolumentorum per Capitulum Parocho ſubminiſtratur.

Capitulum habitationis commodum Parocho aſſignare tenetur, cum iſte intra Eccleſiæ Parochialis ſæpta, debeat habitare, juxta Concilium Trident. ſeſ. 25. cap. 1.

SUMMARIUM.

1 *Indebiti repetitio non datur de juſte exacto, ſed de indebite percepto.*
2 *Prætaticum debetur Parocho loco Emolumentorum Parochialium, in quibus Parochus præjudicatur.*
3 *Prætaticum inter Parochialia emolumenta comprehenditur, quæ ad Parochum, ſeù Vicarium pertinent*, amplia ut in n. 5.
4 *Prætaticum quando debetur Parocho, cenſetur loco emolumentorum Parochialium, & idem Judicium, quòd iſta ſortiuntur, ſortiri debet.*
6 *Prætaticum, ut dicatur inter jura Parochialia comprehenſum, obſervantiæ multum defertur.*
7 *Prætaticum non poteſt dici, quod ſpectet ad Canonicos ex deſcriptione de eo facta in eorum introitibus, quando talis deſcriptio eſſet conſtitutioni Pianæ præcedens, &* vide rationem in n. ſeq.
8 *Illatio bona non eſt, quod ita ſit faciendum, ex quo antiquitus ita obſervatum ſit.*
9 Parochus *tenetur in Parochiali Domo habitare.*
10 *Penſiones Domus Parochi ſi ſolvantur per Capitulum denotat, quod iſtud teneatur illi habitationem præſtare ratione Curæ*
11 *Amplia ſi ex facto Capituli pateret, quod citaſſet Parochum ad recipiendas manſiones ſibi deſtinatas.*
13 *Confeſſio propria alias probationes vincit, & ea nulla datur major probatio.*

DECISIO MLXXXVII.

PRætenſio excitata à Capitulo S. Angeli in Foro Piſcium adverſus Hieronymum Amatum Vicarium ejuſdem Eccleſiæ ſuper reſtitutione Prætatici ab hoc percepti, & Penſionum Domus illi ſolutarum ab eodem Capitulo, non minus rejecta fuit in Foro A.C. quam in noſtro Tribunali; quippequia, ut dictum fuit in contemporanea mea deciſione, propoſui una cum dubio reſpiciente pertinentiam univerſalem emolumentorum Parochialium etiam aliud reſpiciens petitam à Capitulo reſtitutionem, ſcilicet -- *An ſit locus reſtitutioni Prætatici, & Penſionum à Capitulo ſolutarum* -- habuique reſponſum negativum in omnibus.

Cum enim reſtitutio prætendi non poſſit,
1 niſi de eo, quod iniuſte perceptum eſt, juxta firmata *per Rot. dec.*456. *n.* 3 *cor. Emer. jun.*, *& dec.* 143. *num* 9 *p.* 17. *rec.* evidens fuit ad illam Vicarium non teneri, ſtatim ac demonſtravit jure ſibi proprio, & Prætaticum & penſiones fuiſſe debitas.

Et quidem diſtinctè procedendo indu-
2 bitatum eſt ad ipſum pertinuiſſe controverſum Prætaticum, quia cum illud Parocho debeatur loco eorũ emolumẽtorũ Parochialiũ in

in quibus prejudicium ſibi illatum eſt ex inhabitatione Judæorum in ſua Parochia, ut *eſt text. in cap. Quanto §. fin. de uſur.*, & tradunt *Barboſ. ſuper eodem text. n. 1. de Parachis p. 3. cap. 28. n. 3.*, *& de jur. Eccleſ. lib. 3. cap. 26. §. 3. & 4*, *& Pignattell.* loquens in terminis iſtius Eccleſ. *conſult. 70. n. 12. per tot. to. 5.*
3 Dubio procul comprehenditur inter ea emolumenta Parochialia, quæ ad Vicarium S. Angeli pertinent tàm ex præſcripto Conſtitutionis S. Pii V., quam rei judicatæ anni 1662., de quibus in contemporanea mea deciſione, cenſeri
4 quippe debet eorumdem emolumentorum loco ſubrogatum, & uti tale idem Judicium ſortiri quoque debet, ac alia emolumenta Parochialia, juxta ea, quæ adnotat *Bartol. in l. prima §. Hac actio locum habet n. 2. ff. Si quis teſtam. lib. eſſ. Iuſſ. fuer. Gratian. diſcept. 719. n. 9.*, *& ſeq.*, *Rot. dec. 889. nu. 8. cor. Emer. jun.*, *& cum aliis in Bononien. Legati prima Julii 1709. §. Fortius vero cor. Reverendiſſimo P. D. meo Anſaldo Decano.*

Maxime quia dubitari non poteſt illud non
5 ſolum tacite ſub verborum generalitate, ſed etiam expreſsè comprehenſum fuiſse in d. re judicata, quoniam occaſione diſputationum uſque tùm habitarum in Signatura Juſtitiæ, orta hac ipſa difficultate: An diſpoſitum in Judicato A. C. intelligeretur quoque de Prætatico, poſtquam prima vice reſcriptum fuerat *S. P.* ſimpliciter, in ſecunda Cauſæ propoſitione prodiit aliud reſcriptum. *In deciſis etiam quoad Prętaticum*, *& amplius*, *ut in Summ. Vicarii ſuper alio dubio n. 6.*, concurritque inſimul in hac
6 parte eadem obſervantia Judicialis, de qua pàriter in contemporanea deciſione, juxta plures reſolutiones Sac. Congregationis Viſitationis tàm favore Vicariorum anteceſſorum S. Angeli, quàm aliarum Eccleſiarum ſimile jus obtinentium, ut teſtatur idem *Pignattell. tom. 5. d. Conſult. 70. num. 4.*, *& ſeq.*, *& to. 10. fol. 372.*, ubi Congregationis prædictæ decreta referuntur.

Abſque eo quod recurrere juverit ad eaſdem exceptiones, quæ deducebantur quoad alia pariter emolumenta Parochialia ex antiquis tranſactionibus. Satis namque illæ confutatæ fuerunt in d. mea deciſione, itaut ſufficiat ad ibidem deducta relative ſe habere; addendo
7 dumtaxat, quod nil concludit, aliàs Capitulum deſcripſiſſe hujuſmodi Prætaticum inter proprios introitus, quia id factum fuiſse legebatur antequam per S. Pium V. conſtitueretur in Eccleſia S. Angeli Vicaria cum aſſignatione emolumentorum Parochialium Vicario, itaut
8 ab iis, quę tunc temporis geſta ſunt, non bene fiat ad poſterius tempus, quo Eccleſiæ ſtatus mutatus fuit illatio, juxta *regul. de qua Gloſſ. in L. Non ignorabit verſ. fuiſſe C. ad exhiben. Rota dec. 82. num 3.*, *& dec. 542. n. 1. coram Cavaler.*, *& in Romana hæreditatis de Rivald. ſuper exhibit. die 4. Febr. 1711. §. Neque exiſtentia cor. Eminentiſſimo D. Card. Scotto.*

Deſcendendo autem ad penſiones, illas quo-
9 que ad Vicarium pertinuiſſe ſtatim dignoſcitur, quia ex præſcripto *Sac. Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. primo* debet quilibet Parochus in Parochiali Domo pro Parochianorum commodo inhabitare, ut adnotarunt *Barboſ. ad id. Concilium n. 45.*, *Garz. de benefic. p. 3. cap. 2. n. 179. Antonell. de jur.*, *& oner. Cleric. lib. 2. p. 6. cap. 7. n. 6.*, *Rot. dec. 354. n. 1. cor.*
10 *Buratt.* Undè ſi Capitulum S. Angeli loco aſſignandi congruam Vicario habitationem, ut fecerunt Capitula aliarum Eccleſiarum, in quibus ex Piana Conſtitutione conſimiles Vicariæ fuerunt erectæ, penſionem alterius Domus perſolvit, ſtatim patet ex quo titulo fuerunt illi ſolutæ recenſitæ penſiones, ex firmatis *in ſimil. terminis dec. 266. nu. 1. p. 15.*, *& dec. 502. n. 4. p. 19. recent.*

Aliiſque demum relictis, quę ex antiquio-
11 ribus factis deduci poſſent, ſatis validum, & clarum argumentum in ejuſdem veritatis confirmationem eruitur ex facto ipſorummet Canonicorum, qui ſub anno 1661. nolentes continuare ſolitam penſionum ſolutionem, judicialiter de facto Vicarium interpellarunt ad recipiendum manſiones deſtinatas pro ſibi debita habitatione. Pręfefert namque hoc factum litteralem ipſius Capituli confeſſionem, quod obligatum ſit, aut habitationem ipſam præſtare Vicario, aut illius loco alterius habitationis penſionem perſolvere, ideoque melior probatio tituli,
12 ex quo eaſdem penſiones percipere Vicario licuerit deſiderari non poteſt, *ad text. in cap. per tuas de probat. Rota cor. Sa. mem. Greg XV. dec. 317. n. 3. dec. 675. nu. 2. p. 18.*, *& dec. 411. n. 6, p. 19. rec.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DISTRIBUTIONIS DOTIUM QUOAD HELVETIOS.

Lunæ 21. Novembris 1718.

ARGUMENTUM.

Teſtator, qui ad pium legatum à ſe relictum Confratres de ſua Natione in genere vocavit de illis præſumitur intellexiſse, qui de ejus propria Patria ſunt oriundi, non vero de cæteris Confratribus ex diverſis aliis Provinciis, licet iſtæ ſub generali imperio, cui ejuſdem Teſtatoris Patria ſubiacet contineantur, maxime quando ejus mens ex obſervantia, tùm ab eodem detenta, cum ab ejus exequtore teſtamentario, interpretationem reciperet.

SUMMARIUM.

1 *Bohemi veniunt ſub nomine Germanorum.*
2 *Helvetii ſub Germania comprehenduntur, juxta plura Geographorum teſtimonia.*
3 *Germania in Superiorem, & inferiorem dividitur*, & num. 16.
4 *Helvetii ſunt in Germania ſuperiori.*
5 *Voluntas potius Teſtatoris attendenda eſt, quàm periodi, & verba, etiam ſi à propria iſtorum ſignificatione eſſet deflectendum*, & num. 19.

6 Te-

6 *Teſtator vocans ad ſuum legatum Confratres propriæ Nationis, eam ſpecificando, ſub qua diverſæ aliæ comprehenderentur, illos de prima tantum præſumitur contemplaſſe, & non alios*, & vide rationem, amplia, ut in n, 13.

7 *Verba Teſtatoris non otioſè, ſed conſulto prolata, & diſpoſitioni appoſita cenſeri debent.*

8 *Confratres Eccleſiæ S. Mariæ Campi Sancti, qui Germani non ſunt, non habent vocem, neque activam, ne que paſſivam in Confraternitate.*

9 *Teſtator præſumitur ſciviſſe ea, in quibus fuiſſet verſatus, quæque per ejus manus pertranſiviſſent.*

10 *Legatum dotium factum à Teſtatore favore Confratrum Societatis propriæ Nationis, non præſumitur etiam factum favore illorum, qui licet eidem Societati adſcripti, diverſæ tamen eſſent Regionis, & tùm activa, tum paſſiva voce, uti exteri, carerent*, & vide rationem.

11 *Amplia, quando illos de propria Civitate cæteris aliis, licet ejuſdem Nationis prætuliſſet*, & num. 13.

12 *Prælatio ſupponit præambulam paritatem inter præferendos, & non valentes in eadem paritate concurrere.*

13 *Teſtator natione Germanus, & Garmanos ad ſuum legatum vocans, hos tantum, & non cæteros de diverſis Provinciis, iidem licet Imperio ſubiectis, vocaſſe præſumitur*

14 *Voluntas Teſtatoris in ambiguis ab obſervantia, qua vivens fuiſſet uſus, quaque etiam exequtor Teſtamentarius interpretationem deſumit*, & vide caſum.

15 *Exequtor teſtamentarius Teſtatoris mentem ſemper preſumitur ſciviſſe.*

17 *Nationes in Confraternitate adſcriptę ex diverſitate ſepulturæ, & ex defectu capacitatis aliquorum circa officia, & munera, inter ſeſe diſtinguuntur.*

18 *Decreta Congregationis Confraternitatis in uſu non recepta ſtatum non faciunt, nec operantur.*

20 *Helvetii veniunt ſub nomine Germanorum*

21 *Mens Teſtatoris, quæ poteſt ſecundum verba teſtamenti verificari, ſecundum ea eſt interpretanda, nec ad diverſum ſignificatum trahenda eſt.*

22 *Mens Teſtatoris ſemper præſumitur verſari in illa re, quę clare eſſet expreſſa, quàm in ea, quæ ſub verborum involucro remanſiſſet.*

DECISIO MLXXXVIII.

PIA diſpoſitio Joannis Georgei Maiſſel, qua demandavit penſiones Domus ad ipſum hìc in Urbe pertinentis erogari in tot dotes ſcutor. 25. pro qualibet annuatim diſtribuendas die feſto Immaculatæ Conceptionis S. Mariæ Virginis per Archiconfraternitatem Campi Sancti favore Confratrum Nationis Germanicæ, ne quidem prima vice pacificũ effectum valuit obtinere. Quippe quia inde ſumpta prætenſionis occaſione, quod & ipſi ſub generali Germanorum denominatione continerentur, petierunt ad participationem earumdem dotium admitti etiam ii Confratres, qui Nationis eſſent Bohæmicæ, Helveticę, & Flandricæ, ſubſtinentibus cæteroquìn aliis, quod ſolum Germani reſtrictive ſub Legato Joannis Georgei compræhenderentur. Hinc re delata ad Curiam R. P. D. Viceſgerentis, prima prodiit anno 1713. ſententia, quæ ſucceſſive tranſivit in rem judicatam pro Flandorum excluſione, & poſtmodum anno ſubſequenti 1714., inſtaurata quoad alios quæſtione, aliud prodiit Judicatum pro admiſſione è contrario Helvetiorum, & Bohæmorum.

Ab hac poſtrema ſententia fuit appellatum, commiſſaque mihi cauſa, propoſui ſub die 22. Februarii anni præteriti dubium omnium complexivum -- *An dotes ex legato Maiſſel diſtribuendæ ſint per Archiconfraternitatem S. Mariæ Campi Sancti ſolis confratribus Nationis Germanicæ ad excluſionem Confratrum nationis Bohęmiæ, Helvetiæ, & Flandrię* -- prodiitque reſolutio *Affirmativè quoad Germanos, & Bohæmos, negative vero quoad Flandrios, & quoad Helvetios iterum proponatur.*

Rediit hodie ad trutinam tota iterum quæſtio, diverſa tamen methodo examinanda; quipe quia noſcentes Flandri, quod fundamentum reſolutionis contra ipſos totaliter nitebatur obſtaculo rei judicatæ promanantis ex ſententia anni 1713. ſupra relata, obtinuerunt interim à Signatura Juſtitiæ novam Commiſſionem reſtitutionis in integrum, cujus vigore datum fuit quoad ipſos ſeparatum dubium, de quo in contemporanea deciſione; & remanentibus Bohæmis tantum ſub aliàs capta reſolutione, & Helvetiorum juribus nondum definitis, quæſivi à Dominis unico contextu -- *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis, & an Helvetii comprehendantur in legato Maiſſel*, habuique reſponſum *ſtandum eſſe in deciſis, & quo ad Helvetios, non eſſe compręhenſos.*

*R*atio perſiſtentiæ in deciſis inixa fuit iiſmet fundamentis jam in prima deciſione conſtabilitis, & ſuadentibus Bohæmos, procul
1 dubio ſub Germanorum denominatione à Teſtatore intellectos fuiſſe, quę ſane fundamenta repetere opus non erat, quia Partes ipſæ rei veritate perſtrictæ, id amplius non impugnabant.

Ad ſecundam igitur reſcripti partem deſcendendo excluſionis à controverſo legato Confratrum Helvetiorum, viſum fuit Dominis, quod iſta queſtio examinanda non eſſet in iis terminis, cum quibus partes procedebant intelligentiæ vocabuli à Teſtatore pro-
2 lati in vocatione ad legatum *delli Fratelli della Germania*, & capacitatis iſtius denominationis *delle Germania* comprehendi tàm veros Germanos, quàm etiam Helvetios, ex quo etiam ii in Germania compræhende-

rentur, juxta plura Geographorum teſtimonia, qui Germaniam dividunt in inferiorem,
3 & ſuperiorem, & in iſta numerant Helvetios,
4 verum in tutioribus terminis perſcrutationis
5 voluntatis ipſius Teſtatoris, à qua regulare eſt recedi ullo modo non poſſe, ſed illam attendendam eſſe, etiam ſi à propria verborum ſignificatione deflectendum ſit, ad *text. in l. hæredibus* 45. *ff. de hæred. inſtit.*, & *l. Pater Severinam* §. *Conditionum verba ff. de condit., & demonſtrat., & l. non aliter* 67. *ff. de legat.* 3., *Rota dec* 310. *num.* 7. *p.* 18., & *dec.* 537. *num.* 9. *p.* 10. *rec. tom.* 2., *In Peruſina ſubſidii dotalis* 2. *Maii* 1704. § *fin. cor. Eme D. Card. Scotto*, & *in Majoricen. ſucceſſionis* 16. *Junii* 1710. §. *Et ſi enim cor. Rmo D. meo Aldrovando*.

Hæc autem voluntas Joannis Georgei Te-
6 ſtatoris Confratres Helvetiorum non compræhendi in ſuo dotium Legato inde reſultare in primis viſa eſt, quod bene conſcius, quod eidem Archiconfraternitati S Mariæ Campi Sancti, cui & ipſe reperiebatur adſcriptus aggregati erant, tùm Germani, tum Helvetii, tùm etiam Flandri, relicta cæterorum mentione, & imò electo reſtrictivo vocabulo, uſus fuit illa adiectione in vocatione ad legatum favore Confratrum *della Germania* demonſtrativè quidem, & contradiſtinctè ad alios, qui erant ex Helvetia, vel Flandria, quos ſi vocare etiam intellexiſſet, opus non erat, quod in ſua oratione uteretur additamento illo *della Germania*, ſed ſatis erat, quod indefinitivè, & generaliter vocaſset Confratres, dum præter ſupra relatos, alii non erant diverſæ Nationis Confraternitatis adſcripti, ad quas referri poſſit adhibita per ipſum diſtinctio; ita ſuadente alia regula,
7 quod Teſtatorum verba non otioſe, ſed conſulto prolata, & appoſita diſpoſitioni cenſeri debent, ad *text. in l. Si quando in principio ff. de legatis* 1, *Rota dec.* 478 *n.* 6. *p.* 18. *rec.*

Neque iſtud argumentum ea poteſt evitari animadverſione, quod etiam Itali, & alii diverſarum Nationum adſint in eadem Archiconfraternitate, quia id non contingit, niſi ad effectum participandi de pluribus Indulgentiis à Summis Pontificibus Eccleſiæ,
8 & Archiconfraternitati conceſſis; cæterum vero præcipuum, imò integrum fere illius corpus à prædictis Nationibus conſtituitur, illius adminiſtratio ab aliis non exercetur, quàm à relatis, & qui de dictis Nationibus non ſunt, vocem non habent neque activam, neque paſſivam, & ideo ad conſimilia emo-
9 lumenta admitti non ſolent, quod pariter præcognitum fuiſſe Teſtatori præſumendum eſt, dum diù in eadem Archiconfraternitate verſatus fuerat, *argumento text. in l. Si Pupillus* 11., *de quo palam, ff. de inſt.* & *in ſimilibus terminis*, *Rota dec.* 11. *n.* 26., & *ſeq. cor. Buratt.*, & *dec.* 93. *n.* 9. *p.* 19. *rec.*

Et quoniam neque admittuntur ad d. Ar-
10 chiconfraternitatis adminiſtrationem Helvetii, nec ſolent unquam in Officiales eligi, & habent etiam ſeparatum, & diſtinctum Sepulturæ locum, ſed ſolum in ea pariter adſcripti ſunt, ut de indulgentiis, cæteriſque bonis ſpiritualibus aliorum communione participent, inde etiam aliud reſultare videtur argumentum eorum excluſionis à legato Joannis Georgeii, quia cenſendum non eſt impares in reliquis cum Germanis voluiſſe illis pares facere in conſequendo ipſius relicto, ut in propoſito advertit *Menoch. conſ.* 177. *n.* 10., *Rot. dec.* 101. *n.* 16 *p.* 17. *rec.*
11 Conducit quoque in hunc ſenſum duplex alia ponderatio ex littera diſpoſitionis reſultans, prima nempe, quod Teſtator pluribus Confratribus Germanis ad legatum concurrentibus, præferri voluit cæteris omnibus Bambergenſes, qui dubio procul ſunt veri Germani, cum Bambergæ Civitas in ſuperiori Germania contineatur, ut conſtat ex Mappis Coſmographicis, & concordant omnes Geographi, ac notorium eſt; Prelatio
12 autem ſupponit preambulam paritatem inter eos, qui ſunt præferendi, & alios non valentes in eadem paritate concurrere, *text. in* §. *Preferuntur inſtit. ad ſenat. Conſult. Tertul.*, *Rota dec.* 2007. *nu.* 2. *cum plurib. ſeq. cor. Coccin. dec.* 106. *n.* 7. *cor. Card. Cerro in Romana* Cappellaniæ 16. *Martii* 1708. §. *quod autem in caſu cor.* R*reverendiſſimo D.*
13 *meo Anſaldo Decano*. Secunda vero, quod & ipſe Teſtator, uti originem habens à d. Civitate, erat eodem modo verus Germanus, proindeque facilius præſumi debet, quod de veris Germanis intellexerit, eoſque tanquam habentes natale in Regione, in qua & ipſe illud habuit, aliis omnibus prædilexerit, ex *in cap. ſi Pater verb. Pauperes verſ.*, & *de Pauperibus proprii Domicilii, ibique Covarr. n.* 14. *de teſtam. Rot. dec.* 22 *n.* 40. *coram Zaratt.*, & *dec.* 252. *nn.* 5., & 10. *p.* 19. *rec.* & *in Cuſentana Cappellaniæ* 2. *Febr.* 1703. §. *Si autem*, & *ſeq. cor. Eminentiſſimo Cardinali Scotto*.
14 Confirmatur hæc eadem intelligentia ex obſervantia, tum ipſius Teſtatoris, dum viveret, tum ejus executoris Teſtamentarii poſt obitum. Ipſe ſiquidem Joannes Georgius Teſtator piis intentus operibus in beneficium ſuæ Germanicæ Nationis aſſueverat meſtruā pecuniariam eleemoſinam diſtribui facere familiis confratrum defunctorum nationis Germanicæ ejuſdem met Archiconfraternitatis Campi Sancti, vetuitque Confratri diſtributori Eleemoſinæ, ne aliis illam diſtribueret, quam familiis Confratrum Germaniæ, à qua ipſe habebat originem, ut teſtatur idem Diſtributor; Hic autem Teſtatoris agendi modus dum viveret optimè declarat ipſius voluntatem fuiſſe, dum de Germanis in dotium legato locutus eſt Flandros, & Helvetios non intellexiſſe ſub eo compræhendere, ſed veros Germanos duntaxat, *text. in l. nomen.* §. 1. *ff. de Legat.* 3. & *l. Legata in fin. de ſuppel. legat. Simon. de. Pret. de interpetrat. ult. volunt. lib.* 1.

ſo-

ſolut.5.num.49.; executor verò Teſtamentarius, nempè Ioannes Nolens, cui commiſſa pariter fuerat à Teſtatore diſtributio poſt ejus obitum ſcutor. 50. familiis pauperibus Nationis Germanicæ, noluit ipſius diſtributionis participes fieri, niſi veros Germanos, id quod plurimum eodem modo attendendum eſt in explicatione voluntatis Teſtatoris; tum quia contingit immediatè poſt ejus mortem, tum quia Executor Teſtamentarius ejus mentem, & intentionem ſciviſſe præſumitur, *Mantic. de coniect. Vlt. vol. lib.3. tit.1. num.21., & 22. Rot. dec.73. nu. 8. & dec.303. num.14. par.15. rec.*

Non obſtat, quod in actibus Archiconfra-
16 tis Germaniæ denominatio importet lato
modo comprehenſionem, tam ſuperioris,
quam inferioris Germaniæ, & proinde anno
1649. editum ab illa fuerit decretum, quod
in Schedulis intimationis adiiceretur nota
illa *della Germania ſuperiore*, & *inferiore*;
17 etenim quod in ipſa Archiconfraternitate
diſtinctè intelligantur Germani, ac Helvetii ſupra oſtendimus ex pluribus, & præſertim ex diverſitate Sepulturæ ab excluſione ab adminiſtratione Æconomica Cõfraternitatis, & ex defectu capacitatis Helvetiorum, ut eligerentur in officiales, undè aſſeri non poteſt amplius quod unum, & idem ſonent apud ipſam Confraternitatem Germani & Helvetii. Decretum verò rela-
18 tum non oſtenditur unquam fuiſſe in uſu, &
imo conſtat fueviſſe etiam ex poſt in iiſdem Schedulis intimationum nationem Theuthonicã ab aliis contradiſtingui, & cæteras quoque Nationes vario modo apponi, ideoque objectũ ceſſat ex facto, quando tamen attendenda cæteroquin ſemper eſſet voluntas Te-
19 ſtatoris, quæ ex ſola Germanorum excluſione videtur ſtare pro aliorum omnium excluſione juxta adductas authoritates, quibus concordat *Rot. dec.253. nu 2., et 3. par.16. dec.211. num.2. par.17., et dec.711. num.5. par.18. rec.*

Quatenus demum ſumpta interpretatio favore Germanorum dumtaxat aliquam adhuc pateretur difficultatem; Domini ponderabant, quod in præſenti caſu, etiam ſi
20 venire poſſent Helvetii ſub nomine Germanorum, quia Germaniæ denominatio ad illos etiam extenderetur, eſſent tamen Germani in conſequendo Joannis Georgi legato præferendi, quia conſtitutum in jure eſt, quod
21 ubi plures concurrunt, quorum alter habet pro ſe geminam, & litteralem vocabuli proprietatem, alter verò improprie ſolum, vel per extenſionem ſub eo continetur diſpoſitionis beneficio, gaudere inprimis debet ille, cui aſſiſtit verbi indubitata proprietas, & cui proinde ſuffragari magis præſumitur voluntas Teſtatoris, juxta plenè deducta ex *Text. in l. non aliter ff. de Legatis 3. Saminiat. controver 31. num.8. Rota dec.10. num.15. par.10., et dec.17. num.14. par.19. rec.*

Et ita utraque &c.

ROMANA DISTRIBUTIONIS DOTIUM QUOAD FLANDROS.

Lunæ 21. Novembris 1718.

ARGUMENTUM.

Voluntas Teſtatoris, & non periodi, nec verborum ſenſus attendi debet, maxime quando ex obſervantia, qua tum ipſe, dum vixit cum ejus teſtamentarius exequtor poſt obitum uſus eſſet, depræhenderetur.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum, læſione remota, non datur.*

2 *Flandri in Germania continentur.*

3 *Voluntas Teſtatoris attendenda unicè eſt, & non ſenſus verborum.*

4 *Mens Teſtatoris ex verborum conſonantia explicatur, quando ſpecifice nationem individuavit, quam ad ſuum legatum invitare intellexit privativè quoad alias gentes lato modo ſub eadem natione compræhenſas, quæ de ſua prædilecta regione non eſſent oriundæ.*

5 *Amplia, ſi talis mentis intelligentia ſit obſervantiæ, quam in vita ſervaſſet, uniformis.*

6 *Subamplia, quando huic etiam obſervantiæ illa, qua uſus eſſet teſtamentarius exequtor, famularetur, & ex quibus hæc obſervantiæ deſumuntur.*

7 *Mens Teſtatoris, ut tutius interpretetur, multum obſervantiæ defertur.*

8 *Diſtinctio inter Confratres unius Nationis, ab aliis alterius eidem Confraternitati adſcriptis deſumitur ex alternativa inter ipſos deputatione officialium.*

9 *Teſtator legando dotes favore Confratrum ſuæ nationis, ſe ſtatuto, & praxi ejuſdem Confraternitatis uniformaſſe præſumitur*

DECISIO MLXXXIX.

OBſtaculum rei judicatæ promanantis ex ſententia per R.P.D. Viceſgerentem lata de anno 1713., cujus vigore excluſi fuerunt etiam in noſtro Tribunali, juxta deciſionem editam coram Me 21. Februarii ſuperioris anni à legato dotium Ioannis Georgei Mayſſel, evitare curarunt Confratres S. Mariæ Campi Sancti nationis Flandriæ obtinendo à Signatura Iuſtitiæ novam commiſſionem reſtitutionis in integrum Mihi quoque directam, ut recenſui in contemporanea deciſione quo ad Helvetios, ſed inutilis fuit eorum conatus; quippe quia propoſito hodie dubio -- *An conſtet de cauſis reſtitutionis in integrum, ſeu potius de re judicata quoad Flandros* -- reſponſum habui -- *conſtare de re judicata*, ità ſuadentibus dictæ ſententiæ validitate, quæ non controvertitur, & juſtitia, quæ ex infra recenſendis ſatis tuta comperitur, itaut ceſſante quavis
1 læſione, locus petitæ in integrum reſtitutioni
non fuerit, juxta vulgata jura reaſſumpta in
Ferrarien. fideic. de Giliolis labentis anni §. fin.

§.*fin.*, *in Romana primogenituræ de Bubalo 9.Maii pariter hujus anni* §.*finali coram Me* & paſſim alibi.

2 Licet enim Flandri ad effectum ut compræhenderentur ſub legato diſtributionis Dotium relicto à Ioanne Georgeo favore Confratrum *della nazione di Germania* totis viribus ſubſtinere conarentur, quod decem & ſeptem illæ provinciæ, ex quibus oriundi ſunt, ſolent eidem Archiconfraternitati Campi Sancti inter Germanos Confratres admitti, & aggregari, & verè in Germania continentur, juxta plura Geographorũ ob id allegatorum Teſtimonia, adhuc tamen Dominis viſum fuit per Germanos ipſos à præfato relicto excluſos remanere ex voluntate
3 teſtatoris, quæ unicè attendi debet, juxta ea', quæ fuerunt deducta quoad Helvetios in contemporanea deciſione §.*ad ſecundam*, & *ſeqq. cor. Me*.

Et quidem omiſſa inſpectione illius queſtionis, an præfatæ decem & ſeptem Provinciæ venire poſſint, nec nè ſub generali denominatione Germaniæ, recurrere viſæ ſunt in Flan-
4 drorum excluſionem omnes illæ circumſtantiæ, quæ Dominos impulerant ad firmandam Helvetiorum excluſionem? præelectionis factę à Teſtatore vocabuli *della Germania* ad diſtinguendos iſtius nationis Confratres ab aliis Flandriæ, & Helvetiæ prædilectionis ſuæ met propriæ nationis, & prælationis volitæ favore Bambergentium ipſius Concivium, ut fuit in *d.deciſione* firmatum *à* §. *Hac autem cum pluribus ſeq.*

5 Fortiùs autem quo ad Flandros ſtringere viſa fuit obſervantia, de qua ibidem §.*confirmatur*, quoniam ſi de ea loquamur, quæ reſpicit praxim ſervari ſolitam ab ipſo met Teſtatore, dum viveret in commiſſa alteri Confratri menſtruæ Eleemoſinæ præſtatione favore confratrum nationis Germanicę, illud eſt in ea peculialiter adnotandum, quod prohibitio injuncta Diſtributori ne alios participes faceret dictæ Eleemoſinæ præter veros Germanos ex inde cauſam habuit, quod novit admiſſos fuiſſe, ſeu admitti prætendere Confratres Flandriæ, vetuitque de facto, ne amplius Diſtributor, talis Eleemoſinæ participem illius faceret viduam relictam à Confratre Leodienſi, ut teſtatur ipſe
6 Diſtributor, ſi verò de illa agamus, quæ reſpicit factum executoris Teſtamentarii, duæ ſuppetunt circumſtantiæ facilius volitam Flandrorum excluſiunem comprobantes, prima, quod executor Flandros concurrentes pro participatione ſummæ pecuniariæ relictæ à Ioanne Georgeo ſemper excluſit, præferendo omnibus veros Germanos, & ſecunda, quod; idem met executor erat natione Flandrus, unde eo fortius dicendum eſt Confratres ſuæ nationis, cui cæteroquin omni favere potuiſſet arbitrio, excluſiſſe ex præcognita mente ſui Teſtatoris, ita ut poſſet ex illius facto quædam etiam oriri ipſorum Flandrorum confeſſio,
7 quod in conſimili relicto facto favore Confratrum nationis Germaniæ neutiquam ipſi compræhendantur, ſufficit cæteroquin individuam eſſe talem obſervantiam, ut ex ea tutior capiatur interpretatio, *Rot. deciſ.65. num.17. coram Arguell. deciſ.227. num.9. par.18. dec.452. num.24.*, & *dec.518. num. 36. par.19. rec. tom.2.*

Quod verò in Archiconfraternitate S. Mariæ Campi Sancti ſoleant Confratres Flandriæ eligi in officiales, licet non eligantur Helvetii, retorqueri potius viſum fuit,
8 quia id accidit ratione alternativę inter ipſos, & Germanos conſtabilitæ, quæ potius oſtẽdere videtur, quod ipſi habeãtur pro diſtinctis ab iiſdem Germanis, nam alias promiſcuè cum ipſis in officiales eligerentur, confirmante hanc eandem diverſitatem Statuto d. Archiconfraternitatis, per quod ita Flandri à Germanis diverſi conſiderantur, ut ſtrictè ab eo præcipiatur, quod ne ulla oriatur inter Nationes confuſio, exquiri debeant ab admittendis plenæ juſtificationes circa nationẽ, ſive Flandricam, ſive Theutonicam,
9 cui quidem diverſitati Nationum uniformi Statuto, & praxi Archiconfraternitatis conſentanea cenſeri debet etiam Teſtatoris voluntas, *Rot. dec.142. num. 5.*, & *16. par.17. dec.187. num.19.*, & *dec.629. num.18.*, *ubi concordan. par.19. rec. tom.2.*

Et ita relativè ad contemporaneè deducta pro Helvetiorũ excluſione utraque &c.

ROMANA OFFICII MAZZIERATUS APOSTOLICI.

Lunæ 5. Decembris 1718.

ARGUMENTUM.

In materia Societatum Officiorum cautum habetur, quod pecunias mutuo dans emptori Officii Vacabilis cum reſervatione decreti tam quoad ſortem, quàm fructus ſui favore pro rata mutuo datarum pecuniarum, condominium ſuper eodem Officio adipiſcitur, & veram contrahere dicitur ſocietatem, præſertim ſi in ordine, quem dicto emptori dedit, iſteque exegit, talem animum de participandis fructibus expreſſiſſet, quod ad ſimplicis, vel ſpecialis tantum hypothecæ adeptionem ſuper eodem officio non redigitur, ex quo hęc de re hypothecata fructus non extrahit.

SVMMARIVM.

1 *Condominium ſuper re empta adipiſcitur, qui mutuo dando ratam pretii, animum illud acquirendi declarat in materia Societatum Officiorum*, & n.5.

2 *Amplia, quando in ordine publicæ arcæ directo, & ab emptore exacto talem animum ſubingrediendi in illius condominio expreſſiſſet.*

3 *Eſſentia dominii in libera facultate de re, ejuſque fructibus diſponendi conſiſtit.*

4 Exi-

4 *Exigens ordinem, omnes conditiones & qualitates in eo contentas approbat.*

6 *Officium ſpectat ad illum, favore cujus libera fructuum perceptio, ac officii diſpoſitio, mediante reſervatione decreti conceditur.*

7 *Verbum* -- Spectare debeat -- *eſt dominii denotativum.*

8 *Probatio ex confeſſione propria Rei conventi deſumpta, quacumque alia eſt præſtantior.*

9 *Hypotheca ſpecialis diverſa eſt à condominio, quod quis ſuper re empta ſibi adipiſcitur, quando illius pretii partem animo illud acquirendi perſolvit.*

10 *Amplia, quando ad fructuum participationem ſe admittendum fore voluiſſet.*

11 *Fructus ex re ſibi hypothecata creditor non percipit, ſecus verò ſi condominus illius fieret.*

12 *Limita, quando in preventivo contractu diverſimodè conveniſſent circa obſervationem ſecandi.*

13 *Reſervatio liberæ diſpoſitionis ſuper Officio Vacabili importat quid plus, quam ſimplex hypotheca, ſive attergatio pro majori creditoris ſecuritate, ſed effectivam dominii translationem in illo, de cujus pecuniis fuiſſet adeptum.*

14 *Adminiſtrator Componendarum Datariæ Apoſtolicæ in hac materia plenam fidem facit.*

15 *Officium vacabile etiam pro rata illi acquiritur, qui pretii partem animo adipiſcendi condominium exſolvit, licèt ſub unius tantum nomine tota expleretur ſolutio, ſub cujus vita periculo illud ſtare deberet.*

16 *Contrahentes præſumuntur ſemper voluiſſe ea, quæ ex actibus eorum contractui proportionatis deducuntur.*

17 *Fructus ex ſimplici mutuo non debentur citra labem uſurariam.*

19 *Verba contrahentium ita ſunt interpretanda, ut eorum menti non ſint contraria, cum imo iſta debeat nudæ verborum ſignificationi prævalere*, amplia ut in num. ſequenti.

21 *Mutuatio pecuniarum poteſt pluribus inſervire contractibus, favore eus accipientis, imo etiam favore mutuo dantis.*

22 *Mutuum non deſumitur ex facultate extinguendi creditum in duabus vicibus, quam debitor ſibi reſervaſſet.*

23 *Dominium non dicitur ab initio adeptum ab uno ex contrahentibus, quando in contractu uteretur verbo* -- conſeguirò -- *futuram adeptionem denotante.*

24 *Scripturæ inter ſeſe conciliantur, diſtinguendo tempora, juxta vulgatum axioma.*

25 *Promiſſio fructuum non ad cauſam à contractu diverſam, & illicitam eſt referibbilis, ſed ad cauſam ejuſdem contractus originariam, & probabilem.*

26 *Recognitio bonæ fidei à minori facta, ſolemnitatibus ſtatuariis non indiget, in veritatis obſequium*, & n. ſeq.

28 *Amplia, ut minor de hac nullitate eo fortius non valeat excipere, quando factus major, eandem recognitionem ratificaſſet.*

29 *Semel approbatus, nunquam reprobari poteſt.*

30 *Scientia nullitatis facti, & juris neceſſaria eſt in minore, ut dici poſſit, quod contractum nullum ratificaverit.*

31 *Ignorantia juris non admittitur, quando quis Juriſperitos poteſt conſulere.*

32 *Ignorantia contentorum in apoca non poteſt allegari ab illo, à quo inita fuiſſet.*

33 *Fructus ſunt de jure debiti, quando veniunt in ſequelam dominii ſuper re fructiſera.*

DECISIO MXC.

EMpturus Marcus Antonius Januarius de anno 1692. Officium Servientis Armorum, ſeu Mazzieratus Apoſtolici nuncupatum, quod erat in pretio ſcutorum 1400., erogavit in hujuſmodi emptione ſcuta 800., & pro reliquis ſcutis 600. uſus fuit ordine in tali ſumma directo per Chriſtophorum Magnū Menſæ nummulariæ Sancti Spiritus, ſub ea tamen lege, & conditione, quod ſuper Officio Mazzieratus liberè, & abſque ullo vinculo reſignato, æque liberè reſervaretur decretum tam quoad ſortem, quàm quoad fructus pro rata dictorum ſcutorum ſexcentum favore ipſius Chriſtophori.

Exaravit etiam ſub eadem die tracti ordinis Marcus Antonius Apocam declaratoriam initi contractus cum Chriſtophoro, in qua dictum fuit, pretium empti Officii verè conſtitiſſe in ſolis ſcutis 1400., licèt in majori ſumma appareret ſolutum, cedentibus reliquis in cauſam pretii indumentorum, & inſignium, quæ pro ipſo Marco Antonio in Officio exercendo erant neceſſaria; ideoque fructus ejuſdem Officii pertinere pro rata ſcutorum 600. ad memoratum Chriſtophorum, & pro reſiduo dumtaxat ad ipſummet Januarium declarantem, & ſucceſſivè ſignata fuit per Sanctiſſimum ſupplicatio cum reſervatione decreti, ut in eodem ordine requirebatur.

Ad formam iſtius declarationis quouſque vixit Chriſtophorus, diviſi inter ipſum, & Marcum Antonium Januarium fuerunt fructus Officii, ab anno nempe 1693. ad annum 1706.; ab inde verò citra plures contra Joannem Aloyſium Chriſtophori hæredem excitavit controverſias Januarius, quarum aliquæ fuerunt de communi conſenſu compromiſſæ, & ab Arbitro definitæ ſub anno 1714.; aliæ verò ad judicium A. C. Cincii deductæ reſpicientes interpretationem, & validitatem præfatæ Apochæ, & condominium Chriſtophori in Officio, diù actitæ ſunt, ſuſtinente Januario, quod Apocha prædicta nulla foret, tamquam à ſe exarata, dum erat in minori ætate conſtitutus, quodque non præſeferret, niſi ſocietatem Officii omnino reſcindendam; ſuccubuit tamen lata Sententia pro Chriſtophori condominio in rata ſcutorum 600., & validitate Apochæ decla-

declaratoriæ participationis fructuum con-
ſecutivè ad jam acquiſitum condominium.
Cum autem reclamante à dicto Judicato
Marco Antonio Januario, delegata mihi
fuerit ejus appellatio, dedi dubium omnium
prætenſionum complexivum -- *An conſtet
de condominio pro rata ſcutorum ſexcen-
tum, & de validitate Apochæ, & debeantur
fructus*, -- cui in hodierna Audientia reſpon-
ſum fuit *Affirmativè in omnibus*.
1 Siquidem de Chriſtophori condominio
conſtare viſum fuit, quod doctum extitit,
illum legitimè acquiſiviſſe ex reſignatione
facta per Piazzinum controverſum Officium
pro dicta rata ſcutorum ſexcentum una cum
ipſo Januario, qui reliquam majorem ſum-
mam impendit, ex qua ſanè acquiſitione
communiter facta ambigi non poteſt, reſul-
tare utriuſque condominium, ſicut ex ac-
quiſitione ab uno tantum facta, illius reſul-
taret dominium, ex deductis per *Menoch.
conſil.*381.*n.*40., *Surd.dec.*50.,*n.*19., & *Rota
dec.*268.*n.*12.*p.*9.*rec.*
Quod verò acquiſitio facta fuerit etiam
Chriſtophoro ex pluribus conjecturis non
tantum de per ſe, quantum etiam unitim pō-
2 deratis apparebat, & occurrebat ad hunc ef-
fectū in primis ea facti circumſtantia, quod
ille animo expreſſit dominium acquirendi
(prout requiritur) occaſione qua contribuit
dicta ſcut.600., & traxit ordinem ſolvibilem à
Banco S. Spiritus ſub ea expreſſa lege, &
conditione, quod pro rata Capitalis ab ipſo
contributa, & fructuum proportionabiliter
percipiendorum impetraretur ad ſui favo-
rem reſervatio decreti ibi -- *Ogni volta che
&c. coſterà loro, che ſopra un Officio &c. ſia
ſtato riſervato liberamente il decreto, tanto
per la ſorte principale, quanto per li frutti
per la rata di ſcudi ſeicento à favore di me
ſottoſcritto* -- ſciebat enim Chriſtophorus,
quod ex hujuſmodi decreti reſervatione
fiebat, & ipſe Dominus Officii acquirendi
3 cum ſuis pecuniis, quia illius vigore libe-
ram obtinebat ejuſdem Officii diſpoſitionem
& ejus fructuum, in qua conſiſtit eſſentia
dominii, ad *Tex.in leg.in re* 21.*C.mandati*,
Bart. in leg ſi quis 5. *Differentia ff. de ac-
quir poſſeſſ.*, *Rot.dec.*1517.*n.*10.*cor. Coccin.*,
4 & *dec.*3.*n.*4.*cor. Ubago*. Quod ſi hujuſmodi
ordinem ita cantantem ipſemet Januarius
exegit, jam inde patet, ipſum quoque voliṭę
per Chriſtophorum acquiſitioni, ſeu condo-
minio conſenſiſſe, illumque acceptaſſe cum
omnibus conditionibus, & qualitatibus in eo
contentis; itaut non valeat inde reſultans
condominium impugnare, *Rot.dec.*627.*ſub
n.*9.*p.*2.*dec.*412.*n.*9.*p.*13., & *dec.*620. *num.*12
*p.*18.*rec.*
5 Et non minus idipſum comprobavit ſuc-
ceſſivum Principis factum, cum ad formam
præcedentis ordinis, & conventionis inter
Partes initæ decretum hujus tenoris ediderit
-- *cum decreto, quod ſupradicti Officii, il-
liuſque fructuum libera diſpoſitio ad Chri-
ſtophorum pro ſumma ſcutorum* 600. *ſpecta-
re debeat* --, in quo duo peculiariter ſunt
adnotanda, evidenter demonſtrantia Chri-
ſtophori condominium; primum, quod ille
6 proculdubio Officii Dominus dicitur, cui
libera fructuum perceptio, ac diſpoſitio ip-
ſius Officii, mediante reſervatione decreti
conceditur, ut firmavit *Rot.dec.*603.*nu.*1.,
& *ſeq.cor.Cavaler.dec.*481.*n.*1.*cor. Coccin.*,
& *dec.*65.*n.*3.*cor.Bich.*, & *in Romana Fidei-
commiſſi de Curtis ſuper Officio Parci Ma-
joris* 15. *Februarii* 1715. §.*In nihilo*, & *ſeq.
cor.Rm̃o D. meo Anſaldo Decano*. Et ſe-
7 cundum, quod in dicta conceſſione Princeps
uſus fuit illo verbo *ſpectare debeat*, quod
præcisè eſt denotativum dominii, ut alias
dixit *Rot.dec.*153.*num.*58.*cor.Bich.dec.*305.
*n.*15., & *dec.*390.*nu.*8. *p.*19.*rec.* Unde cum
Princeps in ſuo decreto hæc omnia reſ-
pectu perſonæ Chriſtophori expreſſerit, il-
lum Offici Dominum conſtituiſſe cenſendus
eſt. Prout neque diſſenſiſſe videtur idem Ja-
nuarius, dum occaſione initi compromiſſi
ſuprarememorati expreſsè faſſus fuit emptio-
nem Officii fuiſſe ita ſocialiter factam, ibi
-- *In occaſione della compra fatta in compa-
8 gnia di detto Signor Chriſtoforo*, itaut, con-
currente Partis confeſſione, melior probatio
talis acquiſitionis deſiderari non poſſit, ex
vulgatis juribus.
Poſita verò condominii acquiſitione, fru-
9 ſtra Januarius hęc omnia referre ſatagebat
ad meram ſpecialem hypothecam volitam à
Chriſtophoro reſervatario pro majori ſui ſe-
curitate in reſtitutione ſummæ contributæ,
juxta firmata *in Romana Pecuniaria* 14.
Junii 1688. *cor.bo.me.Urſino*, id præſertim
deducendo, ex quo in ordine Chriſtophori
directo Banco S. Spiritus expreſſum fuit,
quod Officium acquiri liberè, & ſine ullo
vinculo debebat à Januario; reſiſtit quippe
nimium conſtitutioni ſimplicis hypothecæ
ſpecialis contextus ſupra relatæ acquiſitio-
10 nis, & præſertim conventio diviſionis fru-
ctuum ad ratam ſummæ in eadem acquiſitio-
11 ne erogatæ, quia fructus non ratione hypo-
thecæ, ſed dominii debentur, ut notum eſt;
12 & quidquid ſecus eſſet, quando prius inter
Partes aliquis alius contractus interceſſiſſet,
& deinde reſervaretur decretum favore
credentis pecunias ex dicto alio contractu
emptori Officii, in quibus terminis loquitur
allegata deciſio cor. bon. me. Urſino; ceſſat
ſanè omnis difficultas, quando talis contra-
ctus non præceſſit, & in decreto reſervatur
expreſsè favore alicujus libera diſpoſitio
ſortis, & fructuum, prout in caſu noſtro fa-
ctum extitit favore Magni; quia tunc pro-
13 cul dubio talis expreſſio liberæ diſpoſitio-
nis importat quid plus ſimplici hypotheca,
ſive attergatione pro ſecuritate creditoris
pecuniæ in pretium erogatæ, nempe trans-
lationem dominii vel in totum, vel pro rata
contributa juxta diverſam caſuum contin-
gentiam, ut probant mox adductæ authori-
tates, & ita diſtinguendo tradit *Cardin. de
Luc.diſcurſ.*1.*n.*3., & *diſcurſ.*7.*nu.*8. & 9.*de
regal.*

regal., & *in tract. de Offic. Venal. Vacabil. cap.6. ſub n.9. verſic. in altero*, atque etiam
14 teſtatur Adminiſtrator Componendarum Datariæ, per cujus organum quotidie tales contractus explentur, & cui propterea plena fides habenda eſt, ex firmatis *deciſ.* 262. *n.*1., & 2. *cor ſan. mem. Gregorio XV. dec.*21. *n.*11. *cum pluribus ſeq.*, & *dec.*275. *num.*12. *p.*19. *rec.*, & in terminis Officialium Datariæ *dec.*580. *nu.*16. *ead. p.*19. *rec. tom.*2., & magis præciſè *dec.*1517. *n.*27. *cor. Coccin.*, & *dec.*3. *n.*10. *cor. Ubago.*

15 Nec propterea refert, quod Chriſtophorus in ordine ſuppoſuerit, & expreſſerit liberè Officium acquiri debere à Januario: quoniam talis expreſſio non eſt contraria acquiſitioni pro rata faciendæ etiam favore ipſius Chriſtophori, qui cum Reſignatario Officii nihil agere volebat, & contractum cum eo fieri permittebat etiam pro ſe ipſo à Januario, & cæteroquin cavere ſibi volebat, ut reſignatio fieret liberè, & ſine ullo vinculo, ad hoc ut libera, & nullo vinculo effecta eſſet etiam rata, quæ ad ipſum pertinere debuiſſet, remanente cæteroquin Officio, & illius exercitio in facie, & ſub periculo vitæ Januarii dumtaxat, qui licèt ſolus in facienda ſolutione Reſignanti compareret, acquirebat tamen Officium pro ſua rata etiam Chriſtophoro, cujus quoque contemplatione, & ex cujus pecuniis actum gerebat, ad *Tex. in leg. ſed ſi plures* §. *In arrogato ff. de vulgar.* & *leg. Adverſario ff. acquir. hæred.* cum aliis allegat., *Rot. dec.*65. *nu.*1., & *ſeqq. cor. Bich.*

Ad hæc evitanda demonſtrare de facto curabat Januarius interceſſiſſe cum Chriſtophoro præcedentem contractum, non jam Societatis Officii, ut coram R.P.D. Cincio contendit, ſed mutui, ad cujus ſecuritatem, & reſtitutionem interebat curaſſe illum de-
16 creti reſervationem; ſed nulli nitebatur probationi talis prætenſio, imò contrariam habebat præſumptionem, quod celebratus non cenſeretur, niſi ille contractus, qui ex ſupra relatis actibus reſultabat, ad *Text. in leg.*2. §.1. *ff. locat. Leotard. de uſur. q.*24. *n.*19., *Mantic. de tacit. lib.*2. *tit.*3. *num.*1., maximè
17 quia ſi talis præcedens contractus fuiſſet mutui, non potuiſſent licitè fructus Officii pertinere ad Chriſtophorum, & tamen fructus illos ex tali contractu quouſque vixit, tanquam de re propria, Januario pacificè ſolvente, ſemper percepit, id quod ſtante mutuo uſurariam ſaperet pravitatem, ad
18 quam excludendam, omnis interpretatio capienda eſt, *Tex. in leg. meritò ff. pro Socio Rot. dec.*518. *n.*3. *p.*18. cum aliis *dec.*34. *n.*25. *p.*19. *rec.*

Abſque eo quod probatio præcedentis mutui deduci poſſit ex enunciativa emiſſa per Januarium in Apocha ibi -- *Perche detto Signor Chriſtoforo mi hà impreſtato detto denaro di ſcudi* 600., *ſenza del quale non averei potuto far queſta compra*, aut ex eo, quod in eadem Apocha data fuerit facultas eidem Januario extinguendi debitum dictorum ſcutorum 600. in duabus ratis ad effectum ceſſare faciendi fructus aliàs debitos
19 Chriſtophoro. Rectè ſiquidem perpenſo tenore ejuſdem Apochæ, conſtitit hæc omnia dicta fuiſſe ad explicandas Partium conventiones, non autem ad inducendum mutuum contra Chriſtophori intentionem jam in ordine ſupra recenſito ſatis ſuperque expreſſam, ac directam ad acquirendum condominium; ideoque ita interpretanda ſunt verba, quibus in tali Apocha Januarius uſus fuit, ut illius intentioni non ſint contraria, ad *Regul. de qua in leg. ſi uno in princip. ff. locat* laté *Mantic. de tacit. lib.*2. *tit.*7. *n.*10., 14., & 519., *Rot. dec.*351. *nu.*12. *p.*16., & *dec.*45. *n.*10. *p.*19. *rec.*

20 Et quidem verba illa, *mi hà impreſtato*, præſertim quia qualificata ſunt ſubſequenti expreſſione, *ſenza del quale non haverei potuto far queſta compra*, intelligenda ſunt de ſubminiſtratione compatibili cum acquiſitione condominii pro ea rata, ſine qua Januarius non habens complementum pretii Officii per Piazzinum reſignandi, illud emere non valuiſſet, ſed neceſſariò id ſequutum fuiſſe per viam mutui non concludunt; quia
21 talis ſubminiſtratio diverſi contractus potuit naturam aſſumere, ut aliàs idem verbum *impreſtare* interpretata fuit *Rot. dec.*58. *nu.*19. & *ſeq. p.*12. *rec.*, & admiſit ipſe Januarius in Compromiſſo anni 1711. ibi -- *Nel quale* (ideſt Officio) *vi contribuiſſe per la rata di ſcudi* 600. *il detto Chriſtoforo* -- itaut juxta ipſius ſenſum prædictum verbum tantò
22 magis intelligendum ſit. Facultas verò debitum extinguendi ſumenda eſt pro libertate data Januario acquirendi, ſeu redimendi totale Officii dominium, etiam pro rata pertinente ad Chriſtophorum, mediante ſolutione ſummæ per iſtum impenſæ, etiam duabus vicibus facienda; & ſic non probat ullo modo intentum pro mutuo, juxta *deduct. dec.*273. *n.*3. & *ſeq. p.*16. *rec.*, quod eodem modo demonſtrare videtur illa qualificatio talis expreſſionis, quod -- *per quella rata,*
23 *che conſeguirò, ceſſino li frutti*, dum illud verbum *conſeguirò*, denotat de facto acquiſitionem, quæ non poſſet in Januario iterum verificari, ſi jam ab initio pro ſe ipſo facta fuiſſet, ad *Tex. in cap. inter dilectas in fin.*, *ibique gloſ. de fid. Inſtrum. cum aliis adduct. dec.*266. *n.*9. *ead. p.*13. *rec.*

Minuſque argui valuit, præceſſiſſe alium (& ideo mutui) inter Partes contractum ex eo, quod in ſæpe memorata Apocha promiſſi fuerint Chriſtophoro fructus etiam pro menſe Decembris anni 1692., quando tamen Officii reſignatio, & reſpectivè acquiſitio non contigit, niſi in fine menſis De-
24 cembris anni 1692. Quandoquidem procedentes DD. cum vulgato axiomate, quod diſtinguendo tempora conciliantur ſcripturæ, animadvertebant, quod apocha, in qua talis promiſſio continetur fuit exarata eodem contextu, quo Chriſtophorus tradidit ordinem

ordinem Januario pro emendo officio die 26. Menſis Novẽbris 1692., unde ex tũc, eo quod ſperabatur de proximo ſequi poſſe acquiſitionem, potuerunt paciſci fructus pro menſe Decembris, in quo poterat eſſe jam effectua-
25 ta acquiſitio, itaut fructuum promiſſio non ad aliam diverſam, & illicitam cauſam, ſed ad iſtam potius juſtam, & probabilem referri debeat, ad *Text. in leg. cum hic ſtatus §. 4. ff. de donat. inter vir. & uxor. leg. quoties 67. ff. de regul. iur. cum aliis relat. per Leotard. de uſur. q. 9. n. 5., Rot. dec. 70. n. 6. cor. Coccin., & dec* 686. *n.* 10. *p.* 18. *rec.*

Firmato ex his Chriſtophori condominio,
26 deſcendentes DD. ad ſecundam dubii partem reſpicientem validitatem dictę Apochæ, quam exinde Januarius impugnabat, ex quo ipſe eam exaraverit ſine ſolemnitatibus, dum erat adhuc in minori ætate coſtitutus, cenſuerunt pariter affirmativè pro validitate reſpondendum, illi innixi fundamento, quod talis Apocha non continet, niſi declarationem rerum geſtarum inter Partes, nempe Officii prætium conſtitiſſe in ſolis ſcutis 1400., & pro rata ſcutor. 600. illius acquiſitionem tam reſpectu ſortis, quàm fructuum pertinuiſſe ad ChriſtophorumCondominum, ideoque reſolvitur in recognitionem bonę fidei, quæ
27 etiam ſine ſolemnitatibus ſtatutariis in obſequium veritatis fieri potuit a minore, *Conſtantin. ad Statut. Vrbis aunot.* 44. *artic.* 5. *n* 434. *cum ſeq.*, *Rota dec.* 24. *ſub n.* 3. *poſt Zacch. de ſociet. offic. dec.* 63. *n.* 38. *cor. Arguell.*, *& dec.* 315. *n.* 8. *q.* 13., *& dec.* 301. *n.* 5. *p.* 18. *rec.*

Non obſtat, quod in hac Apocha ultra declarationem quantitatis prætii erogati à Chriſtophoro contineatur etiam obligatio Januarii pro faciendis expenſis integræ expeditionis, & valutatio indumentorum, & inſignium, quoniam correſpective ad hæc ipſi Januario, qui Officii exercitium quoque ſibi reſervaverat, & neceſſe erat, quod haberet congrua indumenta, & inſignia, conceſſa privative fuerunt omnia emolumenta ex eodem officio obventura, ideoque ſi quæ conſiderari poſſet inæqualitas, remanſit profectò ex tali privativa conceſſione plenariè compenſata.

Sed his etiam prætermiſſis, quævis ceſſa-
28 bat amaritudo ex ſpecifica ratificatione talis contractus facta per Januarium, poſtquam major effectus fuerat; non ſolum enim ab anno 1693. uſque ad annum 1706. ſemper fructus Chriſtopharo perſolvit, ſed etiam in compromiſſo inito anno 1711. Apocham confectam anno 1692. tacite iterum approbavit, dum illam in eodem Compromiſſo inſeri voluit, & de aliquibus dumtaxat prætenſis gravaminibus ex ea ſibi illatis reparationem ab Arbitro poſtulavit; unde non videtur illius
29 validitatem toties admiſſam amplius impugnare poſſe, *ad text. in l. fin. cod. ſi major fact. ratam habuerit*, *Rota dec.* 81. *n.* 3., *& per tot. p.* 8. *dec.* 224. *n.* 11., *& dec.* 531. *n.* 5 *p.* 14., *& dec.* 337. *n.* 7. *p.* 17. *rec.*

Quamvis autem opponeretur neceſſariam
30 fore in actu ratificationis ſcientiam facti, & juris, juxta plenè deducta *dec.* 643. *nu.* 19. *p.* 19. *rec.*, adhuc tamen etiam ſcientia iſta ſatis concurrere viſa fuit in Januario, quia nullitas Juris ex capite minoris ætatis admodum obvia eſt, ut eam ſcire potuiſſe præſumatur ſaltem conſulendo Juris interpræ tes,
31 occaſione præſertim memorati Compromiſſi, ut tradunt *Doctores in l. Juris ignorantiam C. qui admitti ad bona poſſeſſ. Card. de Luc. diſc.* 12. *n.* 32., *&* 33. *de uſur. Rot. dec.* 115. *n.* 5. *cor. Penia* 283. *n.* 3. *cor. Emer. iun.*, *& dec.* 37. *ſub num.* 10. *inter impreſſ. ad ornat. Card. de Luc. lib.* 7. *tom.* 1. *& dec.* 486. *num.* 14. *par.* 19. *rec.* Scientiam verò facti diſſimulare
32 non poterat, ex quo agitur de contractu, & Apocha per ipſum met exarata, & ſubſcripta, & quam in dicto compromiſſo jam ſub oculis habebat, & in contro verſiam deduxerat, ex firmatis *dec.* 325. *num.* 9. *& dec.* 418. *num.* 16. *par.* 4. *tom.* 2. *& dec.* 306. *num* 54. *par.* 7. *& dec.* 418. *num.* 7. *par.* 19. *rec.*

Supereſt modo diſcuſſio tertiæ partis ſupra relati dubii reſpiciens fructus à Chriſtophori hęrede petitos ad ratam ſcut. 600., pro qua rata etiam ille Officium, ut ſupra firmatum eſt, acquiſivit, & debitos eſſe Domini reſponderunt; conſtito quippe, quod pro tali rata Chriſtophorus, ejuſque hæres ſit Officii
33 condominus, non ſolum in executionem ſupradictæ reſervationis decreti, & jam firmatæ validæ obligationis, ſed etiam de jure illi fructus debentur, cum ſint ſequela dominii, *ad text. in l. ſi dominium C. de pignor.*, *Rota dec.* 158. *n.* 1. *cor. Coccin. dec.* 591. *nu.* 1. *p.* 19 *rec. tom.* 2., *& in alleg. Romana Pecuniaria cor. bon. me. Vrſino ad ornat. Card. de Luca tom.* 1 *dec.* 3. *n.* 15. *lib.* 2.

Et ita utraque &c.

ROMANA EMOLUMENTORUM PAROCHIALIUM.

Veneris 9. *Decembris* 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius ſub die prima Julii hujuſmet anni.

Parochus, ſivè Vicarius ad petenda omnia Parochialia emolumenta ſuper conſtitutione ſa. me. Pii V. la 139. actionem deſumunt, nec à Tranſactionibus præjudicialibus ab eorum Prædeceſſoribus abſque Pontificis approbatione, ſive ſtipulatione etiam pro ſucceſſoribus initis ligantur.

Appellatio reſtricta ad Iudicatum A. ad Iudicatum B. non extenditur.

SVMMARIVM.

1 *Emolumenta Parochialia, & obventiones debentur Vicariis curam Animarum exercentibus* Amplia, ut in num. 12.

2 *Res Judicata quamcumque validam actionem eam alleganti tribuit.*

3 *Conſtitutiones Apoſtolicæ, & res Judicatæ habent exequutionem paratam.*

4 *Am-*

4 *Ampliia, quando ab obſervantia comprobatur.*

5 *Obſervantia eſt optima interpres mentis Pontificię, circa id, quod Papa in ſua Conſtitutione, ſeu indulto concedere intellexiſſet.*

6 *Reſolutiones Sacrarum Congregationum à Rota venerabiliter acceptantur, & attenduntur.*

7 *Dicuntur Vivæ vocis Pontificis oracula.*

8 *Tranſactiones contra litteram Pontificiæ Conſtitutionis non attenduntur.*

9 *Tranſactiones perſonales abſque ſtipulatione pro ſucceſſoribus, tranſigentium perſonas non egrediuntur.*

10 *Reſcriptum Signaturæ ad ultimum Judicatum tantum directum ad antiqua non extenditur, & ad ea, à quibus non fuiſſet appellatum.*

11 *Appellatio limitata non niſi ad certos limitatos effectus Appellanti prodeſt.*

13 *Verba univerſalia, & indefinita nullam patiuntur limitationem.*

DECISIO MXCI.

PErtinentiam Emolumentorum Parochialium favore Vicarii exercentis Curam Animarum in Eccleſia Sancti Angeli in foro Piſcium in *mea Deciſione diei 1. Julii proximè præteriti* conſtabilitam, iterum hodiè impugnarunt Canonici, & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ ad novam audientiam ex conſueta DD. benignitate admiſſi, ſed non obſtantibus eorum exceptionibus approbationem viſa ſunt promereri captæ reſolutionis fundamenta, & reſcriptum fuit -- *In deciſis*.

1 Nitebatur ſiquidem intentio Parochi, ſeu Vicarii pro conſequendis controverſis Emolumentis non ſolum diſpoſitioni Pontificiæ in Conſtitutione S. Pii V. edita occaſione erectionis iſtius Vicariæ, & aliarum plurium in iis Eccleſiis, in quibus antea Cura Animarum exercebatur per Capitula; in qua quidem Conſtitutione aſſignantur Vicario præter congruam -- *Omnia, & ſingula Emolumenta, & obventiones*, ut *in Bullar. nov. tom. 2. Conſtit dicti S. Pii V.*
2 139. verum etiam in rebus judicatis anni 1662., & anni 1687., quibus favore Vicariorum anteceſſorum, etiam approbante Signatura Juſtitiæ, declaratum fuit ipſis in excluſionem Capituli Contradictoris competiiſſe, & competere in integra eorum quantitate controverſa Emolumenta, unde nihil
3 magis æquum juſtumque eſſe poteſt, quàm quod debitæ executioni demandetur Conſtitutio Apoſtolica, & plenarium ſortiatur effectum res Judicata, ut dictum fuit de prima in *deciſione*, quæ revidetur §. *Primì itaque*, & de ſecunda *Rot. dec.* 545. *num.* 7. *coram Bich.*, & *dec.* 510. *n.* 14. *par.* 18. *rec.*, ubi concordan.

4 Maximè quia conformis hiſce titulis eſt Obſervantia etiam judicialis aliarum Vicariarum, quæ in eadem Conſtitutione fuerunt à D Pio V. conſimiliter erectæ, ut oſtenſum fuit in eadem *Deciſione*, quæ confirmatur §. *Tantoque magis*, & *ſeqq.*, & latiùs hodiè habetur in *Summario Vicarii*; non ſolum enim pacifice ſemper exegerunt integra Emolumenta Parochialia Vicarii Eccleſiæ S. Catharinæ de Rota, & Eccleſię S. Blaſii, licet iſtæ Eccleſiæ unitæ ſint Capitulo S. Petri, atque ita pariter Vicarius S. Mariæ in Vialata, & S. Nicolai in Carcere ut in *d. Summar. n.* 9., & 10. *uſque ad* 13. ſed etiam ſuborta contentione inter Vicarium S. Joannis Lateranen., atque ejuſdem Baſilicæ Canonicos, & ſucceſſivè inter Vicarium SS. Quirici, & Judittæ, atque iſtius Collegiatæ Canonicos, & Sacra Congregatio Viſitationis, approbante per ſpeciale Decretum ſa. me. Alexandro VII., ſemper reſpondit pertinere integra Emolumenta ex Piana Conſtitutione Vicariis curatis, ut refert *Pignattel. Conſult. Canon. tom.* 10. *fol. mihi* 366. Neminem autem latet quan-
5 tum valeat hujuſmodi obſervantia etiam ad oſtendendum quid in Conſtitutione, ſivè Indulto Summus Pontifex conceſſerit *Rot. dec.* 115. *num.* 8. *coram Merlin.*, *dec.* 65. *nu.* 12. & *ſeqq. par.* 15., *deciſ.* 498. *num.* 20., & 631. *num.* 11. *par.* 19. *rec. tom.* 2. Quanta-
6 que ſoleat reverentia noſtrum Tribunal Sacrarum Congregationum Reſolutiones excipere, & attendere, dum præſertim, prout
7 hic, fuerunt etiam à Summo Pontifice approbatæ, itaut verè ſint ejus vivæ vocis Oracula, juxta pariter firmata *dec.* 627. *nu.* 8. *coram Cavaler.*, *dec.* 420. *num.* 13. *coram ſa. me. Alexandro VIII.*, *deciſ.* 11. *num.* 9. *par.* 17., & *dec.* 257. *nu.* 19. *par.* 19. *rec.* cum aliis in *Peruſina Penſionis* 11. *Maii* 1716. §. *Id quod coram R. P. D. meo Herrera*.

Neque Capitulo ſuffragari valuerunt in horum excluſionem repetitæ tranſactiones, quæ inter Anteceſſores Vicarios, & Canonicos fuerunt diverſis temporibus exaratæ,
8 ſicuti namque ſingulis examinatis prævalere litteram Conſtitutionis, & ſupra relata Judicata reſponſum fuit in mea *Deciſione*, quæ confirmatur §. *Quantum namque* & *ſeq.*, ita nunc etiam iterum earum contextu
9 perpenſo, DD. cenſuerunt nullatenus eſſe attendendas, vel quia uti perſonales abſque ulla ſtipulatione pro ſucceſſoribus iſtis præjudicare non valuerunt, neque egredi perſonam Vicarii tunc tranſigentis, ut cum deductis in eadem deciſione §. *vero*, concordat *Rot. dec.* 662. *num.* 8. *cor. Card. Cerro.*, & *dec.* 1028. *nu.* 2. *cor. Emer. iun.* vel quia ſubſecutis Judicatis ſupra relatis ita interpretatæ ſunt, ut Parochum, ſeu Vicarium in integra Emolumentorum perceptione non læderent, ut inquit eadem *Deciſio*, quæ revidetur §. *Multo autem coram Me*.

Abſque eo quod contra res Judicatas replicari valeat fuiſſe illarum vim, & efficaciam ſuſpenſam ex Reſcripto Signaturæ editò antecedenti anno occaſione Commiſſionis iſtius cauſæ; quia tale Reſcriptum non
10 reſpicit niſi poſtremum Judicatum A. C. con-

allegatis in contemporanea Deciſione §. *Maximè quia coram Me*.
Et ita utraque &c.

ROMANA, SEU ALBANEN. PECUNIARIA.

Lunæ 12. Decembris 1718.

ARGUMENTUM.

Eſt confirmatoria alterius ſub die 12. Martii 1717.

Emptor pretium rei ſibi venditæ in dimiſſionem certi creditoris à venditore deſignati, etiam ſi ſibi eum accollaſſet, erogare non tenetur, quando illud ab anterioribus creditoribus evincitur; pariterque ſi pluris quam emiſſet, eandem rem alteri ſubvenderet, totum illud ſibi adipiſcitur augumentum, nec creditorum commodo cedere, niſi primum ejuſdem rei pretium tenetur.

Tranſactio litium extinctiva dicitur utilis, & ideo ex hoc ſolo capite exequenda.

SUMMARIUM.

1 *Actio non datur ſine obligatione.*
2 *Nemo ſine actione experitur.*
3 *Accollatarius certorum creditorum, ad eorum dimiſſionem non poteſt compelli, quando creditores anteriores totum pretium in illius manibus exiſtens ſibi avocarent, quod facere poſſunt*, & vide rationem in num ſequenti, ac amplia ut in num.5.
4 *Deſignatio certorum creditorum à venditore expreſſa in venditione dicitur ſtare tantum demonſtrative, & ennunciative cum ſubintelligentia*, quatenus anteriores non compareant.
6 *Emptor cum pretio rei emptæ ſuum particulare creditum, quod adverſus venditorem haberet, compenſare non poteſt in præjudicium anterioris creditoris ipſius venditoris*, & vide rationem in num.ſeq.
8 *Creditor anterior poteſt avocare pecunias à poſteriore creditore exactas, qui obligationem de reſtituendo prioribus, & potioribus exaravit.*
9 *Compenſatio crediti particularis cum pretio rei emptæ ab emptore facta non dicitur, quando ſe totum illud penes ædem ſacram depoſuiſſe oſtenderet.*
10 *Creditor anterior venditoris prædii non habet jus ad augumentum illud pretii, quod ex nova ſub venditione emptor ſibi feciſſet, vel ex propria induſtria, vel ratione melioramentorum, ſed ad pretium primæ venditionis tantum, & non ultra.*
11 *Pretium in particularibus, & ſingularibus loco rei non ſuccedit, neque favore creditorum, quibus res ipſa fuiſſet hypothecata.*
12 *Tranſigentes quando convenerunt, ut quidquid ex proſequutione litis communi nomine facienda fuiſſet recuperatum, foret communiter dividendum, ſequuta recuperatione, unus ex iſtis particularè creditum ſuper re recuperata allegare prohibetur*, & vide rationem in numero ſequenti.
13 *Tranſactio litium extinctiva omnino ſervanda eſt.*
14 *Tranſactio à Partibus ſponte volita læſiva non præſumitur.*
15 *Tranſactio ex ſolo motivo dubietatis de litis eventu ſubſtinetur.*
16 *Deciſio, de cujus viribus non revideatur, venit præſupponenda.*
17 *Tranſactio facta ad hoc, ut tranſigentes ſatisfieri poſſent, proſequendo litem communibus ſumptibus non infringitur, ex quo unum ex creditis recuperandis evaneſceret, uel redderetur inexigibile.*
19 *Tranſactio utilis juſta dicitur, & exequi debet.*
20 *Tranſactio dicitur utilis, quando per eam lites reſecantur.*
21 *Amplia, quando per eam aperitur via, ut debitorum nomina exigantur, quæ prius perſequi non potuiſſent propter impeditum à Partibus ad invicem præſtitum.*
22 *Subamplia, ut ex ſola aperitione hujus viæ ad agendum contra debitores ſubſtineatur.*

DECISIO MXCIII.

Perſiſtentes hodie Domini *in deciſis* coram Me ſub die 12. Martii ſuperioris anni, iterum cenſuerunt mandatum ab A. C. relaxatum favore hæredum Annæ Corradæ *non eſſe exequendum, & ſervandam eſſe concordiam*; quod enim ad mandatum attinet, cum in eo condemnata fuerit hæreditas Magdalenæ Heſchinardæ ad ſolvendum debitum alienum, nempe Nicolai Heſchinardi fratris, ab evidenti injuſtitia ſalvari nequit,
1 cum in jure noſtro certum ſit, quod actio ſine obligatione non datur, §. *primo inſtit. de uerb. oblig., gloſ. in uerb. ſupereſt inſtit. de*
2 *act. in princ.*, & nemo ſine actione experitur *l. quoties* §. *qui temporali ff. de adminiſtr. tutor., Rot. cor. Dunoz. jun. dec. 520. n. 3., & cor. bon. mem. Benincaſ. dec. 35. n. 5. & 6.*
3 Non obſtat, quod Magdalena occaſione, qua emit à memorato Nicolao, & Philippo ejus fratribus quædam bona ſita in Civitate, & Territorio Albani pro pretio ſcut. 8608., ſuſceperit in ſe onus erogandi ratam illius partem uſque ad ſummam ſcut. 6208. in dimittendis quibuſdam creditoribus eorundem venditorum in inſtrumento deſcriptis, & nominatim Anna Corrada; quoniam, ut bene animadverſum fuit in præcedenti Deciſione Cauſæ, cum integra dicta ſumma ſcut. 6208. ad eum effectum deſtinata, erogata fuerit à Magdalena pro ſatisfaciendis aliis creditoribus, qui tunc ultra deſcriptos comparuerunt, per hanc utique ſolutionem, obligationi per eam ſuſceptæ omnino ſatisfeciſſe videtur, nedum quia ita pacto expreſſo inter ipſam, ac venditores cautum fuerat,

fuerat, ut ſi alii comparuiſſent creditores, qui deſcriptos in notula jure, vel tempore vincerent, iſti, & non deſcripti eſſent cum ea rata dimittendi; verum etiam quia, etiāſi hoc ſpeciale pactum defuiſſet, nihilominus
4 deſignatio illa certorum creditorum, & Annæ Corradæ, non aliter de jure intelligenda erat, quàm enunciativè, & demonſtrativè, & ſub ea tacita conditione, quatenus alii non comparuiſſent potiores, aut anteriores, juxta *magiſtralem deciſionem* 291. *cor. Millin.*, cum aliis *in Romana Dotis, & Cenſuum* 27. *Novembris* 1716. §. *Atque hinc cor. R.P.D. meo Cerro, & in Romana prætenſæ hæreditatis, ſeu prætenſæ reintegrationis ſuper quarto dotali* 5. *Maii* 1717. §. *Tantum, & ſeqq. cor. R.P.D. meo Falconerio Urbis Gubernatore, & in dec. Cauſa* §. *Fundamentum cor. Me.*

5 Prout etiam minus obſtat, quod reſiduum integri pretii dictorum bonorum, quod penes Magdalenam remanere debebat pro Capitali annuarum præſtationum ab ea ſolvendarum quatuor Monialibus de Heſchinardis, & Juliæ Tintæ, quouſque in humanis agerent, ſequuto tandem iſtarum obitu, debuiſſet ab ipſa erogari in ſatisfactionem memoratæ Annæ, hoc ipſo, quod iſta propter ſupervenientiam aliorum creditorum anteriorum nihil penitus conſequi potuerat ex rata illa ſcut. 6208.

Objectum namque procederet, quatenus
6 in manibus Magdalenæ remanſiſſet præfatum capitale, ſicuti pro parte Actorum pro certo ſupponebatur: tunc enim dici forſan poſſet, prout iidem Actores acerrimè contendebant, quod non obſtante pacto in inſtrumento venditionis favore Magdalenæ appoſito de compenſandis cum dicto Capitali quibuſdam ipſius peculiaribus creditis, illud nihilominus retineri ab ipſa nequiviſſet in præjudicium Corradæ creditricis anterioris, nedum quia propter obſtaculum plurium inhibitionum ab illa expeditarum longe ante obitum dictarum Monialium, compenſatio perfici nequiverat, *Staiban. jun. reſ.* 80. *nu.* 9. *lib.* 1., *Tondut. quæſt. civil. p.* 1. *cap* 58. *num.* 23., *Urceol. conſ. for. cap.* 61. *n.* 20., *Rota in Avenionen. Concurſus* 6. *Junii* 1707. §. *Non obſtat coram Eminentiſſ.*
7 *Priolo*, ſed & certius quia quatenus etiam nulla ſuperveniſſet inhibitio, & compenſatio jam facta & conſummata fuiſſet, adhuc Magdalena affecta remanſiſſet obligatione reſtituendi prioribus, & potioribus generaliter impoſita in dicto inſtrumento omnibus creditoribus cum pretio dictorum bo-
8 norum dimittendis, cujus profectò obligationis, nemo eſt qui ignoret eam virtutem eſſe, ut pecuniæ poſteriori ſolutæ, poſſint quandocumque per anteriorem avocari, *Rot. dec.* 255. *nu.* 1. *p.* 18. *rec.*, & *in Romana Pecuniaria* 11. *Januarii* 1700. §. *Quamobrem*, & 17. *Maii ejuſdem anni* §. *Cumque coram Rmo Molines Magno Hiſpaniarum Inquiſitore*, & *in Romana Mercium* 17. *Junii* 1701. §. *Potiſſimè cor. bo. me. Muto.*

Verùm facto hodie altius reaſſumpto, & à pluribus æquivocis, quibus hactenus involutum fuerat melius elucidato, compertum fuit ejuſmodi ſuppoſitum omnino erroneum, & inſubſiſtens. Conſtitit enim ex publicis documentis in Summario Partium exhibitis, quod cum Magdalena ſexennio poſtquam dicta bona à fratribus emerat, illa vendidiſſet Aloyſio Benedellio pretio ſcut. 12. mil., ſtatim ac hujuſmodi novus contractus Corradæ innotuit, curavit inhiberi dicto ſecundo emptori, ne cuiquam pretium ſolveret, ita ut iſte ad ſeſe liberandum ab omnibus moleſtiis ſatius duxerit integrum pretium in Sac. Monte Pietatis deponere; verum quia interim ſequuta fuit evictio unius ex prædiis ad inſtantiam Savi Porcarii, & aquarum defluentium ad viridarium ad inſtantiam illorum de Plattis; hinc propterea orta lite inter memoratos Benedellium, & Magdalenam ſuper conſignatione pretii, cum Judex mandaſſet ex dicta ſumma ſcut 12. mil. inveſtiri ratam ſc. 3400. in tot locis montium, quæ ſtare deberent pro cautione dictæ evictionis, reliquum verò conſignari eidem Magdalenæ ad effectū dimittendi creditores fratrum de Heſchinardis, Magdalena in omnibus promptè paruit; nam & dictam ratam ſcutorum 3400. inveſtivit in locis 30. Montis Salis, & ex ſumma reſiduali ſcut. 8600., appropriatis ſibi dumtaxat ſcut. 5300. pro totidem jamdiu antea ſolutis creditoribus anterioribus, reliqua ſcut. 330., quæ ex dicto pretio ſupererant, ut cautius procederet, reliquit cum eiſdem Vinculis in Sac. Monte Pietatis, neque inde amplius ab ea amota fuerunt, ſed à Benedellio, qui litem proſequendo obtinuit ſententiam, per quam declaratum fuit conſignandam ipſi eſſe dictam reſidualem ſummam ſcut. 3300. ad effectum illam inveſtiendi, ac primo loco ſolvendi ex fructibus canonem, & livella Monialium, quouſque illæ vitam agerent; ſecundo verò loco illis defunctis ad effectum convertendi prædictum capitale in ſatisfactionē creditorum fratrum de Heſchinardis *ad formam inſtrumenti primæ venditionis anni* 1661., & de facto virtute hujus ſententiæ dictam ſummam, ut ſupra à Magdalena relictam à Sac. Monte exegit, & ſubinde inveſtivit.

Ecce itaque, quod prædicta rata prætil tàm in prima, & ſecunda venditione, quàm in ſententia Judicis deſtinata ad effectum dimittendi Creditores Fratrum de Heſchinardis poſt obitum Monialium, & Juliæ Tintæ nunquam pervenit ad manus Magdalenæ quia ſub initium ipſa Anna Corrada mediantibus iteratis inhibitionibus impedimento fuit, ne integrum pretium ipſi à Benedellio ſolveretur, deinde vero exorta lite, Judex mandavit illam Benedellio conſignari;
9 ac propterea his ſtantibus, inutilis remanet omnis quæſtio circa compenſationem, & avocationem, cum Magdalena ab actione,

ne contra ipſam in præſenti Judicio inten-
tatam per hæredes Annæ Corradæ ſatis tu-
ta reddatur ex eo ſolo fundamento, quod
ex ſumma ſcutorum 8688. conventa pro ju-
ſto pretio bonorum à Fratribus emptorum
anno 1661., nec unus quidem obulus in
ejus manibus remanſit, ut per *text. in* §.
Omnium autem inſtit. de act., juncta *Gloſſ.
in verb. poſſideat*, *alioſque concordantes*,
firmat deciſio, quæ confirmatur §. *Quate-
nus verò*.

Nec quidquam relevat, quod ſaltem ad
ejus manus pervenerit alia rata ſcut. 3400.
per ipſam Magdalenam inveſtita in locis
triginta Montis Salis pro ſecuritate evic-
tionis intentatæ à Plattis, & Savo Porcario.
Quodque imo nuper anno 1709. hæres ejuſ-
dem Magdalenæ, defunctis jampridem Mo-
nialibus, & Julia Tinta, recuperaverit è ma-
nibus Benedelli quatuor alia loca montium,
& ratam unius cenſus, in quibus pro parte
inveſtita fuerat à Benedellio d. alia ſumma
ſcut. 3300. deſtinata pro canone, & Monia-
libus, & ſubinde poſt obitum iſtarum pro
Creditoribus.

Quod enim pertinet ad primam ratam
10 ſcutor. 3400. inveſtitam in locis 30. Mon-
tis Salis, licet hæc remanſerit in manibus
Magdalenæ, nullam tamen ſuper ea actio-
nem habet Anna Corrada, ſive alius qui-
cumque Creditor fratrum de Heſchinardis.
Si enim Magdalena poſtquam emerat dicta
bona pro juſto pretio ſcut. 8608., illa poſt-
modum Benedellio vendidit pro ſc. 12. m.,
hoc utique pretii augumentum, ſive ex in-
duſtria venditricis, ſive ex affectione Em-
ptoris, ſive ratione melioramentorum in-
termedio tempore factorum, ſive demum
ex acceſſione fructuum tunc pendentium,
aut alio quocumque capite provenlens, om-
nino ceſſit commodo, & beneficio ſolius
venditricis, neque ſuper eo Creditores, qui
dd. bona vendita ſibi obligata habebant, jus
aliquod aſſerere ſibi poſſunt, cum in ſingu-
11 laribus apertiſſimi juris ſit, quod pretium
loco rei non ſuccedit, neque favore Credi-
torum, quibus res ipſa hypothecata erat, rei
vice fungitur, *l. venditor 21. ff. de hæred.
vel act. vend. l. ſi quis uxori 53. §. ſi Titius
l. qui vas 49. §. fin. ff. de furt.*, *Amat. reſol.
4. n. 10.*, *Merlin. de pign. lib. 4. q. 179. n. 1.
& 5.*, *Rota dec. 51. n. 4. p. 10.*, *& dec. n. 2.
p. 18. rec.*

Quod vero attinet ad quatuor loca mon-
12 tium, & ratam cenſus ab hærede Magda-
lenæ noviſſimè recuperatam de manibus
Benedelli; hæc utique affecta ſunt onere
dimittendi Creditores Fratrum de Heſchi-
nardis, inter quos procul dubio connume-
ratur Anna Corrada, ſed cum recuperata
fuerint à d. hærede Magdalenæ, poſtquam
anno 1707. inter ipſum, ac hæredes Corra-
dæ modernos Actores ſolemni tranſactione
concordatum fuerat de proſequenda com-
muni nomine, & ſumptibus lite jam cœpta
contra Benedellium pro conſecutione dic-
tæ ratę pretii ab ipſo inveſtiti, & ſubinde
pro medietate inter ipſos Contranſigentes
dividendo in cauſam ſatisfactionis proprio-
rum creditorum toto eo, quod ab illo recu-
perari, exigique potuiſſet, jam inde patet,
quod nihil ultra Actores hoc nomine præ-
tendere poſſunt, quàm medietatem dictæ
partis inveſtimenti hactenus recuperati, jux-
ta formam memoratæ concordię, quam, &
13 ipſe hæres Magdalenæ ſervare velle profi-
tetur, & omnis juris, ac æquitatis ratio præ-
cipit inviolabiliter obſervari, ne lites ſe-
mel tranſactione finitæ, iterum inſtaurentur,
l. non minorem, *l. cauſas*, *l. prima quis ma-
jor C. de tranſact.*, *Rota coram Bich. dec.
83. num. 1.*, *& dec. 91. n. 2.*, *& in Farſen.
Pecuniaria 17. Junii 1718. cor. R. P. D.
meo Falconerio Urbis Gubernatore*, *& ſæ-
pè alibi*.

Atque ita procedentibus DD. ad exa-
14 men d. concordiæ, fruſtra illa impugnari
ab Actoribus viſa fuit ſub prætextu ænor-
miſſimę læſionis, ex quo nempe ad illam
deventum fuerit ex erroneo, & inſubſiſten-
ti ſuppoſito, quod Magdalena eſſet Credi-
trix in magna ſumma fratrum de Heſchinar-
dis, & concurrere poſſet cum credito An-
nę Corradæ, quando iſta revera erat ante-
rior, & privilegiata, & credita Magdale-
næ in concordia deſcripta, pro majori ſal-
tem parte nullam habebant ſubſiſtentiam,
& inſuper erant pluſquam ſatisfacta ex plu-
ribus pecuniarum ſummis ab ipſa retractis
ex venditione dd. bonorum.

Etenim quod Credita Magdalenæ eſſent
poſteriora illis Annæ Corradæ, neque ſatis
hactenus juſtificatum fuit, neque ita de fa-
cili præſumi poteſt, cum Partes contentæ
fuerint de d. æquali diviſione pro conſe-
quenda ſatisfactione propriorum Credito-
rum, non quidem in genere, & in confuſo,
ſed nominatim, ac ſpecialiter in Inſtrumen-
to deſignatorum; unde potius dici debet eas
ita conveniſſe; quia dubium, & valde am-
biguum erat, utra earum fuiſſet præferen-
15 da; & quia in hac dubietate neutri earum
expediens fuiſſet ſuſcipere in ſe laborem,
& incommodum proſequendi d. litem con-
tra Benedellium in caſu etiam Victoriæ,
non ſibi fortaſſe, ſed alteri profuturam, quod
ſane exuberat, ut tranſactio ſubſtineri de-
beat, *l. in ſumma 65. §. 1. ff. de condit. in-
debit.*, *Urceol. de tranſact. q. 2. n. 37.*, *Ro-
ta dec. 104. n. 2. p. 2.*, *& dec. 161. n. 1. p. 7.
rec.*, *& cor. Priolo dec. 127. n. 10.*, *& in
d. Farſen. Pecuniaria §. Quapropter cor.
R. P. D. meo Falconerio*.

Quod vero eſſent inſubſiſtentia, neque
pariter regit in facto, quinimò quoad cre-
ditum ceſſum à Vallato, contrarium probat
16 deciſio contra ipſum Benedellium edita
*in Romana Pecuniaria 23. Aprilis 1706.
§. Cum autem cor. Reverendiſſimo Molines*,
quæ cum hodie non revideatur, venit de
ſtylo ſupponenda, & quoad alia in concor-
dia enunciata, quatenus etiam aliquam pa-
teren-

terentur difficultatem, minimè relevaret, quia juxta facultatem in eadem concordia reſervatam, bene poteſt quælibet ex partibus, ultra illa alia credita, ſi quæ habet, deducere, prout de facto hodiè deducebat hæres Magdalenæ; cumque cauſa motiva
17 tranſigendi non fuerit unum, aut alterum ſpeciale creditum, ſed facilior recuperatio bonorum è manibus tertii, ut ſubinde unaquæque earum ſatisfactionem ſibi debitam conſequeretur, ſicuti hujuſmodi finis à Tranſigentibus primario intentus, uno, vel altero tunc enunciato credito in totum, vel in parte deficiente, non deficit, ita tranſactio ex hoc tantum capite reſcindi non poteſt, *Vrceol. de tranſact. q* 8. *n.* 55., *Rota dec.* 323. *n.* 4. *p.* 12. *rec.*, *& in Albanen. donationis* 9. *Martii* 1711. §. *Conſtabilito cor. Reverendiſſimo Aldrovando Archiepiſcopo Neoceſarien.*

Quod denique Magdalena jàm fuiſſet ſatisfacta, ſimiliter nullo modo ſubſiſtit; nam ſi loquimur de ſumma ſcut. 8608., quanti ab ipſa d. bona empta fuerunt anno 1661., jam ſupra luculenter probatum fuit, nil penitus ex ea ſumma penes ipſam remanſiſſe. Et totum id, quod ſucceſſivè recuperavit ejus hæres de manibus Benedelli, eſſe ad formam concordiæ pro medietate dividen-
18 dum; ſi vero ſermo eſt de locis 30. Montis Salis, in quibus inveſtitum fuit augumentum illud pretii, quod Magdalena retraxit ex venditione dictorum bonorum ſucceſſive facta anno 1667. favore Benedelli, & jam pariter ſupra probatum fuit ejuſmodi augumentum fuiſſe eidem Magdalenæ plene, ac libere quæſitum abſque ullo penitus onere ſatisfaciendi cum eo aliis credi-
19 toribus, vel accepto ſibi ferendi in ſatisfactionem ejus, quod ſibi debebatur; ut proinde his ſtantibus, quacumque ex parte dicta concordia accipiatur tantum abſit, quod ex ea jus Annæ Corradæ, ejuſque hæredum enormiſſimè læſum fuerit, ut potius undique utilis, ac proficua comperiatur nedum ex hactenus deductis, verum etiam à toto
20 genere, quia per eam receſſum fuit à litibus
21 jam imminentibus, & ſtrata via utiliter conveniendi tùm Benedellium, tùm cæteros, ſi qui ſunt, hæreditarios debitores fratrum de Heſchinardis, quod ante d. concordiam fieri nunquam potuerat propter impedimenta ſibi invicem à Partibus præſtita; quod utique ſufficit, ut illa omnino ſervari debeat, prout hodie iterum Rota mandavit, juxta *text. in d. leg. in ſumma* §. 1. *ff. de condit. indebit.*, *& in l.* 2. *C. de tranſact.* cum aliis adductis in præcedenti deciſione §. *Et ſane*.

Et ita utraque &c.

ASCULANA DOTIS, ET LEGITIMÆ.

Veneris 27. *Junii* 1709.

ARGUMENTUM.

Quid requiratur, ut veniri poſſit contra confeſſionem pertinentiæ bonorum in inventario factæ; & quando hæres fructus hereditatis ſuos faciat, vel non, & quorum reſpectu urgente creditore, vel legatario.

In hac cauſa ſunt in to. 1. dec. 41. 68. 147., & iſta quia in ſuo loco fuit omiſſa, hic adnectitur, & in tertio Tomo adeſt quoque dec. 644.

SVMMARIVM.

1 *Peritiæ ultimi Periti à Judice deputati ſervatis ſervandis referentis ſuper alios ſtandum eſt.*
2 *Identitas Prædii excluditur, ſi alterum alterius diverſæ formæ ſit, & unum Domui annexum, aliud non.*
3 *Et cum in Inventario, & Poſſeſſionibus diverſa ratio inter utraque habetur.*
4 *Contra confeſſionem in Inventario factam veniri poteſt, docto de errore, ut non cenſeantur comprehanſa ea, quæ apponenda non erant.*
5 *Error in tali caſu probandus eſt, itaut contraria exulet poſſibilitas.*
6 *Fructus ab herede debentur legatario à die motæ, & conteſtatæ litis juxta taxationem à Perito factam.*
7 *Hæres fructus hæreditatis ſuos facere non deſiſtit, ex quo urgeat legatarius, ſed neceſſe eſt, quod urgeat verus, & effectivus Creditor, & cur? juxta theor. Coſtrens in L. fin. §. Et ſi præfatam C. de jur. deliber.*
8 *Mala fides inducta per litem conteſtatam contra hæredem ab uno ex creditoribus, non ei obeſt, quod faciat fructus ſuos reſpectu aliorum judicialiter non comparentium.*
9 *Hæres legatario ſolvens citatis creditoribus, & reportata obligatione reſtituendi quibus de jure bene facit, nec ad nihil tenetur.*

DECISIO MXCIV.

Ad evitandam executionem mandati, quod contra bona propria Laurentii Pariſiani hæredis Beneficiati q. Alcidis jamdiù relaxatum fuerat favore Collegii Societatis Jeſu Civitatis Aſculi pro credito medietatis Dotis Vincentiæ Matris q. Torquati Pariſani ejuſdem Auctoris, & Legitimę reſpectivè ipſi debitæ ſuper Dote quondam Leliæ Aviæ, curavit idem Laurentius devenire ad redditionem rationis bonorum hæreditariorum dicti q. Alcidis, & diſpunctionem ſingularum partitarum, ex quibus nonnullas ad d. hæredis debitum adſcribendas, nonnullas vero ab eo delendas DD. cenſuerunt, juxta modum expreſſum in deciſionibus editis prius cor. bo. me. Urſino prima Julii 1697., & deinde cor. Me in ejus locum ſuffecto ſub diebus 13. Junii 1698., & 16. Januarii 1699.

Verum quia repropoſita Cauſa die 14. Junii 1700. orta fuit contentio ſuper valore Prędii poſiti in Territorio Appignani, Contrada Vallis Chiſentis, idcirco ad eam dirimendam, capta reſolutione ſuper reliquis par-

partitis, juxta modificationem expreſſam in deciſione d. die edita, decreta extitit Peritorum electio ad effectum eſtimandi dictum Prędium; & quia iidem Periti non fuerunt inter ſe concordes, ideo die 4. Junii 1703., ſuſpenſa reſolutione, demandata fuit electio non ſolum tertii Periti Agrimenſoris ad effectum iterum ęſtimandi memoratum Predium, verum etiam alterius Periti Curialis pro conficienda redditione rationis; cumque modo uterque ſuam ediderit relationem, hodie repropoſita à Me cauſa, propter Votorum ſciſſuram pluribus partitis in ſuſpenſo relictis, DD. *in deciſis juxta ſequentem modum tantum* circa infra recenſendas partitas perſiſtere cenſuerunt.

Et ſanè quatenus ſpectat ad Prędium Appignani in vocabulo Valle Chiſenti, nulla fuit difficultas, quin veniret reſtituendus, juxta valutationem factam ab ultimo Perito in ſc. 1885., quia licet geminę præceſſiſſent ęſtimationes, altera facta à Perito ejuſdem Laurentii in ſcutis 1500., juxta quam proceſſit noſtrum Tribunal in prȩcedentibus deciſionibus; altéra vero facta á Perito ipſius Collegii, qui Prædium ęſtimavit valo-
1 ris ſcutorum 3047., nihilominus quia de ordine noſtri Tribunalis alia ulterior æſtimatio demandata extitit, huic poſtremæ venit omnino deferendum, utpotè quia Peritus auctoritate Judicis ultimo loco electus, ſervatis ſervandis, ſuam relationem edidit, ut aliàs reſpondit *Rota cor. Bich. dec.* 291. *n.* 9. *in rec. dec.* 26. *n.* 20. *p.* 10., *& in Romana Caſalis Teſtæ Leporis* 22 *Aprilis proximè præteriti* §. *Mandatum cor. R. P. D. meo Kaunitz*.

Benè tamen ex hujuſmodi prædio ad ſui commodum detrahere prætendebat Laurentius duo petiola terræ ſub fundamento, quod ſub diebus 15. Maii, & 10. Decebris anni 1560. pretio Florenorum 467., conſtantium ſcuta 233. acquiſita fuiſſent per Marianum ſeniorem de Pariſanis, qui fideicommiſſum ordinaverat ad ipſius favorem purificatum. Verum quia è converſo opponebatur à Scribentibus prò Collegio, quod non docebatur, dicta petia terræ per Marianum uſque ad eius obitum poſſeſſa fuiſſe, multòque minùs reperiri deſcripta in Inventario ab ejus filiis confecto anno 1578., quod tamen, tanquàm defectuoſum, nec legitimè exaratum, attendendum non eſſe aſſerebat Laurentius, propterea in certamine hujuſmodi rationum Domini alteri diſputationi remittendam eſſe exiſtimarunt inſpectionem, an dicta petia terrę detrahenda veniant, nec ne.

Quatenus veró ſermo eſt de Horto in Contrada *le Cannarine*, Domini iſtius reſpectu perſiſtere non dubitarunt in ſenſu, quod de eo reddenda ſit ratio, quia etſi ille aſſeratur obnoxius fideicommiſſo dicti Mariani Senioris, non autem hæreditarius Alcidis, juxta deciſionem editam *in Aſculana fideicommiſſi* 9. *Decembris* 1051. *coram Eminentiſſimo Caprara*, nihilominus talis exceptio ex duplici facti circumſtantia iterum debilis viſa fuit, & primo, quod ſitus Alcidis, qui reperitur in Contrada *le*
2 *Cannarine*, eſt ſimplex hortus capacitatis quatuor quartarum, & eſt omnino ſeparatus à Domo, ac de eo ipſe Alcides diſpoſuit illum deſtinando pro dote quinquaginta Miſſarum annuatim celebrandarum; alter verò promanans à Fideicommiſſo Mariani eſt annexus domui, habet potiùs Viridarii formam, quàm Horti, & non eſt tanta capacitatis, ſecundo quod in inventario bono-
3 rum Alcidis deſcriptus quidem fuit hortus tanquam ab eo poſſeſſus, & ad eumdem pertinens, quando alter ſitus, qui eſt verè fideicommiſſarius, nunquam fuit ab Alcide poſſeſſus, quinimmo per Marianum juniorem diſtractus extitit favore Tiburtii Miliani, & de anno 1680., quo fuit confectum inventarium bonorum hæreditariorum Alcidis, adhuc ab Hæredibus dicti Tiburtii poſſidebatur, à quibus poſtea per ipſum Laurentium fideicommiſſi titulo vindicatus fuit. Et hoc ipſum convincit factum ipſius Laurentii, qui hortum, de quo agitur, tanquam hæreditarium Alcidis in ipſius inventario deſcripſit, ejuſque poſſeſſionem hæreditario nomine appræhendit, ut alias reſponſum fuit coram Me ſub die 13. Junii 1698. §. *Ita etiam*, & 16. *Januarii* 1699. §. *Reſpectu Horti*.

Quamobrem inapplicabiles viſæ fuerunt
4 authoritates firmantes, quod ex clauſula ſalutari appoſita in inventario, ut non cenſeantur compræhenſa ea, quæ apponenda non erant, docto de errore, ſalvum remaneat Jus hæredis non obſtante illius confeſſione; quoniam, quidquid ſit de concluſione in abſtracto, certum eſt, quod de errore nec per umbram docetur, nec doceri poteſt, attenta facti ſerie mox recenſita, qua
5 ſtante, error adeò concludenter probandus eſſet, ut dari nequeat contraria poſſibilitas, quod hortus prædictus ad Alcidem pertinere nequiverit, *Urceol. de tranſact. quæſt.* 86. *ſub num.* 19., *Rota cor. Bich. dec.* 649. *num.* 12., *coram Priol dec.* 256. *num.* 4., *& ſeqq.*, *& dec.* 307. *num.* 6., *in rec. deciſ.* 160. *num.* . *par.* 9., *& deciſ.* 106. *n.* 11. *par.* 12.

Quibus ita firmatis reſpectu fructuum perceptorum ab omnibus, & ſingulis bonis hæreditariis Alcidis, Domini tranſierunt cum jam firmatis in deciſionibus, quę revidentur, quod nempè reſtituendi ſint ab anno
6 1697., quo per Collegium mota, & conteſtata fuit præſens lis in ſumma per peritum Curialem calculata ſcutorum 25:7.48., à quo tempore fructus deberi per Hȩredem, ac de illis rationem eſſet reddendam vulgare eſt, & probant *Laderch. conſ.* 8. *num.* 5. *Peregr. conſ.* 42. *num.* 26. *lib.* 1. *Cartald. conſult.* 24. *num.* 18., *Rota cor. Merlin. deciſ.* 796. *num.* 7., & 8. *cor. Celſo dec.* 185. *num.* 4. *et in rec. dec.* 535. *num.* 5. *par.* 5. Non attenta replicatione deducta per ſcribentes pro Collegio

legio, quod reſtitutio fructuum metienda ſit ab anno 1682., quo Angela legataria Alcidis mandatum reportavit, illudque exequi fecit ſuper quodam cenſu hæreditario, itaut ab eo tempore conteſtata lite, Laurentius dici valeat conſtitutus in mala fide; quoniam duplex ſatisfecit reſponſio, altera,
7 quod ut hæres conſtitui valeat in mala fide pro impedienda ei fructuum conſecutione non ſufficit, quod Legatarius urgeat, in qua claſſe erat Angela, ſed neceſſe eſt, quod urgeat verus, & effectivus Creditor, ratione diverſitatis inter Creditorem, & Legatarium, cum in primo militet titulus oneroſus, & in ſecundo titulus lucrativus, juxta *Theoricam Pauli de Caſtro in leg. finali §. Et ſi præfatum C. de Jur. deliberan.*, quam in his terminis exornant *Roland. à Valle in tract. de Inventar.*, *queſt.* 151. *num.* 4., *Peregrin. de fideicom. art.* 46.49. *num.* 66., & 77., *Capyc. latr. Conſult.* 13. *num* 6., & 7. *Cenſal. ad Peregrin. in notis ad artic.* 40. §. *Sed. in Manſ. conſult.* 279. *num.* 29. Altera, quod etiamſi alii Creditores urſiſſent, adhuc
8 mala fides inducta per litem conteſtatam ab aliquibus prodeſſe nequiſſet Collegio, quod judicialiter non comparuit, ideoque illius reſpectu Laurentius fructus ſuos feciſſet, ex firmatis per *Rot. cor. Bich. dec.* 60. *num.* 10., *et* 11.

Quo verò ad mobilia, Domini ſteterunt in deciſis, delendò nempè eorum pretium à debito Laurentii, quia cum eadem tradita fuerint Patribus S. Dominici legatariis cum præcedenti Creditorum citatione, & ſi-
9 gnanter ipſius Collegii, & inſuper iidem Patres obligationem emiſerint reſtituendi, quatenus de jure, Laurentius ad ultra non tenetur, & liberatus remanſit, juxta ſenſum *Gratian. diſceptat. forenſ. cap.* 532. *num.* 6. *ad* 9., & *Rot. coram Bich. dec.* 469. *num.* 12. & *coram Cerro dec.* 167. *num.* 5., & *dec.* 272. *num* 13.

Tt ità, ceteris ad alteram diſputationem remiſſis, juxta hunc modum reſponſum fuit. Utraque &c.

Finis Tomi Quarti.

165
.9
19